

D. Martin Luthers Werke

Kritische Gesamtausgabe

43. Band

82083

Weimar
Hermann Böhlaus Nachfolger
1912

CONCORDIA COLLEGE LIBRARY
BRONXVILLE, N.Y. 10708

Vorwort.

Band 43 bringt die Fortsetzung der umfangreichen Genesisvorlesung, deren vollständige Unterbringung auch noch einen dritten Band benötigt. Dieser dritte Band (Band 44 Unsrer Ausgabe) wird dann auch die eingehende Gesamteinleitung von Pfarrer Lic. O. Reichert bringen, der die Arbeit an der Genesisvorlesung von Superintendent D. Koffmane schon im vorigen Bande übernommen und dann diesen Band allein geliefert hat. Inzwischen hat Professor Flemming-Schulpforta in der Herzoglichen Bibliothek zu Gotha eine Anzahl Briefe von und an Rörer aufgefunden, die auf die Genesisvorlesung Bezug haben und bisherige Annahmen zum Teil klären oder verändern. Sie sind veröffentlicht in den Beiträgen z. bayr. Kirchengesch. Bd. XIX, 27 ff. (1912). Wir werden darauf in der Gesamteinleitung im Schlußbande zurückkommen. Die sprachlichen Erläuterungen, Erklärungen und Verweisungen rühren wieder von Professor O. Brenner her; im übrigen bietet unser Band zu besonderen Bemerkungen keinen Anlaß.

Breslau, Oktober 1912.

Karl Drescher.

Inhalt.

Seite

Vorwort. Von Karl Dreſcher III

Text der Geneſisvorleſung. (Fortſetzung.) Herausgegeben von O. Reichert 1

Nachträge und Berichtigungen 696

Caput XVIII.

Apparuit autem ei DOMINUS in planitie Mamre, et ipse sedebat 18, 1
in ostio tabernaculi, cum calesceret dies.

Annus Abrahae nonagesimus nonus, ut supra quoque magnitudine rerum gestarum valde et prae caeteris est memorabilis. Continet circumcisionem et promissionem utranque, spiritualem et corporalem: postea peregrinationem in Palestinam et liberationem. Item subversionem Sodomorum. Ac quod caput est, saepius apparuit Dominus Abrahae, et cum eo familiariter est collocutus.

Huius autem capitis principale summarium est, quod vult confirmare promissionem factam de Isaac. Nam in praecedenti capite Abrahae promittitur ex Sara filius, ac imponitur ei a Domino nomen Isaac, a risu Abrahae, Sara autem tum non affuit, et videtur narranti Abrahae non credidisse. Ideo repetitur hic promissio, ut Sara eam non audiat ex ore Abrahae, ut antea, sed ex ipsius Dei ore, qui dicitur aversus stetisse, hoc est, obvertisse tergum, ad significandum, quod Sara non prius crediderit, quam corriperetur.

Promittitur igitur Isaac nunc secunda vice. Atque est locus hic de filiis promissionis praeclare et copiose a divo Paulo tractatus, qui inde concludit: Iustificari hominem fide, et non lege aut operibus, ac omnem Röm. 3, 28
superbiam et praesumptionem Iudaicam de carnali nativitate tollit hac una ratione. Si enim nativitas carnis valet, cur discernitur inter Ismaelem et Isaacum? Sicut autem Isaac ex promissione natus est, promissio autem requirit fidem: ita filii Abrahae aestimantur, non quorum naturalis pater est, sed qui ad exemplum fidelis Abrahae credunt, sive ex gentibus sint, sive circumcisi.

Hic locus, quia principalis est, scripturae more, duplici testimonio confirmatur: quemadmodum Ioseph duo somnia infra videt de bobus eandem rem significantia. Imperiti sacrarum rerum temerariam repetitionem et tautologian hanc esse iudicabunt. Sed magna causa fuit, cur idem bis

scriberetur. Maximum enim scandalum tollitur, et praeciditur nunquam finienda, alias disputatio de privilegio nativitatis carnalis, et praesumptione virium humanarum.

Ad hunc nodum non solvendum, sed simpliciter praecidendum pertinet haec promissionis repetitio, ut clare videant tum Iudaei nitentes carnali propagatione, tum gentes nitentes suis viribus, Abrahae verum semen esse semen promissionis.

Etsi enim Isaac ex carne Abrahae est natus, tamen est natus supra vires carnis, quia uterque parens carne pene mortuus, et aetate ad generationem ineptus est. Promissio autem, quam fide appraehendunt, mortuam carnem quasi vivificat, ut non tam ex carne, quam ex virtute promissionis Isaacum natum statuas, hic principalis huius capitis locus est pro iustitia fidei, contra praesumptionem et iustitiam operum.

Deinde proponitur hic exemplum pulcherrimum morale de hospitalitate.

Tertio singulare testimonium de articulo Trinitatis notandum est, quod tres viri apparent, et Moses subinde loquitur, ac si unus sit. Sed hoc testimonium differemus, et prius de hospitalitate dicemus.

18, 2–5 Et levavit oculos suos, et vidit, et ecce tres viri stabant iuxta eum, et videns cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et incurvatus est ad terram, et dixit: Obsecro, Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne, quaeso, transeas a servo tuo. Afferatur, quaeso, pauxillum aquae, et lavate pedes vestros, et refocillamini sub arbore, et ego afferam buccellam panis, ut firmetis cor vestrum, postea transibitis. Ideo enim transistis ad servum vestrum. Et dixerunt: sic facias, sicut locutus es.

Insignis illa hospitalitatis commendatio, quae extat in Epistola ad Hebr. 13, 2 Hebraeos, ex hoc loco nata est. 'Ne obliviscamini hospitalitatis, per hanc enim quidam, non animadvertentes, hospitio acceperunt Angelos.' Est autem hospitalitas, ubicunque Ecclesia est. Ecclesia enim, ut sic dicam, Matth. 5, 42 semper habet commune aerarium, siquidem mandatum habet: 'Da omni petenti abs te': et debemus nos omnes ei servire, et eam curare non solum docendo, sed etiam benefaciendo et fovendo, ut simul et spiritus et caro in Ecclesia inveniant refectionem.

Praecipue autem peregrini, quibus fortuna iniquior est, benigne complectendi sunt: Non enim obscura Christi vox est contra inhospitales in Matth. 25, 35 ultimo die: 'Hospes fui, seu peregrinus, et non suscepistis me.' Item: Matth. 25, 40 'Quicquid minimo ex meis fecistis, mihi fecistis.' Quae potest huius virtutis amplior esse commendatio, quam[1] quod, qui hospitales sunt, non

[1]) quam *fehlt in G — Urdruck für Tomus II (s. die Bibliographie, Unsre Ausg. Bd. 42, XIII).*

suscipiunt hominem: sed ipsum Dei filium. Contra quid inhospitalitate foedius? non enim excluditur e domo tua homo, sed Dei filius, pro te in cruce passus et mortuus, huic tu non unius diei sumptus, non spacium tantum tuarum aedium fruendum das, quo una cubet: Hanc vel immanitatem vel crudelitatem, quas putas secuturas poenas? Qui igitur Ecclesiae membra vera esse cupiunt, hi hospitalitatem meminerint praestandam, ad quam non solum exemplo sancti Patriarchae, sed scripturae gravissimis testimoniis invitamur.

Apparitio haec trium virorum est apparitio Domini. Et Abraham dum eos suscipit hospitio, Dominum ipsum suscipit. Videntur autem apparuisse humili et contempta specie, nudi, esurientes, fessi ex itinere et exules quasi nuper adeo liberati ex tristi aliquo carcere. Ita enim iudicasse Abrahamum verba eius ostendunt.

Porro didicit Abraham hospitalitatem duplici via. Primum ex institutione Patriarcharum et Ecclesiae more. Hi enim docuerunt filios suos hospitalitatem tanquam virtutem Ecclesiae summe necessariam: in ea enim quia docetur verbum, Satan autem odit verbum, et ab initio homicida et mendax fuit, necesse est pericula varia existere, et plurima incommoda. Joh. 8, 44; vgl. 1. Joh. 3, 8

Ubicunque enim Deus loquitur, etiam in ipsa Paradyso, ibi non cessat Satan saevire tum decipiendo, tum occidendo, donec ex paradyso eiiciat Adamum, et faciat peregrinum et exulem. Idem extra paradysum ab initio in Ecclesia fecit. Subiecit pios odiis mundi: in animos aut in corpora saevire eum divina bonitas quoties non passa est, saeviit in fortunas, eiecit sedibus, vexavit in exilio modis, quibus potuit. Itaque miseros patresfamilias, cum uxore et liberis, ceu aviculas eiectas nido, sancti Patriarchae iusserunt excipere hospitia, et tractare liberaliter.

Ac fuit Ecclesia omnibus temporibus ceu asylum quoddam exulum et pauperum. Sicut enim Christus dicit fortem custodire atrium suum in pace, donec veniat fortior: ita haec perpetua fuit fortuna piorum, ut lucente verbo persecutiones et exilia essent frequentissima. Luk. 11, 21

Nostro quoque saeculo, accensa ex Dei benignitate, immensa verbi lux est. Furit igitur Satan, et per Papam, per Episcopos, per furiosos principes replet totum orbem pauperibus et exulibus, qui misere vagantur, sitiunt, esuriunt et varie premuntur. Oportet esse igitur Lothum aliquem, oportet esse Abrahamum, oportet ditiunculam aliquam pii cuiusdam principis esse, in qua talibus locus esse possit. Ubi enim non est domus, ibi non potest esse hospitalitas.

Huiusmodi peregrinos veros Abraham hic se videre putat, veros enim peregrinos appello, qui exulant propter verbum, non errones illos, quorum in Papatu maximus proventus fuit, qui aut ex petulantia et lascivia, aut spe propriae iustitiae, sine necessitate persecutionis, voluntarium exilium suscipiebant. Haec enim verbi Dei natura est, ubicunque sonat, commovet

Satanam ad iram. Haec autem potentis spiritus indignatio non abit sine credentium calamitate. Hi eiiciuntur sedibus, exuuntur facultatibus, rapiuntur
1. Kor. 4, 13 ad supplicia, in summa, sunt, ut Paulus appellat, ‘ceu *catharmata* et *peripsemata*’.[1]

Ecclesia igitur in his fratrum difficultatibus non potest, nec debet esse ociosa. Cogitur mandato Dei et institutione maiorum exercere opera misericordiae, ut pascat esurientes et sitientes, ut hospitio excipiat exules, ut captos consoletur, ut visitet decumbentes ex morbo.

Habet etiam diabolus suos mendicos, sed hi, utcunque nihil habent, tamen satis et abunde habent, sicut videmus in monachis et ociosis erronibus. Sed veri mendici sunt, qui propter verbi promissionem sunt mendici. Hos etiam odit mundus, non adiuvat, nec sublevat. Sed Abraham eos adiuvat. Ita enim didicit ex maiorum suorum institutione necessaria haec esse offitia piis fratribus. Patuit igitur eius domus omnibus. Ac cum gaudio suscepit peregrinos, sicut videmus.

Meminerimus igitur huius exempli, scimus, quod, ut Petrus dicit,
1. Petri 5,9 1. Petri 5.: ‘Fraternitas nostra in mundo varie exercetur et patitur.’ Si igitur volumus Christiani esse, pateant exulibus domus nostrae, foveamus et recreemus eos.

Deinde didicit Abraham hospitalitatem, etiam suo exemplo. Iam enim anni circiter viginti et quatuor abierunt, dum relicta UR Chaldaeorum in exilio vixit, pererravit terram Chanaan, non uno in certo loco habitavit. Ex Ai in Bethel, inde in Hebron, in Palestinam, Bersabeam et alia loca venit, Aegyptum quoque bis coactus est ingredi, non sine magno periculo, Saepe in Agro, sub dio tempestatis inurias tulit, saepe fame, saepe siti vexatus est, saepe aliis circumventus periculis, quae Moses singula commemorare non potuit. Ostendit autem uno hoc vocabulo, quod exulem fuisse significat. Exulem enim qui dicit, infinita incommoda et pericula complectitur.

Haec sua pericula erudierunt eum, ut disceret mitis et benignus ac liberalis esse erga exules. Oblati igitur hi tres viri habitu simplici et paupere habiti sunt ab eo pro exulibus fratribus, qui vel ex ipsa Chaldaea, vel ex Aegypto, vel ex vicina Damasco profugerunt. Occurrit igitur eis tanquam valde indigentibus recreatione, amice rogat, ut maneant, offert aquam, qua abluant pedes, affert cibos, quibus fessi recreentur, nullo modo cogitat Angelos, vel ipsum Deum esse.

Est igitur pulcherrima haec idea hominis liberalis et largi erga fratres afflictos propter professionem verbi. Tales enim iudicavit hosce Abraham esse. Non igitur expectat, dum pulsent hostium, dum rogent hospitium, sedet in foribus, et cum ex longinquo eos videt, occurrit eis,

[1]) *catharmata*] περικαθάρματα; *peripsemata*] περίψημα.

quasi cavens hoc, ne alius hospites hosce sibi praeripiat. Adeo prompto in eos est animo.

Itaque quod Moses in hostio sedisse dicit, non ociosum est, est descriptio prompti animi, et parati ad offitia necessaria fratribus, et significat non solum animum promptum, sed etiam largam et beneficam manum erga peregrinos, quos ita sedens expectare solicitus[1] est. Sicut Paulus laudat Philemonem, quod viscera fratrum recreet, qui vel in exilium sunt acti, qui liberati e carcere. Est autem, ut dixi, haec virtus tantum in Ecclesia.

Nam vide Papatum quid in eo invenies simile? Sodomitarum similes sunt Papistae, de quibus sequens caput concionabitur. Vere enim, ut Ezechiel, capite decimo sexto dicit: 'Otium et panis saturitatem habent, Hes. 16, 49 manum autem pauperi 'non porrigunt', imo potius opprimunt pauperes, Insaniunt contra miseras Ecclesias, fundunt sanguinem, involant in bona, proscribunt, in exilium agunt. Haec immania peccata, et plus quam barbaricam hanc crudelitatem, quam exercent in ministros verbi, in patresfamilias, etiam in foeminas, et infirmam aetatem obruere conantur hypocritico cultu, et aedificandis ac instituendis magnifice hospitalibus, non tam in pauperum usum, quam in suam gloriam.

Audient igitur triste iuditium in novissimo die, cum accusabuntur a Christo, quod sint persecuti ipsum, eiecerint eum ex sedibus, egerint in exilium etc.

Nunc Dei benignitate sub nostro principe illustrissimo habent miseri exules, quo confugiant, et ubi tuti sunt, sed timeo, ne venturus sit alius, qui Ioseph non agnoscat. Idque propter extremam inhumanitatem et inhospitalitatem et avaritiam hominum. Non nobiles, non cives, non rustici uno obulo adiuvant Ecclesias, ut possint esse liberales in exules. Quicquid habemus, habemus ex reliquiis sub Papa collectis et datis.

Hodie enim nemo quidquam dat. Sub Papa autem largiendi finis nullus erat. Tanto autem nunc decebat dare largius, quod plus nunc piorum exulum est, quam ullis unquam superioribus temporibus. Admonentur enim verbo Dei homines, ac praecipue Ecclesiarum ministri egent, quia nunc sunt coniuges, non vivunt amplius in impuro coelibatu. Igitur non singulae personae, ut olim, sed integrae familiae nunc propter verbi confessionem exulant, hos non adiuvare scelus est.

Non autem dubitabimus sanctum Patriarcham saepe idem passum, quod nos quotidie patimur. Non enim desunt ociosi hypocritae assueti ad mendicationem, quibus si quid prae manu des, statim in aleam et commessationes conferunt, et ubi sciunt paratas ad fovendos inopes Ecclesias,

26 obulo] obolo.

[1]) *Wohl* solitus *zu lesen.*

istuc convolant tanquam ad praedam, et simulant aliquandiu pietatem tantum spe uberioris quaestus.

1. Tim. 5, 16 Sic Paulus queritur de lascivis viduis, 1. Timothei 5. quae ex publicis alebantur, et Ecclesiis erant oneri. Quod si id tum accidit, non mirum, si hodie multi ad nos quoque veniunt sub nomine afflictorum exulum, quasi propter verbi confessionem eiecti sint ex suis facultatibus. Ex horum parte non est hospitalitas, sed rapina et iniquum onus, qua Ecclesiae gravantur. Circumspectione igitur hic opus est, ut caveamus tales errones.

Abrahamo ad hunc modum sine dubio saepe impositum est, quod homines occisi[1] abusi sunt eius liberalitate, et confluxerunt ad eum, quod norant paratam eis apud ipsum mensam, et exposita omnia. Tales ceu fuci apibus laborantibus et sedulis mella praeripiunt. Sed sine incommodo istorum, qui in eos benefici sunt. Qui enim simpliciter ita largi sunt, non amittunt praemium, etsi beneficium amittunt.

Notanda igitur historia haec, quod Abraham describitur sedens ad ostium, et occurrens hospitibus, quos species probabat non malos esse, et indigere aliena liberalitate. Sic nos quoque simus liberales, aperto hostio, et hilari fronte excipiamus inopes fratres. Quod si nonnunquam fallimur, bene. Deo tamen probatur voluntas nostra, et beneficium, quod in homine malo et ingrato perit, in Christo, cuius nomine benefici sumus, non periit. Igitur sicut prudentes et scientes hominum ignavorum ocium non debemus alere, ita quoque decepti non debemus abiicere hoc studium benefaciendi aliis.

Luk. 17, 11—19 Christus decem leprosos sanat, et norat unum tantum gratum fore. Haec fortuna nos quoque manebit, nec nos ideo benemerendi de aliis studium abiiciamus.

Quin non in fratres tantum, et qui propter confessionem exules sunt, debemus esse benefici, sed etiam erga illos, qui civiliter sunt peregrini, modo non sint aperte mali, ut si Turca, aut Tartarus aliquis ad nos veniret, non propter doctrinam nostram, quam nescit peregrinus, sed natura, ut sic dicam, mendicus, hic etsi non patitur propter verbum, sed alioqui miser est, non est negligendus a nobis.

Principaliter tamen hoc de hospitalitate praeceptum pertinet ad eos, Matth. 25, 40 quos Christus vocat suos 'Minimos'. Quia ubicunque verbum est, ibi est Satan hostis movens persecutiones corporales et spirituales. In ipsa paradyso non potuit quiescere, nisi Adamum cum Eua sua ageret in exilium. Parati igitur esse debemus in fratrum consolationem. Spirituali persecutione afflicti sunt consolandi et fovendi verbo: Corporali autem persecutione

---

19 Deo] Deoi *Druckf. G.*

[1]) occisi *dürfte ein Druckfehler sein, vielleicht ist* otiosi *gemeint.*

afflicti sunt fovendi pane et aqua, hoc est, charitate et hospitalitate: unusquisque pro sua necessitate.

Sicut Abraham hic facit, vidit hos tres peregrinos: qui sint nescit, hoc scit et videt, quod sint inopes et fessi via. Igitur celeriter affert aquam, lavat pedes hospitum, iubet mactari vitulum, parari panes, afferri potum. Sicut autem ignarus ipsum Dominum hospitio excipit: Ita nos quoque, cum aliquid minimo ex regno Dei benefacimus, ipsum Christum hospitio excipimus, venientem ad nos in suis pauperibus.

Cur locus, in quo Abraham habitat, planities seu quercetum Mamre vocetur, diximus supra. Habet enim appellationem a possessore. Mamre enim cum duobus suis fratribus non solum hunc locum concessit Abrahae habitandum, sed etiam foedere se cum eo iunxit, ac fuit sine dubio sancta familia, quae adiuvit Abrahamum in pugna contra quatuor reges.

Etsi autem alii quercetum, alii planitiem vocent, mihi tamen verisimilius videtur fuisse nemusculum aliquod, seu lucum, in cuius medio tuguriolum quoddam habuit. Igitur hospites sub quercu iubet considere in umbra.

Temporis descriptio etiam non est otiosa, caluisse tum solem, hoc est, ascendisse ad meridianum. Nam iter facientes et mane egressi sub id tempus fame et siti laborare incipiunt, praesertim si sint pauperes. Observavit igitur hoc tempus Abraham singulari studio, ac hoc animo consedit in ostio, ut, si quis forte esset in itinere, eum hospitio exciperet, et defatigatum reficeret.

Quod autem addit Moses, levasse eum oculos, significat aliquandiu meditabundum sedisse, cogitantem forte de promissione facta, aut orantem, vel cum tentatione aliqua pugnantem. Cum autem subito levat oculos, Ecce adsunt tres viri, ut apparebat, boni et egentes. Hic occurrit, eos invitat et liberaliter tractat.

Itaque intueamur eum non solum, ut patrem fidei seu credentium propter excellentissimam fidem, sed etiam, ut patrem bonorum operum, et pulcherrimum exemplum charitatis, humanitatis, beneficentiae et omnium virtutum.

Ex Mose verbis apparet hunc Patriarchis fuisse morem, ut sederent in foribus expectantes et excipientes prandii et coenae tempore hospites, praesertim eo tempore, quo Satan crudelius seviit in pios: sicut persecutiones aliis temporibus duriores, aliis mitiores sunt.

Quod si ponas antithesin Dei et Satanae, erit historia multo lucidior. Satan ex aequo odit Doctores et auditores verbi. Igitur hospitalitate primum opus est ad excipiendos domesticos fidei. Debet enim differentia haec servari perpetuo, sicut ab Apostolis tradita est, ut prima cura sitfratrum, hoc est, illorum, qui eandem nobiscum doctrinam profitentur, et ideo persecutionem patiuntur. Habet autem haec virtus peculiare nomen, et vocatur *φιλαδελφία*.

Sed non soli fratres calamitosi sunt, et Christus patris coelestis exemplo hortatur nos, ut etiam inimicis benefaciamus.

Principaliter igitur commendatur hoc in loco hospitalitas illa, qua erga eos peregrinos utimur, qui propter verbum et fidei professionem exulant. Hi non solum exemplo Abrahae reficiendi sunt pane et aqua, sed etiam reverenter tractandi. Sic enim describit eum Moses, quod, ut primum eos accedere videt, surgit, et laetus hospitibus occurrit. Deinde procidit in terram, tanquam adoraturus Deum, et appellat *Adonai*.

Haec nimirum pene nimia reverentia est, qua tractat in speciem pauperes et afflictos fratres apparentes vel senili, vel iuvenili specie, nam Moses id non explicat. Quam autem in compellandis eis comis, benignus, humilis est? Quam rhetoricatur denique suaviter. Obsecrat, invitat, urget etiam eos, ut maneant, ac sibi tantum non in coelo esse videtur, quod tales contigerunt hospites, quodque dignus sit habitus eos recipere.

'Si inveni gratiam, inquit, in oculis tuis, ne transeas a me.' Quid, quaeso, diceret aliud, si ingens auri pondus afferrent? Sed nihil afferunt. Fessi ex itinere videntur, et opus habent, ut reficiantur, idque tam cupide Abraham facit, ut etiam tanquam summum beneficium roget, ut maneant.

Est igitur haec historia prorsus sine exemplo, quod tantus Patriarcha cum tanta reverentia adorans, et procidens in terram, incognitos hospites excipit, ac *Adonai* maiestatis, scilicet vocabulo, appellat. Deinde vide, quomodo sua extenuet. 'Adferatur modicum aquae', inquit. 'Item buccella panis.' Haec civilitas, quod suum munus non ornat verbis, etiam grata admodum est. Sicut enim Syrach Malos oculos appellat exprobrantes beneficia: Ita minime decet, tua ut laudes aut amplifices. Haec superbia gratiam beneficii tollit.

Sir. 31, 14

Hoc igitur Abrahae exemplum prorsus sine omni exemplo est. Qui igitur vult docere alios de offitiis erga fratres, hinc exemplum sumat, et videbit rhetoricam multo maiorem in his paucis verbis, quam ut imitari eam possit.

Docet autem historica sententia exercuisse Abrahamum officia charitatis erga fratres ac doctrinae et fidei socios. Ad hunc modum erudit nos quoque Christus, cum dicit: 'Qui vos recipit, me recipit, qui autem me recipit, recipit eum, qui misit me'.

Joh. 13, 20

Magna profecto et admirabilis sententia, modo eam diligenter expendas. Hanc promissionem non habuit sic claram Abraham, et tamen quam studiose invitat, quam liberaliter tractat peregrinos?

Didicit autem hoc, ut supra dixi, non tantum ex institutione maiorum, qui suos ad hospitalitatem adsuefecerunt, qua Ecclesiae tum maxime opus est, cum verbum Dei clarissime lucet: sed etiam suo exemplo, quod exulanti multa incommoda obiecta sunt, et gratissima fuerunt ei bonorum offitia. Ita usu didicit regulam hanc, quod, qui fratrem exulantem propter verbum excipit, ipsum Deum in tali fratre accipit.

---

6 *Adonai*] אֲדֹנָי

Hanc regulam cum ipse Christus nobis tradiderit, imo cum promiserit se in novissimo die praedicaturum nostra in pauperes offitia, sumus tamen longe frigidiores et languidiores, quam sancti Patres fuerunt.

Abraham cogitavit hosce tres viros ob confessionem verbi eiectos ex suis sedibus, ac vidit non in Sodomis, non in vicinis locis eis locum fore. Recipit igitur eos ad se, et credit se Deum in eis recipere, sicut testatur vox, quod *Adonai* vocat. Item gestus, quod se prosternit coram eis, ceu adoraturus, ac non fallitur: Deum ipsum excipit.

Igitur merito in exemplum proponitur Ecclesiis, ut discant ministros verbi recipere, sicut Dominum in coelis, quemadmodum de suis Galatis Paulus dicit, habitum eum, ut Angelum Dei. Etsi autem prosternendi mos apud nos Gal. 4, 14
non est, tamen animis debemus posterni coram fratribus propter inhabitantem Christum. Quia enim dicit: ‘Quicquid feceritis minimo ex meis, hoc Matth. 25, 40
mihi fecistis’, illo verbo constituit fraternitatem inter nos et ipsum.

Sicut autem nemo dubitaret, si videret Christum, humiliari coram eo, et prosterni: cur non etiam coram fratribus saltem animo prosterneremur? Sicut egregie Augustinus dicit: Honorate Deum in vobis invicem. Verbum enim Christus non mentitur: ‘Mihi fecistis, si quid meis minimis facitis’. Matth. 25, 35

Merito igitur querimur de nostrorum cordium incredulitate, quae ceu glacies induruerunt, et suavissimis hic promissionibus non molliuntur. Abraham, ut videmus, credidit, etsi verbum sic clarum non haberet, se Deum excipere, si hosce tres hospites exciperet. Homines esse non dubitavit, et tamen habuit cogitationem altiorem: Respexit enim in Dominum, quem in hisce hospitibus adorat.

Etsi igitur inimici fuissent, non eos dimisisset, sed refecisset prius secundum charitatem, non tamen secundum Philadelphiam procidisset in terram. Scit enim Deum habitare in fratribus et fidei sociis, qui vera sunt Dei templa, et non in fidei inimicis, aut qui religionem veram nesciunt.

Quanquam mihi non displicet illorum sententia, qui Abrahamum et suis, et suorum maiorum exemplis eruditum, et saepius expertum esse dicunt, quod Angeli humana specie venientes hospitiis piorum sint usi, sicut iinfra de Lotho in Sodomis audiemus. Haec experientia fecit, ut omnes hospites tractarent reverentius, et expectarent ipsi quoque conversationem cum Angelis.

Etsi autem rarius hoc accidit, tamen, quia Deum norunt in fratribus colendum, indignos quasi se iudicarunt, qui infirmos, afflictos, pauperes fratres, propter verbum exulantes hospitio acciperent, ideo cum tanto gaudio et tam prompto ac lubenti animo id fecerunt.

Mundus diversum facit. Non enim rex Canaan hoc modo excipit Abrahamum. Multominus Sodomitae Lothum. Abraham in Aegypto, ubi tamen bonus rex erat, in maximum periculum incidit propter Saram, et infra audiemus, quam amice tractarint eum Philistini. Nusquam igitur sancti excipiuntur benigne, et tractantur liberaliter, nisi apud Abrahamum

et Lothum, hoc est, in Ecclesia, quae se agnoscit servam servorum Dei, et indignam, quoniam Deus in sanctis suis habitat, tanto honore, ut Deum accipiat hospitio in fratribus.

Hodie quia tantus impostorum et ociosorum mendicorum numerus est,
1. Joh. 5, 19 haud scio an ista corporalis reverentia necessario debeat exhiberi: 'Mundus enim in maligno positus totus est', et abutuntur plurimi piorum liberalitate.

Sic lotio pedum orta est ab antiquis patribus, et pertinet ea quoque ad reverentiam, quae hospitibus debetur.

Haec est historica huius loci sententia, et insignis hospitalitatis commendatio, ut certi simus ipsum Deum domi nostrae esse, apud nos pasci, cubare, requiescere, quoties bonus aliquis frater ob Euangelion exulans ad nos venit, et a nobis hospitio excipitur. Vocatur autem haec Philadelphia, seu Christiana charitas, quae maior est illa generali beneficentia, qua etiam ignotos et hostes complectuntur egentes nostro auxilio.

Apud adversarios neutrum est. Nam nos propter confessionem oderunt. Ideo persequuntur, proscribunt, occidunt etiam. Civiliter autem inimicos extreme oderunt. Hospitalitas igitur et philadelphia tantum sunt apud veros Christianos et in Ecclesia.

Nam quod commemorantur amicitiae gentilium, ut Thaesei et Herculis, Piladae et Orestis, nihil haec sunt ad fraternitatem in Ecclesia, cuius vinculum est illa cum Deo societas, quod filius Dei dicit sibi fieri, quicquid minimo ex suis fit. Itaque sine hypocrisi corda se effundunt in proximi necessitate, neque quicquam aut tam sumptuosum, aut difficile est, quod fratrum causa Christianus non suscipiat.

Sed o miseros et excoecatos nos, quibus haec praedicantur sine fructu. Paucissimi enim sunt, qui credunt haec vera esse. Quod si quis serio crederet, se suscipere Dominum ipsum, cum pauperem fratrem suscipit, non necesse esset tam anxiis, studiosis et solicitis exhortationibus ad caritatis opera: Paterent statim loculi, cella, pietas in usum fratrum sine omni invidia, nosque cum pio Abraha occurreremus ultro miseris. Invitaremus eos ad nos, praeriperemus aliis hanc gloriam et dignitatem, ac diceremus: O Domine Iesu, veni tu ad me, utere tu meo pane, vino, argento, auro. Quam id recte a me collocatum est, cum in te colloco, etc.

Sed quia hoc non facimus, certum est non credi haec a nobis. Igitur surdis narratur fabula, cum haec Patriarcharum exempla commemoramus. Sed profecto et in opprobrium nostrum haec exempla scripta sunt, et habebit suam poenam tam obstinata incredulitas.

Quid autem illi in novissimo die respondebunt, qui etiam persequuntur Ecclesiam? Sicut Papa, qui tamen mentitur se servum servorum esse. Hic titulus Abrahamo convenit, et omnibus Christi fidelibus. Papam vero nomine si appellare voles, appellabis Tyrannum, et si quid Tyranno durius et crudelius est. Persequitur enim Ecclesiam Dei, pellit sedibus suis

fideles ministros, gladio et flammis in eos saevit, tantum abest, ut eos ceu fratres et amicos suscipiat. Sodomitarum igitur similis est, non Abrahami, et meretur non terram Chanaan, ut Abraham, sed ignem et sulphur de coelo, et aeternas flammas.

Extenuatio suorum offitiorum praeclara est: 'pauxillum aquae, inquit, afferetur, et vos interim quiescite ad hanc arborem'. Verbum hebraeum admodum significans est (*Hischaanu*) reclinate, innitimini ceu baculo huic arbori, Sich auff etwas lenen, ſtewren, sicut solent defatigati itinere.

Sic Psal[mo 22.: 'Baculus tuus et virga tua ipsa me consolata sunt'. Ps. 23, 4
Baculum enim vocat verbum, cui periculis et tentationibus fatigati innitentes acquiescimus et confirmamur.

Ad extenuationem offitii hoc quoque pertinet, quod non dicit se instructurum mensam, non paraturum lectos, ad arborem, iubet, ut reclinent, et promittit panem. Insigne igitur exemplum hoc est, et adeo aptis verbis descriptum, ut, nisi lapis sis, cupias tu quoque posse te in hoc opere hospitalitatis similem esse Abrahae, quem non tam fidei, quam bonorum operum patrem vocare possumus: Haec de historia satis sint.

Porro, de mysterio trinitatis quoque dicendum aliquid est: Nam impii Iudaei nos rident, quod patres nostri ex hoc loco Trinitatem voluerunt probare, quod tres viri hic apparent, et tamen Abraham cum uno tantum loquitur. Ac verum quidem est secundum historicum sensum nihil ex hoc loco concluditur aliud, quam quod Abraham divinam reverentiam exhibuerit afflictis fratribus, et liberaliter exceperit, nondum enim norat esse Dominum.

Haec cum historica sententia sit, damnant nos, quod facimus tres personas, et unum essencialem Deum, et gloriantur nihil tale repiriri vel in Mose, vel Prophetis: Qui enim ex hoc loco id velit efficere, eum ex scriptura ceu ex cera quaslibet formas fingere posse sentiunt.

In totum igitur nostram fidem, ex hac maxima, ceu certa demonstratione damnant. Ac ut, quod verum est, dicam, si Ciprianum, si Hilarium legerunt Iudaei, multa vident ab eis parum apte citata. Sed sancti patres scripserunt ista bono et pio animo. Ac bene viderunt, quod cum adversariis non sic agendum est, ut cum auditoribus principia fidei non negantibus. Cum enim tuos doces, ibi non bellum moves, sed exercitium ad bellum instruis. In exercitio autem vides non ferratis hastis, non acutis gladiis, sed etiam rudi ligno, aut ad gladii formam facto, recte nos uti: Sed in acie ferro opus est, eoque ad feriendum firmo et bene acuto.

Sic quando disputamus contra Ecclesiae hostes, solida et firma argumenta proferenda sunt, hoc enim nisi fiat, non solum rident nos inimici, sed in suo errore magis confirmantur. Sic convicimus Anabaptistas et

---

7 (*Hischaanu*)] חִשָּׁעֲנוּ

Sacramentarios, non solum nostra probantes multis et solidis rationibus: sed etiam vitia notantes, quae ipsi male colligendo et citando committunt.

Alia igitur res est docere, alia exhortari, Rhetorica, quae ad exhortationem facit, ludit saepe, saepe praetendit lignum, quod tu putes gladium esse. Dialectica autem belligeratur, et agit res serias, igitur non ligna, sed ferrum ostendit adversario. Hoc cum patres non ubique fecerint, et nonnunquam impropriis, nonnunquam parum firmis rationibus, tanquam inter suos ad probandum articulum trinitatis sint usi, Iudaei hanc maximam contra nos adducunt: A doctoribus nostris multos locos improprie citari: igitur totum hoc nostrum dogma falsum esse. Antecedens igitur non negamus, quin sit verum, sed consequentiam tamen probamus falsam esse.

Quod enim ad hunc locum attinet, concedamus historicum sensum nihil contra Iudaeos facere: Sed nonnunquam catachreses quoque suum locum habent. Sic Paulus, postquam doctrinam fidei, dialectice, et tanquam in acie asseruit gladio, addit postea de Sara et Hagar allegoriam, quae etsi in acie minus valet, nam discedit ab historico sensu, tamen lumen addit causae, et ornat eam.

Historia non docet, quod Abraham sit Deus, Sara Ecclesia, Hagar synagoga. Abraham docet historia esse patremfamilias, Saram matremfamilias, Hagar servam. Quid autem prohibet, posito iam ante fundamento, ex aliis scripturae locis certis et illustribus, etiam adhibere allegoriam, non tantum ornandi, sed etiam docendi causa, ut res fiat illustrior.

Sic naturales filii Abrahae, Ismael et Isaac, designant duos populos: Ismael populum carnis, Isaac populum spiritus, seu promissionis.

Recte igitur Augustinus dicit: Figuram nihil probare, nec debere in disputando habere locum: Disputatio enim fundamenta firma iaciat necesse est: Haec cum iacta sunt, nihil prohibet per allegoriam seu figuram addere lucem causae, et ornare causam.

Sic Augustinus non quidem probat trinitatem ex eo, quod sint in homine tres potentiae, et tamen iucunda cogitatio est, tum in homine, tum reliquis creaturis omnibus vestigia trinitatis inquirere et notare.

Sicut magister sententiarum[1] quoque facit, cum allegat sententiam: omnia disposita esse in pondere, mensura et numero, cum in quantitate dicit esse lineam, superficiem et corpus, in philosophia ens, verum et unum. In sole substantia, lux, calor. Huiusmodi testimonia non urgent adversarios verbi, nobis autem iucunda sunt vestigia articuli iam antea certo comprobati et noti.

Ad hunc modum etiam de hoc loco dicemus ad Iudaeos: Rideant sane nos et nostros doctores, hoc testimonio usos, hoc tamen nunquam

[1]) *Petrus Lombardus († 1164) nannte zuerst seine Dogmatik:* Sententiarum libri IV; *daher sein Ehrenname:* Magister sententiarum.

diximus, quod ipsi nos dixisse falso calumniantur, quasi illi tres viri significent tres personas Dei.

Ad hunc modum Papistae quoque depravant studiose nostra dicta, ut suam causam ornent. Cum enim dicimus hominem non iustificari operibus, affirmant nos bona opera prohibere et damnare, tales viperae sunt Coclaeus, Vuitzelius et alii. Haec sunt Satanica mendacia virulentorum et pessimorum hominum, qui, quae dicimus non audiunt, nec volunt audire, et tamen rapiunt in alium sensum, quem ipsi volunt.

Apud patres nusquam invenies habuisse Abrahamum hos tres viros pro tribus personis divinitatis. 'Virulentarum igitur linguarum mendacia Pſ. 52, 4
haec sunt, quae sunt sicut novacula acuta', et nihil nisi verba praecipitationis loquuntur, quae pias mentes alienant et offendunt et praecipitant: Audiunt quidem Iudaei naturali sensu, sed malitia Satanica obsessi non Jeſ. 6, 10
audiunt, quod dicimus, sicut Esaias de eis vaticinatus est.

Non enim patres sic crasse de Trinitate sunt locuti, ut definirent hos tres viros, corporalibus oculis ab Abraha visos, pro tribus personis divinitatis esse habitos.

Christus homo, vox patris de coelo, columba in baptismo Christi sunt tres distinctae species, sed quis ideo dicet humanitatem esse divinitatem, aut vocem hanc esse patrem, aut columbam hanc spiritum sanctum.

Hoc recte dicitur in homine Christo esse Deum, in columba esse spiritum sanctum, in voce esse patrem. Sed non sumus tam crassi, ut externas speties seu corporalem rem, quae oculis cernitur, et compraehendi potest, dicamus Deum esse. Scimus enim Trinitatem esse invisibilem.

Igitur patres aliis verbis, et non tam crasse dixerunt, quare Deus voluerit revelari Abrahae in tribus personis, et non in quatuor aut duabus. Seu cur apparendo Deus singulariter elegit tres personas, quibus apparuit.

Ostendi igitur occulto sensu, non historico, quod Deus sit unus et trinus, siquidem Abraham tres vidit, et unum adoravit. Ad hunc modum locuti sunt sancti patres, et non sicut virulentae Iudaeorum linguae blasphemant: voluit enim Deus apparere Abrahae in Trinitate Angelorum. Quia igitur tres apparent, et unus loquitur, quia Abraham tres videt, et unum adorat, ideo dicunt patres significari, quod in Deo sit aliqua Trinitas, et non, quod illae species seu personae tres sint Trinitas. Quod si alia Trinitatis probatio non esset, quam hae tres species, ego sane eam non crederem, sed habemus alia fundamenta firma et certa, de quibusalio in loco.

Defendamus igitur doctores nostros contra virulentas linguas, qui occulto sensu vidisse Abrahamum Trinitatem dicunt, siquidem Deus ei apparuit non in paucioribus, nec pluribus personis, quam tribus, si enim (ut in novo testamento clarum Christi testimonium est) vidit diem Christi, Joh. 8, 56
sine dubio etiam vidit divinitatem eius: Si divinitatem, non potuit id fieri sine cognitione Trinitatis.

Recte igitur patres hoc loco sunt usi. Aliud enim est probare, aliud ornare. Rhetorica argumenta non semper probant, sed vehementer ornant, et persuadent ea, quae dialectica probavit.

Mihi valde gratum est, postquam scio, quod sola fide iustificamur, (Id enim in scriptura sancta tanquam dialecticam argumentum copiose probatum et explicatum est) quod Augustinus, Hilarius, Cyrillus, Ambrosius idem dicunt, etsi fundamenta non sic urgent, et minus proprie aliquando loquuntur. Hoc enim non imputo eis ut erratum, Mihi hoc satis est, quod idem dicunt, etsi minus commode dicunt, et confirmor ipsorum testimonio, licet magis sit Rhetoricum et Dialecticum.

Ubi enim fundamenta recte sunt iacta, Rhetorica, etsi minus firma sunt, tamen utilia sunt et iucunda, nec carent suo fructu. Ad eum plane modum de hoc sanctorum patrum testimonio senciendum est, quod recte dixerunt Abrahamum, quia Deus in tribus his personis apparuit, cognovisse ex hac apparitione Trinitatem. Rhetoricum enim hoc argumentum est, et ad persuadendum aptum, imo etiam utile, postquam fundamenta Trinitatis ex aliis scripturae locis iacta sunt.

18, 5b—8 Et dixerunt: Sic facias, sicut locutus es. Festinavit itaque Abraham in tabernaculum ad Saram, et dixit: Festina. Tres modios farinae repurgatae commisce, et fac panes subcinericios, et ipse Abraham currens ad iumenta tulit vitulum tenerrimum et bonum, et dedit puero: Festinavitque, ut eum praepararet. Tulit quoque butyrum et lac et vitulum, quem praeparaverat, et posuit coram eis: Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore, cum comederent.

Haec est descriptio convivii non regalis, sed vere divini. Ac qui dialecticus et rhetor esset, haberet divitem materiam, in qua exerceret se. Neque enim frigide haec percurrenda sunt, cum certum sit non frustra a spiritu sancto haec describi, sed propter nos.

Abraham postquam intelligit, quod velint hi tres hospites manere, laetus festinat in tabernaculum, et instruit convivium. Certus enim est se in hisce tribus hospitibus excipere ipsum Deum: Fides igitur eum si alacrem et promptum reddit.

Haec cum in nobis non sit, ideo Abrahae sumus dissimillimi, et ad ista offitia caritatis tardissimi. Si autem conscientia non dubitante persuasum nobis esset, quod, cum excipimus fratrem aliquem, vel exulantem propter verbum, vel alioqui calamitosum, nos Deum ipsum excipere, ac habituros offitii testem ipsum filium Dei in novissimo die, profecto laetaremur nos quoque de hospitum adventu, nec putaremus onerari nos.

Sed impedit nos aspectus ille carnalis: invisibilem hospitem, et tamen vere praesentem oculi carnis non vident: Internis oculis seu fide opus est.

haec cum in Abraha sit ardentissima, prae laetitia ingenti festinat, non incedit lentus, gaudet occasionem sibi datam, bene merendi de fratribus, nec servorum ministerio utitur, ipse currens se dat in viam, deligit vitulum, Saram quoque festinare iubet, et placentas facere.

Haec omnia a Mose scribuntur, ut amplificaret illam gloriosam Abrahae fidem, quod indubitata conscientia persuasit sibi, se habere hospitem, Deum coeli et terrae, non quidem, quod agnosceret eum, sicut postea agnovit, sed certus est venire eum in his fratribus. Haec fides sic alacrem et promptum eum facit, et quasi zelotem boni operis.

Nos quia ad haec offitia tardi sumus, et ad fratrum adventum vel offendimur, vel murmuramus, haec signa sunt fidei, si non mortuae penitus, tamen stertentis et nimium ignavae.

Proponenda igitur Ecclesiis haec exempla sunt, et diligenter inculcanda, ne demus ingratitudinis poenas, sicut in Papatu, ubi his sanctis historiis neglectis occupati sumus mendaciis monachorum. Sed quid Antonius, quid Franciscus, quid Dominicus sunt ad hunc Patriarcham, cuius cor ceu ignita fornax fide ardet? Ideo ad omnia offitia sic est promptus.

Dixerat supra se pauxillum panis allaturum, nunc tres promit modios lectae farinae, non illius, qua ad panem secundum, seu cibarium utebatur familia. Haec est Mosis rhetorica, qua commendat magnificis et amplissimis verbis charitatem seu hospitalitatem, seu potius fidem Abrahae. Haec enim in his offitiis lucet.

Modii mensura quae fuerit, nescio: Certum autem est habuisse parvas mensuras Iudaeos: fuerunt enim admodum frugalis populus.

Ex numero hospitum itaque farinae modios numerat, atque sic munus suum, quod non ornaverat verbis, sed extenuaverat antea, nunc re ipsa auget. Id quod liberales solent, thrasones diversum faciunt, Nam verba eorum sunt grandiora, quam opus: inflant enim sua beneficia ampullis verborum, et offitia sua natura grata hoc modo ingrata faciunt. Non autem dubium est ex historia Abrahae sententias sumpsisse Salomonem, et transtulisse in suas paroemias.

Subcineritius panis fuit, ut apparet, delicatior panis, quales apud nos sunt aut similae, aut placentae, quibus in conviviis utimur, Haebraice dicitur (*Ugoth*). Usus est hac voce Psalmo. 35.: (*Laage Maog*): 'subsannatores, Subcineritii panis', hoc est, assentatores, qui piis illudunt, quia id eis apud potentes commodo est, a quibus invitantur, et laute pascuntur. Paulus animalia ventris vocat, sicut hodie sunt Canonici, qui non docent, non orant, non laborant in Ecclesia, sed tantum vorant lautiorem panem, et suaviora vina bibunt. Ps. 35, 16

Hinc nomen (*Og*) pistorem significat, et est apud Mosen nomen 4. Mose 21, 35; 5. Mose 29, 6

35 (*Ugoth*)] עֻגוֹת (*Laage Maog*)] לַעֲגֵי מַעֹג 41 (*Og*)] עוֹג

Regis Basan, hoc est, pinguedinis, quod fertili in loco habitavit, et habuit delicatissimum panem, lautius igitur tractare voluit Abraham hospites suos, ex delicatiore farina panes iubens ad carbones facere. Ipse autem festinat ad armenta, et deligit vitulum tenerum et pinguem.

Unde est illa copia verborum in Mose, qui alioqui etiam in magnis rebus verborum est parcissimus? Nimirum vult nobis exemplum sancti Patriarchae hoc modo commendare, ut nos quoque ardeamus studio Röm. 12, 10 bonorum operum, et, ut Paulus dicit: certemus inter nos bonis operibus, ac conemur alius alium vincere offitiis et benevolentia erga pauperes et exules fratres, in quibus ipse Deus ad nos venit, quaerens apud nos hospitium.

Ideo dicit ipsum Abrahamum currere ad armenta, non dare hoc laboris servo, et afferre non morbidam, non viciosam ovem, sed tenerrimum et bene pinguem vitulum, ut appareat non fuisse eum illiberalem aut sordidum hospitem, sordidi enim homines hospitum interventu turbantur, et plaerunque, quae ipsi fastidiunt et vilissima sunt, eis proponunt.

Sed Abraham diversum facit, et lautum convivium instruit. Statuit enim se Deum in hisce tribus hospitibus excepisse hospitio. Semel quidem scribuntur haec a Mose, sed dubium non est, Abrahamum quotidie sic solitum sub meridiem expectare hospites, et excipere. Qui enim certo hoc credit in fratre exule, et persecutionem propter verbum passo, ipsum Deum adesse, quomodo hic non uteretur summa erga hospites liberalitate?

Memineris igitur convivatoris huius, sic occupati, ut ignotis hospitibus satisfiat. Quid enim hic non faceret notis et amicis? Benigne compellat ignotos. Sic eos rogat, quasi beneficium ingens dent, si maneant, et fruantur hospitio suo, promittit panis buccellam, sed promit delicatissimam farinam, et festivos panes pinsit. Pani addit saginatum vitulum, vitulo butyrum et lac, nec, ut patremfamilias decebat, considet ad mensam, ceu minister astat, intentus, sicubi desit aliquid commoditati hospitum, mature id ut corrigatur.

Unde in hoc convivatore studium, diligentia et tam offitiosa haec voluntas erga ignotos hospites, quos non, ut solent Pandochaei[1], spe lucri et quaestus suscipit, sed gratis pascit? Inde nimirum, quia cogitat, se Deo servire, dum servit egenti proximo.

Hanc fidem Abrahae vult nos Moses diligenter observare, et imitari quoque, non solum erga illos, quorum debitores sumus, nempe parentes, praeceptores, magistratus, sed etiam erga omnes fidei socios, seu fratres.

[1]) *Es sind die πανδοκεῖα (gewöhnlicher καταγώγια, καταλύσεις) gemeint, welche an vielbesuchten Orten, z. B. Olympia, Plataiai, als Obdach- und Gasthäuser angelegt wurden für solche Fremde, die nicht bei einem Gastfreunde Unterkunft finden konnten, vgl. z. B. Thukydides 3, 68.*

Sed quia hanc Abrahae fidem pauci habent, pauci credunt divinitus nobis parentes, praeceptores, magistratus datos et ordinatos, ideo etiam offitia sunt negligentiora, aut nulla pene.

Merito igitur Abrahae exemplum proponitur a Mose ceu speculum, in quo vera offitia, et omnis generis virtutes lucent. Praecipue autem insignis illa fides, quod in hisce hospitibus Deum agnoscit, reveretur et colit. Haec fides caput est, sed eam in nobis varie impedit caro, quae ceu murus interpositus impedit oculos nostros, ne, sicut Abraham, in fratribus Deum agnoscamus, et tam officiose eum colamus.

Convivii locus est arbor, eam terebinthum fuisse scribit Hieronymus, et durasse usque ad constantini tempora. Si mundi stultum apparatum aestimes, non vides hic tapeta acu picta, non aurea, non argentea pocula, ut in aulis Regum: sed quid haec sunt ad illud, quod Deus et Angeli adsunt?

Tales hospites nos quoque quotidie possemus habere, nisi impediret nos nostra incredulitas. Scripta igitur sunt haec in contumeliam et opprobrium nostrum, quod non credentes idem facimus, et statuimus, non carnem et sanguinem, sed ipsum Dei filium cum Angelis suis apud nos hospitari, quoties exules fratres et propter confessionem calamitosos hospitio excipimus.

Haec fides si in nobis esset, sicut in Abraha fuit, unaquaeque arbor, unumquodque quantumvis exiguum tuguriolum fieret caelum quoddam, et superaret omnia omnium regum palacia, luxus quoque, aurum, argentum et regalis splendor nihil esset ad huius pauperis tecti ornamenta, in quo Deus cum suis Angelis assidet conviva.

Sed, ut saepe dixi, quia corda nostra non credunt, ideo ad offitia haec sic tardi et pigri sumus, et sine ulla mutua reverentia inter nos, suum instar discurrimus, obliti Paulini praecepti: 'Invicem honore afficientes', Rom[anorum 12. Philip[penses secundo et illius Augustini: Fratres, honorate Deum in vobis. Si enim qui baptizatus est, est membrum Christi, nonne, qui baptizatum excipit, Christum excipit? Sed, ut dixi saepe, impedit nos incredula nostra caro, quominus videamus hanc gloriam, eaque fruamur. Proponuntur tamen exempla haec ad corrigendam hanc naturae asperitatem, et animos ad hospitalitatem ac alia officia excitandos. Röm. 12, 1 Phil. 2, 3

Et dixerunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua? et dixit: Ecce in tabernaculo. 18, 9

Absoluta convivii descriptione, quo hic sol nullum unquam vidit splendidius. Sunt enim convivae ipse Deus cum suis Angelis, addit Moses convivale colloquium, seu concionem, ut nihil desit huic descriptioni, et notum fiat toti terrarum orbi, non fuisse convivium hoc simile Monachorum, quibus silentium imperatur.

Nihil neque molestius, neque absurdius muto convivio est, sermones
Kol. 4, 6 enim vera condimenta sunt ciborum, si, ut Paulus inquit, sint sale conditi. Verbum enim verbo acuitur, et non solum pascitur venter cibis, sed etiam animus doctrina. Pia enim colloquia refocillant animos, excitant fidem, accendunt caritatem, ac multis modis erudiunt. Valeant igitur insulsi et muti monachi, qui in silentio cultum et sanctitatem putant positam.

Videtur Sara subdubitasse de promissione supra in decimo septimo facta, quod ipsa futura sit mater promissi seminis. Ideo Dominus eam vocat, ut praesentem confirmet in fide. Hoc enim perpetuum Dei opus est, ut spiritu suo erudiat, illuminet et confirmet infirmos animos, non ut vel damnet, vel abiiciat propter infirmitatem.

Quaerit igitur, ubi sit Sara, ac respondet Abraham uno verbo: 'Ecce in tabernaculo est'. Hoc ociosus animus legit et negligit, At spiritus sanctus his brevibus verbis voluit proponere exemplum omnibus mulieribus, quod imitentur, ut, sicut Abraham quasi regula fidei et bonorum operum ubique proponitur: Ita Sara doceat de summis virtutibus sanctae et laudatae matrisfamilias.

Nota enim huius sexus vel infirmitas, vel innata levitas est, fere solent discurrere, et turpi curiositate omnia inquirere, aut stant in foribus
Spr. 7, 11 ociosae, captantes vel spectacula, vel sermones novos: Ideo de malis in Proverbiis dicitur, quod habeant 'instabiles pedes', propter curiositatem videndi et audiendi, quae tamen ad ipsas nihil pertinent. Levitas igitur in moribus, garrulitas et curiositas in hoc sexu repraehenduntur.

In Sara autem hoc in loco commendantur contrariae virtutes, idque uno verbo, quod Abraham dicit, eam esse in tabernaculo. Si enim reliquarum exemplo fuisset curiosa, prosiliisset ad fores, vidisset hospites, audivisset eorum sermones, interpellasset eos etc. sed nihil horum facit. Occupatur suis studiis, quae oeconomia requirit, de caeteris secura est.

Tit. 2, 5 Sic Paulus praecipit, ut mulier sit *οἰκουρος*, quasi dicas domestica, quae suae domi maneat, et sua curet. Sic gentes pinxerunt Venerem, stantem super testudine. Sicut enim testudo, quocunque repit secum suam domum fert: Ita uxor debet occupari suae domus studiis, neque longius ab ea discedere. Id non solum operae, quae huius sexus propriae sunt, postulant, sed etiam liberorum et familiae necessitas, quae diligenti inspectione opus habet.

Magna igitur haec Sarae laus est, quod in hac occasione suas res curat, nec peccat curiositate, manet ceu testudo in sua testula, nec tantum sibi sumit temporis, ut paululum prospiciat, quos et quales habeat hospites.

Haec seu verecundia, seu continentia praestat omnibus omnium Monialium cultibus et operibus, ac debebant haec verba, ('Ecce Sara est in tabernaculo') scribi in omnium matronarum peplis, sic enim admonerentur

offitii, ut caverent curiositatem, discursiones, garrulitatem, et assuescerent ad diligentem rei familiaris curam. Brevi enim verbo Moses descripsit universas virtutes bonae matrisfamilias, quae libenter domi sit, ac habeat curam oeconomiae, ut, quae a marito comparantur, recte dispensentur ac gubernentur.

Adversarii nostri Papistae gloriantur de magnis et mirabilibus operibus. Nos autem cum talia Oeconomica aut politica commendamus, rident. Exigua enim haec et vulgaria esse existimant. At ieiunare certis diebus, vestiri certo colore, abstinere ab esu carnium, suscipere peregrinationes longinquas, etc. haec plenis buccis depraedicant, his coelum et beatitudinem promittunt.

Etsi autem indigni sunt, ut ad has ipsorum nugas et ineptias respondeamus, tamen nobis prodest haec civilia et oeconomica opera recte intelligere et aestimare: Hospitalitas est opus domesticum et civile, sed profecto anteferendum omnibus Eremitis, imo etiam ieiunio sancti Ioannis Baptistae, quod tamen suscepit ex dispositione seu ordinatione divina.

Et haec Sarae verecundia seu continentia est oeconomicum opus. Sed quae virgo vel vidua poterit cum ea conferri? sed movet sanctulos ista coniunctio masculi et foeminae, ut non solum hoc genus vitae non putent sanctum esse, sed etiam impedire sancta exercitia. Ideo enim Papa coelibatum suis imposuit. Deinde est hoc genus vitae minus vulgare et omnibus commune: Ideo specie omni caret, et negligitur ab his maxime, qui volunt esse sanctissimi.

Atqui oculi erant coniiciendi in auctorem politiae et oeconomiae, hoc si facerent Pontificii, profecto magnificentius de utriusque actionibus sentirent. 'Deus creavit eos masculum et foeminam'. Item: 'Benedixit eis', Haec num tu exigua esse putabis? 1. Mose 1, 27

Si autem finalem causam respicias, quod et Deo paratur Ecclesia, et morbus carnis tam foedus sanatur per coniugium, ac peccato praecluditur via, ne nos illaqueet, profecto haec quoque coniugium magnifice commendant.

Statuamus igitur, praestantissima et quoque Deo gratissima opera esse illa oeconomica et politica, quae Papistae ceu vulgaria et nihili contemnunt, ut enim de hospitalitate dicamus, quod, quaeso, opus inter omnes Pontificiorum cultus ei comparari potest?

Leve esse apparet, poculum frigidae dare sitienti, sed tu Christum audi, quam id commendet magnifice, et quae promittat praemia.

Iudicabimus autem idem de aliis in oeconomia, si fideles parentes liberos suos recte educent, et assuefaciant ad pietatem, si familiam per severam disciplinam retineant in offitio, vulgaria opera sunt, fateor, sine

21 minus *G [Urdruck] H]* nimis *I. K. Erl. [vgl. Bibliographie Unsre Ausg. Bd. 42, XIII f.].*

spetie, sine opinione aliqua sanctitatis, sed ex verbo, non ex ratione sumendum erat iuditium.

Abrahae non fuisset difficile certis diebus ieiunare, id quod sine dubio fecit, sed de ieiunio eius nihil scribit Moses, voluit enim veras virtutes eius scribere, non talia opera, quae hypocritae imitari possunt et solent.

Sed indigni sunt Papistae, quibus respondeamus prolixius. Nos igitur Deo agamus gratias, quod eruditi verbo intelligimus, quae sint vere bona opera, obedire praepositis, honorare parentes, gubernare familiam, praestare offitia communia, quae fratrum necessitas postulat etc. Haec enim videmus a Mose, Prophetis, ipso Christo et Apostolis tanti aestimata, ut non puduerit eos saepius de eis concionari et praecipere.

Viderunt enim quos laqueos ratio ipsa sibi nectat, quibus involuta ad cognitionem verorum cultuum pervenire non potest: Nam opera hominum, seu traditiones humanae hoc perpetuo solent, ut sua specie abducant homines a veris pietatis operibus et exercitiis.

Vide enim Monachum, is fugit obedientiam omnium magistratuum, etiam parentum, non educat prolem, non laborat, erga neminem est beneficus, erga suos autem odio et invidia plenus, saginatur sudore pauperum, et tamen superbit voto paupertatis.

Sed pius paterfamilias Abraham, vere pauper est. Paret enim Deo vocanti in exilium, nusquam habet certum locum, et quanquam benedixit ei Deus, tamen inter incredulas gentes omni hora expectat incursiones, vim, rapinam. Socia eius Sara, volens in exilium sequitur maritum, curat familiam et domum, officiosa est erga vicinos, erga maritum obediens.

Hae sunt summae virtutes, quarum nihil simile est in omnibus traditionibus humanis. Ergo discite eas magni facere, et tanquam Dei ordinationes anteferre humanis traditionibus, quantumvis splendidis et speciosissimis. Hae enim corrumpunt fidem et ordinationes Dei, et cauponum instar miscent vinum aqua.

Observemus igitur exemplum hoc, quod Sara praedicatur solicite facere offitium suum domi suae: Nam materfamilias si cupit placere et servire Deo, non faciat, quae in Papatu solent, ut discurrat ad templa, ieiunet, preces numeret etc. Sed curet familiam, educet et doceat liberos, faciat opus in culina, et siquid simile est, haec si facit in fide filii dei, et sperat se propter Christum Deo placere, sancta et beata est.

Matth. 19, 6 'Quos Deus coniunxit', inquit Christus, 'homo non separet': Ideo disiunctio, seu coelibatus, qualis in Papatu est, ex Deo non est: Econtra offitia, quae illa divina coniunctio requirit, sancta et vere bona opera sunt, utcunque in speciem levia et vulgaria esse iudicentur.

Ubi enim est vera erga Deum obedientia in fide, ibi, quicquid vocatio exigit, sanctum et Deo gratus cultus est. Quod si qui vel

viduitatem vel virginitatem magis amant, et coniugio sine peccato carere possunt, hi id faciant: sic tamen, ne ideo oeconomiam et politiam damnent. Sunt enim vitae genera divinitus ordinata et instituta.

Glorientur igitur Monachi et Moniales de suis operibus. Marito satis sit, si recte praesit domui suae, uxori satis sit, si liberorum curam agat nutriendo, lavando, sopiendo, si marito obediens sit, et domestica curet studiose. Haec longe omnium monialium opera excedunt, de quibus tamen mire superbiunt.

Haec enim pestis traditiones humanas sequitur, quod animi securi fiunt, et praesumunt de sanctitate. At pia materfamilias non superbit, vexatur enim et humiliatur varie, dum infinitae molestiae obiiciuntur a familia, marito, liberis, vicinis etc. Itaque occasiones nusquam desunt exercendae, tum fidei, tum invocationis, sed satis haec sint de Sarae exemplo, pergamus ad reliqua.

Et dixit: Certo revertar ad te iuxta tempus vitae, et ecce filius erit Sarae, uxori tuae. 18, 10a

Hoc est thema concionis, seu colloquii convivalis, quod simul et gravissimum et suavissimum est: Neutiquam autem tam paucis se absolvit Deus. Moses tantum capita colloquii indicat, non pertexit totum, sicut Euangelistae quoque faciunt. Nam quod Christus in ultima coena dicit: 'Ego vado ad patrem, et mitto vobis paraeletum', id sine dubio copiosa et longa oratione exposuit. Joh. 16, 5. 7

Ad hunc modum Abrahae hospites egerunt ei gratias, quod sic liberaliter ipsos paverit, ac reddituri gratiam promittunt se redituros, ac futurum, cum redibunt, ut Sara sit puerpera, et habeat filium Isaac, hoc quid potuit maius, laecius aut gratius his coniugibus contingere.

Particula (*Caeth Haia*) iuxta tempus vitae, fere omnes interpraetes offendit. Hebraei in eam sententiam accipiunt, quod promittat Abrahae et Sarae vitam certam, ut sit sententia, cum revertar, vivetis ambo adhuc, Sed si haec sententia est, nihil nisi tautologia et inutilis repetitio est. Quando enim dicitur: 'crescite et multiplicamini', tunc praesupponitur vita. 1. Mose 1, 28 Sic cum dicat: 'Sara habebit filium', simul vitam certam Sarae promittit: Sic mortuus Abraham non generabit. Quia autem promittitur ei generatio, simul irrefragabili consequentia promittitur ei vita.

Alii iudicant referendum non ad parentes, sed ad promissum filium, ut sit sententia: 'Revertar iuxta tempus vitae', hoc est, post tantum spatium, quantum requiritur, ut vivat infans in terra. Haec potior et aptior sententia est, si eam evolvas.

---

27 (*Caeth Haia*)] כָּעֵת חַיָּה

Sententia enim est: Ego dico, sic nasciturum filium ex Sara, ut sit naturalis filius, sic natus, sicut ex iuvencula aliqua nascitur soboles, ne quis suspicetur creandum ex massa carnis Sarae sine concursu naturali. Concipiet ex marito, et naturali et usitato tempore gestabit foetum in utero, ut sit verus filius.

Adam ex terra creatus est, sed non ideo potest dici terrae filius. Aliud enim est creari ex terra, aliud nasci ex terra. Sic etsi Eua ex costa Adae est condita, non tamen potest dici filia costae. Et si Deus ex ligno faceret hominem, lignum non potest dici pater hominis.

Ad hunc modum si Deus miraculose ex vetula Sara condidisset Isaacum, non fuisset filius secundum vitae tempus. Quod igitur dicit: 'revertar iuxta tempus vitae', idem est, ac si dicat, secundum morem, quo solet infans vivificari in utero et nasci, ita vivificabitur et nascetur Isaac quoque.

Physici dicunt foetum quinto mense a conceptione incipere vivere et moveri, et aliis quinque mensibus absolvi ad partum: Idem, inquit Dominus, fiet cum Isaac. Atque hoc modo excludit singularem et miraculosam nativitatem, qualem effoeta Sara cogitare potuit.

Ad hunc modum ut servaretur communis cursus naturae, virgo Maria gestavit Christum usque in mensem decimum: ex toto tempore accepit nutrimentum ex guttis sanguinis matris, per spiritum sanctum sanctificatae, sicut alii embryones.

Hoc modo igitur intelligi praesens particula potest, de tempore, ut excludatur expectatio miraculi, et credatur Isaac verus filius Sarae, legitimo modo generationis humanae natus ex Abrahamo et Sara. Ideo
Hebr. 11, 11 epistola ad Haebraeos dicit: Saram fide impetrasse virtutem concipiendi. ut intelligas ex Abraha gravidam factam secundum communem naturae cursum, non per miraculum, sicut virgo Maria, quae etiam in utero concepit: sed de suo proprio semine, non de semine viri, obumbrante eam spiritu sancto.

Nos in translatione Germanica retulimus hanc particulam neque ad prolis, nec ad parentum vitam, sed ad Angeli loquentis.[1] Quia enim humana ista usurpant, assumunt corpus, loquuntur, incedunt, sedent,

[1]) *Das hier ohne Einschränkung gebrauchte* retulimus *entspricht nicht ganz dem Sachverhalt. Luther hat nur seine letzte und endgültige Fassung der Stelle in der deutschen Bibel im Sinne; in Wirklichkeit zeigen die verschiedenen Stufen in der Entwicklung der deutschen Bibel, daß ihm die* 'particula חַיָּה כָּעֵת' *viel Schwierigkeiten bereitete. 1523—28 in der Übersetzung des A.T. (vgl. Unsre Ausg. Bibel 2, 217ff.) lautet die Stelle:* Über eyn jar, nach der Zeit die frucht leben kan, will ich widder zu dyr komen. — *Luther stellt also einfach zwei mögliche Übersetzungen nebeneinander: 1.* Über eyn jahr *(vgl. 1. Mose 17, 21) und 2.* nach der Zeit ... kan *(vgl. Erl. Ausg. 33, 348f. 353). Im lat. Pentateuchus 1529 steht:* tempore vitae; *Vulg. hat* tempore isto, vita comite. *In den*

comedunt, etiam hominum more solent loqui, uf sit iuxta tempus vitae, ac si dicas: Si vixero. Sic enim nos solemus loqui de futuris, ut hanc conditionem addamus, si Deus concesserit vitam, si Deus voluerit.

Pertinet autem exemplum eo, ut discamus reverenter de Deo loqui. Nunc liberum est lectori sequi sententiam, quam volet: Mihi media aptissima videtur. Magnum autem impedimentum nobis obiicitur, quod, postquam Hebraicae linguae usus intercidit, tropi et figurae minus possunt intelligi. Veniam igitur nobis dabit hac in parte non contentiosus lector.

Et Sara hoc audiebat in ostio tabernaculi, quod erat post illum: 18, 10b—12
Et Abraham atque Sara erant senes, venerantque in dies, et cessaverat fieri Sarae via secundum mulieres. Risit igitur Sara apud se dicens: postquam inveteravi, erit mihi voluptas: et Dominus meus consenuit?

Apparet mensam fuisse sic positam, ut a tergo hospitum esset tabernaculum: Id non, sicut apud nos moris est, foribus fuit occlusum, sed apertum. Itaque exaudire facile Sara potuit, quae dicebantur, cum staret in ostio, expectans, si quid mandaret maritus Abraham. Dicit autem textus risisse eam ad hoc Dei vaticinium de filio nascendo. Non enim credere potuit hoc futurum esse, tum propter verecundiam, tum etiam, quod sequitur: ‘erant ambo senes, et processerant in diebus suis’, hoc est, pene absolverant dies suos, venerant (ut dicimus Germanice) ad occasum, es war mit jnen auff die neige kommen.[1] Erant vicini iam morti, ideo non credidit, sed risit.

Desierat quoque ei fieri secundum viam mulierum: Hoc adolescentes non intelligunt. Discendum tamen est, quod Deus masculis et foeminis indidit semen ad propagationem, uni plus, alii minus, uni forcius, alii infirmius. Non enim generatio alio modo fit, quam per seminationem. Habet enim semen suum foemina, et habet semen suum masculus. Experientia autem notum est, quod foeminae, quae mensibus carent, steriles

Vollbibeln 1534—40 sagt er: Wenn ich widder zu dir kome, so ich lebe, Sihe .. *Die endgültige Fassung lautet:* Ich wil wider zu dir komen, so ich lebe, Sihe .. *In der Bibelglosse 1541 zu 1. Mose 18, 14 redet er ausdrücklich von den Schwierigkeiten:* (So ich lebe) Gott redet als ein Menſch. *Gen. 3.* Adam, Wo biſtu? *Item Gen. XI.* Ich wil hin ab faren und ſehen .... Denn dis wort (So ich lebe) ſetze es, wo du wilt, ſo lauts doch nicht. Als wenn er von der Frucht oder Eltern wolt ſagen, Du ſolt einen Son haben, ſo er lebet, oder, ſo ir lebet. Meinſt er wiſſe nicht, ob der Son oder die Eltern leben werden? Ja, wo ſie nicht gewis leben würden, was were die verheiſſung? *Und diese Glosse ist wieder der Niederschlag der Mühen in der betreffenden Bibelrevisionssitzung (vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 183f.):* Man muß Gott die ehr geben und ſprechen, Wil Gott, wens iar uber iſt, secundum tempus vitae, quo possit vivere foetus, ita exposuerint, sed ich wils nicht ſo haben .... filius erit Sarae, Vita comite, Hieronymus: Redibo intra tempus, quo potest foetus etc. Ich halt, das Moſes die 5 vocabula alle depravirt habe.

[1]) *Redensart fehlt bei Thiele; vgl. Wander 3 S. 995 s. v. Neige.*

sunt. Hoc muliebre cum pateretur Sara, ad concipiendum apta erat. Sed cum desiisset id pati, dicebat: Ecce, Deus conclusit uterum meum, ac tradebat marito Hagar, ne impediretur promissio, hac cogitatione nunc impeditur fides, ut non credat se parituram. Sed veniale hoc eius peccatum est propter hosce nobiliss[imos hospites et gratos. Zacharias non credens
Luc. 1, 18—22 Angelo, punitur certi temporis silentio, Sed Sarae nihil eiusmodi accidit, condonante Domino infirmitatem.

Quamquam etiam hoc ipsum, quod Sara risisse intra se scribitur, continentiae et castitatis singularis argumentum est. Invenies cadaverosas vetulas lasciviores, quam iuvenculas. Talis Sara non fuit: Ea, dum spes prolis relicta fuit, consuevit cum marito, expectans benedictionem Domini, sed postquam hanc spem aetas evertit, abstinuit a consuetudine mariti, et ex Hagar expectavit prolem. Haec castitas neutiquam exigua virtus est, ubi e contra admiratores virginitatis et caelibes uruntur et polluuntur dies ac noctes. Sed castitas Sarae sine specie et sine gloria est coram mundo, est enim tecta et abscondita vili operculo, quia est mulier maritata. Hoc operculum decipit coelibes, ut castitatem tam insignem videre non possint: nec credere, quod verum sit, quod dicit: 'eritne mihi amplius delectatio seu voluptas?' Sunt autem haec quoque verba excellentis verecundiae et pudoris. Iudaei tantum de circumcisione magnifice sentiunt et loquuntur, sed haec exempla digna erant, quae omnibus matribus familias proponerentur, siquidem a spiritu sancto certo consilio annotata sunt.

Neque negligendum est, quod verecundissime et reverenter dicit de marito senuisse eum, et Dominum appellat, non virum aut maritum. Commendat autem his verbis etiam mariti continentiam, et declarat suam erga ipsum observantiam.

1. Petri 3, 6 Ac celebratur hic locus singulariter a Divo Petro in sua Canonica, ubi hortatur pias matres familias ad pietatem et honestatem: Est enim Sara illustre exemplum non unius aut alterius virtutis, sed omnium: Describitur solicita servare domum, non curiose discurrere, et captare novos rumusculos de vicinis. Agit familiae curam sedulam, Deinde caste vivit cum marito, quem non ut maritum habet, sed ut Dominum colit et observat.

Haec si praestet mater familias, quid poterit in ea repraehendere maritus moderatus? sed, proh dolor, paucae in hanc curam incumbunt, sunt insolentes, superbae, litigiosae, maledicae, rebelles, inflatae opinione sapientiae. Itaque Dominae, non uxores haberi volunt.

Haec autem quantum absunt ab hoc Sarae exemplo? quod merito Petrus praedicat, hocque loco rectius utitur, eumque melius intelligit, quam omnes Rabbini, qui sicco pede verba haec praetercunt tanquam ociosa et inutilia.

Sed Petrus vult ea esse exemplum et ceu speculum, in quod omnes sanctae et electae mulieres intueantur, sperantes ipsae quoque in Deum.

et placentes maritis suis exemplo Sarae. Non recitat Petrus monstrosa opera, qualia monialium sunt, peculiariter vestientium et subducentium se a communibus huius vitae aerumnis et periculis etc. 'Vestros viros, inquit, honorate, sicut Sara, quae maritum appellat cum summa reverentia Dominum'. Haec igitur vera laus est matrisfamilias: sperare in Deum, et revereri maritum, nec possunt hae virtutes ullis verbis pro dignitate ornari. 1. Petri 3, 16

Sed cur Petrus addit de spe in Dominum, cuius hic Moses mentionem nullam facit? Haec vero per omnem vitam varie ceu lucidissima stella emicuit, cogita enim, quae Abrahae fuerit vocatio? Iubetur deserere patriam, in terra Chanaan nullo certo loco aut sede tanquam mendicus errat, hoc anno hic, alio alibi cum suis inter gentes commoratur, In his tantis difficultatibus casta Sara non solum maritum sequitur, sed etiam reveretur ceu Dominum. Invenires, quae offensa laboribus et periculis aut cogeret maritum ad certam sedem eligendam, aut se ab eo avelleret. Sed Sara retinet spem in Deum, eius verbum sequitur, et quanquam dura sunt, quae in tam longinqua peregrinatione obiiciuntur, tamen spe auxilii divini certa ea vincit. Merito igitur ponitur in exemplum omnibus matribus familias. Nihil enim hic leve vides, nihil scurrile audis: Omnia sunt grandia, omnia decent, omnia ad normam verbi composita sunt.

Notanda autem et observanda haec diligenter sunt propter phanaticos doctores, qui non solum docent electicia opera et cultus, sed etiam ea anteferunt divinitus mandatis operibus. Nullum Papistam unquam audivisti, qui similes historias vel commendaret, vel admiraretur. Hoc omnium commune verbum fuit. In hoc geneseos libro nihil scribi, nisi concubitus Iudaeorum. Sed an non porcorum oculos habent, qui maximas virtutes caeci praetereunt, et tantum haerent in motu libidinis?

Ostendunt igitur, qualia habeant corda: Ocio et saturitate diffluunt, ideo non possunt non insanire libidine, et tamen impurum et varie pollutum coelibatum laudare non desinunt. Huiusmodi autem virtutes, quas spiritus voluit celebrare suo calamo, negligunt, aut etiam vituperant: Sicut coniugium varie in Papatu infamatum et vituperatum fuit.

Admonenda igitur iuventus sedulo de his oeconomicis virtutibus est, si qui donum continentiae habent, ut sine coniugio possint caste vivere, hi sane fruantur ea commoditate, et ab uxore abstineant. Cavcant autem ceu summum venenum, ne vel se ob continentiam coniugatis anteferant, vel coniugatos damnent. Coniugium enim divinitus institutum est, et coniugum vita, si sint in fide. merito anteponitur his, qui miraculis sunt insignes.

Haec perpetua scripturae et consentiens sententia est. Nam post fidem nihil audis de Abrahamo, quam quod sedet in tabernaculo, fovet et excipit peregrinos: Deinde agit sua negotia.

Sic Sara coquit, facit butyrum, caseos, saginat pecudes etc. Servilia et ancillaria sunt haec opera, fateor, et tamen proponuntur a spiritu sancto in exemplum.

Quod si Papistae haec contemnunt, et deligunt sibi alia bonorum operum exercitia, sumptuosa, difficilia, ardua, fruantur sua insania, et pro stercore oeconomica offitia habeant. Nos autem statuamus, si fides accedit, illa servilia opera aestimari preciosiora omni auro, et excellentiora quocunque coelibatu sine fide.

Certe spiritus sanctus iis coloribus pingit sanctam Dominam Saram, ut appareat, eam in copia coniugii castitate vincere virgines. Magnum igitur peccatum est, quod Papistae Patriarcharum coniugia insectantur, quae non solum castitatis, sed omnium aliarum virtutum pulcherrimae officinae sunt. Haec diligenter notanda sunt ad phanaticorum opiniones convellendas.

18, 13—14 Dixitque Deus ad Abraham: Quare risit Sara dicens: nunquid vere paritura sum, quae consenui? Nunquid Deo est quicquam mirabile? Iuxta praefixum tempus revertar ad te, iuxta tempus vitae, et Sarae erit filius.

Haec inducit Spiritus sanctus ad confirmandam fidem huius sanctae et castae matronae: nondum enim credit nec sperare potest, impedita carnis cogitationibus, se habituram filium ex marito sene. Est eo contenta, si sit mater adoptivi filii, in spe autem concipiendi et pariendi prolem penitus est mortua.

Necesse igitur est, ut audiat verbum, quo ceu in vitam resuscitata resurgat in spem foecunditatis. Vere enim verbum est vox suscitans ex morte. Mors autem est, quod Sara iudicat se esse cadaver. Haec cogitatio per verbum corrigitur, et cadaver ceu revocatum ex morte iterum vivere incipit: Igitur ad exuscitandam fidem omnia haec fiunt.

Dixi autem saepius supra, maximum exemplum singularis pacientiae in Sara esse, quod potuit ferre exilium tam longum, et secuta est cum summa voluntate maritum: Item, quod sterilis existens potuit ferre, ut maritus cum ancilla concumberet: In his difficultatibus, quia se spe sustentat, ideo audit vocem incredibilem, qua cor novo lumine ceu illustratur et accenditur, et condonatur ei ista infirmitas propter infinitas cruces, quas spe et pacientia superavit.

Agebat iam annum octuagesimum nonum, ac sperans tot annis benedictionem Domini, cum spem frustra esse videt, resignat omnia Deo, et tamen non desperat penitus: Inde fit, ut Dominus infirmitatem eius toleret, et risu non offendatur, qui ex cogitatione de impossibili nascitur. Quid enim sterilis et effoeta speraret amplius? Inducit igitur Dominus eam ad fidem per suavissimam correptionem.

Porro supra dixi non solum Saram, sed ipsum quoque Abrahamum hos suos hospites iudicasse, quod essent peregrini, neque vel de Angelis, vel Prophetis cogitasse. Cum igitur prolem promittunt, cogitavit Sara, quis hoc illis diceret? loquuntur non ex affectu, sed ad gratiam, quod putant mulieres libenter talia audire.

Sic cogitavit ridens Sara: Sed postquam audit illum loqui, qui omnia videt et praesentia habet, ibi nascuntur Sarae novae cogitationes, sentit enim non simplices esse hos viros, sed plenos spiritu sancto, qui videt occulta cordium, eaque revelat.

Est igitur convivalis haec et suavissima correptio, ex qua Sara hos Dei viros et Prophetas esse iudicavit, quia vident absentis risum et cogitationes. Ac admonita Sara tam graviter de Dei potentia, quod nulla res apud eum vel mirabilis, vel. ut Lucas reddit, impossibilis sit, non amplius Luk. 1, 37 vaticinium de nascituro filio contemnere potest. Hic enim cogitationes ipsius captae et conclusae sunt, cum audit rem coram mundo mirabilem et plane impossibilem, sed Deo facillimam, imo vulgarem, communem, quotidianam esse, si similia eius opera spectes, et non mirabilem.

Haec violenta argumenta, quae quasi uno ictu omnia, quae obiici possunt, iugulant, ego valde amo, non rhetorica illa, qualibus videmus indoctos Papistas uti. Sicut cum de eucharistia disputant, dicunt Ecclesiam habere facultatem ordinandi de talibus, ut laici tantum unam spetiem sumant. Morbosae et languidae tales rationes sunt, sicut Paulus dicit: 'languere circa questiones et pugnas verborum'. 1. Tim. 6, 3. 4

Sed illa axiomata, quae uno impetu adversarium opprimunt, et multa conanti dicere, quasi spiritum praecludunt, ea valent, et docent vere eruditos, ut, cum dico ad Papistam, quid mihi, blatero, commemoras pericula et incommoda? Si laicis etiam calix praebeatur, textum in caena mihi vide, Christum, qui coenam instituit, audi etc. Haec una ratio ceu aries evertit, quicquid Papistae de hoc negotio possunt disputare.

Non igitur sufficit rhetorem esse. Rhetor oportet ut sit dialecticus, ut iudicet inter dignitates seu axiomata (Ita enim vocant firmas, certas et veras sententias) et *εἰκαῖα*. Stante petra hac axiomatis certi et firmi, postea recte adduntur rhetorica illa, quid facile, difficile, commodum, incommodum, honestum, turpe sit etc.

Omnes Papistarum disputationes versantur intra istas metas, quid liceat, quid expediat, quid oporteat, inde extruunt non solum periculosas, sed etiam blasphemas sententias de Ecclesiae autoritate, quod sit supra verbum, etc. Sed appone tu axioma, Christus est caput Ecclesiae, et statim corruet, quicquid magno labore extruxerunt adversarii.

Etiam in moralibus negotiis axiomata sunt quaerenda: Censorinus ille apud Gellium libro primo, capite sexto, persuasurus coniugium adolescentibus, non urget illa trita et nota: Altius attollit oculos, si possemus, inquit.

sine uxoribus vivere, magna careremus molestia. Fatetur coniugum vitam molestiis, laboribus, periculis variis et infinitis plenam, sed omnia haec illo axiomate praecidit, quod dicit: non possumus carere mulieribus.

Morbosae et languidae sunt rationes aliae omnes. Haec una firma est, et auditorem volentem ducit, quod coniugio carere non possumus: Quomodo enim consistent Respublicae, si coniugia nulla sint? Ad defensionem coniugum et liberorum hominibus opus est, hi nascuntur non ex lignis, non ex lapidibus, sed ex mulieribus etc.

Sed in Theologicis materiis maxime talibus firmis et certis rationibus debemus uti. Animus tuus tentatur incredulitate, dubitas, an possis salvari, agnoscis enim te peccatorem. Hic pius frater, qui te vere consolabitur, non utetur Pontificiis et ficulneis argumentis, ut hoc aut illo opere quaeras, conscientiae mitigationem: Sed verbum Dei tibi proponet. Deus, inquiet, verax est: Is promittit se propter filium tibi propitium fore. Filius autem Dei te absolvit verbo suo ab omnibus peccatis, baptisavit te, promisit tibi vitam aeternam, si credas, hoc est, si ipsius mortem statuas redemptionem tuam esse. Aut igitur Deus verax erit in verbo suo, aut tu es mendax, qui dubitas, postquam per filium Dei haec tibi promissa sunt, de remissione peccatorum tuorum. Hoc axiomate iugulatur dubitatio.

Opus autem est, ut simus hac in parte bene muniti contra adversarium nostrum Satanam. Is enim callidissimus disputator et optimus rhetor est. Peccata tua inflat, Dei iram immodice auget, congerit exempla irae innumera, etiam istorum, qui initio recte crediderunt, et tandem lapsi sunt. Nisi igitur opposueris verum axioma, quod filius Dei pro peccatoribus sit mortuus, quod credentes in ipsum victuri sint vitam, quam ipse vivit, alia omnia, quae vel dici vel cogitari possunt, sunt Rhetoricae rationes, languidae et morbosae. Hoc autem axioma et dignitas est: 'DEUS
Röm. 3, 4 est verax, omnis autem homo mendax'.

Igitur invoca Deum, appraehende verbum eius, amplectere victimam Christum, qui pro tuis peccatis satisfecit, et mortem tuam in se transtulit ac vicit, nec moveat te, quod sis peccator. Mandatum Dei vide, qui vult te amplecti filium, ac iubet, ut credas. Huc oculos flecte, quid de aliis factum aut futurum sit, ne quaeras, de te vide, ut huic mandato satisfacias etc.

His animus aeger reficitur et confirmatur. Pontificia illa de elemosinis, de redimendis missis et invocandis sanctis sunt Sophisticae rationes et ficulnea argumenta, quibus qui nititur, decipitur.

Audivi aliquando D. Henningum [1] Iureconsultum cum erudito, eloquenti

5 volentem *G. H.*] *richtiger* nolentem *so I. K.*

[1]) *Es ist wohl an Dr. Henning Göde zu denken, der in Luthers Frühzeit als sein juristischer Lehrer erst in Erfurt und seit 1510 in Wittenberg eine gewisse Rolle spielt; vgl. Luther an Lang 1526, Enders, Brfw. 1, S. 57 u. Note auf S. 59; De Wette 1, S. 36; Köstlin-Kawerau I, S. 45.*

et acri adversario disputantem de magna causa. Cum igitur adversarius magnum legum acervum protulisset, et causam suam, quam poterat optime, communivisset, Henningus moderate et amice eum compellabat, licere ei tota legum volumina afferre. Sed etiamsi transvolare montes, inquit, posses, et in imo aquarum incedere, tamen, si de hac proposita causa voles mecum agere, huc, inquit, descendas necesse est, ostendens, quis rei scopus esset, atque hoc uno verbo hominem facundum et eruditum compescuit, ac quasi prostravit.

Ut autem magna parvis comparem, et divina humanis, ad hunc modum Sara quoque violento argumento sic capitur, ut nusquam se possit vertere. Cogitat quidem, sum sterilis anus, ut pariam in hac extrema aetate, prorsus impossibile est, sed haec cogitatio tam firma non est, quin excutiatur in isto fulmine. Quid apud Deum mirabile aut impossibile? qui eum hominem ex limo terrae condidit, is prolem naturalem ex semine maris et foeminae facere non posset? Dicuntur igitur haec ad confirmandam fidem Sarae, ut audiat et intelligat et sciat hos suos hospites non simpliciter homines, sed Dei homines et Prophetas esse, in quibus habitet spiritus Dei, id quod hactenus nesciverat Sara.

Sub finem repetit Angelus verba supra explicata de tempore vitae. Haec non ociosa tautologia est, ut iudicant imperiti, sed pertinet ad confirmationem promissionis et fidei audientium, ac perinde est, ac si audias duos testes de una re dicentes testimonium.

Negavit autem Sara dicens: Non risi, timuit enim. Et ille dixit: 18, 15
Non est ita, sed risisti.

Sara cognoscens Dei Prophetam ex eo, quod occulta cordis noverat, non amplius ridet, sed perterrefit, et addit sancta mater peccatulum, ac dicit se non risisse, cum tamen risisset. Sed hoc ipsum peccatum veniale est, quia est timens Dei, obediens Prophetis ac morigera marito. Timore enim Domini perterrita negat se risisse, non contemptu aliquo aut superbia, ac serio iam dolet, vocem Prophetae Dei risu a se acceptam, hoc per timorem dolet, et in isto timore aliud peccatum committit. Refutatur autem graviter, sed brevibus: 'Non est ita, risisti', quasi dicat, prius ridendo, nunc mentiendo peccas.

De operibus Oeconomicis et politicis saepius dixi: Assuefacienda enim diligenter iuventus est, ut observet opera a Deo mandata, ac ea longissime discernat ab electiciis, seu humanis operibus. Nisi enim hoc fiat, et quidem diligentissime, discrimen boni et mali non solum tollitur, sed pro sanctissimis amplectemur, quae sunt nocentissima, et vere abhominatio coram Deo.

---

14 eum *G. H.*] enim *I. K. Erl. (s. o. S. 19).*

2. Kön. 16, 3 Achas Idolo immolat filium, ac se Abrahae similem sanctitate putat, cum sit turpissimus homicida. Quia enim non respicit ad verbum et mandatum Dei, quod solum verum et aeternum operum *κριτήριον* est, amplectitur pro vita mortem, pro medicina salubri venenum exitiale.

Exclude igitur animo atque oculis speciem, et vide, quid praeceperit Deus, illud fac, et non errabis, etsi in speciem exiguum, vulgare et leve sit. Antonius secedit in heremum, Hieronymus migrat ad sancta loca: Hortatur ad virginitatis studium. Haec magna mundus esse existimat. Quod autem Sara hospitibus parat cibos solicita ad focum, non solum boni operis speciem nullam habet, sed videtur bona opera impedire. Sed respicienti ad verbum apparebit Saram omnibus heremitis sanctius fecisse opus.

Utiliter dividitur haec vita in tres ordines: Est enim alia vita Oeconomica, alia politica, alia ecclesiastica. In quocunque igitur ordine fueris, sive sis maritus, sive magistratus, sive doctor Ecclesiae, circumspice, an satisfeceris plene vocationi tuae, nec opus sit deprecatione, vel negligentiae, vel fastidii, vel impatientiae. Quod si ita administrasti tua, ut nihil opus sit dicere: Dimitte nobis debita nostra, tunc sane abi in heremum, et exerce te illis sic splendentibus et difficilibus operibus.

Omnis igitur error Papistarum in eo est, quod huius vitae vulgaria offitia, quae in decalogo praecipiuntur, iudicant esse facilia, quae perfecte impleant. A decalogo igitur ad consilia tanquam ad altiorem gradum ascendunt, laudant Anachoritas, Abrahamum sedentem in hostio, et expectantem hospites indignum ducunt, cuius meminerint, aut quem imitandum proponant.

Sic parum est Papistis, baptisatum esse in nomine patris et filii et spiritus sancti, perfectius, et coelo, ut sic dicam, propius aliquid tentandum existimant, ideo abdunt se in monasteria, legunt missas etc. Sed quomodo conveniunt haec cum scriptura? An non Antonius heremita revocabatur Alexandriam ad coriarium, ut disceret, quem locum esset habiturus in coelo? Si figmentum id est, non repugno modo fateantur Papistae in sua Ecclesia id natum et praedicatum et creditum. Sed utcunque sit, res certa est, coriarium hunc baptisatum tam fuisse Deo gratum facientem suum opus in fide, quam Antonium affligentem se et orantem.

Haec ad claudendam hanc historiam putavi necessario addenda, ut discat iuventus electicia opera fugere, et summo studio occupetur iis, quae vocatio affert et exigit. Ea enim sunt divinitus praecepta, atque ideo vere divina sunt, sive ut discipulus discas literas, sive ut ancilla verras scopis domum, seu ut servus cures equos, aut alia. Monachus quidem vivit durius, vestit sordidius: sed quod Deo serviat, hoc nunquam in aeternum poterit vere dicere, sicut illi possunt, qui aut Oeconomiae, aut politiae, aut Ecclesiae serviunt.

Et surgentes viri illi inde aspexerunt adversus Sodomam, et Abraham ambulabat cum eis, ut eos dimitteret. 18, 16

Audivimus suavissimam historiam, quomodo Angeli missi ad Abrahamum sint, et promissus ei denuo ac sine ambage aut circuitione aliqua sit filius ex uxore Sara, et quam liberaliter Abraham eos exceperit, ac Sara quoque ad fidem traducta sit, ut crederet ipsa quoque se matrem fore. Hac igitur ineffabili Dei facilitate erga Abrahamum descripta, nunc additur alia amplior significatio benignitatis Dei, ut discamus, quam sit Deo gratum tum offitium, tum sacrificium, audire verbum, et suscipere cum reverentia. Talibus enim, ut videmus hoc in loco, insinuat se DEUS non ut iudex et Dominus, sed tanquam amicus et familiaris conviva. Qui autem verbum contemnunt, qualis erga hos Deus sit, tristis et horribilis historia, quae sequitur, ostendit.

Moses Angelos vocat hic tres viros: Sic enim Sara et Abraham iudicabant, esse Prophetas Dei, expulsos in exilium propter verbum. Ac Abraham ut ostendat reverentiam suam erga verbum, non solum pascit laute et liberaliter hospites hos, sed pastos propter amorem verbi et timorem Dei comitatur, deducens eos in viam, qua itur ad Sodomam.

Proponuntur autem haec quoque nobis in exemplum, ut discamus revereri, et omni offitiorum genere colere Prophetas Dei, seu ministros verbi. Sed quomodo hoc faciat mundus, et quae ingratitudinem hanc sequantur poenae, iamdudum his miseris temporibus didicimus: Nondum autem est finis.

Dixit autem Dominus: Num occultabo ab Abraham, quae ego facio? Et quidem Abraham futurus est in gentem magnam atque robustam, et benedicentur in eo omnes nationes terrae. 18, 17. 18

Conferendi sunt loci, Paulo ante dixit: Surrexisse tres viros: hic dicit Dominum (*Iehoua*) locutum esse. Tres viros vocat, secundum sensum Abrahae, ita enim is iudicabat esse homines, sed homines Dei et sanctos: quod Angeli essent non cogitabat, Deum autem dicit locutum communi scripturae phrasi, quia divinitus missi Angeli non suum, sed Dei verbum afferebant.

Respondi autem supra ad Iudaeorum cavillum, ridentium nostros, quod hoc testimonio utantur ad confirmandum articulum de Trinitate.

Non sumus autem tam stulti aut indocti, ut dicamus hos tres viros esse Deum patrem, Deum filium, Deum spiritum sanctum in sua substantia: Sicut non dicimus humanitatem Christi esse substantialiter Deum. Hoc nobis dixisse satis est, his tribus viris significatam divinitatem, quam

28 (*Iehoua*)] יְהוָה

Abraham agnovit et credidit: Illuminatus enim spiritu sancto ac fide
Joh. 8, 56 plenus vidit diem Christi, Iohannis. 8. Sicut autem credidit Trinitatem Abraham, ita haec ei repraesentatur foris in specie trium virorum: Qui tres viri non quidem sunt tres personae divinitatis, sed signa, seu apparitio divinitatis in Trinitate, quanquam Abraham adhuc in ea opinione est, esse sanctos homines, qui exulent propter professionem verae religionis.

Etsi autem Angelos esse ignorat, tamen statuit in hisce tribus, inter quos unus loquebatur, reliquis consentientibus, se audire Deum in sua substantia unum et in personis trinum. Haec mea de hoc loco sententia est, qui volet, acutius de eo disputet, modo ne impingat. Sobrie enim haec attingenda sunt.

Ego sequor primum scripturae autoritatem, quae Deum loqui dicit, cum loquuntur vel Angeli, vel sancti homines ex Dei vel mandato, vel revelatione. Deinde testimonium Epistolae ad Hebraeos non iudico negligendum. Clare autem dicit, aliquos ignorantes hospitio excepisse Angelos:
Hebr. 13, 2 Nec impedit, quod divinos honores eis exhibet Abraham. Agnoscit enim in eis Deum, et verba eorum sic audit, ac si ipse Deus loqueretur. Sequitur enim communem regulam, non videndum, quis loquatur, Sed quid: Si enim Dei verbum est, quo modo non praesens esset ipse Deus?

Sicut in Baptismo, in coena, in usu clavium praesens est, est ibi verbum ipsius, etsi igitur eum non videmus nec audimus, sed ministrum, tamen ipse Deus revera adest, baptisat et absolvit. Ac in coena singulariter sic adest, ut ipse filius Dei nobis cum pane corpus suum, et cum vino sanguinem suum exhibeat.

Ista quasi praefatio, quam Dominus praeponit: 'Num occultabo ab Abrahamo, quae faciam', habet suavem significationem singularis benevolentiae. Fuit autem ea opus ad confirmandum Abrahamum, alioqui illa divinae irae commemoratio enecasset eum. Eodem pertinet repetitio promissionis de semine, et benedictione omnium nationum terrae. Hanc enim nisi ex Deo initio audivisset Abraham, et posteritatis et suae salutis spem in tam horribili spectaculo abiecisset.

Singularis igitur benevolentiae argumentum est, quod affirmat Dominus, se non posse quicquam caelare Abrahamum. Deum haec ita dixisse Moses dicit: cum tamen Angelus dixerit, phrasi scripturae. Sic enim Prophetae quoque in concionibus suis loquuntur. Haec dicit Dominus. Additur autem alia causa.

Hoc quoque scio, quod praecepturus sit filiis suis et domui 18, 19
suae post se, ut custodiant viam Domini, et faciant iustitiam atque iuditium, ut adducat Dominus super Abraham omnia, quae locutus est ad eum.

Noluit Deus, id quod dignissimum admiratione est, istam horribilem sententiam ferre super quinque civitates, nisi prius totum negotium revelaret Abrahae. Quod igitur in gentilium libris inveniuntur exempla civitatum eversarum incendio, terraemotibus, aut aliis occasionibus, videmus quae de talibus exemplis sapientum iuditia sint. Fere omnia tribuuntur secundis causis, neque solet ascendere ratio altius. Sed conflagratio quinque civitatum revelatur hoc in loco Abrahae, uſ intelligas hanc ipsam singularem calamitatem poenam fuisse inflictam propter peccata hominum ab irato Deo.

In hac cognitione tantum positum est, ut Dominus velit famam hanc spargi ad posteros, ac in perpetuum celebrari, aliis scilicet in exemplum, ut discant timere Deum, et peccata istiusmodi fugere, quae tanti mali fuerunt occasio. Sicut etiam misericordiae exempla, ut liberationem ad mare rubrum, voluit Dominus celebrari. Talibus enim monitoribus opus est in hac vita.

Pii, qui gravantur cruce, ac varie laborant et gemunt, opus habent promissionibus, quibus erigantur. Contra indurati et pertinaces ac securi irae exemplis terrendi sunt in eum finem, ut, sicut hoc in loco dicitur, discant timere Deum.

Porro naturaliter rapiuntur animi eo, ut nolint corripi. Promissiones laeti amplectimur omnes, nec iis offendimur. Sed praedicatio legis terret, et quasi in furorem agit homines. Ideo Prophetae occisi sunt, non quod docerent benedictiones Abrahae promissas, sed quod malos mores et Idolatriam damnarent, et revocarent populum ad sobrietatem et timorem Dei.

Sicut nos quoque non ideo odit mundus, quod docemus Euangelium, et beneficia Christi pure proponimus. Haec pariter omnes accipiunt et probant, nisi manifeste sint impii. Illud autem caput mali est, quod collationem addimus doctrinae adversariorum, quod dicimus Pontificem esse Antichristum, quod redarguimus et doctrinam, et scelera Pontificiorum.

Sic Christus quoque dicit: Ioh[annis. 7.: 'Me odit mundus, quia do Joh. 7, 7
testimonium, quod mala sint opera eorum'. Sed ira haec et indignatio mundi nihil movere Doctores debet. Audis enim hic mandatum Dei, quod talia horribilia DEI iudicia sunt inculcanda, praesertim iis, quorum adhuc infirmi animi et ad peccatum proni sunt.

'Praecepturus, inquid Deus, est Abraham haec filiis suis', hoc est, in sanctorum Ecclesia debent huiusmodi historiae celebrari et retineri. Sicut Paulus. 1. Cor[inthiorum 10. commemorat poenas inflictas populo, antequam venirent in terram Chanaan, Ac addit, in figura illis haec accidisse, ac

nobis exemplo esse debere, quasi dicat: Punivit Deus hoc modo peccata istius populi, sed ad nos exemplum pertinet, ut similia peccata discamus
Röm. 15, 4 fugere. Et Roma[norum .15.: 'Quae scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt'.

Praedicanda quidem est gratia et remissio peccatorum, sed his, quorum sancti animi et afflicta pectora sunt. Qui autem securi sunt, et timorem Dei prorsus abiecerunt, his plagae et ira Dei proponenda est, ut admoniti aliorum exemplis peccare desinant. Hoc est enim, quod ad doctrinam nostram omnia scripta sunt.

Perniciosi igitur Doctores sunt, qui hodie, nescio quibus occasionibus inducti, contendunt, legem in Ecclesia non praedicandam. Tu scilicet legem non doceres, ubi verus legis populus est, scilicet avari, superbi, adulteri, usurarii, Idolatrae? etc. Tu securis antea etiam augeres securitatem promissionibus novi testamenti? Quin Sodomorum deflagrationem et lacum illum bituminis, Deus usque in hunc diem extare, sermonibus agitari et celebrari vult apud posteritatem omnem, ut saltem aliqui emendentur, et discant timere Deum.

2. Tim. 2, 15 Rectius Divus Paulus, is monet de verbo recte secando, sicut enim non omnibus corporibus omnes cibi conveniunt pariter, ita aliud doctrinae genus est, quo erigendi sunt infirmi, pusillanimes, confracti et contriti: aliud, quo duri, insensati, securi, flagitiosi in viam revocandi. Apud
Jes. 61, 1 Esaiam dicit filius Dei: 'Spiritus Domini super me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde'.

Sed tale cor non habet Papa et Episcopi, qui persequuntur verbum, et Ecclesias nostras quaerunt evertere: Nunquid igitur his quoque annunciandum est Euangelion, habere eos Deum per Christum placatum? hoc modo magis indurabuntur, et peccabunt securius. Contundendi igitur sunt malleo legis, fulmina et tonitrua Synaica talibus sunt ostendenda.

Contra qui luctantur cum morte, aut aliis periculis exercentur, hi
Ps. 27, 14 audiant: 'Confortetur cor tuum, viriliter age, expecta Dominum'. 'Si mille ceciderint a dextris tuis, malum ad te non appropinquabit. Ego cum ipso
Ps. 91, 7 Matth. 11, 28 sum in tribulatione.' 'Venite ad me, ego reficiam vos' etc. Haec gratorum cordium medicina est, quae non sunt sicut istae rigidae cautes et petrae adamantinae, quibus malleo opus est.

Hes. 34, 4 f. Ezechiel recte dicit peccare Prophetas, qui cor iusti mendaciter perterrefaciunt, hi enim sunt linum fumigans, quod foveri, non extingui penitus debet, sicut etiam in alteram partem peccant, quod manus impii confortant, et non potius eos accusant et damnant.

Hodie multos invenias, qui offenduntur necessaria praedicatione legis, eamque fugiunt, dicunt enim gravari suas conscientias, cum talia audiunt. Sed hi an non suaves Christiani sunt? Peccare non desinunt, indulgent avaritiae, irae, libidini, comessationibus, etc. haec peccata cum audiunt

repraehendi, offenduntur, et nolunt conscientias gravari. Ergo sinamus singulis facere, quod libet, et praedicemus eos beatos? Minime. Audis enim Sodomae incendium proponendum omni posteritati, ac quidem ipsi Ecclesiae Dei, ut discant homines timere Deum.

In Antinomorum dogmate erat haec propositio: si quis esset adulter, tantum ut crederet, et habiturum Deum propitium. Sed qualis erit, quaeso, Ecclesia, in qua tam horribilis vox sonat? Faciendum discrimen erat, et docendum, quod adulteri seu peccatores sint duplices, quidam, qui agnoscunt adulterium, seu peccatum suum, ita: ut toto animo cohorrescant, et incipiant serio poenitere, nec tantum doleant de eo, quod commiserunt: Sed etiam ex animo optent et studeant, tale nihil committere unquam posthac. Hi non securi in peccato, sed perterrefacti, ac paventes iram Dei, si appraehendant verbum Euangelii, et confidant misericordia DEI propter Christum, salvantur, et habent remissionem peccatorum per fidem in Christum.

Alii sive adulteri, sive peccatores, etsi excusare peccatum suum non possunt, non tamen de eo dolent, gaudent potius, cum sunt potiti voto, quaerunt occasiones peccatorum, et eis secure indulgent, hi quia destituti sunt spiritu sancto, non possunt credere, et decipit eos, qui talibus de fide concionatur.

Aliam medicinam hic morbus postulat, ut dicas cum Paulo: 'adulteros iudicabit Deus': 'non videbunt regnum Dei': 'sine castitate nemo placere Deo potest': Ergo sunt polluti isti, sub ira Dei, etc. Hebr. 13, 4 1. Kor. 6, 9 f. Röm. 8, 8

Talibus ad petras istas contendendas malleis opus est. Sic Abraham non indulget peccatis, sed est iam antea vere humiliatus spiritu, consolatur igitur eum Dominus, placet enim ei linum fumigans: igitur id fovet, ut concipiat flammas.

Sed Sodomitae sunt ceu rupes et petrae durissimae: Ibi sulphure, fulminibus de coelo et tonitruis opus est. Hoc nesciunt illi stulti et mendaces Prophetae, qui contendunt legem non docendam in Ecclesia, et in universum neminem esse arripiendum durius, aut gravandum in conscientia.

Sed si hoc verum est, cur vult Dominus in ipsa Ecclesia retineri exemplum Sodomae, et ab Abrahamo doceri? Quia autem addit, ut timeant Dominum, nonne, qui tantum promissiones doceri volunt, doctrinam timoris Domini excludunt penitus ex Ecclesia? Fugiendi igitur phanatici spiritus sunt universam doctrinae coelestis rationem perniciose confundentes.

Sed non tantum ad docendum timorem Domini haec doctrina legis utilis est, affert et illum fructum, sicut Dominus addit, ut sic territi iuditio et ira Dei faciant iustitiam et iuditium.

---

24 contendendas] contundendas *H. I. K. Erl.*

Totam scripturam si dividas, duo complectitur, promissiones et minas. seu beneficia et poenas. Ac vere, ut apud Bernardum est, dicuntur dura corda, quae neque flectuntur beneficiis, neque plagis emendantur, sic opera Dei quoque sunt duplicia. Misericordiae opera sunt, quae commemorat
Apg. 17, 14 Paulus, Acto⌊rum. 17.: demittit coelitus pluviam, fertilitatem etc. Irae opera sunt, quod etiam immittit pestem, bellum, famem, ut terreat et humiliet duros. Sic in Christo promittitur salus omnibus, qui baptizantur et credunt, contra proponitur iuditium et aeterna mors iis, qui in Christum non credunt.

Haec cum ita sint, quomodo praedicatio legis potest, aut debet excludi ex Ecclesia? Nonne simul excludis timorem Dei, et maximam partem operum Dei? quae profecto Deus non facit, ut maneant occulta, vult ea conspici, et sic induci nos ad timorem, si igitur nulla esset pestis et morbi nulli. Si nulla ignis seu incendiorum et aquae pericula essent, si non subitanea mors et similia mala, sane tacerem ego quoque de eis, et de suavitate tantum Dei ac beneficiis loquerer: Sed experientia in diversum est.

Asserere igitur, quod lex in Ecclesia non debeat doceri, est hominum nescientium Christum et excoecatorum sua superbia et malitia. Supra multa misericordiae Dei exempla proposuit Moses, cum promitteret ei Deus semen benedictum, cum ornaret eum insigni victoria, cum ut hospes ad eum veniret, et panem apud eum comederet. Haec recitantur a Mose, nec additur praeterea aliquid. Hic autem additur mandatum praedicandi: 'Narrabit ea, inquit Deus, filiis suis', hoc est, in ipsa Ecclesia volo incendium Sodomorum praedicari. Cur hoc? quia Ecclesia nunquam est
Matth. 13, 3 ff. penitus pura: Sed semper maior pars sunt mali, sicut parabola de semine docet. Imo ipsi veri sancti, qui fide in filium Dei iusti sunt, habent peccatricem carnem, quam assidua correptione oportet mortificari, sicut
1. Kor. 11, 31 Paulus dicit: 'Si nos ipsos iudicaremus, non corriperemur a Domino' .1. Cor⌊inthiorum 11. Memineritis igitur huius loci, qui solus ad refutandos Antinomos satis est.

18, 20. 21 Et dixit Dominus: Clamor Sodomae et Gomorrae profecto multiplicatus est, et peccatum eorum profecto invaluit valde: Descendam nunc et videbo, utrum secundum clamorem, qui venit ad me fecerint consummationem: Quod si non, ut sciam.

Horribilis omnino res: Nondum abierunt quindecim anni, cum Sodomitae et eorum vicini a quatuor regibus victi et captivi abducti, postea autem per Abrahamum mirabili victoria liberati, et suis sedibus restituti sunt. Dupliciter igitur Deus eis se revelavit. Per captivitatem ostendit odisse se peccatum, et certo punire velle. Per liberationem

autem ostendit se ignoscere velle poenitentibus, et eos iuvare. Sed neque poena, nec beneficium valuit. Isti ipsi, qui haec suis oculis viderant, obliti animi reciderunt in horribile barathrum peccatorum, excusso penitus timore Dei.

Haec profecto mira res est, et insignis pictura humanorum animorum, qui sua natura sic per peccatum corrupti sunt, ut neque minis corrigi nec beneficiis flecti possint. Cum redirent ex captivitate ad suas sedes, sine dubio gratias egerunt Deo Abrahae, qui eos liberavit. Sed non longi temporis religio haec fuit, paulatim relapsi in securitatem indulserunt animis, donec tandem, ut in magna abundantia, sine pudore singuli facerent, quod vellent, ac penitus essent incorrigibiles. Nam etiam hic verum est, quod in physicis dicunt: Motum, cum venit ad finem suum, esse impetuosissimum.

Non solum obliti sunt calamitatis et mirabilis liberationis, non solum nullam rationem verbi, oeconominae et politiae habuerunt, sed etiam bestiis deteriores sunt facti. Horribile autem hoc exemplum est, quod terra tantis miraculis liberata, intra annos quatuordecim sic turpiter et feraliter degenerat.

Beneficium Abrahae prorsus periit, non ipsius virtute, sed sua fortuna senserunt se liberatos: Doctrinam autem Abrahae et Lothi etiam blasphemarunt, quod ipsorum libidinibus adversaretur, cum his peccatis coniunxerunt praesumptionem sapientiae et superbiam.

Haec ruinae initia fuere, sicut Salomon dicit: 'Principium ruinae est superbire, et apostatare a Domino': ubi enim contemptus verbi et ingratitudo erga Deum est, ibi disciplina quoque et boni mores concidunt. Hi enim fructus tantum ex semine verbi DEI nascuntur: ruinam Ecclesiae ruina politiae secuta est. Spr. 16, 18

Timore Domini sublato, coniugiorum fides periit, non contenti suis appetiverunt alias, suas autem prostituerunt, donec tandem tentarunt, quae contra naturam sunt, et plusquam bestialia. Hic est Satanae processus, postquam homines avertit a Deo, et ingratos fecit erga Deum.

Apud nos, proh dolor, initia talium malorum nimis manifesta sunt. Inspice enim Euangelicos in civitatibus, vide magistratus et nobilium mores, deinde civium et rusticorum. Nonne decebat pariter omnes diu noctuque Deo gratias agere, quod sint liberati ex fornace ferrea Papae, et ex illis miserrimis ignorantiae tenebris, sed hoc non fit. Sacrificium laudis et gratitudo nusquam est, omnes autem in id unum incumbunt, ut cumulent opes, ut imposturis, fraudibus, iniuriis alios premant, ipsi autem ditescant: Sed his moribus an non ruere tandem necesse erit oeconomiam, hoc autem cum fit, necessaria sequitur ruina.

---

40 ruina *G. H.*] ruina universalis *I. K. Erl.*

Sed tractationem praesentis historiae ordiemur paulo altius propter rudiores: Etsi enim animus tam horribile irae spectrum reformidet, tamen, quia mundus Pharaonica et pharisaica doctrina plenus est, necesse est haec divinae irae exempla bene inculcari.

A principio libri Genesis vidimus tractari duas generationes hominum, unam iustorum, quae fuit vera Ecclesia, et alteram iniustorum, quae semper fuit Satanae schola, in qua non solum exercentur homines ad peccata secundae tabulae, ut committant caedes, adulteria etc. Sed etiam blasphemant verbum, persequuntur et occidunt pios. Semper autem Deus tandem se interposuit iudicem, et malos male perdidit.

vgl. Offenb. Joh. 2, 9

Idem hic quoque fit, Abrahae domus est vera Ecclesia, etsi enim vixerunt tum alii quoque Patriarchae, tamen Ecclesia erat divina voce alligata ad domum, posteros et successionem Abrahae.

Si igitur instituas collationem domus Abrahae et Sodomorum, invenies in domo Abrahae omnia suavissima et familiarissima: adeo ut ipsi Angeli Dei videantur convivaliter iocari cum Sara ridente, et negante risum. Sonat igitur perpetuo ibi Dei vox, et est domus Abrahae aliud nihil, quam regnum remissionis peccatorum et gratiae, imo ipsum coelum, in quo habitant Angeli Dei, quos reverenter excipit, et adorat in eis Deum, quem novit et credit unum et trinum. In summa apud Abrahamum nihil est, quam gratia et vita.

Contra in generatione impiorum apud Sodomitas nihil est, quam comminatio horribilis, non veniunt ad eos Angeli, sed cum veniunt, non solum nulla reverentia excipiuntur, sed tractantur indignissime, non locum, non cibum eis favent impii. Sed contumelia eos tentant afficere, qua nulla masculo potest contingere maior: Ut clarum sit non tam libidine peccasse, quam malitia.

Sic Nahas, Rex Ammonitarum, cum se ad foedus offerrent obsessi in Iabes Gilead. 1 Samuelis 11. non voluit foedus cum eis facere, nisi singulis oculum eruisset. Hic non lucrum, non voluptatem spectavit aliquam, sed simpliciter voluit explere malitiam suam: Invitantur enim, plaerunque homines ad peccatum vel voluptatis, vel commodi alicuius causa, at in tam foedo spectaculo non voluptas, non commodum, sed extrema malitia fuit.

1. Sam. 11, 2

Sicut Iudaei tantum ex mera malitia occiderunt Christum. Sic impius miles multa facit tantum contumeliae causa, et ut molestias ac dolorem augeat, non ut ipse ditetur. Quid enim inde commodi habet, si praecidat crura bobus, si postes aedium concidat succendat pagos? Malitiae haec, et eius quidem extremae peccata haec sunt.

Hoc igitur generationis malorum studium est, odisse sanctos: nec contenta est, si varie eos vexet, summa voluptas est, contumelia eos afficere. Haec horribilis malicia est et digna tali iuditio. Mirum autem in

tam brevi tempore sic corruptum hunc populum esse, ita ut non decem viri superessent, qui Deum timerent, et disciplinam aliquam retinerent.

Ante diluvium igitur scribitur: Vidisse Deum, quod multa esset malitia super terram. 1. Mose 6, 5 Hic autem dicit Moses, audivisse Deum clamorem, id apparet gravius esse. Pertinet autem utraque figura ad pingendam hominum securitatem, sic enim vixerunt, ac si Deus non videret, nec audiret, imo ac si prorsus non esset. Sicut in Psalmo est: 'Dixit insipiens in corde suo, non est Deus'. Ps. 14, 1

Patiuntur autem pii quoque hanc tentationem. Sed alio modo, quod Deum nonnunquam sentiunt dormire, et non audire nec videre. Id cum ab initio mundi sit factum, multo magis fit nunc in hoc mundi delyrio et extrema senecta. Quam horribiles blasphemiae sunt regnum Turcicum et Papatus. Sed tacet nunc pene in octingentos annos Dominus, et uterque Turca et Papa florent, confirmant opes et vires suas, ac per omnia sic vivunt, ac si vita nulla post hanc restaret, et Deus nullus esset.

Beatum igitur saeculum illud fuit, quo Christus vixit, ibi enim non solum audivit et vidit, sed vere praesens fuit: Sicut Ioannes dicit: 'Manus nostrae contrectaverunt', 1. Joh. 1, 1 sed nunc a longe clamamus, et iudicamus nos clamare ad eum, qui non audit, sed altum dormit: Interim procedit Diabolus et Papa, ac pro libidine miscent omnia, nascuntur sectae etc.

Est igitur hoc dictum more humano, usitata phrasi scripturae, quod enim de Deo hic Moses commemorat, id sic fuit in affectu et incredulitate hominum. Non enim dormit Deus: A talibus passionibus spiritus liber est. Homines autem secure peccantes iudicant eum dormire, imo se respici quoque et audiri somniant a Deo. Sicut Turca inflatus sua fortuna credit se esse populum Dei. Iram Dei credit nullam esse, Infernum putat extinctum et iuditium sublatum: Sic enim in effectu apparet.

Hinc sunt in scriptura similes loci. 'Deus, ne sileas a me'. Ps. 28, 1 Pii enim luctantes sub carne, et vicini desperationi, quia Deus differt exauditionem, iudicant Deum dormire, mutum esse etc. Hic fidei, seu spiritus in piis affectus est. Sed diximus haec in capite sexto supra copiosius. Hic satis est monuisse, quod scriptura accommodat modum loquendi ad morem humanum, non quod Deus ita affectus sit, sed quod sic fiat in piorum cordibus. Abraham igitur, Loth et alii Patriarchae audiverunt et senserunt hunc clamorem, ac statuerunt Deum irasci, ac properare ad poenam insanabilis gentis.

Non autem negligenda hic est moralis doctrina pro Magistratu et iis, qui praesunt iuditiis. Supra in undecimo capite, cum aedificaretur turris in Babel, dicit Dominus: 'descendam et videbo'. Monet igitur divina Maiestas non praecipitandas sententias, nec unam tantum partem audiendam, sed causam plene cognoscendam. Si enim de Deo, qui scit omnia, et cui nihil absconditum est, scriptura dicit, quod descenderit, quanto magis hoc

studio nobis hominibus opus est, qui ducimur affectibus, occupamur amicorum sermonibus, decipimur adulationibus etc.?

Disputatur hic de peccatis clamantibus in coelum: et numerantur ab aliis quatuor, ab aliis quinque. Id etsi sine ratione factum sit, tamen piorum studium non damno. Si autem proprie volumus loqui, clamor in scriptura non significat illa quatuor vel quinque peccata: sed generaliter
Jes. 5, 7 refertur ad omnia peccata, cum quibus coniuncta est impoenitentia et malitia. Sic Esaiae quinto: 'Expectavi, ut facerent iustitiam: et ecce, clamor', hoc est, peccant impudenter, et nemo est, qui puniat, nullum in Magistratu seu iudicibus remedium est, nihil reliquum est, quam clamor, das jederman zeter uber die ſchand ſchreyet.

Ubi igitur est adhuc aliquis Dei timor, ibi Magistratus facit officium, et animadvertit in sontes, et sequitur, ut homines non clament, sed gratias agant Deo et Magistratui, quod cum uxoribus, liberis et facultatibus suis in tuto sint, nec sint expositi quorumvis libidini. Contra ubi verbum non est, et Magistratus negligit officium, ac disciplina nulla Oeconomica servatur, ubi parentes indigne tractantur a liberis, herus a familia etc., ibi sequi clamorem necesse est.

Sicut hodie avaritia et usurae sunt immodicae. Magistratus ad eas connivet, nec punit, ut debebat, quid igitur fit? nonne qui iniuriam sentiunt, et nihil praesidii vident in Magistratu, clamant? Tales vocat Petrus 'inces-
2. Petri 2, 14 sabiles delicto' 2. Petri 2, qui scilicet coherceri nolunt, et admoniti furiosius peccare pergunt, sicque peccatum peccato cumulant, Pharaonis exemplo, qui eo insaniebat magis, quo plus Aaron et Moses praedicabant.

Haec viderunt sancti patres, videntes autem tantam malitiam discruciati sunt animis. Levius enim est mori, quam videre extremam et indomitam mundi malitiam. In his igitur completum est, quod textus dicit: 'clamor Sodomae multiplicatus', et tamen Abraham non motus clamore hoc et gravitate tantorum peccatorum opponit se, et facit se medium pro istis pessimis hominibus, intercedens pro eis, ut audiemus. Sicut igitur fides eius hactenus praedicata est, ita nunc charitas erga inimicos praedicabitur. Non enim maior charitas est, quam pro hostibus sanguinariis apud Deum intercedere.

Ac diverterunt inde viri illi, et abierunt Sodomam: Abraham 18, 22–26
vero adhuc stabat coram DOMINO, et accedens Abraham dixit: Num etiam perdes iustum cum impio? Fortasse sunt quinquaginta iusti intra civitatem, num etiam perdes, et non parces propter quinquaginta iustos, qui sunt intra ipsam? Absit a te, ut facias istud, et interficias iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius, absit a te. Nunquid iudicans universam terram non faciet iuditium: Et dixit DOMINUS: Si invenero quinquaginta iustos intra ipsam Civitatem, parcam toti loco illi propter eos.

Est hic quaestio nova de apparitione Dei et Angelorum. Mea sententia est, fuisse hos Angelos indutos forma humana, et non Trinitatem substantialiter. Quidam nomina horum Angelorum ponunt Michael, qui fuerit dux verbi, et caeteris tacentibus locutus sit: Gabriel potentia divina, qua opus fuit ad evertendam Sodomam: Raphael medicina Dei, qui venerit ad liberandum et sanandum Loth: Haec qualiacunque sint, sine peccato cogitantur, nec sunt noxia: ego tamen vera esse non credo. Ac Iudaei dicunt abeunte Raphaele et Gabriele disparuisse Michaelem, apparuisse autem singulari apparitione extra illos tres, Dominum, ac Abrahamum cum eo collocutum. Sed ego retineo meam sententiam, quae simplicior est, et consentit cum scriptura.

Tertius Angelus substitit, eum, sicut alios duos, Abraham iudicavit esse hominem, sed talem, in quo esset Dei spiritus. Videbat enim, quod haberet verbum Dei, et iudicabat, non hominis: sed Dei verbum eum loqui. Ideo etiam ut Deum eum adorat. Quod igitur textus dicit: 'Stabat coram DOMINO', idem est, ac si dicat: Audiebat intuebatur illum tertium Angelum Abraham ceu Deum, quia norat eum habere verbum Dei.

Pertinent igitur haec ad ministerii dignitatem, quod, cum adhuc obscurum quasi esset, tanto studio exceperunt sancti Patriarchae: Nos in summa luce etiam contumelias, imo quoque gladium et famem addimus, qua enecamus Euangelii ministros. Nunc orationem Abrahae audiamus, quae sane horribilis est, si eventum respicias.

Instituit Abraham orationem sapientissime, parvum accipit numerum, quod putat eo facilius impetraturum se, quod volebat, sed horribile est, quod non decem inveniuntur iusti in his quinque civitatibus. De pueris hic nihil dicimus, hi habent suam conservationem, sed nobis ignotam, sicut probat locus Ionae de nescientibus, quid intersit inter dextram et sinistram. Adulti autem sic omnes fuerunt corrupti, et non decem essent iusti. Nec polluerunt se istis vulgaribus peccatis solum, ebrietate, furtis, adulteriis, avaritia: capitalia fuerunt, contemptus verbi, magistratuum et parentum. Deinde contumeliae in sanctos, et exultatio in rebus pessimis.

Considera igitur tria haec: Brevitatem temporis, in quo sic degenerarunt, multitudinem peccantium et gravitatem peccatorum, et pronunciabis Dei iuditium, etsi horribilissimum, tamen iustum fuisse. Abrahae quidem impossibile creditu est, sic pariter omnes depravatos esse. Cogitavit saltem in Magistratu et regum consilio aliquos honestos viros, et Dei timentes inveniri posse. Singulae enim civitates suos habebant reges, hi autem senatum suum: inter hos non decem bonos inveniri incredibile est. Igitur tanta fiducia orat Abraham, et semel frustratus non cessat, adeo ardet caritas erga pessimos homines.

Caput Genesis undecimum docet nos de Ecclesia huius temporis, quo periit Sodoma. Vixerunt enim sex Patriarchae tum, Sem, Arphachsad, Salah, Eber et Serug: ac quia Abraham quinquaginta pene annis cum Noah vixit, et novem Patriarchas vidit, habuit excellentissimos praeceptores. Noah autem fere quadraginta annis ante excidium Sodomorum mortuus est. Hic cum vidisset prius seculum ante diluvium, Sodomitis quoque notus fuit, qui viderunt et audiverunt praedicantem ac clamantem cum suis posteris de diluvio, de ira Dei, et tamen contempserunt eum cum nepotibus. Puto igitur Ecclesiam tum fuisse talem, qualis posthac in terris usque ad Christum non fuit.

Horribile autem est in hoc aureo saeculo, tot Patriarchis viventibus et docentibus, ac in vicinia quidem Hierosolymis ipso Sem ministerium verbi sustinente, Sodomitas sic degenerare, et omnem Dei timorem et notitiam abiicere. Quid igitur nos querimur de nostro saeculo, cum haec tot et tam praestantibus Patriarchis acciderint. Feramus igitur hanc mundi fecem, et ingratitudinem ac contemptum tam insignem: non enim digni sumus, qui conferamur cum sanctis Patriarchis, et tamen ipsi quoque tam horribile et atrox exemplum irae Dei videre coacti sunt, nec valuerunt quantumvis sedulae deprecationes.

De eo autem quis dubitabit, quin Patriarchae illi sex summo studio conati sint, ruentem multitudinem revocare in viam? In ipsa Sodoma vixit Loth, Sem seu Melchizedech in vicina Ierusalem, Abraham in Mamre, alii aliis, sed vicinis in locis. Sine dubio hi miserunt istuc Concionatores, qui hortarentur ad poenitentiam, et castigarent eos. Sed frustra fuerunt omnia. Ubi enim est irreverentia erga verbum et contemptus, ibi frustra Sem et Abraham docent, nec expectandum aliud est, quam vastitas et diluvium.

Aestimari autem inde potest magnitudo irae Dei contra peccatum. Si enim hi sancti et Deo grati homines avertere poenam intercessionibus suis non potuerunt, quid nos speremus in hac mundi senecta? Memineris igitur hoc ipso tempore, quo Ecclesia maxime floruit, ac Doctores sanctissimos et fidelissimos habuit, mundum fuisse pessimum. Sic solet Satan deformare Ecclesiam scandalis, quae imperiti verbo imputant, sed pari

ratione imputabitur Lotho, Abrahae, Melchizedeco interitus Sodomae, hi enim istius saeculi praecipui Doctores fuerunt: Sed redeo ad orationem Abrahae.

Oratio Abrahae habet sex partes, sexies enim petiit, et cum tanto ardore, ac affectu sic urgente, ut prae nimia angustia, quia cupit consultum miseris civitatibus, videatur quasi stulte loqui. Verbum (*Thispe*) admodum significans et violentum, ut sic dicam, est. Significat enim sic abripere, ut nihil reliquum facias. Si igitur verba ponderes, est stulta oratio, quasi Deus nesciat discernere inter iustos et iniustos. Visne simul rapere iustum cum impio, et latronum more sine discrimine saevire in omnes?

Dura oratio est in speciem, sed laudatissima, si secundum cor Abrahae eam aestimes, Videt impossibile esse, quin Deus habeat rationem iustorum: Ideo orat, sicut David: ‘Ne perdas Deus animam meam cum impiis’. Hoc enim Tyrannorum est, hi, ut expleant iram suam, incendunt domus, pagos, oppida, nihil soliciti, iusti an iniusti pereant. Talis crudelitas, inquit Abraham, scio, quod in Deum non cadit: Igitur parcet toti populi propter quinquaginta bonos. Est valde magnus affectus, et quasi stupor, qui cogit ad stultos sermones. Maior enim est affectus cordis, quam ipsum cor potest apprehendere, quod videt sanctus vir totum populum subvertendum. Ps. 26, 9

Est violenta oratio et impetuosa, quasi cogens Deum ad ignoscendum. Hoc quidem notum est, Deum propter unum aliquem iustum toti domui, civitati, regioni parcere et benefacere. Sic Syria florebat vivo Naamano. Aegyptus propter Ioseph, Laban propter Iacob benedicitur, et scilicet Deus sic oblivisceretur sui, ut quinquaginta iustorum nullam rationem haberet? Ah Domine, Domine, ne facias. Sunt verba significantia magnitudinem adfectus, cum quibus simul et oculi manarunt lachrymis, et cor aestuavit gemitibus inenarrabilibus. ‘Absit a te’ hoc, inquit, quasi docere velit Deum, quid debeat facere, sicut addit: ‘Nunquid iudicans universam terram non faciet iuditium’?

Iuditium facere est punire nocentes, et parcere innocentibus, hoc, inquit, te maxime decet, qui iudicas universam terram, sed quale iuditium est, etiam innocentes arripere: Profecto fortis et violenta petitio, qua Deum admonet sui offitii, ut iustis parcat, et propter iustos etiam malis. Igitur Dominus respondet, et promittit, se parciturum, si sint quinquaginta iusti. Placet enim ei ardens oratio, in qua sic lucent fides et charitas. Sed Abraham cum audit quinquaginta non inveniri, terretur aliquomodo, et tamen orare pergit.

---

6 (*Thispe*)] תִּסְפֶּה 15 oppida] Oppida *im Custos G. I.; k im Custos* oppida.

18, 27. 28 Et respondens Abraham dixit: Ecce complacuit mihi loqui ad Dominum meum, qui sum pulvis et cinis: fortasse deficient quinquaginta iusti in quinque: nunquid perdes ob quinque totam illam civitatem, et dixit: non perdam, si invenero ibi quadraginta quinque.

Oratio debet esse improba. Ideo pergit orare Abraham. Sed addit hic insignem humiliationem, quae in omni oratione necessaria est, 'pulvis, inquit, et cinis sum', et tamen, quia coepi orare: pergam, Parcesne, si deficiant quinque? parcam inquit Dominus.

18, 29–33 Et adiecit iterum loqui cum eo, dicens, fortasse reperientur ibi quadraginta, respondit: Propter quadraginta nihil faciam. Rursum dixit ille, ne, quaeso, irascatur Dominus meus, quod loquor. Fortasse invenientur ibi triginta. Et dixit, nihil faciam, si invenero ibi triginta. Dixit ille iterum. En placuit, ut et iam loquar ad DOMINUM meum, fortassis invenientur ibi viginti, respondit: Non perdam propter viginti. Et ille ait, ne, queso, indignetur Dominus meus, et loquar saltem hac vice. Fortasse invenientur ibi decem. Respondit, non perdam propter decem. Et abiit DQMINUS, postquam cessavit loqui cum Abraha, et Abraham quoque reversus est ad locum suum.

A quinquaginta descendit numerus ad Decem, ac certus est Abraham, se voti compotem fore. Quomodo cogitat possibile est, cum ibi sit pius Doctor Loth, adeo nullum esse verbi fructum, ut ne decem inveniantur. Anhelans igitur suspirium Abrahae hoc est, quod promittit se hac ultima vice oraturum, nec fatigaturum amplius deum. In hoc exemplum intuere, quoties orabis, ac disce pertinacia opus esse in orando. Ea non offendit Deum, sed placet Deo, sine dubio autem Abraham historia diluvii se est consolatus, ubi octo animae servatae sunt. Itaque etsi impetrare reliquis salutem non potuit, tamen de Nepote Loth certus fuit, eum Deo curae fore, et ereptum iri. Itaque redit domum, permittens cuncta iusto Dei iuditio. Videt enim, in tanta hominum malitia opus esse, ut Deus ostendat iram suam contra peccatum, ne scandalizentur pii, et incipiant ipsi quoque declinare.

Atque haec causa est, quod praecipit historiam hanc commendari posteris. Vult enim timeri Deus, securos autem detestatur et odit,
Isci. 66, 2 Esaie 66. Sese apud contritos corde habitaturum promittit Psalmo quin-
Ps. 51, 19 quagesimo primo: dicit sacrificium Deo gratissimum esse spiritum contribulatum: Vult tamen non dominari timorem solum, etiam spem misericordiae vult retineri in illis doloribus animi.

Sicut figurate in Mose praecipit, cum prohibet simul inferiorem et superiorem molam accipiendam ab egentibus. Superior mola est timor et iuditium Dei: Hanc sustinet inferior mola, quae spem et sensum misericordiae significat. Sic ministerium coniungere debet legem et Euangelium. Poenitentiam et remissionem peccatorum, 5. Mose 24, 6

Papa nihil praedicavit, quam terrores, contra nostri Pseudoprophetae hodie, nihil volunt doceri, quam Euangelion et promissiones, qui error pene nocentior est. Gratia et remissio peccatorum praedicanda sunt: sed apud eos, qui habent peccata, hoc est, qui agnoscunt se habere peccata, et ex animo iis cupiunt liberari. Qui autem in peccatis secure pergunt, hi sunt, ac si essent sine peccatis, his debet lex proponi, hi Sodomae interitu terendi sunt, et traducendi hoc̄ modo ad timorem Dei.

Atque hoc est, ut supra quoque diximus, verbum Dei recte secare, ut, sicut in sacrificiis certa erat distribuendae hostiae ratio: Ita quoque in docendo certus debet servari ordo, ut perveniatur tandem ad eum finem, ut Deus cognoscatur et misericors credentibus, et iratus securis: atque ita singuli discamus timere Deum, et niti eius misericordia, quam in filio misso ostendit. Sic primum praeceptum dicit: 'Ego sum Deus faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, eos autem, qui oderunt me, hoc est, (qui verbo meo non obediunt), puniens in tertiam et quartam generationem'. 2. Mose 20, 2. 5.

Hanc iram persuaderi sibi mundus non patitur, ut credat veram esse, vide Michaeam et Hieremiam, hi cum iram Dei minarentur, habiti sunt pro Pseudoprophetis, et iussi tacere. Sed quid dicit spiritus sanctus? Mea verba bona sunt ambulantibus in viis meis. Sic cum Sodomitae in summa securitate peccarent, perierunt, neque movit Deum tanta multitudo, tam multa excellentia ingenia, imo ne quidem innocens aetas, abripit omnia simul, ut palam fiat ira eius contra peccatum.

Credo igitur Abrahamum plenum tristitia abiisse domum, et eam noctem insomnem in lachrimis et gemitibus duxisse ob tantae multitudinis interitum. Sed Sodomitae, dum pius Abraham de ipsis sic solicitus est. vivunt in delitiis, et de hospitibus violandis agunt, de suo interitu prorsus nihil soliciti. Haec mundi et Ecclesiae pictura est, Sicut Christus quoque dicit: 'Vos plorabitis, illi autem gaudebunt'. Joh. 16, 20

Caput decimum nonum.
Caput XIX.

19,1 Et venerunt duo Angeli Sodomam vespere, et Loth sedebat in porta Sodomae, ac videns Loth, surrexit in occursum illorum, incurvatusque est facie tenus in terram.

In hoc capite describitur poena illa peccatorum, cuius capite praecedenti facta est mentio, quod clamor Sodomae ascenderit ad coelum. Porro horribilem hanc historiam, sicut et illam diluvii, non libenter tracto. Est enim horribile, sentire et experiri iram Dei, sic immodice pene grassantem in miserum genus humanum. Toto igitur pectore commoveor, cum vel lego, vel tracto ista. Etsi enim sum homo iracundus, tamen tam insigni calamitate permoveor, et sentio tentationem Abrahae, quam habuit, cum conaretur omnibus viribus avertere per intercessionem tantam iram ab impoenitentibus peccatoribus.

Antinomi, novi isti Prophetae, contendunt homines tractandos suaviter, nec terendos irae divinae exemplis. Sed diversum Paulus dicit
2. Tim. 3, 17 2 Timothei 3. Ubi dicit 'Scripturam etiam utilem ad obiurgandum et ad castigandum, ut homo Dei sit perfectus, et ad omne bonum opus paratus'.
1. Kor. 10, 6 Et notum est praeceptum de verbo Dei recte secando. Et 1. Corinthiorum 15 [sic!] post varia irae divinae testimonia contra peccatores clare dicit. Scripta illa esse propter nos, ne illorum exemplo concupiscentia peccemus.

Ergo exempla irae divinae, quale hoc praesens est, sic sunt tractanda, ut faciant ad doctrinam et eruditionem nostram. Sicut Dominus Abrahae, qui nobis longe sanctior fuit, mandat, ut filiis suis haec narret. Semper enim invenies duo hominum genera: Alterum superbum, praefractum, contemnens verbi ac piarum admonitionum, et immodice securum: Hos si suaviter tractes, si misericordiam Dei eis proponas, deteriores reddes. Hic scilicet fructus est, quem error Antinomorum affert. Sed moneo, ut eos caveatis. Non enim sunt contenti, quod ipsi pereunt, volunt nos quoque secum rapere ad interitum, ac suis peccatis onerare, dum ea repraehendi nolunt, sicut Sodomitae.

Posuit autem Deus ministerium verbi in hunc mundum, non ut tacerent ministri, sed ut arguerent, docerent, consolarentur, terrerent, atque hoc modo salvarent, quoscunque possent. Hoc ministerium Antinomi in totum tollunt, dum repraehensiones nolunt ferre, ac iubent nos consentire ipsorum peccatis contra Pauli sententiam, qui non solum facientes, sed
Röm. 2, 1 consentientes damnat, Romanorum 2. Consentiunt autem, qui peccata non arguunt, ut si dissimularem cardinalium, Papae, Episcoporum peccata et
Hes. 3, 19 blasphemias et tyrannidem. Atqui Dominus apud Prophetam dicit: 'Tu

liberaveris animam tuam, si argueris peccata populi tui.' Sicut etiam pessimi homines in misericordia tolerandi. Sed cum volunt nos secum rapere in interitum, ibi misericordia cesset necesse est, non parentum autoritas, non liberorum amor tanti nobis esse debet, ut cum eis perire velimus. Obliviscenda ibi omnis misericordia est ad exemplum Loth, deserentis uxorem respicientem in via contra Domini mandatum. Tales quia indurati sunt, nec ullam admonitionem admittunt, sunt relinquendi.

Illi autem, qui non sic sunt praefracti, sed flecti possunt, erga hos misericordia vult Deus uti, sicut docet parabola de ove perdita. Non enim Luk. 15, 4 ff. sunt impoenitentes Sodomitae, quibus debetur malleus divinus, qui conterit petras. Ab his iuditium Domini non est abscondendum, alioqui fiet, ut nos ipsorum peccatis polluamus consentiendo eis. Omnes enim Christiani sunt in mundo ideo positi, ut serviant proximo, non solum quod ad secundam tabulam attinet, sed magis ad primam. ut discant omnes timere Deum, et confidere misericordia eius.

Altera pars, qui iam antea humiliati et pavidi sunt, sicut Christus Luk. 12, 32 eos vocat pusillum gregem, ac mandat, ne timeant, hi etsi infirmi sunt, et varie peccant, tamen non sunt praefracti nec indurati, erga tales sit minister prudens ac fidelis, qui recte secet verbum Dei, et nihil peregrinum sanae doctrinae admisceat, territos ira et iuditio Dei non terreat amplius, sed erigat. Haec magna sapientia est, et in ministerio admodum necessaria, ut duplices auditores recte discernantur, et quisque audiat suam vocem, Duri horribilia irae divinae exempla, pavidi autem suaves consolationes. 'Christus enim positus est, aliis in resurrectionem, aliis in ruinam'. Luk. 2, 34 Humiliati igitur erigendi sunt, contra in securitate exaltati, deprimendi, sicut sancta Maria in suo cantico etiam docet. Haec est recta sectio. Non enim fieri potest, quin pavidi securis admixti sint: moderatione igitur hac opus est, ut, qui sunt duri, sciant se peti horribilibus exemplis. Pavefacti autem arripiant verba solatii et promissionis.

Atque hoc postea spiritus sancti offitium est, per verbum et confessionem dirigere corda, ut pavidi apprehendant consolationes, praefracti autem vel convertantur territi voce legis, vel prorsus pereant. Non enim sine discretione universi damnandi sunt. Sicut enim diluvium et Sodomitarum interitus ceu fulmina sunt, quibus animi terrentur: Ita his irae exemplis additur consolatio de servato Noah et Loth: sic fiet, ut pavidi non desperent.

Hic est finis, cur huiusmodi horribiles historiae a me legantur, licet invitus eas legam, quia terreor magnitudine irae Dei, et tamen video prodesse hanc doctrinam, non solum, ut superbi terreantur, sed etiam ut pii in timore Dei contineantur, nec exemplo impiorum peccent et pereant.

1 Sicut *G. H.*| Sunt *I. K. Erl.*

Deinde sic proponitur in hisce exemplis ira Dei, ut tamen simul eluceat Dei benignitas, misericorditer servantis fideles.

Jes. 61, 1 ff. Sic Christus apud Esaiam dicit, capite 61: 'Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Ad annuciandum pauperibus misit me, ut mederer contritos corde, et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem, ut praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes etc.' Ecce pauperes, contriti corde, captivi, clausi, lugentes, his promittitur indulgentia, liberatio et annus seu tempus, quo Deus placatus sit. Qui igitur non sunt pauperes et contriti corde, his dies ultionis praedicatur, hoc est, ira Dei.

Si igitur Christus sic docet, ut cum misericordia irae doctrinam coniungat, cur nos eum non sequeremur? Summa igitur sapientia est, recte miscere haec, misericordiam in servato Loth ostensam, et iram in Sodomitis perditis. Territi animi et paventes sine dubio placent Deo, promittit enim Jes. 42, 3 se 'calamum conquassatum non fracturum, nec fumigans linum penitus extincturum'.

Etsi igitur haec irae exempla ad contritionem faciunt, tamen ab eis cessandum est, cum animi fracti sunt, et mitigandus dolor ac sanandum Ps. 51, 19 vulnus. Scriptura vocat timorem sacrificium Dei et cultum, Psalmo quinquagesimo primo. Cum autem in hunc finem historiae hae per spiritum sanctum sint scriptae, ut excitentur animi ad timorem Dei, ac fugiant peccata et faciant iuditium et iustitiam, recte proponuntur in Ecclesia, quae sicut duplices homines habet, ita etiam duplex verbum proponit, historias irae et comminationes contra duros, securos, impoenitentes, et promissiones pro contritis ac humiliatis. Summa autem sapientia est, haec recte dispensare.

Papa habet excommunicationis fulmen, sed contra quos eo utitur? Nonne contra nos, qui non securi, sed contriti sumus et humiliati? Sui autem ordinis homines, Epicureos, Canonicos securos, Cardinales, Episcopos, Tyrannos beatos praedicat, et in coelum evehit. Sic titulum, quod confortet pauperes Ecclesiae, et damnet rebelles, implet.

Hes. 13, 19 Sed hoc non novum est, Ezechielem vide, capite 13: 'vos Prophanastis me apud populum meum propter pugillos hordei', id est, propter temporalia bona consequenda corrupistis doctrinam, et bonos damnastis, malos autem confirmastis: hoc enim est, quod sequitur: 'Propter fragmenta panis interfecistis animas, quae non fuissent mortuae, et vivificastis animas, quae Hes. 13, 22 non vixissent, dum vos mentimini populo meo, qui auscultat mendatiis' et alibi. 'Contristastis cor iusti, quem ego non contristavi.' Caret igitur sapientia illa verbi recte secandi totus Papatus, non igitur aedificare potest, sed convellit et evertit omnia per suam doctrinam.

Spiritus sanctus autem sic etiam hasce irae et iuditii Dei historias proponit, ut simul consolationem firmam ostendat, Deum sicut Loth timentes

se ex certo interitu liberaturum. Non solum igitur pereunt Sodomitae, sed Loth servatus Deo gratias agit. In Loth salvatum respice tu, qui paves et humiliatus es, ac spera idem erga te facturum Deum. Contra tu, qui secure fornicaris, nempe colligis opes, laute curas cuticulam, et es Epicuri de grege porcus, flecte oculos ad Sodomitas, vide, quae eorum scelera indigna sit secuta gravis poena, cogita subito coelesti igni inflammatas quinque civitates, subsedisse terram, successisse horribilem bituminis lacum, uno momento eversis ac inaeternum perditis peccatoribus.

Haec diligente cogitata excitabunt te, ut de tuo quoque periculo cogites, et peccare desinas, ac veniam peccatorum exposcas. Hoc stulti et coeci Antinomi nostri, Grikel et Iekel, non norunt. Ideo hanc irae Dei praedicationem cum magno et certo malo ex Ecclesia tollunt. Moneo igitur, ut caveatis tales, sunt enim fanatici spiritus et rerum spiritualium imperiti, inflati autem vana opinione doctrinae et sapientiae. Sed redeo ad historiam.

Superiore capite nominat viros, quos hic clare vocat Angelos. Ita tamen idem nomen intelligendum est, ut statuas apparuisse in eis Dominum. Cur autem appellationem sic mutaverit Moses nescio, nisi forte voluit spiritus sanctus significare, non fuisse naturales homines.

Quod de vespere commemorat Moses, existimo fuisse proximum vesperum, quod secutum est eum meridiem, quo cum Abraha pransi sunt. Quia autem iter longius est a Mamre ad Sodoma, quam ut tam paucis horis possit confici ab homine, Ideo quoque Angelos fuisse hoc in loco Psalmus dicit, ne quis suspicaretur rem fictam narrari.

Referenda autem ad hanc historiam illa sunt, quae supra de hospitalitate diximus. Sicut enim de Abraham, ita de Loth quoque audis exoptasse, obviisque ulnis excepisse hospites, ac tantum non coëgisse, suo ut uterentur hospitio. Dixi autem nullum hospitalitatis encomium maius esse, quam illud Matthaei 25: 'Esurivi, et dedistis mihi panem'. Matth. 25, 35

Quod Loth sedit in porta Sodomae, aliud est, quam sedere in porta civitatis. Porta enim civitatis significat locum curiae. Mos enim orientalium populorum erat, Curiam ponere in portis, Ibi enim arcem, seu propugnacula habebant, ac conveniebant deliberaturi de republica. Loth autem sedet in ingressu civitatis.

Est autem commendatio hospitalitatis. Res enim ostendit, cur se domi non continuerit. Expectat hospites, videt civium furorem et iniurias, si qui igitur veniant peregrini, vult eos secum esse, ubi sine contumelia et iniuria pernoctare possint. Ac fortasse eo tempore magna persecutio fuit in UR Chaldaeorum. Itaque pii frequentes Abrahamum exulem secuti sunt, cum eo potius in exilio, quam cum impiis in patria victuri. Fratrum igitur periculo moniti Abraham et Loth sedent aut in ostio domus, aut in ipsa porta, ut, si qui veniant, hospitium inveniant paratum.

Videns igitur Loth Angelos adorat eos facie tenus in terram. Hoc de Abraha non est scriptum, qui tantum incurvavit se, seu genu flexit. Loth procumbit in faciem in terram, tanta erga hospites tum fuit reverentia.

Apparet autem hinc, quae fuerit disciplina in familiis piorum, et quomodo adsuefecerint suos posteros, quod venientes peregrinos homines ita exceperunt reverenter, ac si Deus ipse veniret. Deum enim in eis reveriti sunt et honorarunt.

Nostro saeculo, in hac fece mundi, tanta malitia, tam variae fraudes et doli sunt, ut, quid cui facias, nescias. Hoc tamen praestandum nobis est, ut saltem, quos novimus, honore adficiamus, ac iuvemus offitiis. Sed audi, quomodo cum ignotis hospitibus loquatur Loth.

19, 2. 3 Et ait: Obsecro, domini mei, Declinate, queso, ad domum servi vestri, et pernoctate. Lavate etiam pedes vestros, et mane consurgetis, ituri viam vestram. Qui dixerunt: Non. Sed in platea pernoctabimus, et quasi violenter coegit eos, declinantesque ad eum, intraverunt domum eius, et fecit eis convivium, et posuit panem non fermentatum, et comederunt.

Vocabulum 'Domini', non est usitatum illud *Adonim* vel *Adone*, sed *Adonai*, quod soli Deo competit. Id quomodo intelligendum sit, supra satis copiose dictum est, ac ostendit historia Loth quoque de articulo Trinitatis recte institutum fuisse, vel ab ipso Abraha, vel ab alio ex Patriarchis. Ideo cum hospites duo adessent, non petit Dominos sed Dominum in eis honore afficere. Talia exempla hospitalitatis in libris gentilium non habentur, Diligenter igitur inspicienda sunt.

Offert hospitium perliberaliter, se ipsorum servum, ipsos autem Dominos constituit ac esse iubet: ut omnia faciant, ac si essent domini domus. Offert aquam pedibus, id quod usitatum offitium est erga peregrinos, non tantum ut abluantur sordes contractae ex itinere, sed ut fatigati pedes quasi refocillentur, et vires accipiant.

Christus quoque lotionem pedum instituit, sed longe aliam, quam hodie Monachi et Episcopi, Pontifex, Reges et principes celebrant, qui solam pompam retinuerunt, vult nos abiici ad pedes aliorum, vult nos servire aliorum necessitatibus. Haec negligunt omnes, et interim nudo hoc spectaculo credunt se imitari Christum. Sed quale exemplum ipse nobis dederit, et quantum ab eo hypocrytae absint nimis notum est.

Sed Angeli hic faciunt, quod apud Abrahamum non fecerunt. Invitati enim in domum Loth recusant, ac in platea pernoctare volunt. At Abrahamo offerenti hospitium statim assentiuntur, et dicunt: 'fac, sicut locutus es'.

18/19 Adonim vel *Adone*, sed *Adonai*] אֲדֹנִים vel אֲדֹנַי, sed אֲדֹנָי

Itaque Loth quoque facit, quod Abraham non fecit, ut recusantes quasi cogeret, metuebat enim eis a civibus.

Hebraei dicunt ideo finxisse Angelos, quod dominum Loth ingredi nollent, ut studium et prompta voluntas Loth magis patefieret, qui acquiescere non potuit, sed violentia etiam usus est, dum eos coegit in domum suam. Sed frustra nos haec et sine aliquo fructu accuratius scrutamur. In mundo sane admodum commune est, verbis esse liberalem. Sic verba honoris vocant, cum invitantur, quos tamen venire nollemus. Aularum hae praestigiae sunt, piorum patrum verba et cor non variarunt. Itaque tentandi Loth causa recusationem hanc factam non credo.

Salomo graviter monet, Proverbiorum 23.: 'Ne comedas cum homine invido. Dicit enim tibi, comede et bibe, et mens eius non est tecum'. Tales multi sunt, qui captant plausum, ac volunt videri hospitales, cum tamen sint sordidissimi, et propter unum obulum ringantur toto triduo. Hoc vitium maxime regnat in potentibus. Decet in iis, qui dant beneficium esse syncerum cor, in accipientibus autem verecundiam et pudorem. Spr. 23, 6 f.

Atque haec, ut mihi videtur, causa recusati beneficii est in Angelis. Recusant enim tanquam non gravaturi Lothum, sicut homines modesti solent, non quidem fuco, sed vere, Loth autem, sicut illi verecunde negant, liberaliter et sincere eis offert hospitium. Nec est ex eorum numero, qui daturi aliquid prius interrogant, et pudorem tentant. Verum enim est, quod usitato versiculo dicitur: Qui dare vult aliis, non debet dicere, vultis? Incivile enim est tentare pudorem, et quasi ad mendicandum cogere.

Homines verecundi etiam cum urget inopia, tamen cogi pene volunt ad accipiendum offitium. At invenias impudentes alios, qui non expectant dum iubeas, ultro se ingerunt, mensae assident, hoc et illud sibi donari volunt. Tales odio digni sunt.

Pertinet igitur hic locus praecipue eo, ut, qui dant beneficium, dent synceriter. Qui accipiunt, ut accipiant verecunde. Hanc sententiam recte hoc loco tradi existimo, sed in ea non est resistendum, spiritus sanctus etiam aliud quiddam ostendit.

Videmus scripturam sanctam pulchre sibi constare, ac consentire ubique perpetuo tenore. Supra Abraham intercedens pro Sodomitis audit horribilem et inexpectatam sententiam, non decem inveniri iustos in quinque civitatibus. Ad hoc dictum confirmandum pertinent praesentia, ipsi ceu exules et ignari morum populi (ita enim simulant Angeli) putant, sicut aliis in civitatibus bene moratis, tutum in plateis somnum. Sed Loth gnarus omnium ideo maiore conatu eos secum esse iubet, quia scit certo, si pernoctent in platea, iniuriis affectos iri. Norat enim Sodomitas non solum inhospitales, sed etiam persecutores hospitum, et contumeliosos in hospites.

Hoc voluit Moses hoc ceu signo innuere. Sicut etiam Ezechiel dicit:
Hes. 16, 49 'Ecce, haec fuit iniquitas sororis tuae Sodomae, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum eius, et manum pauperi non porrigebant, et elevatae sunt, et fecerunt abominationes coram me', Ezechielis 16. Durissima verba sunt haec. Superbos vocat contemptores verbi, hoc est, Dei et hominum: non erga Deum reverentiam, non erga homines charitatem exercebant. Obliti erant beneficii, quo ab Abrahamo adfecti erant, se solos putabant, quos amaret Deus, et qui Deum offendere non possent, siquidem sic eis benediceret.

Sicut mundus hodie quoque ista stulta consequentia sibi imponi sinit: Quia enim videt se locupletari fortunis, opibus, valetudine, statuit se habere Deum propitium, et clamat: Hie wonet Gott, Deus, ecce, apud nos habitat.

Sach. 11, 5 Sicut Iudaei dicunt, Zachariae 11.: 'Benedictus Dominus, divites facti sumus'. Haec est consequentia, quam in scholis vocabant a baculo ad angulum.[1] Non enim largitur Deus opes, ut ex illis statuas eum propitium esse: Aliud maius beneficium dedit, unde id recte colliges. Tentare te vult, an velis manere in timore suo, et humiliari coram ipso, ac praestare debitam sibi obedientiam, hoc enim paucissimi faciunt, sed insolescunt
vgl. Sir. 41, 26 fortuna. Hinc proverbium est, Gut macht Mut[2], Luxuriant animi rebus plerunque secundis.[3] Es müssen starcke bein sein, die gute tag ertragen sollen.[4] Nisi enim animi illustrentur et regantur Spiritu sancto. Sicut David, Abraham et alii, impossibile est non everti eos a fortuna propitia, sicut eleganter dictum est: Fortuna quos fovet[5], stultos facit. Ideo monet
Ps. 62, 11 Psalmus: 'Si affluunt divitiae, nolite cor apponere'.

Sed mundus haec non credit. Is tenet cum Sodomitis hanc consequentiam firmam. Ecce, habemus fertilissimum agrum, potentissimam civitatem, obruti sumus donis et fortuna multiplici: quomodo igitur odisset nos Deus, aut quomodo posset aliquid adversi incidere?

Ad haec accessit saturitas panis, quod crapulabantur et helluabantur: sicut nos Germani quoque solemus. Quid autem soleat sequi crapulam, notum est et hoc quoque: vesperi cum hoc facinus in Angelos hospites designare voluerunt, forte convivium publicum fuit, in quo vino se obruerunt.

---

16 angulum *G. H. I. K.*] angelum *Erl.*

[1]) consequentia a baculo ad angulum: *der Ausdruck mag bei Disputationen üblich gewesen sein; vgl. Unsre Ausg. Bd. 40*[1]*, 691 (Nachträge).* [2]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 17*[1]*, 435 Anm. 1. Otto, Sprichwörter der Römer S. 352:* Ubi uber, ibi tuber. [3]) *Ovid, Ars amatoria II, 437.* [4]) *Sprichw., vgl. Unsre Ausg. Bd. 17*[1]*, 321 Anm. 1.* [5]) *Vgl. Otto a. a. O. S. 145:* Fortuna nimium quem fovet stultum facit. *S. Körte Nr. 2741 und Düringsfeld I Nr. 632.*

His annumerat Ezechiel ocium, seu prosperitatem quietis, quod omnia habuerunt tranquilla, quod non famem, non pestem, non morbos ullos senserunt, sed, sicut Moses de populo suo dicit, fuerunt impinguati et incrassati, ut porci. Ideo secutum illud quoque est, quod ad propositum facit, quod pauperi manum non porrexerunt, et fuerunt inhospitales. Sicut hodie in Germania multi Ecclesiarum pastores fame pene pereunt, et esurit miser Christus, ac tantum non perit afflictionibus ubique. Adeo nulla misericordia est in hominibus.

Talis cum esset Sodoma et vicinae civitates, fama de eis sparsa est in vicinas civitates et loca. Nam civitas acquirit famam ex moribus. Sicut hodie in Germania aliquae civitates usuris celebres sunt, quod etiam est Sodomiticum peccatum, quod non solum non occultatur: sed praedicatur etiam: famosae sunt propter comessationes et potationes. Haec peccata cum publice fiunt, et adsuetudine ab hominibus excusantur, ut non solum non sint infamia, sed etiam risum moveant, sicut videmus nostros nobiles et cives de suis scortationibus gloriari, tunc vere sunt Sodomitica peccata.

Sicut Esaias pronunciat de suo populo: 'peccata sua sicut Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt'. Ubi enim pudor et verecundia est, ac tu de peccato tuo erubescis et metuis, ne invulgetur, ibi peccatum leve adhuc est. Sed quando praedicatur, et facinorosi, ut Salomo inquit, exultant in rebus pessimis, ac laetantur in malitia, ibi nihil nisi ignis infernalis reliquus est. Isa. 3, 9 Spr. 2, 14

Quod igitur Angeli in platea pernoctare volunt, et hospitium Lothi recusant, Loth autem eos cogit, eo potissimum pertinet, ut scriptura sibi ipsi praestet testimonium, fuisse Sodomitas corruptissimos, et in tanta multitudine non fuisse decem bonos. Ideo Loth vindicaturus eos ab iniuriis vi quasi cogit in suam domum. Sed quid fit? quod studio quaerit effugere, id accidit. Hac enim sua quasi tutela hospitum, quod eos in domum suam recipit, irritantur Sodomitae ad tentandum facinus horribile.

Circumstantiae igitur augent indignitatem. Angeli ut peregrini incedunt nudis pedibus et capitibus, ceu fessi ex itinere. At ibi inter tam multos et opulentos cives nemo est, qui eis guttam aquae offerat. Imo etiam occidere eos quaerunt, et extremis contumeliis afficere. At pius Loth non hospitium tantum dat, etiam instruit convivium: Ad illud an aliquos ex generis adhibuerit, scriptura non meminit, hoc certe conatum esse caetera argumento sunt, ut hospites ad hilaritatem traducerentur. Addit post dapes panes asymos, ne quid desit vel ad necessitatem hospitum, vel ad suam liberalitatem declarandam.

Quia autem textus Azymi panis meminit, quaestio hic est, an tum aliquid fuerit Mosaicarum legum. Ac Iudaei dicunt Sodomam eversam in

---

14 ab *fehlt G. H.*] ab hominibus *I. K. Erl.*

Paschatis die, qui omnium in anno laetissimum festum est, et ideo Sodomitas indulsisse poculis. Lyra hanc sententiam valde impugnat. Sed sine magno commodo. Quid enim inde vel boni vel mali? Hoc tamen cum fructu fit, ut distinguere discant studiosi legem Mosaicam ab aliis legibus omnibus, Paschae an Pentecostes festum tum fuerit, neque nego, neque affirmo.

Hoc tamen certo affirmari posse iudico Mosen multa retulisse in leges, observata antea a Patribus. Oblationes praecipit, at obtulerunt Abel agnum, Cain fructus agri longe ante Mosen. Sic Noah discrevit inter munda et immunda. Horum similia alia fuisse quis neget? quae Moses antea observata a piis ex mandato Dei retulit in suas leges. Fuit enim ei instituendus novus populus, et regnum novum constituendum. Id sine legibus, iisque accurate scriptis, fieri non potuit.

Quia autem Ecclesia in hoc regno fuit, cultu et ceremoniis opus fuit. Harum cum aliquas retinuisset Patriarcharum saeculum, Moses ex mandato divino eas retinuit, sicut circumcisionem. Iuditialia quoque constituta sunt de puniendis facinorosis. Quis autem dubitet iuditialia quoque pleraque ex usu superiorum temporum et traditione Patrum sumpta? sed Moses, ut legislator, pia ratione sui temporis alia addidit, prout Dominus iubebat.

Sive autem ex patrum traditione et usu, aut ex vicinarum gentium consuetudine quaedam transtulerit in suum populum, tamen id totum vocatur lex Mose, Ac praesens locus testatur Azymorum usum fuisse ante legem, sive ea certo tempore, ut postea in lege, seu in festivis conviviis in usu fuere.

Quod autem Iudaei hodie suas leges sic praedicant, et necessarias statuunt, male faciunt. Fuerunt enim alligatae sicut levitica et Iudae tribus ad certum locum, et ad tempus certum, hoc est, usque ad Christum. Locus autem fuit terra Canaan, in qua duodecim tribus habitarunt. Hic ceu limes et terminus fuit regni Mosaici. Cum autem hodie terram seu locum amiserint Iudaei, profecto tenentur etiam legem obmittere. Finitum enim est tempus, et locus translatus. Personae quoque, hoc est, tribus regalis et sacerdotalis confusae sunt.

Ante legem in orientalibus Asymorum usus fuit, sed talis, ut in conviviis omnibus, in nuptiis et festivitatibus apponerentur. Moses autem hunc morem restrinxit ex mandato Domini, ac voluit in paschate asymis suos vesci. Discernenda igitur lex Mosi est ab aliis legibus. In lege asymorum usus fuit certo tempore. Ante legem liber usus fuit omnibus temporibus. Sicut agnum immolare in pascate iubebat Moses. Ante Mosen immolare licebat, quando quis vellet. Nihil igitur ad Mosen usus asymorum, quanquam Moses eum postea voluerit certi temporis esse. Haec obiter monere ob lyrae disceptationem volui, nunc persequamur reliqua in historia.

Priusquam autem irent cubitum, viri civitatis, viri Sodomae 19, 4. 5
circum circa cinxerunt domum illam a puero usque ad senem,
Omnis populus ab extremitate, et vocantes Loth dixerunt ei:
Ubi sunt illi viri, qui ingressi ad te sunt hac nocte? educ illos
ad nos, et cognoscemus eos.

Pergit Moses in descriptione horribilis peccati. Ac ego quidem non libenter versor in hoc loco, quod aures Germanorum adhuc innocentes et purae sunt ab hoc portento: etsi enim haec quoque labes, ut reliqua peccata, irrepsit per impium militem et voluptuarium mercatorem: tamen, quae in occulto fiunt, ignorantur ab aliis. Carthusiani monachi digni odio sunt, hi contagium hoc horribile ex monasteriis Italicis primi intulerunt in Germaniam, sic scilicet laudabiliter Romae instituti et eruditi sunt.

Continet autem locus hic necessariam et utilem doctrinam. Videmus enim, quod, cum peccata in mores abeunt, et homines securi eis indulgent, vindicta divina statim consequitur. Discamus igitur timere Deum, et armare nos contra carnem et diabolum, ne in similia flagitia ruamus, quae Deus non potest impunita transmittere. Moses satis grandibus verbis describit miseriam et calamitatem generis humani. Postquam comedissent Angeli, inquit, absque dubio in coena varia locuti de timore Dei, de iustitia, de corruptela morum et disciplinae dissolutione, De his enim forte conquestus est sanctus Loth: Non enim frustra dicit Petrus, animam iusti cruciatam 2. Petri 2, 8
diu noctuque quod indigna et videre et audire cogebatur. Os igitur ex Matth. 12, 35
abundantia cordis locutum est[1], nec se potuit continere dolor, cum tam opportuni et sancti contigissent hospites.

Postquam igitur coena peracta est, et tempus suaderet somnum, quid fit? viri civitatis, viri Sedom (haec repetitio ad aggravandum peccatum pertinet) adeo furiosi sunt, ut non solum nullum praestiterint offitium hospitibus, sed in aliena domo ne ad horam quidem fessos sinerent quiescere: saeviunt in lassos, antequam cubitum abeunt, etiam somnum invidentes. Nonne barbaries et crudelitas insignis? Sed hoc gravius et prorsus infandum est, quod ad libidinem eos flagitant, atque hoc faciunt viri civitatis, non leves ex plebe homines, mercenarii, servi, inquilini, sed praecipui cives, quorum erat tueri alios, et punire similia flagitia in aliis.

Pertinet igitur hoc quoque eo, ut intelligas non fuisse decem iustos in civitate. Hi enim cives erant primo loco, habebant uxores, habebant liberos et familias, has gubernare debebant, et adsuefacere ad disciplinam

---

22 diu *G. H. I. K. Erl.*] *wohl* die

[1]) *Luther übersetzt die Stelle:* Wes das Herz vol ist, des gehet der Mund uber. *Vgl. dazu: Sendbrief vom Dolmetschen und Fürbitte der Heiligen Erl. Ausg. 65, 102 ff.*

et pudicitiam, sed quid ipsi designant? quid tentant? idque in publico, et contra hospites innocentes?

Repetit autem Moses et dicit, viri Sodom hoc fecerunt, quae caput fuit totius regionis, atque ideo exemplo esse debebat vicinis civitatibus. Ita enim fit, Minores respublicae ad maiorum exempla se comparant, sed quid de illis quatuor inferioribus iudicabimus, cum tantum vitii in praecipua, quae ceu gubernatrix aliarum fuit, conspiciatur? Nam audi porro Mosen.

Circumdant domum, non mittunt apparitores, seu lictores ad domum Loth exploraturos, qui hospites sint, qui advenerint, nec ipsi exploratum veniunt. Sed domum circum circa cingunt minitantes hostile aliquid. Hebraeum verbum hoc loco passivum est, significatio autem eius nota est
Ier. 31, 22 vel ex illo Ieremiae loco capite 31.: 'In illo tempore circumdabit mulier virum'. Significat enim circum circa cingere, sicut circulus complectitur vas undique. Ita cinxerunt domum Lothi, ex omnibus angulis et plateis ad eam concurrentes.

Haec circumstantia facit, ut credam festum tum fuisse diem, et convivia agitata per urbem, tota enim civitas insaniit, etsi enim non omnes perpetrare facinus voluerunt, tamen omnes fuerunt in studio, ac delectati sunt hoc civium furore contra hospites. Pari autem loco sunt faciens et consentiens.

Porro inter ista quatuor membra durissimum est, quod sequitur: 'a puero usque ad senem'. (*NAAR*) est aetatis nomen, ac fere eo utuntur Hebraei, cum de servis et ancillis loquuntur. Significat enim eos, qui 20. 24. 26, annum attigerunt, iam per aetatem ad serviendum utiles, ac qui iam sentiunt aestus carnis, hi omnes se associant civibus, Regi, consiliariis, senatoribus, optimatibus, etiam senes adsunt, in quibus vel mortua Venus, vel qui saltem compescere furorem reliquorum canitie et autoritate poterant: et, ut clarius rem intelligas, omnis populus simul ex omnibus civitatis angulis accurrit. Non quidem potuerunt omnes perpetrare facinus hoc, sed et delectati sunt facto, et consenserunt.

Quid autem putabimus cogitasse in hoc totius civitatis furore pium Loth, cuius unius domus petebatur ab omnibus? Unus enim timebat Deum. et domi suae disciplinam ac castitatem, quam poterat diligentissime, tuebatur, reliquis libere et sine pudore indulgentibus adulteriis, stupris, mollicici. incestibus etiam, adeo ut non peccata, sed ludus aliquis haberentur: quemadmodum hodie inter nobiles et in inferiore Germania fornicatio pro ludo habetur, non pro peccato, itaque etiam sine omni poena est.

Et in Italia primum, deinde a quibusdam Canonicis in Germania disputatum est, simplicem fornicationem soluti cum soluta non esse peccatum, sed naturae purgationem quaerentis exitum. Honor sit auribus innocentibus,

22 (*NAAR*)] נַעַר

non enim libenter haec tracto, et tamen cavendum nobis est, ne tales scandalosi sermones incautam et alioqui pronam ad peccatum aetatem abripiant ac evertant. Ubi enim sic vivitur et docetur, ac vicia in mores abeunt, ibi, inquit graviter Seneca[1], remedii locus non est.

Vos Pauli sententias vobis proponite, et ex illis iudicate: 'Fornicarios et adulteros iudicabit Deus'. 'Nolite decipi, fornicarii et adulteri regnum Dei non possidebunt.' Et Ebraeorum 11.: 'Sine castitate nemo Deo placebit'. Hebr. 13, 4 1. Kor. 6, 9 Hebr. 11, 6

Vidi ego Romae tanquam sanctos adoratos quosdam Cardinales, qui consuetudine mulierum fuerunt contenti. Non igitur ibi occulte nec privatim, sed publice infanda flagitia committuntur, exemplo et authoritate principum et totius civitatis. Hic quis remedii potest locus esse? aut quis arguet tales? qui peccata pro laudatis moribus habent? et cum laude ea putant exerceri? Ad hos si compares illos, qui etsi peccant, tamen clam peccatum habent, et pudore suffunduntur, dices tolerabiles esse peccatores: sicut proverbium Germanicum dicit de Nemine[2]: Nemo etsi peccet, tamen tolerabiliter peccat. Habet enim timorem et pudorem saltem crassum et servilem, quod nollet vulgari peccatum suum. Tales Sodomitae non erant, itaque desperata apud eos erant omnia, nec relinquebatur remedio locus. Sed necesse erat Dominum de coelo descendere et punire.

Etsi autem horribile est experiri et videre, quanta sit potentia Satanae, postquam homo semel a timore Dei deflexit. Non enim cessat impellere de peccato in peccatum, tamen utiliter haec cogitantur, et ad orationem invitant. Imo etiam commendant nobis curam coelestis Patris de nobis, admonentis et quasi in viam revocantis nos per patrum flagellum, quod hoc modo dulcescit, cum cogitas, quid soleat homo sibi relictus et indulgens libere peccato.

Sodomitarum singularis enormitas est, discedentium a naturali ardore et desyderio, quod divinitus implantatum est in naturam, ut masculus ardeat in foeminam, et appetentium, quod contra naturam poenitus est, unde haec est perversitas? sine dubio ex Satana, qui, postquam a timore Dei semel deflexum est, tam premit naturam valide, ut extinguat naturalem concupiscentiam, et excitet eam, quae contra naturam est.

Moses peccatum hoc valde exaggerat, cum addit horribilem istam vocem, et in auribus omnium sanorum hominum intollerabilem: 'Educ viros istos, ut eos cognoscamus'. Hoc clamat non unus et alter, sed tota civitas, iuniores cum senibus, etiam ipse magistratus. Disce igitur, quid Propheta Esaias velit, cum dicit de suo populo: 'sicut Sodoma praedicaverunt Isa. 3, 9

25 patrum *G. H.*] patrium *I. K. Erl.*

[1]) *Seneca, Epistolae 39.* [2]) *Nicht bei Thiele, Wander; doch vgl. Wander, Sünde 88: Geheime Sünde ist halb verziehen; ebs. 153.*

peccatum suum'. Non in ipsa domo tam infandam vocem edunt. Foris stant in publico, et publice Magistratus autoritate postulant educi Angelos duos. Non igitur hoc eiusmodi peccatum fuit, quod cuperent clam esse et coelari: Apparet publice fuisse morem, cuius neminem puduit.

Auget autem indignitatem, quod in hospites talia audent. Quid autem fecerunt aliae quatuor inferiores civitates et quasi discipulae, hoc cum Sodoma, princeps earum, faceret? Si igitur Dominus meritam poenam non adduxisset, paulatim dilapsa esset politia, nec potuisset consistere. Si enim vinculum coniugii tollas, et vagas libidines permittas, cum disciplina leges et honestas omnis intercidit. His autem sublatis non politia, sed mera bestialitas et feritas relinquitur. Itaque Dominus coactus est, ut poenam infligeret, et grassantem immodice furorem reprimeret, aliis in exemplum.

19, 6–8 **Et egressus ad eos Loth post tergum occlusit hostium, et dixit: Nolite, fratres mei, quaeso, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quae nondum cognoverunt virum, educam eas ad vos, et utimini eis, sicut vobis placuerit, dum modo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbram tecti mei.**

Omnia haec pertinent ad descriptionem incorrigibilis furoris, et peccati prorsus insanabilis: Bonus Loth conatur quidem per sanam doctrinam, et piam ac blandam admonitionem occurrere civium suorum furori: sed frustra, magis enim incenduntur. Vocat fratres, non, ut meriti erant, Tyrannos aut nebulones, et amicissime rogat, ut desistant a proposito, et in hospites non sint iniurii. Sed magis irritantur: quid igitur fecissent, si libere damnasset? Si Satanae mancipia, ut erant, et Dei hostes appellasset?

Spr. 15, 1 'Responsio mollis, inquit Salomo, frangit iram'. At horum tantus furor est, ut etiam incendantur magis. Nec satis est Lotho tentasse causam mollibus verbis, extrema tentat, et offert eis filias duas, tantum ut hospitum pudori consulat, et eos ab iniuria vindicet. Nec considerat periculum, in quod filias coniiciebat certissimum, quae iam desponsae erant maritis.

Vides igitur magnitudinem peccati Sodomitarum, quod nulla ratione potuit sanari. Verbum prorsus contempserunt: Remedia autem duo eaque maxima, quae in tanto periculo Loth adhibet, nempe verba blandissima, et quod filias suas furentibus libidine Sodomitis offert, ut eis pro voto abutantur, non solum frustra sunt, sed etiam augent furorem. Nihil enim respondent ad illud de puellis, sed, ut furiosi homines solent, sexum contemnunt, quasi dicant, puellas stuprare quotidianum ludicrum est. Igitur ad ipsum Loth convertuntur, et respondent ad eius concionem.

---

30 desponsae] *wohl* desponsatae *gemeint*

At illi dixerunt: Appropinqua illuc. 19, 9a

Hieronymus fecit recede, ac si iubeant eum discedere ex urbe, sed verisimilius est iussisse, ut rediret in domum, et hospites educeret.

Et rursus: Ingressus es, inquiunt, ut advena, nunquid iudicabis nos? te ergo ipsum magis, quam hos affligemus, vimque faciebant Loth vehementissime. 19, 9b

In summa nolunt corrigi, nolunt repraehendi. Fidunt potentia et multitudine sua, Lothum tanquam inquilinum contemnunt, non volunt ab eo vel iudicari, vel admoneri. Sicut Pontifex hodie cum suis solet, quia enim in illo dignitatis fastigio sedet, licere sibi putat, quod libet, et est impatiens omnis repraehensionis, seditiosos vocat, quos suae libidini obsistere videt, prorsus Sodomitarum similis. Sed ubi remediis locus nullus relinquitur, necessario sequitur interitus et exitium. Hactenus descripsit Moses peccatum Sodomae, nunc pergit describere poenam. Sed nos prius usitatas quaestiones agitabimus.

Quaeri primum solet, an omnes homines in quinque civitatibus tam fuerint perversi et mali, et quid sentiendum sit de mulieribus et virginibus, item de parvulis, qui nondum habent usum rationis. Sed nos differemus hanc quaestionem usque ad finem, et nunc de illa videbimus, qum Lyra et ante eum Augustinus tractarunt.

An recte fecerit Loth, quod propter hospites liberandos obtulerit filias, easque sponsas, ad stuprum. Magnum enim flagitium est, quod parens filias prostituit, easque sponsas, non ad simplex stuprum, sed ad adulterium, imo ad ipsam mortem. Et tamen videmus Lothum, qui hoc facit, talem virum esse, qui dignus est excipere hospitio Angelos, quod insigne testimonium est sanctitatis et pietatis.

Sicut autem merito praedicatur illa in hospites fides, ita quoque detestabilis est summa in filias impietas, quarum pudor parenti cum vitae suae periculo defendendus est.

Haec faciunt Augustinum dubium, ut nihil certi definiat. Speciem veri habet inter duo mala minus malum eligendum, quod vocat compensare flagitium. Quia enim aut hospitum aut filiarum pudor erat in discrimen adducendus, levius videbatur peccatum in filiabus. Alterum enim peccatum contra naturam erat, sed hanc sententiam evertit Apostolus, cum dicit: 'Mala non facienda, ut bona eveniant.' Et ipse Augustinus declinat in Röm. 3, 8 mitiorem sententiam, ac statuit singulari perturbatione animi ad hoc consilium Lothum decurrisse, sed perturbationem animi viciosam esse, non igitur imitandam, Ad hunc modum Augustinus se absolvit, ac relinquit auditorem dubium.

Lyra aliquanto liberius disputat, et quanquam sententiam Augustini de compensatione flagitiorum non probat, sicut nec probanda est: tamen duo adducit exempla, quae eam videntur comprobare.

Primo enim concessum fuit Iudaeis repudium, ad maius peccatum evitandum. Deinde in celebrioribus et frequentioribus civitatibus tolerantur lupanaria, ut hac occasione minus stuprorum et adulteriorum committatur. Igitur in hoc quoque casu licuisse Lotho, maius peccatum cavere, admittendo minus. Sed recte obiicit Lyra: In rebus corporalibus hoc licere, ut enim retineas centum aureos, recte decem perdis, ut totum corpus serves, recte digitum mox resecas, aut manum. Haec topica valet in corporalibus, ut ad vitandum maius malum, id quod minus malum est, deligas, sed in spiritualibus alia est ratio, nec sunt facienda mala, ut eveniant bona. Peccatum est occidere uxorem, sed si a caede per adulterium servare posses, neutiquam hoc faciendum esset, sicut Augustinus ne quidem mendatium committi vult ad praecavendum homicidium.

Quod autem attinet ad repudium Iudaicum, recte Lyra eos allegat, qui dicunt non Mosen ut legislatorem hoc permisisse sua authoritate, sed authoritate divina. Deum enim pro suo arbitrio posse iungere aut disiungere matrimonia. Sicut Iudaei Aegyptiorum opes divina authoritate rapiebant, nec tamen peccabant.

Exemplum de lupanaribus, quae tolerantur in magnis civitatibus, indignum est, de quo disputetur. Nam manifeste pugnat cum lege Dei, et gentiles habendi sunt, qui turpitudinem hanc publice tolerant. Frivolum enim est, quod iudicant hac ratione minui stupra et adulteria. Nam adolescens, qui cum meretricibus consuescit, is data occasione, cum pudorem semel proiecerit, non abstinebit neque a maritatis, nec a virginibus. Augetur igitur magis, quam sanatur libido hac ratione. et fit illis autoritas peccandi, qui alias, hac occasione praecisa, continerent. Sunt enim alia et meliora remedia ostensa, et praecepta divinitus, nempe coniugium. Ethnicus igitur Magistratus iudicandus est, qui lupanaria tolerat. Pius enim Magistratus non debet tolerare scortationem, praesertim manifesta licentia. Nam etiam invitis et prohibentibus magistratibus, tamen hoc malum grassatur, nec potest penitus tolli.

Sed ad principalem quaestionem redeo, an possit excusari Loth. Lyra igitur concludit, peccasse quidem mortaliter: Quia tamen hoc peccatum ex perturbatione animi accidit, exoneratum esse a tanto, licet non a toto. Sic loquuti sunt in scholis, cum vellent significare levius peccatum. Nos rectius fecerimus, si de talibus casibus sobrie disputaverimus. Quae enim nobis causa, ut tam solicite de sanctorum peccatis excusandis laboremus? Fuerunt homines, igitur periculis perturbati potuerunt nonnunquam falli

---

1 aliquanto *G. H.*] aliquando *I. K. Erl.*

et errare, et tamen, quod ad praesentem historiam attinet, excuso Lothum, ac sentio sine peccato hoc consilio usum. Non enim cogitavit de filiabus periculo exponendis, quas norat a furiosis non expeti, sed hanc viam mitigandae irae fore speravit. Est igitur ceu hyperbole iudicanda haec oratio.

Caeterum, ut ut sit, regula tenenda est, quod sanctorum facta non imitanda, nec trahenda sunt in exemplum. Non enim sequitur: Abraham, Augustinus, Petrus hoc fecit, ergo mihi quoque faciendum est. Haec autem consequentia valet: Deus hoc dicit et iubet, ergo faciendum est. Verbum enim est regula certa, quae fallere non potest. Sic Iure consulti quoque dicunt, factum non esse ius, sicut nec ius est factum. Tanto autem difficilior de factis alienis diiudicatio est, quod nos tantum, quid in speciem fiat, videmus, cor non videmus.

Lothum Deo charum et sanctum hominem fuisse certum est, alioqui cum Sodomitis perire eum necesse fuisset. Offert autem filias spe liberandorum hospitum. Sed quo animo obtulerit, non vides. Quid si plenus fide in Deum hoc certo sibi persuasit, Deum discussurum periculum omne, ne quid patiantur filiae, et simul spem esse liberandorum hospitum? Hoc certe cor non facile damnabis, in praesentissimo periculo respiciens ad bonitatem et omnipotentiam Dei. Quis autem dubitabit, quin addiderit vota et gemitus pro defensione suorum? et tamen praesens periculum ad hoc medium eum compellebat.

Etsi igitur non defendo Lothum, homo enim fuit, et humani aliquid potuit pati, ac nudum factum tantum, non ipsum cor nobis patet, tamen circumstantiae me cogunt, ut statuam factum Loth esse inculpabile. Neque tamen ex hoc sequitur, quod imitandum aut in exemplum trahendum sit, quasi liceat minus peccatum admittere, ut vites maius peccatum. Quae enim extra legem fiunt, non sunt trahenda in legem, sed aestimanda tanquam miracula, ex quibus certe nemo debet facere regulam aut ius. Ac praecipue in Ecclesia Doctores hoc conari debent, certa ut doceant. Non igitur exempla, sed regulam debent proponere. Tu non es Loth, non es Abraham, igitur quod Loth, quod Abraham fecit, imitari non debes.

Sicut seditiosus Monetarius rusticis suis proponebat exemplum Davidis pugnantis contra Syros, ac iubebat, ut eodem modo ipsi quoque pugnarent contra nobilitatem. Hoc est exemplum transferre in ius, et ex facto regulam facere, id nunquam abit sine certo periculo, et est ratio, quia discedere a regula et nudo facto niti, est Deum tentare. Qui igitur non vocantur certo mandato extra regulam, ut sint viri miraculosi (ut sic dicam) hi se intra regulam contineant, et non impingent, nec errabunt. Sed Loth, Abraham et similes sunt miraculosi viri, quorum spiritus rapitur extra legem, extra exemplum et consequentiam. Habent enim singularem vocationem et impetum, quem tu non habes.

Memineris igitur, cum tales historiae proponuntur, ne exempla seu facta, sed legem et regulam urgeas. Quid Loth fecerit, ad te nihil pertinet.
Röm. 14, 4 'Quid enim tu iudicas alienum servum'? Lex autem ad te pertinet, ut tu in pietate educas uxorem et liberos, et caveas, ne fias eis causa peccati. Si periculum imminet, et servare pudorem earum potes, ne prostituas, nec te exemplo Loth excuses. Tu enim non es Loth, et quia discedis a regula, tentas Deum. Non enim tibi datum est a regula discedere, et sequi aliorum exempla et miraculosa facta.

Abraham occidit quatuor reges in Aegypto, bis uxorem exponit in periculum pudicitiae. Loth offert filias ad stuprum, cur hoc faciant, nihil ad te. Voluit enim Deus per hoc ostendere suam sapientiam et potentiam.

Mirari igitur ea possum, sed non imitari. Sicut miramur Petrum ambulantem in mari: Christum et Mosen quadraginta diebus ieiunantem, non autem imitamur. Quae enim in Sanctis pugnant contra legem et regulam, miracula sunt, et a nobis fieri non possunt, quae autem ab eis facta excusari non possunt: sicut concubitus Loth cum filiabus, ea sunt peccata, et a nobis fieri non debent. Non autem rarum est, quod sancti
Spr. 24, 16 labuntur et cadunt. 'Sexies in die cadit iustus' dicit scriptura. Quia enim nostro exemplo habent carnem peccatricem, nihil mirum est, si nonnunquam cadunt. Sed ubi possunt excusari, glorificemus Deum. Ad hunc modum iudico, quod Loth sit miraculum divinum, in quo Deus voluit ostendere suam sapientiam et potentiam.

Cum igitur scriptura proponat facta et iura, exempla et regulas, miracula et praecepta seu legem: docenda et spectanda sunt ius, regula, lex. Grammaticus si ponit hanc regulam: Omne nomen in a est foeminini generis, vocabulum poëma est quasi miraculum collatum ad hanc regulam: est enim neutrum. Sic in iure quaerenda est *Epykia,* ea est miraculum Iuristarum, quia discedit a regula. Verum enim est, quod summum ius est summa iniuria.[1] Sic medici habent suos Canones, sed quoties accidentia cogunt, ut ab eis discedant, et contrariam sanandi rationem instituant? Imperiti igitur Iuristae et Medici, qui simpliciter urgent regulam sine accidentium consideratione, sunt sicut in Theologia iustitiarii, qui gubernant rigide totum mundum, sed cum ingenti damno rerum, corporum et salutis.

Sunt quidem docendae regulae et tenendae, sed Deus ut ostendat potentiam et sapientiam suam, multa facit contra regulam per homines Heroicos, quos ipse singulariter vocat, quanquam rari et pauci sunt. Reliqui arte et regula utantur necesse est, quod si heroicos illos, qui a regula

4 educas *G. H.*] educes *I. K. Erl.*

[1]) *Cicero, de officiis 1, 10, 33. Hieronymus, epistolae 1, 14.*

discedunt, imitari volent, turpiter impingent. Laudantur igitur talia, quia ab heroicis et miraculosis fiunt, sed nemo ea foeliciter potest imitari. Perinde ut cum robustus aliquis et agilis transilit fossam vel rivum: At in quo nec robur, nec agilitas est, is arte utitur, nititur Scipione, et sic, quod natura non potest, arte perficit. Sed redeamus ad Mosen.

Iamque prope erat, ut effringerentur fores, et ecce miserunt manum suam viri, et introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium, et eos, qui foris erant, percusserunt coecitate, a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. 19, 9c—11

Furiosi Sodomitae conabantur iam effringere fores, tempus igitur erat, ut ipsi hospites se tuerentur, et tam liberali ac fideli hospiti redderent beneficium tentanti omnia, quae ad ipsorum salutem commoda videbantur. Nam Loth nesciebat esse Angelos, sanctos existimabat homines esse, qui visitarent Ecclesias, et verbum passim docerent. Itaque in eis adorabat Deum, et sancte colebat eos tanquam divinitus missos hospites. Ac fert huius pietatis amplissimum praemium cum tota sua domo. Primum enim defenditur a furiosis hominibus. Angeli enim eos coecitate percutiunt tali, sicut Lyra quoque annotat, ut prorsus nihil videant, sed *ἀκρισίᾳ*, ut, etsi viderent, tamen iudicare, quod viderent, non possent: Sicut ebrius oculos apertos habet et videt, sed sine iudicio: non enim agnoscit, quae videt

Id Hebraei proprie vocant (*Sanuerim*) videbant Sodomitae fores. sed errabant iuditio, et putabant esse parietem. Contra parietes iudicabant, fores esse. Haec est coecitas non naturalis, sed miraculosa, et cordis, quam *ἀκρισίαν*, Item *ἀορισίαν*, privationem actus, non habitus vocant. Sic Syri non viderunt Helisaeum cum servo, Iudaei non viderunt Christum in templo. Ac Deus saepe tali miraculo utitur, ut suos, quos defendere vult, etiam videntibus hostibus eripiat. Vocant autem hoc privari actu, non habitu videndi. Adimitur enim actualis visus. Sicut in Euangelio dicitur: 'Oculi eorum tenebantur, ne cum agnoscerent'. Sic Magdalena Christum iudicabat hortulanum esse. Syri non videbant se seduci in Samariam, etsi caetera omnia viderent. Sic Sodomitae effracturi fores percussi sunt ab Angelis coecitate, ut disparuerit eis ianua et fenestrae. Sic multi omnibus temporibus miraculose liberati sunt, ut illusis quasi oculis hostium evaderent. Luc. 24, 16

Observandum autem hic discrimen est, Syri a Propheta coecitate percussi, cum sentiunt manum Domini, emendantur. At Sodomitae sentientes manum Domini non emendantur, Erant enim coeci tota nocte, nec prius desinunt quaerere fores, quam poenitus defatigati et delassati sunt. Hic quid animi fuisse Lotho censes, sedenti tota nocte, et omni momento

---

17 Hinter percutiunt *wohl* non *zu ergänzen.* *21* (*Sanuerim*)] סַנְוֵרִים

expectanti irruptionem civium? sine dubio autem crexerunt eum Angeli, frustra fore conatum hunc. Insomnem itaque totam noctem transegerunt in curis et lachrymis, praesertim uxor Lothi et filiae.

At Sodomitae sentientes se coecitate percussos, neutiquam id accipiunt tanquam poenam inflictam a Domino, Magicum quiddam esse suspicantur, et a Satana fascinatos se iudicant. Ita enim semper evenit, impii obstinatissimi sunt, et se in sinu Dei foveri statuunt. Contra pii pavent, et metuunt iram Dei. Non statuunt, flagellum immitti a Satana. Sed ab irato Deo, ideo ad folii volantis sonitum expavescunt, et omnia tuta timent. Hoc cogitare non possunt, quod impii cogitant, Diabolum istarum calamitatum autorem esse, sicut revera est. Non enim Deus pios affligit, sed permittit, ut Diabolus id faciat, sicut videmus in Iobo, eius liberi occiduntur igni, et tempestatibus pecora, non Deo succensente ipsi, sed Satana.

Debebamus igitur nos quoque ingruente peste et aliis calamitatibus dicere Satanae ea esse opera, Satanam furere et irasci. Deum autem esse misericordem, et favere nobis, quia credimus in eius filium.

Atque hac ratione sancti martyres vicerunt mortem et pericula omnia. Deum enim statuerunt sibi propitium esse, tormenta autem et afflictiones iudicaverunt magica et diabolica esse, permissa a Deo ad tentandam fidem. Itaque etiam gavisi sunt in malis, et insultaverunt Satanae. Idem nos quoque debebamus facere, sed infirmitate vincimur plerunque, Sicut etiam magnorum sanctorum exempla testantur. Nam Paulus quoque pavoribus
Apg. 28, 15 occupatur, et recipit animum visis fratribus, Actorum 28. Talis pavor non sentitur ab impiis. Securi enim sunt de Dei favore. Itaque etsi aliquid eis incommodi obiicitur, secure id Satanae imputant.

Sic Sodomitae caecitate percussi, sentiunt, quid passi sint, sed non accipiunt tanquam poenam inflictam divinitus. Incantatos se et fascinatos a Lotho sentiunt. Hoc si nos possemus facere, et imitari in hac parte impios, essemus beati, et tamen huc vocant nos infinitae promissiones et certissimae.

Diligenter autem inculcanda sunt haec et docenda, ne in tentationibus indulgeamus carni, seu rationi nostrae, posthabito verbo. Non enim Deus est, qui te vexat, si in Christum credis, sed Diabolus, Is odit te, is occasiones tribulandi te quaerit. Sed inquies: Agnosco me esse peccatorem, ergo non sum Christianus, ergo, si quid mali immittitur, a Deo irato immittitur. Sed consequentia haec falsa est, Christiani enim sunt, qui remissionem peccatorum credunt. Si igitur in Christum credis, si eius verbum libenter audis et fide amplecteris, es verus Christianus, nec obstant peccata tua. Igitur si quid tibi accidit adversi, fortiter conclude, id esse ex Diabolo, nec ideo Deum abs te alienum esse, nisi quatenus id facit permissione seu tentatione, ut tentet fidem tuam in tuum commodum.

Hoc disce ab adversariis tuis et Dei, ad hos cum proprie pertineant comminationes, eas non agnoscunt, sed arripiunt promissiones, iis se consolantur: Hoc tu quoque fac. Turpe enim est te esse imperitum verae doctrinae, quam profiteris. Tu times Deum, et credis in Deum, non igitur lex, sed Euangelion ad te pertinet. At tu Euangelion relinquis, et arripis legem, quae non ad te, sed ad duros et securos pertinet.

Haec est spiritualis infirmitas, de qua omnes sancti conqueruntur: Utilis tamen est ad deprimendam superbiam, ne simus fidentes in nobis: sed ut humiliemur, et discamus confidere tantum in gratia, quam Deus nobis offert in filio suo. Certissime enim verum est, quod Deus nobis non irascitur, alioqui enim non daret nobis excellentissimam cognitionem filii sui. Item, non donaret spiritum sanctum, cuius primitias accepimus, Ideo et confitemur Dei filium, nec blasphemamus eum sicut Papistae, et resistimus aliquo usque peccato. optandum igitur esset, nos in hoc Sodomitarum similes esse, ut ipsorum exemplo rideremus, et pro ludo haberemus furias Satanae. Constanter autem statueremus, sicut revera est, nos, qui in Christum credimus a Deo diligi et custodiri.

Quod translatio nostra habet: 'Ita ut ostium non possent invenire', in Hebraeo est: fatigati sunt, et tamen ostium non invenerunt. (*Leu.*) Notum verbum est, unde *lea* dicitur, lassa, infirma, deficiens, quae non videbatur vivere posse prae imbecillitate. Pertinet igitur particula haec ad descriptionem incorrigibilis pertinatiae, quod non cessaverunt, ut percussi sunt caecitate. Sed continuaverunt coeptum quaerendi laborem, donec lassitudine coacti deficerent, et, sicut fatigati solent, somno opprimerentur.

Et dixerunt viri illi ad Loth, eos, quos adhuc hic habes, gene- 19, 12. 13
rum, filios tuos et filias tuas, sed et omnia, quae habes in civitate, educ de loco isto. Nam nos perdemus locum istum, eo quod magnus sit clamor eorum coram DOMINO, misitque nos DOMINUS, ut perdamus eum.

Disputatur hic ex grammatica, an Loth habuerit plures tum filios, tum filias. Siquidem Angeli dicunt, ut, si quos praeterea in civitate habeat, eos secum educat, et infra tantum duarum filiarum mentio fit. Ego Lyrae sententiam sequor, quod Angeli humano more, seu, ut homines solent, loquantur, quasi nesciant, an Loth praeterea alios domesticos seu familiares habeat. Nam supra de Loth dictum est, habuisse eum pecora, et pastores multos: Ita ut cum Abrahamo habitare non posset.

Nascitur autem hic alia quaestio, ubi pecora, ubi pastores isti manserint. Nam sequens historia nihil de iis ostendit. Ego sane historiam

---

19 (Leu.)] לְאֵי *20 lea*] לֵאָה

hanc mirabilem iudicare non possum, nisi forte, ut verisimile est, pastores et pecora extra urbem in agro et tuto aliquo loco fuerint. Nam quod quidam existimant, Loth coactum egestate vendidisse pecora, et dimisisse familiam, non solum non probabile, sed etiam contumeliosum est. Sin autem in Urbe fuerunt, valde horribile est, quod etiam servi in domo Loth fuerint contra suum dominum, in eandem securitatem impliciti, in qua tota civitas impia vixit. Sed relinquamus haec in medio, siquidem scriptura nullam mentionem facit, et clare dicit, tantum quatuor animas servatas. Quanquam tandem etiam uxor Loth in itinere perit, et tantum pater cum duabus filiabus salvatur.

Memorabile autem exemplum est insignis malitiae, quod pius paterfamilias nec unum pastorem, nec unam ancillam in vocatione potuit retinere. Decepit omnes maximum illud scandalum, quod herus solus contra se haberet totam civitatem, sic igitur cogitaverunt, noster herus simplex et bonus vir est, passim excipit, quicunque huc veniunt hospites, et tamen, ut solet mundus, saepe ei mala redditur gratia: Sic nunc sua simplicitate attraxit sibi malum, quod hosce hospites contra ipsorum voluntatem apud se retinuerit etc. Hoc enim regulare est, quod sancti iudicentur a mundo stulti esse, et multa stulte agere. Cum igitur contionaretur de futura paena, et cuperet servare familiam, tanquam delirum senem et ridicule credulum dimiserunt. Haec sententia mihi magis arridet, et exempla docent, sic fere solere familiam, praesertim in periculis, quae ostendunt, qui veri, qui fucati sunt amici.

Notabitis hoc in loco verbum *(JAZA)* quod interpres vertit: 'educ', est enim illud ipsum verbum, quo supra de Melchisedech in historia Abrahae Moses usus est, quod panem et vinum protulerit. Nam Papistae corrumpunt eum locum, et interpraetantur de oblatione seu sacrificio, cum verbum hoc aliud nihil significet, quam quod Melchisedec protulerit inmedium panem et vinum, excepturus hoc munere hospitem victorem. Itaque pertinaces impii sacrificii patroni non a Theologo tantum, qui ipsas res tractat, sed a Grammatico refutantur, tam enim ineptum est, si in historia Melchisedec verbum, *Jaza*, pro offerre exponas, atque hoc in loco contendas iussum Loth ab Angelis offerre omnia sua.

19, 14 Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, dicens: Surgite, egredimini de loco isto, quia subvertit DOMINUS istam civitatem. Sed fuit in oculis generorum suorum quasi ludens.

Postquam quaerendo defatigati Sodomitae somno oppressi sunt, egreditur Loth, sic iussus ab Angelis, ad generos, quibus elocaturus erat

24 (JAZA)] יצא *36* subvertit *G. H.*] subvertet *I. K. Erl. [vgl. unten S. 69 Z. 38:* perdet*].*

filias, monendos, sibi ut caverent, et imminens exitium effugerent, sed videntur hi quoque ex pridiana crapula laborare, siquidem bonum senem etiam rident. Quid? cogitarunt, huncne locum ita subito perderet Dominus? quam stulte credulus es, qui hospitibus istis, seu potius impostoribus credis: tale aliquid si immineret, profecto apparerent quaedam argumenta futurae ruinae: nunc autem omnia laeta et tranquilla sunt, et tu somnias exitium etc.

Sic semper accidit: Mundus quanto exitio propior, tanto securior est, ac ridet non tantum minas, sed prorsus impossibile esse credit, ut tam subito pereant. Monet Noe de futuro deluvio, et revocat suos cives ad poenitentiam: sed ridetur, et senio delirare creditur. Nos quoque contionamur de filio Dei, venturo ad iuditium, et aeternis flammis subiecturo impios. Sed haec cum vel legit vel audit Papa cum suis cardinalibus, rident tanquam in re impossibili. Quid, inquiunt, si coelum ruat?

Sicut narratur historia de Leone Pontifice, quod adhibuerit aliquando ad mensam duos Philosophos, quorum alter de immortalitate animae, alter de mortalitate disputaret. Cumque post longam et acrem concertationem Pontifici, ut uter rectius dixisset, pronunciandum esset: Tu, inquit ad illum, qui immortalitatem animarum defenderat: Vera quidem videris dicere, sed adversarii tui oratio facit bonum vultum. Sic Epicuraei solent, amplectuntur carni et rationi consentanea contra manifestam veritatem.

Sed nos comminationes non negligamus, neque contemnamus. Recte enim Lyra dicit significari per generos Loth illos, qui cum audiunt comminationem iuditii divini, rident et dicunt Truffam esse.

Sed, inquies, tales si fuerunt generi Loth, cur pius senex elocavit eis filias? Nam parenti prima debet cura esse, ut piorum affinitatem quaerat, nec ex se natos coniungat cum impiis. Respondeo. Habuit Loth Ecclesiolam, quam docuit, et in qua cognitionem Dei veram propagavit, in ea sine dubio eius generi quoque fuerunt. Itaque Loth iudicavit bonos et sanctos esse: corda enim inspicere non potuit, sed fuerunt Hipocrytae, qui pietatem ad tempus simularunt: nunc autem aperiunt se, dum verbum rident, et ridentes pereunt. Non enim credunt, serio loqui senem Loth, sed tanquam insanum ludunt et rident.

Memorabilis profecto historia, praedicanda in Ecclesia Dei saepe, quantumcunque simus iustificati, ne in Antinomorum insaniam incidamus, qui legem ex Ecclesia tollunt, quasi vero in Ecclesia omnes sint sancti, nec opus sit talibus exemplis irae divinae. Mundus quidem tales Doctores amat, sicut apud Ieremiam dicunt: 'loquere nobis placentia'. Sed divus Paulus Rom[anorum 16. non vult suavibus sermonibus seduci Ecclesiam, argu- Röm. 16, 18
enda enim sunt peccata, et proponenda ira Dei propter incredulos, qui in

18 ut uter *G. H. I.*] uter *K. Erl.*

Ecclesia sunt. imo etiam propter credentes, ne adhaerescenti peccato et innatae imbecillitati indulgeant. Sic ipse Christus, etsi suavissime invitat ad se peccatores, tamen impoenitentibus Pharisaeis subinde occinit horribile vae.

Sed hic, quod pene oblitus eram, etiam de Angelis dicendum est, qui quasi gloriantur, quod sint missi ad perdendas civitates. 'Nos, inquiunt, perdemus locum istum'. Item: 'misit nos Dominus, ut perdamus istum'. Hoc perinde est, ac si glorientur se esse carnifices, Dei perditores et vastatores.

Pertinet autem hoc ad descriptionem offitii et potentiae Angelorum. Nam Helias, Helisaeus et alii, sicut Hebraeorum undecimo est, etiam faciunt miracula grandia, sed non propria virtute. Oportet accedat oratio et fides, ad haec, tanquam ad causam, sine qua non, ut Philosophi appellant, Apg. 3, 6 sequuntur miracula. Sic Petrus orat, et in fide Christi iubet claudum surgere, sed angeli sunt potentes, ut faciant mirabilia sua virtute concreata ipsis.

Omnino enim hoc verum est, quod Deus mundum hunc visibilem gubernat non tantum per homines, sed etiam per Angelos. Posset quidem occidere fures sine carnificis opera, et sine Magistratus civilis sententia: sicut nonnunquam facit, praesertim cum homicidis. Sic posset homines creare sine coniunctione maris et foeminae, sicut creavit Adam et Euam: sed divinae maiestati placuit hominum ministerio et opera uti: Ut scilicet ostenderet mirabilem et divinam suam potentiam in creaturis suis, quas 1. Kor. 3, 9 non voluit esse ociosas. Ideo Paulus vocat nos omnes 'cooperarios Dei'. Utitur enim nostro ministerio ad varias res, sic etiam Angelorum ministerio utitur, quos instruxit tanta potentia, ut propria virtute seu concreata possint perdere terras et populos, si Deus sit apud eos.

Est autem haec magna gloria, tanta potentia instructos esse, nota enim est historia. Quod Angelus Domini una nocte et uno impetu sub rege Ezechia centena et octuaginta quinque milia Assyriorum occiderit. Matth. 26, 53 Et Christus praedicat Angelorum potentiam, cum ad Petrum dicit Matthaei 26. de duodecim legionibus. Cum unus Angelus ad vertendos et perdendos hostes Christi satis fuisset. Quin historia Hiob testatur etiam malos Angelos ingenti potentia instructos esse.

Utile autem est scire haec, ut et pii habeant consolationem: impii autem terrorem. Nos enim, qui credimus, debemus certi esse, quod proceres coelorum nobiscum sint: Non unus et alter, sed magna copia. Sicut apud Lucam est, coelestes exercitus apud Pastores fuisse. quod si absque hac custodia esset, et Dominus hoc modo Satanae furorem non arceret, non viveremus uno momento. Nam quid possit Sathan, et quid cupiat

4 vae] *οὐαί Erl.*

maxime, satis certum documentum ex Hiobis historia sumi potest, excitat tempestates, mittit fulmina, seu, ut scriptura loquitur, Ignem deiicit de coelo, immittit hostes, etiam ipsum corpus corrumpit, et replet ulceribus. Occupati igitur boni Angeli sunt, ne ferus hostis noceat, nec medicina, nec alia media per se valerent, nisi adessent Angeli, et quod nascentibus novis morbis nova remedia ostenduntur: non hominum ea industria est, sed Angelorum ministerium, qui artificum animos gubernant et impellunt, sicut Sathan etiam suos, teste Paulo gubernat et impellit. Eph. 2, 2

Quod igitur hoc in loco de bonis Angelis vastantibus et perdentibus terram dicit, eo pertinet: Ut primum discamus Deum timere, Siquidem habemus tam potentem adversarium Sathanam. Deinde, ut confidamus in bonitate Dei, qui tam excellentes proceres et duces nobis constituit, per quos suos sic potenter defendit. Quid per Turcam, per Pontificem Romanum, per fanaticos spiritus conficiat Sathan, non solum corpora infestans, sed etiam animas rapiens et retinens, 2. Timothei 2., nemo nescit. Sed consolatur nos haec Angelorum custodia, quam Deus voluit potentiorem esse Satana. 2. Tim. 2, 26

Admirabilis igitur haec Dei gubernatio est per creaturas, quod totum humanum genus expositum leonibus, lupis, draconibus et omnibus horribilibus ducibus Sathanae, qui instructi sunt, non tantum ut noceant gladio et pestibus et infinitis morbis: sed etiam omni genere haeresium: Tamen per Angelos, qui pro piis stant, defenditur. Sic scilicet Deo placuit, suam gloriam ostendere per creaturas, sed diverso modo: Helias enim iussit ignem de coelo cadere, ac paruit ignis verbo et fidei eius, sic iussit pluere coelum, sed non ea virtute, qua Angeli, qui propria virtute, seu dono concreato. Sancti fide et precibus obtinent, si quid tale faciunt.

Supra tractavimus quaestionem, quod Loth non peccaverit adorans Angelos. Pertinet autem ad eam quaestionem solvendam id, quod hic dicunt Angeli, se a Domino missos. Non igitur tanquam cum Angelis, sed tanquam cum Domino loquitur. Sicut etiam opera, quae iussu et mandato Domini fiunt, recte vocantur Dei opera. Itaque Christus quoque dicit: 'Qui vos audit, me audit'. Item: 'quicquid minimo ex meis fecistis, mihi fecistis'. Generalis enim hic Canon est, ut sive per homines, sive per Angelos aliquid boni fiat, a Domino id factum statuas, eique acceptum referas. Luk. 10, 16 Matth. 25, 40

Ac necessaria haec regula est, ne faciamus ex Mose Haereticum, et ex Loth idolatram, qui de creatura loquitur sicut de creatore: 'Dominus, inquit ad generos, perdet locum istum', cum Angeli dixissent, se locum istum perditurum. Respicit igitur Loth non ad personam Angelorum, sed ad Deum iubentem.

Simile est, quod in Euangelio Christus dicit: 'Non legistis, quod faciens ab initio masculum et foeminam fecit eos, et dixit: Propter hoc relinquet Matth. 19, 4. 5

homo patrem et matrem' etc. Quomodo conciliabimus hic Mosen cum Christo? Moses enim clarissimis verbis testatur, hanc Adae vocem esse. Et tamen Christus Deum sic dixisse affirmat.

Respondeo quod Adam dicit, dicit autoritate divina: ergo non ipsius hoc verbum, sed Dei est. Est igitur haec ingens gloria, qua nos ornat Maiestas divina, quod sic per nos operatur, ut nostrum verbum suum esse dicat, et nostras actiones suas, ita ut vere possis dicere. Os pii Doctoris esse os Dei, Manum, quam extendis ad sublevandam inopiam fratris, esse
1. Mose 4, 6 Dei manum. Sic cum Adam ad Cain dicit: 'Quare concidit vultus tuus?' Recte hoc verbum dicitur Dei verbum, etsi per os Adae dictum est.

Haeretici in hac parte valde errant, et connectunt inconsequentia, cum de verbo vocali et de Sacramentis disputant, Ac Deum prorsus nudant ministerio: qui enim verbum tollit, et id non accipit tanquam a Deo dictum, is tollit omnia. Aufer verbum de Baptismo, de Absolutione, de coena Domini, et nihil erunt.

Non solum stultum igitur, sed etiam impium Sacramentariorum argumentum est, quod dicunt externa nihil prodesse ad salutem, et postea
Joh. 6, 63 cumulant exempla et sententias scripturae: 'Caro non prodest quicquam' etc. Faciendum enim discrimen est inter externa, et non ita in genere omnia externa abiicienda sunt. Nam externa recte tum damnantur, quod ad salutem nihil prosunt, cum sunt humano arbitrio, seu potius temerarie sine verbo Dei instituta. Alioqui Deus vult per suarum creaturarum ministerium agere. Ideo ante omnia hoc considerandum est: an externa ista fiant secundum institutionem et voluntatem Dei, vel non. Si verbum seu institutio Dei non adest, tunc recte dicis externa nihil prodesse ad salutem, sed
Matth. 15, 9 etiam nocere. Sicut Christus Matthaei 15. dicit: 'frustra me colunt mandatis hominum'.

Sed si vides externa ista niti verbo, et divino mandato instituta esse, ibi genu flexo tacitus adora ista externa, et dic: hoc non iubet fieri meus Pastor, non Petrus, non Paulus, sed meus Pater in coelis, igitur in humilitate obediam, et credam obedientiam hanc profuturam ad salutem.

Haec distinctio admodum necessaria est, quam quia vel nesciunt, vel negligunt haeretici, in deformes errores incidunt. Non enim universaliter et absolute verum est, quod Suenckfeldius sic argumentatur: nullum externum prodest ad salutem, Baptismus, Praedicatio Euangelii, Coena Domini sunt externa. Ergo nihil ad salutem prosunt. Maior manifeste falsa est. Distinguendae enim res externae sunt. Aliae enim sunt merae humanae, et ab hominibus confictae, de his maior vera est. De iis autem, quae divinitus instituta et iussa sunt, Maior non est vera: nam nobis ad salutem
Mark. 16, 16 instituta sunt, sicut Christus de Baptismo dicit: 'qui crediderit et baptisatus
Röm. 10, 10 fuerit, salvus erit'. Et Paulus: 'Confessio fit ore ad salutem'.

Sic verbum vocale est quidem vox hominis, sed authoritate divina instituta ad salutem. Vult enim Deus gubernare mundum per Angelos et homines, creaturas suas, tanquam per sua ministeria, sicut lucem dat per solem, per lunam, etiam per ignem et candelas. Hic etiam poteras dicere, nulla externa res prodest: Sol est res externa: ergo nihil prodest, hoc est, non lucet, non calefacit etc. Tam fatuum argumentatorem quis ferret?

Manet igitur regula, de qua supra etiam dixi, quod Deus non amplius vult agere secundum extraordinariam, seu, ut Sophistae loquuntur, absolutam potestatem: sed per creaturas suas, quas non vult esse otiosas. Sic dat victum, non ut Iudaeis in deserto, cum coelitus daret Manna, sed per laborem, cum diligenter facimus opus vocationis nostrae, nec vult amplius homines ex gleba fingere, sicut Adamum, sed coniunctione maris et foeminae utitur, quibus benedicit. Hanc vocant Dei ordinatam potestatem, cum scilicet utitur ministerio vel Angelorum vel hominum. Sicut in Propheta Amos capite tertio notabilis sententia est: 'Deum nihil facere, quod non prius significet Prophetis suis.' Amos 3, 7

Si qua autem nonnunquam fiunt extra ministerium vel Angelorum, vel hominum: Ibi recte dixeris: Quae supra nos: nihil ad nos. Nobis enim ad ordinatam potestatem respiciendum, et ex ea iuditium sumendum est. Potest Deus salvare sine Baptismo, sicut credimus infantes, qui nonnunquam parentum negligentia, aut alio casu Baptismum non consequuntur, non ideo damnari, sed nobis in Ecclesia secundum ordinatam Dei potestatem iudicandum et docendum est, quod sine Baptismo illo externo nemo salvetur. Sic ordinata potentia Dei est, quod aqua humectat, ignis urit etc. Sed in Babylone in medio igni Danielis socii incolumes vivebant. Haec fuit potentia Dei absoluta, secundum quam tum agebat, sed secundum hanc nihil nos iubet. Vult enim nos facere secundum ordinatam potentiam.

Recitatur sententia Dionisii in scholis: Deum operari per essentiam: nos per qualitatem defluxam, sed haec quis intelliget? Qui autem illum Canonem, quem posuimus, recte tenet, is potest iudicare Papam et mundum in omni sua sapientia, quod scilicet Deus ordinate omnia agit per ministerium hominum. Nemo igitur consequetur salutem spiritualibus, ut vocant, speculationibus, sine externis rebus. Verbo attendendum est, Baptismus petendus. sumenda Eucharistia, absolutio requirenda. Haec quidem omnia externa sunt, sed in verbum inclusa. Igitur sine eis spiritus sanctus nihil operatur.

Ante hoc tempus, priusquam Deus lucem Euangelii ostenderet, multa scripta et dicta sunt de vita speculativa et activa: ac in monasteriis utriusque sexus, qui fere fuerunt optimi, occupati sunt hoc studio, ut offerrentur eis visiones et revelationes. Hinc etiam factum est, ut quidam omnia sua somnia annotarent: hi scilicet omnes expectaverunt illuminationes

singulares sine externis rebus: sed hoc quid aliud est, quam sine scalis velle ascendere in coelum? Igitur praestigiis diabolicis saepissime delusi sunt.

Recte igitur pater quidam in heremo iudicavit, cum enim videret monachos suos talibus speculationibus indulgere, monuit eos hoc verbo, ut abstinerent. Si, inquit, videris tibi ascendere in coelum, et iam unum pedem figere supra limen coeli, statim eum retrahe, nec sequaris altero pede. Hic damnavit speculationes, seu vitae genus speculativum, quod indocta et imperita posteritas tantis laudibus evexit. Qui enim recte speculari volet, intueatur Baptismum suum: legat Biblia sua, audiat conciones, honoret patrem et matrem, fratri laboranti subveniat, non concludat se, ut sordidum monachorum et monacharum vulgus solet, in angulum, et delectetur ibi suis devotionibus, ac sic putet se in Dei sinu sedere, et commertium habere cum Deo sine Christo, sine verbo, sine Sacramentis etc.

Qui tales sunt, contemptissime loquuntur de vita activa, ac mihi quidem magno constitit, donec ex hoc errore liberatus sum. Placet enim rationi, Kol. 2, 18 et, ut Paulus appellat, videtur esse Angelorum religio. Hypocrita Vuicelius, et blasphemus Apostata aliquando obiiciebat mihi, nos nimis externa docere, spiritualibus insistendum esse etc. Vult enim ratio ambulare in mirabilibus super se: sed vos cavebitis hos laqueos Sathanae, et aliam constituetis definitionem vitae speculativae, quam in monasteriis docuerunt. Nempe hanc: Vera vita speculativa est, audire et credere verbum vocale, ac nihil velle 1. Kor. 2, 2 scire, 'nisi Christum, eumque crucifixum'. Is solus cum verbo suo est obiectum speculationis utile et salutare, ab eo cave discedas, qui enim abiecta vel neglecta humanitate, seu carne Christi, de Deo, ut monachi solebant, et nunc Suenckfeldius et alii solent, speculantur, aut ad desperationem adiguntur, oppressi claritate Maiestatis, aut iubilant stulte, ac se in coelos positos somniant, decepti a Satana, talibus praestigiis animos ludente. Ac desperantibus quidem succurri potest, sed istis, qui ceu gaudio ebrii se in sinu Dei sedere putant, non item.

Gerson quoque scripsit de vita speculativa, ac ornat eam magnis titulis, ac imperiti cum legunt talia, amplectuntur ea pro divinis oraculis, sed revera, Ut in Proverbio dicitur: Thesaurus carbones.[1] Igitur seu externum, seu civilem te appellent vani speculatores isti, nihil te hic moveat, age tu Deo gratias pro verbo et externis istis, et relinque istas ampullosas speculationes aliis.

Ego legi tales libros cum magno studio, et vos quoque hortor, ut legatis: sed cum iudicio, nec nulla causa est, cur ego haec sic urgeam et inculcem, ut in ordinatam Dei potentiam et ministeria Dei intueamini:

[1]) *Phaedrus 5, 6, 6:* Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus. *Vgl. Otto a. a. O. S. 76.*

'nolumus enim agere cum Deo nudo, cuius viae sunt impervestigabiles, et abscondita iuditia', Romanos undecimo. Röm. 11, 33

Ordinatam potentiam, hoc est, filium incarnatum amplectemur, 'in quo reconditi sunt omnes thesauri divinitatis'. Ad puerum illum positum in gremio matris mariae, ad victimam illam pendentem in cruce nos conferemus, Ibi vere contemplabimur Deum, ibi in ipsum cor Dei introspiciemus, quod sit misericors, quod nolit mortem peccatoris: sed ut convertatur et vivat. Ex hac speculatione seu contemplatione nascitur vera pax, et verum gaudium cordis. Itaque Paulus dicit: 'Nihil iudico me scire praeter Christum' etc. Huic speculationi cum fructu vacamus. Kol. 2, 3 1. Kor. 2, 2

Illa autem unio animae et corporis, de qua Gerson magnifice disputat, saepe cum magno periculo est, et merum Sathanae ludibrium, qui tales devotiones in animis excitat.

Recitatur historia de quadam moniali, quae oblectata speculationibus suis, studiose a reliquis se separabat, ne impedirentur cogitationes. Haec cum videretur sibi aurea veste induta, et aurea corona ornata, atque ita ceu nuptiis sponsa laeta sederet et gauderet, reliquae moniales deprae-hendunt Satanae ludibrium: Vident enim coronae loco in capite stercus vaccinum, quod ipsa somniabat auream coronam esse. Sive hoc ita sit factum, sive non, tamen ostendit saepe homines suis speculationibus turpiter deceptos. Qui igitur securus in hac parte vult esse, fugiat tales speculationes, et magnifice sentiat de ministerio, per quod Deus nobiscum agit, et se quasi nobis conspiciendum praebet. Sed redeamus tandem ad historiam.

Et cum ascendisset aurora, urgebant Angeli Loth, dicentes: 19, 15
Surge, tolle uxorem tuam et duas filias tuas praesentes,
ne forte consumaris in peccato civitatis.

Hoc morale exemplum est, quo monemur de charitate: Cuius insigne exemplum Loth de se praebet: Invitus excedit urbe, non tam propter se, quam propter cives. Cupiebat enim saltem differri poenam, si avertere prorsus non posset. Atque ea causa est, quod nectit moras et cunctatur, imitatus exemplum Abrahae, qui etiam omnem movebat lapidem, si forte servare vicinos cives posset. Charitas enim eiusmodi est, ut doleat etiam in inimicorum periculis et malis. Quod ad ipsum Loth attinet, non dubitat de Angelorum verbis, sed iam in conspectu, quasi habet ardentem civitatem, igni coelitus demisso. Fides enim appraehendit verbum, et verbo credit: Ad eam postea accedit charitas, ut cogitet etiam de liberando proximo, oblitus omnium iniuriarum. Sed cum avertere malum non posset, dilationem cunctando quaerit, nobis in exemplum: ut etiam pro adversariorum salute simus solliciti, non tantum considerantes nostrum commodum, sed etiam aliorum.

2 Romanos] Romanorum *Erl.* 19 ipsa *G. H. I. K.*] ita *Erl.*

Videmus hodie impendere magnum et certum Germaniae malum, ac quo clamamus magis, et hortamur diligentius ad poenitentiam, eo adversarii nostri deteriores fiunt: quod si, ut debemus, increpamus eos, blasphemant, et saeviunt in nostrae Ecclesiae membra, et occidunt, quos possunt, simpliciter indomiti et urgentes suum et totius Germaniae exitium. Hic fides facit, quod suum est, statuimus enim, quod impossibile sit, ut Deus tantam blasphemiam diutius patiatur, et tamen charitas, cum poena averti non possit, orat, ut Deus eam differat, si forte aliqui adhuc convertantur.

Sic Ezechias audiens vaticinium de Babyloniis vastaturis Iudaeam, Jud. 22 f. orat, ut saltem pax fiat in suis diebus. Et in Epistola Iudae praecipitur, ut eripiamus alios tanquam ex ignis incendio. Oremus igitur nos quoque Dominum hodie, ut non inducat in tentationem, et nos eius iram si non retundere, tamen differre possimus, ut saltem aliqui ex futuro incendio eripiantur, quod propter peccata nostra toti Germaniae impendet.

De filiabus Loth quaeritur, an fuerint maritatae, sed in eo nihil positum est: sponsas fuisse fere iudicant. Illud igitur potius considerandum est, quod sanctae puellae, nihil motae scandalo sponsorum, patrem potius, quam sponsos sequuntur, qui piam senis admonitionem et curam secure ridebant.

Sed hic observanda singularis phrasis est, qua Moses utitur. Praecipiunt Angeli divina sententia ipsi Loth, ut egrediatur civitatem, et addunt severam comminationem: 'Ne et tu rapiaris in peccato, vel propter peccatum civitatis'. Diserte civitatis peccatum dicit, non peccatum hominum aliquorum, sed totius loci. Durum autem verbum hoc est, quo peccatum ita facit commune et vulgatum, ut appelletur non peccatum adolescentiae seu iuventutis, non virorum aut mulierum, non plebis aut Magistratus, sed totius civitatis: necesse igitur est tale fuisse peccatum, quod consentientibus Magistratibus et universis ordinibus hominum in ista civitate sit perpetratum, et publica licentia concessum, quod pariter omnes involvit, non solum facientes, sed etiam consentientes. Tale peccatum fuit Beniamitarum, qui foedum stuprum non solum non puniebant, vocatis authoribus sceleris ad poenam, sed etiam totam tribum compellebant ad defensionem. Talia peccata, quae ab ipso Magistratu defenduntur, qui punire debebat, properant poenam, itaque Beniamitae occidione occisi sunt, ut tantum sexcenti ex tam universa tribu superessent.

Instituit enim Deus tres ordines, quibus mandatum dedit, ne peccata sinant impune abire. Primus est parentum, qui domi suae disciplinam severe custodire debent in regenda familia et liberis. Secundus ordo est Politicus, Magistratus enim gladium gerit, ut contumaces et negligentes disciplinae vi cogant. Tertius est Ecclesiasticus, qui verbo gubernat. Sic adversus Diabolum, carnem et mundum munivit Deus genus humanum

hac triplici authoritate: in eum finem, ne scandala crescerent, sed praeciderentur. Parentes sunt ceu Paedagogi, hos qui adulti sunt, et negligunt, cohercet Magistratus per Carnificem. In Ecclesia qui contumaces sunt, excommunicantur.

Ita lucet ubique divina Maiestas, utens pro sua varia sapientia et infinita prudentia hominum ministerio. Qui si vocationem suam negligunt, et aut connivent ad scandala, aut non serio puniunt, alienum peccatum in se transferunt.

Peccatum filiorum si pater non repraehendat, fit proprium patris. Peccatum adulterorum, homicidarum, usurariorum sunt quidem propria civium, sed si Magistratus non puniat, sicut passim hodie fit, privata illa peccata singulorum fiunt peccata civitatis, seu publica peccata, quae publicae calamitates semper solent sequi. Recte enim dicunt leges, quod faciens et consentiens pari poena plectendi sunt. Sic si Episcopus videat errores, haereses, malos mores in Ecclesia, et non corripiat, nec excommunicet impoenitentes, seipsum constituit reum omnium istorum peccatorum. Sic Loth audit horribilem sententiam, nisi egrediatur, participem fore peccati civitatis, et periturum esse cum incredulis civibus.

Sic Moses, Numeri 16., cum seditiosos Datan, Abiron et Core Dominus puniturus esset: Clamat ad reliquos: 'separamini de medio impiorum, ne et vos absorbeamini'. Et cum immolarent vitulis, Exodi 32. Viginti tria millia a Levitis occisa sunt, alioqui, si hoc non esset factum, totus populus interemptus, et populo peccatum illud imputatum esset. Et in Iosua, postquam Rubenitae aedificassent altare, totus populus metuens poenam mittit legatos: 'Nos, inquiunt, nondum sumus purgati a peccato Balaam, et vos novum peccatum inducitis super nos'. Sentiunt enim et vident veram esse Ezechielis sententiam: 'si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat: Ipse quidem impius in iniquitate sua morietur, ego autem sanguinem eius requiram de tua manu'. Ezechielis tertio. 4. Mose 16, 24 2. Mose 32, 28 Hes. 3, 18

Porro hoc praeceptum de repraehendendis peccatis non solum ad doctores in Ecclesia et Magistratus in Republica pertinet: sed ad singulos cives et domesticos. Ioseph de fratrum peccatis referebat ad patrem, et accusabat eos. Sic cives inter se non debent dissimulare peccata aliorum, et in Ecclesia frater fratrem arguat, secundum Christi mandatum, ne alienis peccatis communicet. Ac in Politia non raro exempla sunt, quae ostendunt, quoties Magistratus aut sustinuit, aut defendit manifesta peccata, secutum esse exitium, et publicas calamitates horribiles. Fugere igitur tum necesse est, nisi velis alieni peccati particeps fieri, et poenam alieni peccati attrahere in tuum caput. Sic in Apocalypsi monemur, ut exeamus Babylone, et discedamus ab ea, hoc est, ut nos prorsus separemus ab Ecclesia Papae, nisi cum ea velimus etiam perire. Off. 18, 4

Quod ad ipsum Loth attinet, est homo sanctus et innocens, sine omni crimine, et tamen audit hanc comminationem: ‘Ne tu rapiaris’, non quidem propter tua peccata, nam Angeli ad te missi sunt, ut te servent, sed propter peccatum civitatis. Oportet igitur nos sive in Magistratu simus, sive privati unanimiter resistere peccatis, ne ira Dei super nos veniat, et absorbeamur omnes simul.

Recitatur in historiis Graecis de quodam Sybaritarum cive Amiri, cum vidisset servum ab hero ex ara protractum, confugere ad sepulchrum patris, et ibi herum motum religione paterni sepulchri servo parcere: Indignum ratus Amiris, maiorem religionem sepulchri, quam arae esse, venditis, quae habebat, omnibus migrasse ex opulenta et florente tum civitate Sybaritarum in Peloponesum, quod statueret certam poenam secuturam tales mores, ac insanire visus est suis civibus ob hoc factum. Sed ipse huius suae insaniae pulcherrimum tulit fructum: nam Sybaris paulo post deleta est. Observandum igitur hoc est, quod semper praevalentibus peccatis necesse est venire iram Dei. Qui igitur in offitio seu Magistratu sunt, faciant suum offitium, neque ad ullum scandalum, quantumvis exiguum, conniveant. Quod si praevaluerit iniquitas: fugiant, ne fiant participes alieni peccati.

Merito igitur Antinomos repraehendimus, qui affirmant comminationes legales in Ecclesia non habere locum: sed certum Dei mandatum est, quod peccata debent argui. Itaque nemo curet, quod veritas odium parit. Qui gerit gladium, severe in scandalorum authores animadvertat, nulla habita ratione civium, offendanturne an non. Sic Doctor in Ecclesia libere repraehendat, quae cum scandalo fiunt, et impoenitentes arceat a communione et aliis piis offitiis: non enim impiis contemptoribus Euangelium praedicandum est, sed afflictis, miseris et male habentibus, sicut apud
Jes. 60, 1 Esaiam est: ‘Spiritus sanctus super me, ad praedicandum afflictis misit me, ad medendum contritos corde’ etc. non ad consolandos superbos contemptores et praefractos, quorum semper maxima pars est. Sicut Christus in parabola de semine ostendit. Et nos hoc in loco audimus regulam, alienis peccatis non esse communicandum. Etsi enim Loth non fuit Magistratus, sed privatus civis et sine crimine: tamen, nisi fugisset, peccatum civitatis factum fuisset ipsius peccatum, et simul cum caeteris periisset.

19, 16 Et tardante illo appraehenderunt viri illi manum eius, et manum uxoris eius, atque manum duarum filiarum eius, parcente Domino illi, et eduxerunt eum posueruntque eum extra civitatem.

Habebat Loth mandatum divinum exeundi et deserendi civitatem istam, huic mandato debebat obedire. Deus enim cum loquitur, serio

loquitur, nec iocatur aut ludos agit, sicut nos homines solemus, qui saepe aliud loquimur, et aliud cogitamus, sed bonus senex vexatur ea tentatione, quae nos quoque omnes fatigat, sicut enim Sathan in Paradyso Euam perturbat iniecta quaestione: Cur, et quo consilio Deus prohibuerit pomi esum: Ita nos quoque nostra ratio impedit et decipit, ut non simus eo contenti, quod scimus Deum aliquid mandasse, sed stulte soliciti etiam volumus inquirere causas, cur mandarit. Hanc curiositatem Deus odit, nec vult nos esse, ut sic dicam, Curistas seu Quaristas, vult nos mandato suo simpliciter obedire, et hac una ratione contentos esse, quod ipse iusserit.

Patitur igitur Loth hoc in loco humanum aliquid, quod tardat, et moratur longius, ex bona, ut iudicabat, opinione. Fortasse cogitabat Dominum mitius acturum, et saltem parsurum innocenti aetati, sed tales cogitationes Deus noluit, simpliciter voluit, ut pareret suo mandato, et excederet civitate. Ideo Moses hoc in loco verbo quadrato seu geminato (*Mahmah*) utitur, quod ideo meo iuditio significat cunctari seu tardare, quod, qui cunctantur, secum disputant, seu deliberant. Sed Deus non potest hoc *Mahmah* tolerare, vel pati, qui enim iussus deliberat et cunctatur, Deum aut pro mendaci, aut pro ioculario Deo habet. Si iam tibi diceret, vade et demerge te in Albim, sine cunctatione deberes id facere. Sicut Abraam iussus circumcidi cum suis, statim paret, et audiens de immolando filio non disputat secum, in quem finem illud iusserit Deus, statim ad locum monstratum se confert. Idem Loth quoque facere debuit, sed cunctatur et tacitus optat, mutari Dei consilium posse. Expectans generos et familiam, si forte adhuc veniant.

Ideo sequitur durus Textus, appraehensum ipsum cum suis, et vi ex aedibus extra urbem protractum: non potuit enim Deus istam tardationem, seu quaeritationem, ut sic dicam, ferre: ac nisi misericordia ipsius super sanctos tanta esset, ut in Psalmo est, Loth sic tardans periisset cum reliquis. Pſ. 103, 8

Ergo cui libet ludere, ludat cum hominibus, cum uxore, liberis, pecunia, non enim Deus invidet nobis, ut vivamus hilares, sed cum audis DEI VERBUM, vide, ut mox sine disceptatione obtemperes. Et si vel vires desint, vel alia impedimenta obiiciuntur, saltem voluntas sit prompta. Deus enim non vult moram aliquam, cum iubet aliquid: Vult, ut cum Davide dicas: 'Domine, paratum est cor meum'. Talis David erat, Ideo Pſ. 108, 2 etiam erat fortunatus et foelix, Saul autem factus Quarista, postquam mandatum acceperat. De Amalech funditus extirpando, eradicatus est cum sua familia ex regno, nec profuit ei bona intentio, quod opimam praedam destinabat sacris usibus. Potior Deo erat et gratior obedientia erga verbum suum. Si igitur opere obedire non potes, saltem animus sit promptus, alioqui Deus offenditur graviter.

---

15 (*Mahmah*)] מַחְמָה

Hohel. 5, 2. 5 Sic in Canticis capite 5. Queritur sponsa, surrexisse se, ut aperiret dilecto suo, sed distillasse manus mirrha, et digitos plenos fuisse mirrha, hoc est fatigatam cruce et lassatam esse, pessulum itaque ostii postquam aperuisset, sponsum alio declinasse: se autem turbatam esse animo. Ideo 2. Kor. 6, 2 Paulus 2 Corinthiorum 6. hortatur, ne negligant tempus et opportunitatem, Jes. 49, 8 et citat ex Esaia: 'In die salutis exaudivi te', et Christus Iohannis duo- Joh. 12, 36 decimo: 'Credite in lucem, dum eam habetis', sicut nos Germanice dicimus, emendum esse, dum forum adest[1], ne simus *Mahmah* neve cunctemur, nisi impediamur viribus.

Peccat ergo hic Loth, quod differt migrationem, et non statim egreditur. Gentes quoque in civilibus damnant cunctationem, et recte Salustius[2] dixit: Postquam consulueris, mature facto opus est. Viderunt enim sapientes homines periculum in mora esse, et recte pinxerunt occasionem calvam esse, quae semel amissa retrahi non potest. Quanto autem magis convenit, ubi mandatum Dei expressum est, non cunctari, sed prompte obedire sine ulla deliberatione. Cogitatio, qua Loth impeditur, bona et honestissima est, tangitur cura generorum et familiae, hos perire dolet, sed nullae rationes verbo debent anteferri, Abraham causas graves habuit, cur filii mactationem differret, sed antefert suis cogitationibus mandatum Dei. Haec obedientia Deo gratissimus cultus est, et affert secum copiosam benedictionem, sicut exempla ante oculos sunt.

Ante revelatam Euangelii lucem putabatur sanctissimum vitae genus esse Monachum fieri, sed profecto perdite viximus, quotquot in monasteriis viximus. Iam, lucente verbo, una hora plus boni facimus, quam toto tempore vitae in coenobiis. Verbum enim Dei solum est, quod facit doctos, expeditos, promptos homines, qui sine difficili labore multa praeclare faciunt: Ubi econtra impii diu consultant, et tamen nihil recte faciunt. Adsuefacienda igitur iuventus est ad obedientiam praestandam tum parentibus, tum praeceptoribus. Ea debet cita esse, non tarda. Tardam enim odit Deus, promptam et paratam amat: Sicut inter nos quoque grata sunt offitia, quae videmus prompta et spontanea esse. Iuxta dictum vetus: Bis dat, qui cito dat.[3]

Peccat igitur Loth, quod mandato Dei repugnat, et non statim iubenti Deo paret, ac dedisset huius inobedientia poenam, nisi Angeli vi eum abripuissent. Parcebat enim ei dominus, alias propter alienum peccatum dignus fuisset, qui periret. Notandum igitur hoc exemplum misericordiae est.

Zacharias, pater Iohannis Baptistae, quia Angelo non credit, mutus factus est. Vir Dei in regum libris propter inobedientiam occiditur a Leone.

---

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 34*[2]*, 195, 18.* [2]) *Bellum Catilinarium 1.* [3]) *Vgl. Otto a. a. O. S. 55 unter* beneficium.

Filii Aaron, quia prophanum ignem accendunt, occiduntur a Domino. Levitici decimo. Sed tali severitate Dominus contra Loth non utitur. Parcit et ignoscit ei, eumque quasi invitum servat: Et quanquam offenditur inobedientia, tamen placet ei simplicitas. Non enim nullam habebat causam Loth, cur tardaret et contristaretur. Sperabat enim mitigationem aliquam, et libenter saltem familiam suam, pastores, tum etiam alia servasset.

Et factum est, cum illi eduxissent eos foras, dixit, salva 19, 17
animam tuam, noli respicere post te, neque maneas in tota illa
planitie, versus montem salvare, ne forte absumaris.

Angelus quatuor mandata dat Lotho et eius familiae. Primum, ut salvet suam animam, quasi dicat, quid ad te, si alii salvari nolunt, num ideo tu cum ipsis peribis? Secundum, ne respiciat post se. Tertium, ne consistat in ulla Parte huius regionis. Quartum, ut in monte vicino consistat. Haec mandata Angeli satis ostendunt cogitationes et affectus ipsius Loth, quales fuerint. Invitus egreditur civitatem. Egressus cupit in vicinia consistere, quia scilicet tangitur misericordia ruentis et pereuntis civitatis. Sed Angeli mandant, salva animam tuam, quasi dicant: Sodomitae sunt homines incorrigibiles, venit hora ipsorum. Relictis igitur illis suam animam seu vitam sic misere negligentibus, salva tuam, ne involvaris in idem periculum. Certo enim decrevit Deus locum hunc perdere. Discede igitur longius.

Pertinet autem hoc quoque ad doctrinam, quoties enim videbis aliquos, sicut Sodomitas habere verbum, et contemnere cum comminationes, tum promissiones, tunc cogita salvandam tibi tuam animam, ne cum talibus pereas, quia enim tales sunt iis similes, de quibus Salomon dicit: 'Percus- Spr. 23, 35
serunt me, et non sensi', non potest ab eis longius abesse exitium. Sic induratus Pharao perit in mari. Et Samuel frustra flet supra Saulum regem. Qui sic in reprobum sensum traditi sunt, ab iis cavendum est, ne participemus eorum peccato, et una cum ipsis pereamus. Ideo in Apocalypsi Off. 18, 4
Ecclesia iubetur egredi ex Babylone, hoc est, iubet, ut discedamus ab impia Pontificis Ecclesia, et Paulus mandat: 'exite de medio ipsorum', 2. Kor. 6, 17
respicientes ad hoc Angeli mandatum, salva tuam animam, quasi dicat, cogita tu de tua salute, de aliorum salute frustra laboras.

Est enim emphasis in pronomine Tu. Sic Paulus: 'Haereticum homi- Tit. 3, 10. 11
nem post unam et alteram admonitionem devita, sciens, quod subversus est'. Et Romanorum 12. 'Date locum irae', quasi dicat, si volunt Perire Röm. 12, 19
increduli, pereant sane. Adversarii nostri, Papistae, eo redacti sunt, ut

33 respicientes] *wohl* respiciens *zu lesen.*

fateri cogantur doctrinam nostram veram esse, non igitur amplius peccant infirmitate aut ignorantia, sed obstinatione et malitia. Ideo separemus nos ab eis, et exeamus de medio ipsorum. Agnoverunt enim veritatem, et tamen agnitam persequuntur. Quis igitur dubitet de futura eorum ruina?

Secundum mandatum de non respiciendo etiam pingit adfectum Loth solliciti pro salute civitatis. Sic enim amici discedentes solent, saepius respiciunt ad suos. Iubet igitur Angelus, ut Loth in totum segregetur ab ista civitate, ita ut etiam non respiciat, ac sit prorsus sine omni adfectu salvandi et commiserandi. Difficile igitur hoc mandatum est et grave. Itaque uxor Loth id non potuit servare. Cogita enim tu, si audias tempestatem post te, et clamorem pereuntium, praesertim istorum, quos charos habuisses, quomodo continere te posses, ut non saltem respiceres ad eos? Sed Angelus oblique respicit ad inobedientiam Lothi, quasi dicat: satis peccasti hactenus tardando obedientiam, disce igitur de caetero obedire, et cave, ne respicias.

Tertium mandatum, neque stes in ulla regione huius loci, hoc eo pertinet, ut iubeat Lothum festinare, et recta pergere ad locum salutis, neque usquam moras nectere, aut respicere, ac pertinet hoc quoque ad descriptionem cogitationum Loth, quaerentis varia diverticula: sicut Moses multas causas comminiscitur recusandae vocationis, sed urgetur, ut recusare non possit. Quia enim Domini vox et mandatum adest, tenemur ei obedire.

Pulchre quidem Seneca dixit: Non attendas, quis, sed quid dicatur. Haec regula de hominibus recte usurpatur, et in civilibus locum habet, sed in Ecclesia non, ibi enim tantum videndum, quis dicat: hoc cum Eua in Paradyso non faceret, et spectare vellet, quid diceretur, et oblivisceretur eius, qui dixisset, cecidit. De hominibus enim fieri potest, ut sint stulti, et dicant, quae non sunt dicenda: sed Deus talis non est. Est bonus et sapiens, igitur errare non potest, igitur non quid, sed quis dicat, considerandum est.

Quartum mandatum, ascende in montem, de situ loci nos admonet. Sodoma enim et vicinae civitates fuerunt sitae in valle ad montes *Abarim* versus orientem. Habet autem ea vallis magnam commendationem excellentis fertilitatis, et natura agri in plano positi foecundiores sunt, quam in montibus: iubetur igitur extra illum locum excedere in steriliorem.

Dixitque Loth ad eos: non, quaeso, mi Domine, en, invenit 19, 18—20
servus tuus gratiam in oculis tuis, et magnificasti misericordiam tuam, quam mecum fecisti, ut vivificares animam meam. Ecce ego non potero salvari in monte, ne forte appraehendat me malum illud et moriar: en est civitas illa vicina, ut confugiam illuc, illa parva scilicet, obsecro, ut salver ibi: Nonne parva est, et vivet anima mea?

Hoc pulchrum exemplum est, in quo cernitur, quanta vis sit orationis, siquidem Loth illud ultimum mandatum depellit de ascendendo montem, allegans necessitatem suam, quod scilicet in monte salvari non possit. Potuit enim tentari, et ex alto loco respicere in vallem, et sic perire. Habet autem brevis in speciem oratio omnes conditiones bonae orationis. Dat quidem Deus omnia ex gratuita misericordia, et tamen vult orari. Clarum enim praeceptum extat, quo iubemur orare. Deinde promissio exauditionis cum mandato coniuncta est, tandem orandi formula ab ipso Dei filio est praescripta.

Discamus igitur orationem admodum esse necessariam, nec patiamur nobis per istam malam tentationem imponi, quod cogitamus, Deum etiam sine oratione nostra daturum, quibus indigemus, et cum sciat, quid nobis maxime prosit, oratione nihil opus est. Recte enim Augustinus dicit: Qui fecit te sine te, non vult salvare te sine te. Ideo positi sumus ad varia offitia administranda, ut simus quasi adiutores, seu ‘cooperatores Dei’. Sicut Paulus appellat, 2. Corinthiorum 6. Et supra dixi, posse Deum 2. Kor. 6, 1
facere hominem ex luto, sed placet ei alia via, ut scilicet maritus fias, et ducas legitimam uxorem: sic posset docere et illuminare corda sine ministerio verbi, sed non vult. Ideo ordinavit ministerium externum, et instituit Sacramenta, sine Baptismo potest remittere peccata, sed non facit, vult nos homines participes esse suarum operationum: itaque contemnere eas summa esset ingratitudo. Idem de oratione quoque statues. Haec enim ordinata Dei voluntas est, quod vult orari, et orantibus dare spiritum sanctum et omnia necessaria.

Nunc videamus orationis partes. Prima conditio bonae orationis est, Deo gratias agere, et beneficia, quae divinitus acceperis, repetere animo et verbis. Sic in oratione Dominica petimus quidem quotidianum panem, sed cum initio Deum patrem nostrum appellamus, confitemur hoc ipso nomine, nos hactenus alitos et defensos a Deo esse, et omnia paterna officia a Deo accepisse. Haec igitur in Rhetoricis praeceptis vocatur benevolentiae captatio, quae optime fit per laudem et gratiarum actionem.

Secundo loco est vel querela, vel commemoratio necessitatis. Ego, inquit Loth, sum in maximis periculis, si secundum tuam voluntatem

ascendero in montem, Peccavi iam antea tardando: posset autem mihi similis casus accidere: ideo propter misericordiam, qua me servasti, te oro, ut mihi hoc dones, quod peto.

Tertio loco proponit, quid sibi donari velit, fugiam, inquit, in propinquam civitatem, et ibi servabor, pulchre autem circumstantiis hanc petitionem amplificat, parva, inquit, est civitas, deinde est vicina, et potero ibi securus esse ab omni periculo.

Haec est oratio Loth, ad quam Deus consilium et propositum suum mutat, id quod diligenter notabis. Non enim hic disputandum est de secreta mutatione voluntatis divinae, sed illud potius discendum, quod
Ps. 145, 19 Psalmus quoque docet: 'Dominus facit voluntatem timentium se'. Sic ordinata potentia Dei erat, ut sol retineret cursum et motum suum, sed cum Iosue oraret in necessitate, et praeciperet soli, ut staret, stetit sol vocem Iosuae, id quantum miraculmu sit, ex Astronomis quaere. Causa autem quae est? Nulla alia, nisi quod Deus facit voluntatem timentium se, et submittit suam voluntatem nostrae, modo persistamus in timore ipsius. Satis autem clare dicit textus hic, Dei voluntatem esse, ne Loth stet in ulla parte regionis, sed mutat hanc voluntatem Deus, quia Loth timet Deum et orat. Haec Dei potentia ordinata est, non secreta, non enim vult Deus gubernare nos secundum voluntatem secretam: sed regulatam et patefactam verbo.

Pertinet igitur historia haec eo, ut excitemur et provocemur ad orationem in omnibus nostris periculis, siquidem vult facere, quod nos volumus, si modo humiles prosternamur coram ipso, et oremus. Sic Ninivitae servati sunt, quibus etiam exitii diem Propheta denunciarat. Et sunt plura huiusmodi testimonia in scriptura, quae testantur, quod flectere se Deus patiatur, et suam voluntatem nostrae subiiciat. Cur igitur sic ad orationem sumus frigidi? Cur sic sumus sine fide et pusillanimes, quasi oratio nostra nihil sit? Monachi de sua oratione desperent, qui Deum non norunt, et prorsus sine fide sunt, ac oratio eorum non affectus, sed durus labor est, et verae inanis sonus.

Nos autem, qui habemus cognitionem verbi, cum convenimus, et in vera humilitate flectimus genua nostra: scimus non tantum edocti promissionibus, sed etiam exemplis, quod Deus velit voluntatem suam omittere, et nostram facere. Haec diligenter inculcanda sunt populo et nobis, ne frigeat in nobis affectus orandi. Deus quidem facit omnia, sed debemus nos quoque, quae nostrae vocationis sunt, facere: Dat panem alendi et servandi corporis causa: sed laboranti, serenti, metenti etc. nec debes cogitare, si terram seras, nihil ad tuum laborem secuturum. Dei enim mandatum est, ut facias tuum offitium, et ipse per te vult operari. Instare igitur debes labori et offitio omnibus viribus, et omni cura tua, et caetera permittere Deo. Sic quando contra Turcas pugnandum est, primum urgeris

mandato Dei, ut subditos tuos defendas, parabis igitur te, et tum arma, tum alia necessaria ad bellum comparabis, et dices, quod potui facere, feci, quod autem in me deficit, hoc, Domine, tu supple, ut fiat tua voluntas. Ideo Paulus quoque monet, ne simus pigri studio, neve remittamus studium, Röm. 12, 11 qui enim stertunt, et sicut servus in Euangelio non faciunt offitium, hi audient: 'ex ore tuo te iudico'. Sedulos autem et pios ditabit Dominus: Luk. 19, 22 'Facit enim voluntatem timentium se'. Sine dubio David ex talibus exemplis, deinde ex propria experientia scripsit multos Psalmos.

Et dixit ad eum: Ecce, suscepi faciem tuam etiam in hac re, ut 19, 21. 22 non subvertam civitatem illam, de qua locutus es, festina, et salvare ibi, quia non possum facere quicquam, donec venies illuc, et hinc est, quod vocatum est nomen illius civitatis ZOAR.

Mira res, et historia notatu dignissima, voluntas Dei fuit, ut etiam *Zoar* civitas subverteretur cum aliis, sed quia Loth pro ea intercedit, mutat voluntatem Deus, et facit, quod Loth vult. Sic propter unum Paulum servantur in naufragio, quotquot eadem navi vecti sunt. Quod autem postea sequitur: Ego non possum quicquam facere, priusquam illuc venias, ubi tutus esse potes, ibi forte quaerat quis: igitur Deum prohibere potest, ut non faciat statim, quae vult? Respondet Moses. Hoc facit oratio Lothi, ea cogit Deum, ut non exequatur suam iracundam voluntatem, frangi eam sinit, et facit voluntatem timentium se.

Haec valde grandia et incredibilia sunt. Debent autem diligenter notari pro nostra eruditione et consolatione, ut libenter oremus: et, sicut Paulus docet, 'absque haesitatione et murmure'. Est autem murmur, quando Phil. 2, 14 offensi cruce quaerimus ex Deo, quare hoc aut illud sic faciat. Sed, ut dixi, non debemus esse Quaristae, qui ad Deum dicamus: quare hoc sic facis? parere debemus voluntati eius, et si quid nos offendit in factis eius, debemus orare. Haesitationem vocat Paulus dubitationem, ea prorsus ab oratione exclusa esse debet: nam sola est, quae orationem viciat.

Itaque Bernhardus hortatur fratres suos, ne contemnant suas orationes, sed sciant eas scriptas in coelis, antequam ipsi eas compleverunt. Vidit sanctus vir pusillanimitatem in orando, qua plerique omnes vexamur, quia enim magna nostra infirmitas est, et maiora in Paulo, Petro et aliis dona videmus, oraturi resilimus, et indignitate nostra terremur, quod non digni sumus, qui aliquid a Deo impetremus, his cogitationibus non solum tepescit fides et ardor orationis, sed prorsus extinguitur, et ponitur in eius locum noxia haesitatio et abominabile murmur: quin potius sic cogitamus Loth etiam fuisse indignum. Quis enim dignus est, ut loquatur cum Domino? Satis igitur nobis hoc sit, quod sumus vocati per verbum ad fidem, et

eruditi verbo Dei. Atque ideo sumus pars Ecclesiae, quae certum mandatum habet orandi. Non igitur indignitatem tuam: sed mandatum Dei intueberis, nec disputabis, dignusne sis, an non, sed promissionem retinebis, quod Dominus velit facere voluntatem timentium se.

Sic animandi sumus ad orationem, quam homines spirituali ingenio edocti dixerunt esse laborem super omnes labores. Cur hoc? nisi quod acerrima pugna est sustinenda contra haesitationem et murmurationem, quam nostra pusillanimitas et sensus indignitatis excitant. Discamus igitur nos contra has Sathanae insidias munire, et intueamur in promissiones et exempla, quale hic de Loth scribitur, non enim propter ipsum Loth haec scripta sunt, sed propter nos, Ut discamus nos Dei iratam voluntatem impedire, et Deo ostendenti ex propinquo flagellum occurrere. Sicut apud
Hes. 22, 30 Ezechielem ipse Dominus dicit: 'Quaesivi in eis virum, qui obstaret mihi, et non inveni, et ita effudi furorem meum'. Sacerdotes quoque, qui guber-
Hes. 13. 5 nabant populum doctrina, graviter obiurgat: 'Vos non opposuistis murum pro domo Israël in die furoris mei'.

Ergo ad iram commovetur Deus, si intermittamus orationem, negligitur enim mandatum ipsius: Animose igitur et confidenter oremus. Si enim hoc, quod petimus, non datur, dabitur tamen aliud melius, non enim oratio
Jak. 5, 16 potest frustra esse, sicut Iacobus quoque dicit: 'Multum valet deprecatio iusti, si sit assidua', id est, seria et intenta. Non enim potest Deus contemnere iustum et universa opera eius. Etsi enim mundus eum persequitur,
Ps. 116, 15 tamen Deus honorat facta et dicta, imo etiam passiones eius. 'Mors quoque iustorum preciosa est in conspectu Domini'.

Quod Moses de mutato nomine oppiduli *Zoar* addit, quae antea *Bale* dicebatur, ideo fit: Ut Deus eam novo nomine insigniat in exemplum posteritatis: Ut ipsa quoque discat timere Deum exercentem iuditium super impios, et sperare in misericordiam eius, ac petere auxilium. Utrumque enim historia haec complectitur. Sodomorum interitus pertinet ad terrendos impios: Liberatio Loth cum tam liberali exauditione orationis consolatur pios: Ut in periculis orent, et sperent ipsi quoque liberationem.

19, 23—25 Et sol iam egressus erat super terram, cum Loth intraret *Zoar* et DOMINUS pluit super Sodomam et Gomorram sulphur et ignem a DOMINO, et subvertit civitates illas et totam illam regionem, omnes quoque habitatores illarum urbium, et germen terrae.

Singularis hic phrasis est, quod Moses dicit, solem egressum super terram. Ostendit autem Loth et suos sub auroram surrexisse, et compulsos exire, ambulasse cum suis sarcinulis, pane, potu et aliis necessariis, et venisse in oppidulum *Zoar*, quod forte Italico miliari a Sodomis aberat.

Quod igitur egressum solem dicit, fortasse voluit Moises significare liberationem generis humani per filium Dei: Sed haec differemus usque ad allegoriam.

Quae sequuntur, etsi brevia sunt, tamen tantas res complectuntur, ut humana oratione exprimi non possint. Quinque civitates opulentissimas et virentes, cum universis habitatoribus, animalibus, hortis, agris, subversas esse in una tempestate, quis non exhorrescat? Quantus ibi eiulatus? quantus clamor hominum, iumentorum fuit? qui omnes simul absorpti sunt. Omnino horribile exemplum hoc est, quod superat omnes omnium gentium historias. Troia subversa bello est, sed hoc nihil ad id, quod tot civitates uno momento absorbentur a terra, in quibus tot millia hominum fuerunt: adhuc per aetatem non tenentium discrimen recti et mali. Hi omnes, ne uno quidem reservato, pereunt, pereunt simul pecora et omnes fructus terrae, ita ut ne germen quidem superesset.

Haec horribilia sunt, et tamen nihil movent impios: Nam sanctus Petrus per spiritum sanctum locutus, inducit exemplum hoc contra Papistas de illo novissimo malo orbis terrarum. 'Deus, inquit, non pepercit quinque civitatibus', quae in paradyso Dei sitae erant, in optimo loco terrae, qui videbatur ceu cubile Dei esse. Originali mundo etiam non pepercit: Et fuit hic eorum finis: Ut hi diluvio et aquis, illi igni coelitus demisso perirent. Quare autem fecit hoc Deus? nimirum quia voluit proponere exemplum terribile omnibus impiis. Et scribuntur haec a spiritu sancto non propter eos, qui perierunt, sed propter secuturam posteritatem. Etiam propter Papistas ultimi temporis pestes, sicut Petrus allegat. 2. Petri 2, 6

Sed fere semper ita accidit, ut, qui terreri debent, sint securissimi. Contra quibus consolationibus opus est, angantur et desperent. Sic Papa et Cardinales horribile hoc exemplum non curant, nec ad se pertinere putant. Non enim credunt Deum esse, nec iram eius prius exhorrent, quam eam sentiant. Fugiendi igitur sunt, ne involvamur in easdem poenas.

Christus quoque non semel hanc historiam allegat. Iubet nos meminisse uxoris Loth, et pronunciat tollerabilius iudicium habituros Sodomitas, quam eas civitates, quae Euangelium sine fructu audiverunt. Quod si gravius quam Sodoma puniendi sunt isti, qui verbum negligunt: quid de iis statuendum est, quae verbum persequuntur? Bene igitur verba Christi expendenda sunt, si non vult contemni verbum, multo minus vult, ut conculcetur, et homines propter id occidantur: et tamen hoc agit Pontifex cum suis, ut involvat orbem terrarum caedibus. Luc. 17, 32 Matth. 10, 15

Nos igitur, sicut Loth et Abraham, sumus spectatores tantorum malorum, quae satis exaggerari non possunt, et piorum animos graviter

---

35 quae] qui *H. I. K. Erl.*

excruciant. Sicut de Loth quoque Petrus dicit: Oculos et aures eius quotidie cruciatos: expectabimus autem in pacientia, donec hos nostros Sodomitas Dominus subvertat, et in hoc ponemus omnem operam, ne in scelere Ecclesiae Pontificiae inveniamur.

Etsi enim nos quoque nostris laboramus vitiis, et, ut nihil gravius dicam, pigri ac somnolenti sumus ad verbum, tamen nihil posset nobis accidere acerbius, quam oppressio et amissio verbi. Sed mundus leve peccatum esse ducit, a verbo discedere, et eo carere exiguum damnum esse sentit: sed valeat apud nos Petri et Christi sententia horribilis, qui Sodomitas sanctos et iustos esse dicunt respectu Ecclesiae Romanae, quae non solum contemnit, sed etiam persequitur Euangelium, et occidit credentes. Recte igitur Petrus dicit: posuisse Deum hoc *ὑπόδειγμα* iis, qui impii futuri sunt. Et Christus tolerabilius iudicium Sodomitarum futurum esse dicit, quam talium contemptorum.

2. Petri 2, 6

Consolemur igitur nos: Utrunque enim haec historia ostendit, puniendos Ecclesiae hostes, et servandos in aeternum iustos. Si modo simus similes Loth et Abrahae, hoc est, si ritineamus verbum et fidem. 'Novit Dominus', inquit Petrus, utrunque, 'et liberare iustos, et impios reservare ad interitum'. Quanquam impii hoc non credunt, et cum talia exempla applicari ad se audiunt, suavissime rident in re minime ridicula, quae superat omnes lachrimas, nec ulla commiseratione, vel oratione aequari potest. Cogita enim tu, quam horribilis fuerit calamitas, in una tempestate quinque urbes cum viris, mulieribus, liberis, servis, ancillis, iumentis, pecoribus simul absorptas: Ut ne quidem culmus restaret de tota illa regione. Quod autem potest clarius exemplum proponi, Deum severe irasci impiis? et tamen Christus et Petrus authores sunt, parvam hanc poenam esse, si compares ad eam, quae Papistas nostros manet, qui non solum impoenitentes, sed etiam obstinati sunt, et manifestos errores retinent et defendunt.

2. Petri 2, 9

Pluendi verbo utitur Moses, ut ostendat tempestatem per ministerium Angelorum excitatam fuisse. Quae autem in tempestatibus fere concurrant, Nimbi, turbines, tonitrua, fulgura, fulmina, terraemotus rationi notum est. Sulphuris quoque meminit, quia ignis a tempestatibus excitatus semper sulphureus est, et tacta coelesti igni etiam odorem Sulphuris habent. Cum magno igitur fragore et sonitu delapsus ignis devoravit civitates. Memineris autem Angelorum hoc opus esse, nec, ut gentes iudicant, fortuito talia fieri.

Ac ab initio mundi semper extiterunt varia exempla irae Dei, quae non sunt scripta, sed quae scripta sunt, sunt maxime memorabilia, ad docendos nos, ut fugiamus peccata, siquidem sic horribiliter Deus in peccatores animadvertit. Hoc anno in agro Neapolitano bona terrae pars apud puteolos terraemotu et aquis effusis periit. Non, ut

Papistae existimant, casu aliquo, sed propter peccata populi, quorum nullus finis est.

Christus admodum familiariter et misericorditer dicit: 'si quis peccat in filium, remittetur ei: sed in spiritum sanctum peccare', ut Papistae solent, qui incorrigibiliter, scienter et recta malitia peccant, cum tamen possint naturali dono, et sine gratia a talibus peccatis abstinere, 'id vero peccatum est irremissibile'. Quis enim eos cogit, quod nostros occidunt? Quis cogit, ut agnitam veritatem sic acerbe impugnent? Nonne sua voluntate coguntur, quam Sathan etiam impellit? Matth. 12, 32

David etiam peccat, et valde graviter, quod adulterium committit, et iniustae caedis author est. Sed hoc infirmitatis peccatum fuit, quod cum agnosceret, et in fide peteret remitti, remissum est. At persequi Euangelium, et in manifesta Idolatria perseverare contra tot spiritus sancti monitiones, quasi in despectum (recte enim sic possum dicere) divinae maiestatis: Haec sunt peccata in primam tabulam, quae certum sequitur exitium.

Non igitur dubito, quin Deus in illa Luce Euangelii auferet electos suos ex Sodomis, et congregabit triticum in horreum suum. Postea si blasphemantes Papistae pergent furere, sequetur finis, hoc est, vel veniet novissimus dies, vel insignis subversio totius Papatus sequetur. Non enim mentitur Petrus, cum Sodomam vocat 'exemplum impiorum', et ipsa natura peccatorum talis est, ut Deus non possit perpetuo ad ea tacere. Agamus igitur Deo gratias, qui liberavit nos per filium suum a ventura ira, et per Angelos suos nos custodit, ne cum hodiernis Sodomitis pereamus. 2. Petri 2, 6

Est autem hic non negligenda phrasis Mosaica: 'pluit Dominus a Domino'. Qua in primis offenduntur Iudaei, et varie eam torquent, sed clarus textus est, quod Dominus pluat, et pluat a Domino, Utrunque enim hoc loco ponitur Dei nomen, quod vocant Tetragrammaton[1], et in Haebreo sonanter et significanter additur articulus, quem vocant accusativum: Ergo, cum bis Dominum vocat, ostendit duas divinitatis, ut loquuntur personas, et unum Dominum. Sanctus Hilarius erudite et recte hunc locum urget, quod unus Deus sint Deus pater generans, Deus filius genitus, Deus spiritus sanctus procedens a patre et filio.

Iudaei sicut audaces, imo etiam temerarii sunt, exponunt articulum pro pronomine, ut sit sensus: Dominus pluit a seipso Domino. Sed quis hos iussit eos hoc audere in Dei libro, si enim ad hunc modum liceret eludere scripturam sanctam, nullus fidei articulus maneret integer. Igitur magistrum fieri spiritus sancti, et docere eum, quid aut quomodo scribat: incredulorum Iudaeorum et impiorum Papistarum est, Nos autem simus et maneamus discipuli, nec mutemus verbum Dei, sed mutemur ipsi per verbum.

17 auferet *G. H. K.*] auferat *I. Erl.*

[1]) יהוה

Iudaei hanc glossam fingunt usitata sua temeritate, ne cogantur in divinitate concedere pluralitatem personarum: sed nos ex Euangelio scimus, quod hunc loquendi modum Christus ubique servat, omnia enim tum dicta, Joh. 7, 16 tum facta sua refert ad patrem. 'Doctrina mea, inquit, non est mea, sed Joh. 14, 9 patris.' 'Philippe, qui videt me, videt patrem meum.' 'Pater manet in Joh. 14, 10 me, et ego in patre.' 'Quaecunque pater facit, eadem facit et filius.' Joh. 5, 19 Hoc quid aliud est? quam Moses dicit: Christus docet, Christus operatur, sed a patre, seu ex patre. Ac Iohannes praecipue hac loquendi forma delectatus est, ut ostenderet, omnia, quae a Christo fiunt et dicuntur, fieri et dici tanquam a vero Deo, scilicet a Deo patre, qui non est genitus, sed gignit filium.

Nihil igitur moveamur Iudaeorum cavillis, qui hoc non recte intellectum fundamentum pro se habent, quod tantum sit unus Deus. Postea scripturam depravant, loquentem de pluribus personis: sed tu responde: Deus quidem unus est, sed spiritus sanctus sic patefecit Deum per verbum, quod in unica essentia divina tres sint personae. Hoc nos observamus et docemus, ac nitimur non solum authoritate scripturae, sed etiam testimonio novi testamenti. Propriissimus enim loquendi modus in Euangelio est. Christus Matth. 28, 18 omnia facit, omnia dicit, sed a patre. Item: 'omnis potestas mihi data est in coelo et in terra', id est, ego sum verus Deus, et inter me et patrem nihil interest, nisi quod ego ex patre genitus sum, pater autem est ingenitus. Ideo recte locuti Hilarius et Augustinus, qui hoc loco usi sunt ad defendendum articulum fidei nostrae de divinitate Christi.

19, 26 Et uxor eius respexit post illum, et facta est statua salis.

Uxor Loth, quae cum marito egreditur, haud dubie fuit fidelis et sancta mulier, alioqui neque maritum secuta esset in tanta calamitate, nec ab Angelis arrepta et educta, quare reiiciamus fabulas Iudaicas, nugantur enim inhospitalem fuisse, et negasse sal Angelis ad condiendum cibum, ac ideo in poenam huius peccati conversam in statuam salis. Talibus ineptiis pleni sunt Iudaeorum libri. Quin potius ipsam historiam intuentur, et colligunt circumstantias diligenter, quae manifeste convincunt, non inhospitalem, sed piam et sanctam hanc mulierem fuisse, in qua egregie lucet fides, siquidem maritum sine cunctatione sequitur, et tamen patitur hoc humanum, ut respiciat et pereat?

Apparet ex textu, ingressam eam cum marito in civitatem *Zoar*: aut igitur, sicut mulieres natura infirmiores sunt, oblita est mandati Angelorum, aut putavit nunc non amplius esse periculum, postquam ex agro in civitatem venit, sed inobedientia habet suam poenam, ac mutatur in statuam salis.

---

23 articulum *fehlt Erl.*

Hoc cur sic fecerit Deus causa nulla reddi potest, et fortasse ab hac statua mare mortuum et salsum nomen habet. Non autem stetit haec statua diu, sed una cum civitate concussa et fulmine contrita est. Potest autem fieri, ut appellet statuam salis, non quod revera sal fuerit, sed quod similitudinem salis habuerit. Sal enim candidum est: Augustinus, Chrisostomus, Ambrosius, Gregorius, pariter omnes hunc locum silentio praetereunt, solus Lyra, qui Rabinos sequitur, cum eis saepe inepte rabinisat. Factum hoc fortasse singulari providentia Dei, ut scilicet nos retineremur in lectione sacrorum librorum, et non tantum occuparemur legendis commentariis hominum, qui saepe nimia curiositate peccant.

Nos igitur omissis reliquis, quae ad rem non valde faciunt, hoc contenti simus, quod uxor Loth nobis est posita authore Christo in exemplum, alludit enim ad eam, cum dicit Lucae nono: 'Qui admovet manum ad aratrum et respicit, non est aptus ad regnum coelorum', et in illa gravi contione Lucae decimoseptimo de novissimo die dicit: 'Mementote uxoris Loth'; ex eo facile intelligimus, quid sit respicere, scilicet discedere a mandato Dei, et occupari aliis rebus extra vocationem, sicut is, qui iussus sequi Christum, prius vult sepelire mortuos suos. Luk. 9, 62 Luk. 17, 32

Signum igitur seu documentum et admonitio haec est, ne sinamus nos impediri in vocatione nostra. Sicut Petrus, Iohannis ultimo, respiciebat ad Iohannem: sed obiurgatur a Domino. Unusquisque enim in sua vocatione debet manere, et non curare, quid alii faciant. Hodie valde nos urgent Papistae exemplo superioris saeculi, quo omnia iacuerunt in tenebris. Vestra doctrina, inquiunt, nova est, et ignota maioribus nostris, si igitur vera est, omnes maiores nostri damnati sunt. Hi etiam respiciunt, et verbum praesens sic negligunt. Quid enim ad nos, quale DEI iuditium sit super illos, qui iam olim ex hac vita emigrarunt, nobis hodie praedicatur verbum DEI, id sine disputatione debemus audire et amplecti, non debemus fieri Quaristae, qui Deum interrogant: Quare hoc tempore patefecerit sanam doctrinam, et non superioribus temporibus. Joh. 21, 20

Pertinet igitur historia haec eo, ut discamus perseverare. Qui enim Christianus esse vult, non debet mutare propositum: Non debet spectare aliam viam, seu aliud Euangelium. In hac una via et sola salus est, si aliam ingrederis, periisti. et similis es uxori Loth. Quod autem ad uxorem Loth attinet, magis est hoc exemplum eruditio nobis, quam condemnatio istius mulieris, quam omnino iudico sanctam fuisse, et salvatam esse, nam de misericordia Dei aliter praesumendum non est, praesertim cum ante actae vitae testimonium habeat praeclarum, quod ab ipsis Angelis educitur, et sequitur maritum.

Cur autem, inquies, sic perit? Respondeo: humanum aliquid est passa, et ad horribiles istos fragores contra Angelorum mandatum respexit. Huius inobedientiae fert temporalem poenam, 'anima tamen salvatur'.

Sicut de incestuoso Paulus loquitur: Doctrina igitur haec retinenda est, quae ut ad omnem posteritatem perveniat: sancta mulier sustinere hanc
Luk. 17, 32 poenam cogitur. Sicut Christus dicit Lucae 17: 'mementote uxoris Loth'.

Omnino autem sperandum est non esse damnatam ideo. Sunt enim talia exempla multa in sacris literis, quod Deus sanctos suos temporalibus poenis affligit, ut non pereant cum hoc mundo. Et Paulus dicit, primo
1. Kor. 11, 32 Corinthiorum 11: 'Dum iudicamur a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur'. Correpta igitur uxor Loth est, non est damnata, Sic filii Aaron, qui offerebant alienum ignem, castigati, et non damnati sunt, in signum aliis. Idem de Propheta iudico, qui a Leone interfectus est. Corpus ibi est passum propter inobedientiam, animae nihil accidit. Ut scilicet admoneremur de timore Dei, et custodiremus severe mandata Dei. Sic statua haec vere est condimentum, et sal sapientiae, quo admonemur
Phil. 3, 13 non esse respiciendum, sed perdurandum, et, sicut Paulus loquitur, 'tendendum in anteriora'.

Ac necessarium profecto praeceptum est propter gravem hostem, quem habemus, qui dies noctesque nobis insidiatur et persequitur. Ideo Iohannes Euangelista tam studiose monet, ut maneamus in doctrina, quam
Judä 3 initio accepimus, et Iudas iubet decertandum pro fide semel tradita sanctis. Gravissima enim Ecclesiae tentatio et pestis est, quaerere nova dogmata,
Gal. 1, 6 et discedere a via, quam verbum ostendit. Ideo Paulus Galatas monet. ut caveant a talibus doctoribus, qui scandala ponunt, et in diverticula abducunt.

Nascitur autem hoc malum ex fastidio verbi, cuius singularis artifex Sathan est. Sic nostro tempore Monetarius discedens a verbo excitabat seditiones: his sopitis Carolostadius cum Sacramentariis Ecclesiam turbarunt. Illis quoque iam inclinantibus, Anabaptistae exorti sunt. Sic nunquam sine tentatione Ecclesia est, non enim manet mundus in recto et firmo processu vocationis, sed respicit, sicut uxor Loth, quae ideo temporaliter punita est in exemplum eorum, qui futuri essent impii, quod, nisi verbum retineant, aeternam poenam sint incursuri.

Territa fortassis est horribili fragore fulminum, et ruentium civitatum, ideo respexit. Non igitur ludus aut levis tentatio est, avocari novis et alienis cogitationibus a verbo. Arrius cum spargeret venenum suum in mundum, magno applausu acceptus est, quia adferebat aliquid novi, hactenus non auditum in mundo. Talia fere initia omnium haeresium fuerunt, obviis ulnis accepit eos mundus, et sic admiratus est, ac si priores doctores non fuissent puri.

Hoc venenum Sathanae uxor Loth monet suo exemplo cavendum, ut firmi maneamus in fide semel tradita, sed mundus huic doctrinae non paret, alii propria vanitate indulgent novis, alii quaerunt gloriam, sicut

Paulus dicit Timothei capite sexto, et sic fere omnes avocantur a vero cursu. a 1. Tim. 5, 20

Quam autem grave sancto viro Loth fuerit, tali occasione et propter tale peccatum carissimam uxorem, cum qua tot annos vixit, quae eum in tam longinquo exilio tam offitiose secuta erat, amittere, facile ex nostro affectu aestimabimus.

Itaque cum ne in *Zoar* quidem videretur tutus, terruit enim cum non immerito carissimae uxoris casus, confugit in vicinum montem, et ibi se cum filiabus abscondit in specu, ne simili calamitate ipsi quoque perirent.

Et Abraham ante lucem matutinam in loco, ubi steterat coram facie DEI, respiciens versus situm Sodomae et Gomorrae, et versus universam faciem terrae illius regionis vidit. Et ecce ascendit vapor illius terrae quasi vapor fornacis. 19, 27. 28

Inducitur hic sanctus Patriarcha Abraham, pater promissionis, quod sit spectator horribilis poenae, qua quinque civitates perierunt, ut scilicet exaggeraretur et magnificaretur illa severitas irae Dei in terrorem impiorum, nam sanctissimus vir intercesserat apud Deum pro istis locis, ne ea perderet. Sed cogitur non solum aliena peccata deflere, et devorare, imo etiam suis oculis spectare interitum tot millium hominum. Haec qualis et quanta tentatio fuerit, Moses indicare voluit: cogitavit sine dubio, sicut in Psalmo octuagesimo nono est: 'Nunquid in vanum constituisti filios hominum'? num credere debeo me unum et solum de filiis Dei servari, cum Deus tantam multitudinem hominum simul coelesti igni absorbeat? Ps. 89, 48

Haec cogitatio et disputatio de incompraehensibilibus iuditiis Dei excitat in animis murmur contra Deum, et occasionem praebet horribilium tentationum et dubitationum. Cogita enim tu, si esses in civitate aliqua, obsessa ab hostibus, et scires ex verbo Dei seu certa revelatione, omnes cives occidendos, te autem solum servatum iri, ac videres sine discrimine grassantem hostem, quamdiu retenturus esses istam fiduciam de tua salute in tali periculo? Sic quoque Abraham fuit. Sed firmiter retinuit fidem, repulsis illis obiectis, quae fidem labefactabant.

Auxit hoc quoque dolorem eius, quod meminerat, totam eam regionem divino miraculo liberatam a vi hostium ante annos plus minus sex vel septem. Non solum igitur doluit per se servatos sic miserabiliter perire, sed etiam de toto genere humano cogitavit. Ad hunc modum secum syllogisans: Si hi, quibus factum miraculum, et salus per meam manum data est, adeo brevi tempore degenerarunt et subversi sunt, quid de universo genere hominum sperandum est?

Itaque cum in sequenti capite proficiscitur in Gerar, mirabiliter timet, dubitat enim, an eo in loco sint homines timentes Dei, sicut regi expostu-

lanti respondet: 'Cogitavi mecum, forsitan non est timor Dei in loco isto, et interficient me propter uxorem meam'. Hae cogitationes, quaeso, unde natae sunt? nonne ex tali corde, quod sic cogitavit: Si timor Dei non fuit in Paradiso illa, quid in palestina erit?

Haec fuit prima Abrahae tentatio, quae copiose a Mose describitur, et talibus verbis, quae carnales homines non intelligunt. Quam primum, inquit, appropinquavit aurora coeli, egressus est Abraham cum maxima solicitudine, non tantum generali pro quinque civitatibus, sed etiam pro nepote Loth, uxore et filiabus eius, quas sciebat Sodomis habitare, sed nesciebat, an cum Sodomitis periissent: Igitur tremens et pavens cogitur propter aliena peccata plorare, et omnia adversa metuere.

Non enim putabimus Abrahamum fuisse truncum quendam et alienum ab omni humanitate, fuit pius et misericors, ut siquis alius, sollicitus igitur fuit pro salute quinque civitatum, et maxime pro domesticis suis: Itaque non potuit se continere in lecto, antequam illucescit, surgit, cum spe aliqua DEUM fortasse mitius acturum esse. Itaque spe, curis et pavoribus plenus statim convertit oculos ad notam regionem, adhucne sit incolumis. Notus enim affectus est, quo complectimur amicos absentes, quemadmodum Terentianus Mitio de filio longius morante sollicitus est, et ego nunc de meo Philippo Francofordiae agente sollicitus varia cogito. Sic affecti animi nihil nisi cruces et curas sentiunt. Ah, cogitant, quid nunc facit amicus meus, nepos meus, liberi mei, cives mei etc. Talis tum quoque animus Abrahae fuit, plenus suspiriis et gemitibus. Brevibus quidem verbis scribuntur haec a Mose, sed non inspicienda sunt carnalibus oculis, oportet induere affectum, imo etiam effectum rerum, ut te tanquam in rem praesentem constituas, et tuum cor examines: quid fuisses cogitaturus aut facturus, si tali in loco fuisses.

Quid autem accidit, dum haec secum sic sollicite cogitat vir sanctus? 'Ecce, inquit Moses, vidit ascendentem fumum, sicut est fumus fornacis'. Hic demum auctus stupor et moeror est, relicta enim fuerat hactenus aliquantula spes, DEUM clementius acturum esse, sed experitur diversum: Videt enim ascendere *Kittor*, hoc est, lucidum fumum, sine flamma. Nam crassus fumus noctu apparet, ac si sit totus ignis: Sed ille fumus fuit lucidus, qualis esse solet extincto iam fere, aut remissius ardente igne, cum enim procul videmus crassum fumum ascendere, statim coniicimus incendium ibi esse, sed adhuc spes aliqua est, fore ut restinguatur. Sed cum illum lucidum fumum videmus, non iam incendium esse iudicamus, sed colligimus incendio omnia periisse: Ita Abraham cum videret tenuem illum fumum, intellexit totam regionem igni consumptam esse.

32 *Kittor*] קִיטֹר

Quae autem suspiria? qui gemitus hoc triste spectaculum secuti sunt? Ubi nunc Loth meus, quae eius fortuna est? Vivitne? Vivuntne uxor et filiae? Prorupit igitur in lachrymas, et territus deflevit tantam calamitatem.

Scribuntur autem haec propter impios ad amplificandam iram DEI contra peccatum, siqui poenitentiam agant, et peccare desinant. Iudaei ludunt in his gravissimis rebus. Papistae autem fere carnalibus oculis inspiciunt. Vident Abraham, Loth et alios sanctos habere suas uxores, et occupari cura domestica: Haec iudicant prophana esse, et indigna sanctis, Hac externa specie offenduntur. Mortes autem et infernos, quibus quotidie sanctos suos exercuit DEUS, non vident, nec intelligunt, et tamen scriptura sancta satis haec clare proponit, nisi caeci cupiditatibus et ἄσοργοι essent, 2. Petri 3, 3 sicut Petrus de eis vaticinatur. Quin rident haec, sed riserunt Sodomitae quoque, et tamen venit super eos tam horribilis calamitas. Idem expectabimus de adversariis, quanquam, cum dabunt poenas, misericordia tangemur, et dolebit nobis eorum interitus. Nec mihi dubium est, quin qui post nos vivent, ii saepe mortem optabunt, stuporem enim tantae calamitates adferunt, nec, ut in levioribus periculis solemus, lachrymis tum locus est.

Et factum est, cum perderet Deus civitates illius regionis, 19, 29 recordatus est DEUS Abrahae, et emisit Loth de medio subversionis, cum subverteret civitates illas, in quibus habitabat Loth.

Quae hic addidit Moses de Abrahamo, pertinent ad commendationem orationis, manifeste enim pronunciat, quod Deus servaverit Loth non tam propter propriam iustitiam (Caeperat enim iam periclitari propter inobedientiam et moram. Itaque Angeli obiurgant eum: ‘ne et tu similiter pereas’. Uxor autem periculosius peccavit, ac ideo durius punita est) quam propter orationem fidelis Abrahae. Quasi dicat, sic Deus dilexit Abrahamum, ut propter ipsum servaretur Loth: Noluit enim sancti Abrahae pectus in infinitum tristari, sed hanc consolationem ei reliquit, ne haberet tristitiam super tristitiam. Vides igitur in omnibus sanctorum historiis, esse vices crucis et liberationis, passionum et consolationum, lachrimarum et gaudii. Hi ergo sunt veri Atlantes portantes coelum humeris, hoc est, sustinentes pondus irae divinae, et tamen retinentes in tantis calamitatibus fiduciam misericordiae. Licet in conspectu videant contrarium, atque ibi demum experiuntur, quanta vis sit fidelis orationis.

Iam sequitur textus de Loth et filiabus eius, qui quaestionibus et confusionibus tam Iudaeorum, quam nostrorum plenus est. Nostri patres eum praetereunt fere, sive impediti aliis studiis, sive Deo sic curante, ne Ecclesia multitudine librorum oneraretur. Nam ego ipse eam ob causam

odi meos libros, et saepe opto eos interire, quod metuo, ne morentur lectores, et abducant a lectione ipsius scripturae, quae sola omnis sapientiae fons est: ac terreor exemplo superioris aetatis. Postquam enim in hominum commentarios inciderunt, qui sacris studiis dediti erant, non solum plurimum temporis in lectione veterum Theologorum consumpserunt: sed etiam tandem occupati sunt in Aristotele, Averroe et aliis, ex quibus postea nati sunt Thomae, Scoti et similia portenta.

Debet igitur modus librorum esse, inter quos hi soli probanti sunt, qui lectorem deducunt ad scripturam recte intelligendam. Et in ipsis patribus nihil debemus amplecti, quod cum sacra scriptura non conveniat: ea sola maneat iudex et magistra omnium librorum. Expedit sane, audire confitentes, sive mortui sint, in scriptis, sive vivant, et viva voce doceant: modus tamen esse debet. Et regula haec perpetuo servanda est, ut illos legamus, qui scripturam explicant. Nos destituti in hoc loco patrum sententia, quanta dexteritate possumus, hunc locum explicabimus.

19, 30 Et ascendit Loth de Zoar, et habitavit in monte una cum duabus filiabus suis. Timuit enim habitare in Zoar, et mansit in specu, ipse et duae filiae eius.

Loth non sine causa timuit manere in Zoar, iam enim quatuor urbes perierant, haustae coelesti igni. Loth autem in ipsa civitate salutis plus amittit, quam in civitate perditionis amiserat. In Sodomis enim perierat domus, res familiaris, pecora, familia: sed hic amittit dimidium vitae partem, uxorem scilicet, foeminam sanctam, et gravissimis praeditam moribus. Cogitavit igitur, si in civitate salutis uxor mea salvata non est, forte cras idem periculum me et filias occupabit. Eia igitur meae filiae, secedamus in tutiorem locum, ubi a tentatione ista, qua uxor periit, possumus tuti esse. Relinquit igitur *Zoar,* quae ipsa quoque statim interit coelesti igni, sicut coeterae hausta. Nam textus clare dicit, omnem regionem esse perdendam: itaque Zoar quoque interiit, quae quinta ex his civitatibus fuit.

Hic igitur fuit exitus harum civitatum. Horribilis profecto clades, et ad terrendos impios necessaria, quae saepe inculcetur illusoribus et persecutoribus verbi. Satis enim et plus satis esset aliorum peccatorum, in quibus omnes nascimur et vivimus: sed maior pars addit hanc diabolicam malitiam, ut rideat, blasphemet et persequatur verbum: Ergo contemnere verbum Dei est antecedens, cuius certissimum consequens est, perire sulphure et flagrante igni. Ita ut vix pii hoc horribile iuditium videre et ferre possint.

Igitur Loth quoque territus exemplo propriae uxoris fugit: non enim posset calamitas propius eum attingere, nisi attingeret corpus eius, sed

nondum satis malorum est, ubi statuebat certam salutem fore, ibi in maius periculum incidit, secundum vulgare illud dictum: Nulla calamitas sola[1]: Abdit se in speluncam, fugiturus conspectum non solum regionis, quae iam flammis interierat, sed etiam hominum, pecorum et ipsius quoque terrae, nequa peccandi occasio esset. Quid igitur eum putabimus habuisse animi, sine dubio in summis pavoribus et angoribus fuit: Sed ecce excipitur novo malo, sicut iam sequitur.

Et dixit primogenita ad iuniorem: Pater noster senuit: et vir 19, 31–33
non est in terra, qui ingrediatur ad nos iuxta morem universae terrae. Veni potabimus patrem nostrum vino, dormiemusque cum eo, ut servemus de patre nostro semen. Potaverunt itaque patrem suum vino nocte illa, et ingressa est primogenita, dormivitque cum patre suo: et ille non advertit, cum adcumberet illa, et cum surgeret.

Stultum sane hoc puellarum consilium fuit. Ideo carnales homines, qui superficiem scripturae sanctae inspiciunt, cum talia legunt, de suis cupiditatibus cogitant, et credunt puellas has insaniisse libidine. Non autem vident horrendam severitatem irae Dei, luctum et pene desperationem horum hominum. Nec minus temerarii sunt Iudaei, qui disputant impossibile esse, quod Moses hoc loco scribit: Loth non sensisse concubitum cum filiabus.

Ante omnia igitur vindicandus Moses est a suspicione mendatii. Nos igitur sic dicimus hoc certum et indubitatum esse, quod Loth et filiae eius fuerint in summo pavore et angustia, non solum propter triste spectaculum, quod tantam hominum multitudinem subito viderunt perire: sed etiam propter domesticam calamitatem, quod Loth charissimam coniugem et filiae suavissimam matrem amiserant: hic casus siquem non frangit, durius Adamante pectus habet.[2]

Iam etiam hoc verum est, quod homines in summo perturbationis gradu positi fiunt alieno animo, et tum dicunt, tum faciunt, quorum posthac obliviscuntur. Animus enim quasi demersus magnitudine perturbationis ipse se nescit. Quod igitur Loth cum filiabus concubuit, sine dubio sensit: est enim concubitus concussio totius corporis, et expergefactio animae et corporis. Cur autem dicit Moses non sensisse?

Respondeo: Ut significet summam perturbationem, qua absorptus postea non meminit, quid fecerit. Experimur enim idem in levioribus rebus, in melancolicis et amatoribus, quorum affectus vehementiores sunt,

---

[1]) *Nicht bei Thiele; vgl. Unsre Ausg. Bd. 16, 326, 32.* [2]) *Ovid ex Pont. 4, 12, 31:* duro tibi pectora ferro esse vel invicto clausa adamante putem *vgl. Otto a. a. O. S. 4.*

quod multa dicunt et faciunt, quorum posthac non amplius meminerunt. Amantes enim vere sunt amentes[1], et sibi somnia fingunt[2]: Ut Poëta ait: non igitur novum aliquid est, quod aliquis in insigni stupore faciat rem, cuius postea non meminerit. Iudaei igitur sunt mali dialectici. Non enim scriptura dicit, quod Loth non senserit concubitum: hoc dicit surrexisse eum, et nescivisse, quod concubuerit. Describit enim Moses magnitudinem perturbationum, et non, ut porci isti iudicant, illecebras concupiscentiae.

Pertinet autem ad excusandum sanctum virum, quod non solum in summa perturbatione fuerit: sed etiam a filiabus inebriatus. Conveniunt igitur duo incommoda, perturbatio extrema et ebrietas, quod facile perturbatos occupat. Quod igitur mirum, si mane nescivit, quae noctu fecit? Ebrius loquitur aliquid, et bene sentit se loqui. Et tamen post somnum non meminit eorum, quae locutus est.

Haec est mea cogitatio de hoc loco. Non enim possum ferre, quod canes isti dicunt: Mosen scribere impossibilia. Usitata haec sunt, etiam in levioribus perturbationibus: Ut cum vel melancolia, vel amore, vel alio motu animi occupantur, non semper meminerint eorum, quae fecerint. Non igitur impossibile, sed quotidianum et usitatum est, ut homo cadat in tantum affectum amoris, odii, tristitiae, letitiae etc., ut prae ira vel gaudio nesciat, quid vel dicat, vel faciat: et tamen sentit se dicere et facere aliquid.

Sed an Loth ideo penitus excusari possit, hoc non dico: Et pertinet res ad aliam disputationem. Hoc tantum dico, non impossibile esse, quod textus hoc in loco de Loth dicit. Dupliciter enim ebrius est, Corpus vino, et animus curis. Non igitur mirum est, quod sobrius nesciat, ebrius quid fecerit. Pertinet autem hoc eo quoque, ut historias sacras discamus diligentius inspicere: nec sicut porci vel odio, vel concupiscentia excitati irruamus in scripturam sanctam.

Lyra non recte sentit, quod sanctum patrem Loth involvit in tam magnum peccatum. Sedit enim in suo monasterio, nec vidit flagrantem Sodomam, quod spectaculum non occasionem libidinis praebuit: sed animum in vehementissimam perturbationem demersit. Hoc cum Lyra non videat, cogitat fortasse Loth ebrium saltasse[3] in specu, et postea ista secuta esse. Sed non recte iudicat, nec inspicit historiam, ut debebat, adhibitis omnibus circumstantiis. Puer si domum incendit imprudens, non ideo iudicatur incendiarius esse. Itaque leges ei parcunt. Sic cum rixa oritur, et irati inter se concurrunt, ibi civiliter excusantur quaedam, quod

[1]) *Vgl. Wölfflin: Das Wortspiel im Lateinischen S. 195. Otto a. a. O. S. 18.*
[2]) *Virgil, Eklogen 8, 108:* Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
[3]) *Vielleicht ist Luther in dieser Wendung beeinflußt von dem Sprichwort:* Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit. — *Nicht bei Otto.*

imprudentia peccatum sit: consilium autem non adfuerit. Sic Loth in tantis angustiis fuit, ut, quid faceret, nesciret. Habent pii tenerrima corda, et sunt, ut scriptura vocat, ceu vermiculi tenerrimi ligni. Sed duri et superbi facile contemnunt omnia. Debet autem iudicium fieri, non secundum inexperta corda, sed pavida, et quae iram Dei metuunt, praesertim tempore tantae calamitatis, qualem Loth sensit. vgl. Jes. 41, 14

Non igitur impossibilia, sed naturalia et cum experientia consentientia scribit: huc etiam illa circumstantia facit, quod scribit ascendisse eum in montem, et se abdidisse in psecu. Si enim mens non perturbata fuisset, potius ad Abrahamum in Hebron migrasset, quam in montem, sed perturbatus nihil potest capere consilii de ulla re facienda.

Idem de filiabus Loth sentiendum est: Nota est imbecillitas sexus, periculum autem, in quo fuerant, et subitus matris casus, quem viderant, graviter perturbarant animos: non igitur libidine incitatae, sed invitatae commiseratione singulari totius generis humani hoc consilium instituunt. Nam considera diligentius verba eorum. 'Non, inquiunt, est amplius vir super terram'. Item: 'servemus semen a patre': Hae desperationis, non libidinis aut concupiscentiae voces sunt, nitentes admodum specioso fundamento. Cogitarunt enim: Deus non vult perdere, sed conservare genus humanum. Iam autem nemo relictus est praeter patrem, qui generationem et sexum conservare possit. Cum patre igitur dormiamus necesse est, sic nihil nisi mera sollicitudo de genere humano conservando sanctas puellas exercet. Antecedens, quod nullus vir in terra sit relictus, plenum est perturbationis: Animus igitur sic perturbatus suadet concubitum cum patre, et non libido.

Haec dico, non ut excusem eas: sed ut veras causas huius facti exponam. His enim depraehensis extenuatur scandalum, quod sequi necesse est, si causas has non videas: Sanctus est pater, sanctae sunt puellae: sed peccant uterque. Peccant autem non malitia nec libidine, sed ingenti perturbatione. Nemo igitur horum exemplo libidini suae patrocinari poterit. Si extra perturbationem et mentis compotes fuissent, abstinuissent ab incoestu, et se, sicut Abraham postea facit, consolate fuissent omnipotentia Dei, qui etiam ex lapidibus homines facere, aut mortuos revocare in vitam posset. Sed perturbatae secundum sensum praesentem concludunt, si nullus vir reliquus est praeter patrem, ex patre habebimus semen. Est autem senex et pudebit eum facti, Inebriandus igitur erit: Ut obliviscatur praesentis calamitatis, et incendatur vino senile corpus, sobrius id nunquam faciet, etc. ¶

Non absque causa Moises tot verbis foedum factum describit. Quod enim tanta multitudo impiorum perierit, per se horribile est, sed quod Loth, spectator huius poenae, et filiae eius in tantum peccatum prolabuntur, horribilius est. Scripta autem sunt in terrorem omnium impiorum.

imo etiam sanctorum, ne fiant securi, sed agnoscentes infirmitatem, cuius tam horribilia exempla extant, diligentius instent orationi, et vigilent: et tamen convenit nobis, ut tum patrem, tum filias excusemus, nec aggravemus eas. Peccant enim non sicut impii, libidine, otio, securitate, malitia, sed ex ingenti perturbatione, nullo autem modo casus ex perturbatione factus cum eo, quod deliberato fit, conferendus est: qui non fuisset Loth tam facile inebriatus, si non prius animus fuisset perturbatus. Peccavit igitur, sed venialiter, hoc est, Deus hoc peccatum ex misericordia remisit, nunquam enim id commisisset, si sobrius et animo praesente fuisset.

Sed, inquies, cur Deus sic labi suos sinit? Nobis quidem non licet curiosius inquirere de factis Dei, et tamen facilis hic est responsio. Vult Deus nostram imbecillitatem nobis notam esse, ne abeamus in securitatem. Loth igitur et sua sancta familia viderant Sodomitarum peccata, et merito ea erant execrati: sed quid nunc ipsis accidit? Tam sancti homines abominando incaestu se polluunt, id quod apud Sodomitas vix factum est, aut saltem non vulgo factum est.

Causa igitur patet, vult Deus, ut humiliemur omnes, et tantum de ipsius misericordia gloriemur, quod enim ad nos attinet, nemo altero melior aut sanctior est, nemo tam graviter peccat. Si Deus manum retrahat, tu eodem peccato te pollues. Utrunque igitur hic horribilis casus docet, ut te coram Deo humilies, et assiduo pro gubernatione spiritus sancti ad Deum ores. Iudaeorum nugae de vino propinato, et de philtro parato a filiabus, explodendae sunt. Fuit naturale vinum, quale in ea regione natum est, sine dubio et saporis optimi et lenissimi. Nam supra eius regionis foecunditatem Moses ipse valde commendavit, Paradisum Dei appellans. Ebrius igitur Loth factus est, non quod sic immaniter biberit vinum: sed quod perturbatus animus vinum tam praestans non potuit ferre.

Quamdiu Loth in monte isto habitarit, Moses non commemorat: sed verisimile est consideranti circumstantias, ab Abraha quaesitum, et in suam domum translatum, et ibi cum filiabus alitum esse. Quomodo enim potuit nepotum ex tanta clade vix ereptum deserere, et non humanissime complecti exutum iam omnibus facultatibus, quas antea magnas habuerat, et iam viduatum uxore, et tandem etiam incoestu pollutum? de quo, ut debuit, sine dubio multum doluit: fuit enim humanissimus vir.

Haec circumstantiae arguunt, sed Rabini, seu, ut verius appellem, asini Iudaeorum tales circumstantias non considerant, tantum iudicant de scriptura ex suis sordidis affectibus: qui tales sunt, legant Ovidium, Martialem et similes. Hic enim agitur de maximis tentationibus sanctissimorum hominum, et de acerrimis certaminibus fidei. Ipsum enim Abrahamum vide, sicut fluctus fluctum impellit: ita tentatio et calamitas alia post aliam eum excipit. Maximus ei luctus fuit, quod oratione sua non potuit servare quinque

urbes. Deinde exercuit eum necessaria cura de nepote Loth, et postquam vivere eum scit, etiam resciscit de incoestu, haec omnia grandia sunt.

Ipsum autem Loth quibus cogitationibus putabimus excruciatum esse, postquam didicit a se impregnatas esse? hic sine dubio, nisi ab Abrahamo crebras consolationes audivisset, dolore et luctu extinctus esset. Quid enim faciat animi dolor insignis, exempla docent, quod multi subito hoc acerrimo veneno extinguntur. Haec verisimiliora sunt, quam quae ex Iudaeorum sententia Lyra recitat, sedisse Loth in tabernaculo sub ficu, in domo Abrahae et Loth et filias eius vixisse: imo mortuos esse magis verisimile est.

Sic inerudita sunt, quae de nomine Lyra adfert, qui filiam natu maiorem impudentiorem vocat, indidisse enim filio per hoc nomen notam, quod ex incoestu sit natus. *Moab* enim significat ex seu de patre. Minorem vocat verecundiorem, quae suum filium generali, et non infami nomine appellaverit *Ben Ammi*, id est, filius populi mei.

Sed quaecunque tandem sit ratio nominum, historia docet, has duas gentes pulchre esse benedictas prae caeteris, nisi quod prohibitum fuit, ne admitterentur ad gubernationem: sed quanto illud praeclarum magis est, quod proava Christi, Ruth, Moabitis fuit. Abiecerat Deus seditiosum Core, sed filii eius quantis donis ornati fuerint, ostendunt suavissimi Psalmi, qui inter Davidicos extant. Pertinet igitur haec consolatio ad posteritatem, ne ideo desperent de benedictione, etiamsi maledictionem et iram Dei attraxerint ad se maiores propter peccata. Cur igitur, inquies, primogenita filium suum vocavit Moab? Respondeo, neutiquam id fecit eo consilio, ut infamaret filium: sed ut removeret scandalum, et significaret, non libidine aut concupiscentia, sed ex perturbatione factum esse, quod concubuerit cum patre. Excusat igitur suum pudorem, et ostendit, quod omnino abstinuisset hoc incoestu, si sana fuisset mens, sed perturbatam studio non malo hoc flagitium non fuisse, quod putaverit conservationem humani generis aliter retineri non posse.[1]

---

7 extinguntur *G. I. K.*] extinguuntur *H. Erl.* *13 Moab*] מוֹאָב *15 Ben Ammi*] בֶּן־עַמִּי *29* non fuisse *G.*] hoc flagicium designasse *H.*] non commisisse *I. K. Erl.*

[1]) *Zu den Ausführungen über v. 31—33 vgl. Unsre Ausg. Bd. 14, 287 ff.*

19,34–38 Factumque est in crastinum, ut diceret maior natu ad minorem: Ecce iacui heri cum patre meo: veni potemus eum vino etiam hac nocte, et veni tu, et dormi cum eo, ut vivificemus de patre nostro semen, potaverunt igitur etiam illa nocte patrem suum vino, et surgens minor iacuit cum eo: at ipse nescivit quando illa accubuit, et quando surrexit: et conceperunt duae filiae Loth a patre. Peperit autem maior filium, et vocavit nomen eius Moab, ipse est pater Moabitarum usque in hunc diem: sed et minor quoque peperit filium, vocavitque nomen eius Ben Ammi, ipse est pater filiorum Ammon usque in praesentem diem.

Minor natu etiam certo consilio filio hoc nomen indit, sicut enim maior natu peccatum suum in filii nomine confitetur, et tamen praecidit scandalum, quod non libidine, sed perturbatione animi peccaverit: ita iunior se hoc nomine *Ben Ammi* consolatur, quod, quanquam ex incoestu natus sit, tamen Deus eum non sit abiecturus poenitus, tanquam partem sui populi. Mihi autem verisimile videtur, haec nomina filiis imposita esse ex consolationibus et contionibus, quibus eas Abraham erexit, non enim dubitabimus, et habuisse eas opus assiduis consolationibus, et Abrahamum tanquam summum Episcopum in hac re suum fecisse offitium diligenter. Meae filiae, dixit, peccastis quidem graviter, sed non ideo desperetis: Deus videt corda vestra, quod non libidine et lascivia peccastis, sed quod in tanto luctu et metu animus quasi alienatus fuerit, et sui non compos. Haec est una pars consolationis, quam in nomine Moab mater expressit. Deinde addidit hanc quoque, non est, ut metuatis, Deum vestrum peccatum derivaturum esse in filios: benedicet eis, tanquam parti sui populi, non abiiciet eos etc.

Haec est explicatio huius capitis, non quidem accurata. Quid enim in tanta mole negotiorum accuratum a me fieri potest? sed simplex et vera. Ac memineritis, historiam hanc saepe inculcandam esse in concionibus propter impios et securos, quorum semper maxima est copia. Ne fiamus similes Antinomorum, qui legem prorsus ex Ecclesia eiiciunt, et securitatem in suis auditoribus fovent, quorum perditio iusta est. Sepelit autem Moses hoc in loco Patriarcham Loth, hoc est, nullam posthac eius faciet mentionem, et verisimile est, moerore et luctu sic excruciatum, ut non diu supervixerit.

Genesis.
Caput XX.

Et profectus est inde Abraham in terram Australem, et habitavit inter Cades et inter Sur, et peregrinatus est in Gerar. 20, 1

Saepe dixi: Moses cum describit vitam omnium sanctissimi Patriarchae Abrahae, facit id admodum civiliter, non dicit de miraculis, non de monstrosis operibus et studiis, qualia monachi et heremitae iactant. Facit eum hominem valde plebeium, qui in negotiis oeconomicis versatus est, habuit enim uxorem, habuit liberos, habuit familiam numerosam, cum ea hinc inde peregrinatus est pro necessitate et commoditate sua. Nulla igitur hic singularis sanctimoniae species est. Itaque Papistae et maxime Monachi historias has neque curant valde, neque legunt diligenter. Quod si novam vestis formam, portentosos mores, et vivendi modum ab omnibus hominibus alienum in hoc Patriarcha viderent, tum demum tanquam sanctum hominem praedicarent.

Haec opinio non potest eximi mundo, nihil admiratur, nisi quod singulare est. Cum igitur audit toties peregrinari, et novas sedes quaerere: quid inquit, hoc singulare est? aut magnopere praedicandum? Habet hoc commune cum multis, et maxime cum mendicis et aliis vilissimis hominibus, quae praedicatione digna sunt, singularia sint necesse est, ut excitent admirationem etc.

Sic fit, ut hae sacrae historiae negligantur, et plus admirationis ac concursum maiorem habeat praestigiator aliquis in foro, cum ignem evomit, quam hic sanctus vir, incedens in fide et verbo et in summa patientia et spe expectans promissionem a Deo sibi factam. Hoc non vident Papistae, tantum opus nudum respiciunt, non in opere considerant ipsum cor et affectum. Peregrinatur, inquiunt, Abraham, et ducit secum uxorem et familiam: Ergo est simplex laicus. Si autem ivisset in desertum, si esset factus monachus, hoc fuisset admirabile, et dignum, quod scriberetur. In summa mundus vult ludi praestigiis, veritatem negligit et odit.

Nos igitur respiciamus ad verbum, quod Deus ipse iubet Abrahamum egredi, et perambulare terram, supra capite secundo. Haec verba etsi illustriora sunt hoc sole, quem videmus, tamen talpae istae non vident, sed tantum admirantur suos cucullos, vigilias, ieiunia. Sed quid putabimus sanctum virum cum tam numerosa familia passum esse, errantem inter gentes, et subinde mutantem habitationem? Oportuit enim eum pendere inter caelum et terram, siquidem non habuit vestigium unius pedis. Haec

certe monstrosa religio fuit et difficilior, quam monachorum, quantulum enim est induere cappam, et interim securum esse de victu et pace, ac gloria et honore frui in pulcherrime extructis monasteriis? Non igitur leviter transeundae sunt hae historiae, a spiritu sancto scriptae et relictae Ecclesiis, ut legantur ad aedificationem fidei.

Supra capite duodecimo[1] scribit Moses: Abrahamum venisse a Bethel in Hebron ad convallem Mamre, ubi tres fuerunt fratres, hospites Abrahae. In eo loco vixit ad annos plus minus viginti, ac natus ei ibi est Ismahel. Vidit quoque ibi Sodomorum interitum, et accepta ibi promissione de nascendo ei filio, quaecunque tandem occasio fuit, discedit inde in Gerar. Fortasse illi tres hospites Abrahae mortui sunt, et secuti deteriores haeredes, sicut fieri solet, aut vitavit locum Sodomis tam vicinum. Quanti autem constiterit transferre sedem alio, scriptura non ostendit, sed relinquit hoc nostris cogitationibus, qui sumus oeconomi.

Porro Abraham procul dubio multos convertit istis viginti annis in Mamre, et tamen interim pereunt quinque vicinae civitates in fertilissimo loco sitae. Ita enim plaerunque fit, mundus initio cum gaudio accipit verbum: sed mox iterum fastidit, tandem, sicuti hodie videmus, etiam abhorret et odit. Cum scilicet propter verbum certa pericula expectanda sunt: sicut Christus in parabola de terra petrosa dicit, haec enim omnium hominum natura est, quod cupiunt quidem aeternam vitam, sed coniunctam cum commodis huius; sed nota est Christi sententia: 'Qui me vult sequi, tollat suam crucem', hoc est, qui volunt esse haeredes aeternae vitae, multa acerba tolerent et ferant necesse est.

Matth. 16, 24

Atque hic Abraham suo exemplo egregie nos tum docet, tum consolatur: Est haeres totius terrae Canaan, divinitus enim est ei promissa, et tamen non possidet unius pedis vestigium in tota terra: sed errat cum suis iam hic, iam alibi, nec habet ullam certam sedem, et ad ipsius exemplum quoque filii et nepotes eius exules sunt, nec habent certas sedes. Hoc quo pertinet? nimirum ut discamus sanctam patriarcham expectasse aliud regnum et aliam possessionem, quam quae terrena et huius vitae esset. Ideo in sua propria terra divinitus sibi promissa mansit peregrinus: Ut scilicet relinqueret Pharisaeis certam intelligentiam scripturae sanctae de regno Dei, et praecipuo capite promissionum, quod terra Canaan non sit praecipuum caput promissionis, alioqui Abraham promissionem non esset consecutus, qui cum nepotibus in ipsa promissionis terra peregrinus vixit. Nobis igitur quoque tanquam peregrinis in hac vita vivendum est, donec pertingamus in veram patriam et meliorem vitam, quae aeterna est: Sed posterior aetas est, sicut Pharisaeorum historia docet, aeternarum promissionum oblita, tantum haesit in possessione terrae Canaan, ac Christi regnum iudicavit corporale esse.

[1]) *Muß heißen:* capite decimo tertio.

Sed Prophetae et alii sancti peregrinationes illas Abrahae inspexerunt diligentius et monuerunt, aliam terram et patriam aliam expectandum, quam hanc corporalem et perituram, alioqui haec corporalis terra ipsi patri Abrahae, cui promissa fuit data esset, sed ne quidem vestigium pedis toto vitae tempore ei contigit, quin locum sepulturae pro Sara sua pecunia sibi emit. Hoc viderunt Prophetae. Talpae nostrae pontificiae non vident. Qui dicunt, habuit Abraham uxorem: Ergo fuit simplex laicus, ergo nihil spirituale in eius historia est, sunt omnia communia etc.

Sed Epistola ad Hebraeos aliter iudicat, involvit enim haec communia in ipsum spiritum, et dicit in fide illa communis esse facta, in fide uxorem duxit, in fide peregrinatus est, hoc est, ubique sustentavit se promissionibus divinis seu verbo, et expectavit aliam mansionem seu habitationem, quam terrenam: Ea utitur ceu cibo et potu. Hebr. 11, 8 ff.

Igitur nos quoque discamus hac vita sic uti, ceu diversorio, vel hospitio nocturno. Ad hunc modum si peregrinationem Abrahae intelligas, non dices fuisse commune hoc. Est enim fidei opus, et eius quidem ardentissimae et firmissimae. Sed impii haec non vident, sicut scriptum est: tollatur impius ‘ut non videat gloriam Dei’. Opera enim, quae procedunt a verbo, et fiunt in fide, plena sunt in oculis DEI: Utcunque de iis iudicet mundus, Etiamsi tantum pastor ovium aut nutrix infantis sis. Sed, ut dixi, talpae istae tantum ea vident, quae habent speciem aliquam, si simiam in publicum locum constituas, foedam et inutilem bestiam, statim invenies, qui ad eum accurrant et admirentur, ceu formosissimam bestiam. Sic rara et aliena a consuetudine opera admiratur mundus: de fide autem nihil intelligunt, ac sunt opera Dei semper abscondita sub vili aliqua forma, non splendent in mundo, sed in oculis patris coelestis. Nunc ad textum. Jes. 26, 10

Ex Hebron profectus est Abraham versus Austrum, et habitavit inter Cades et inter Sur. Cades est in confinio tribus Iuda versus orientem. Sur autem in tribu Iuda versus occidentem, circa montana, quae attingunt Aegyptum: In medio horum sita est *Gerar,* quod significat peregrinationem. *Ger* enim peregrinus est: conveniunt igitur hospes et nomen loci. Hospes est peregrinus, et locus habet nomen peregrinationis, sicut nos vocamus Einen gaſt hoff, seu hospitale: Ut intelligas Abrahamum etiam in illo loco non fuisse civem, sed hospitem quendam. Est autem *Gerar* Palestinae civitas, extrema fere ad Austrum. Porro Palestina nondum nominatur cum celebritate aliqua, forte quia nondum fuit regnum, et singulae civitates a singulis regibus gubernatae sunt.

---

31 Gerar] גְּרָר *32 Ger*] גֵּר

20,2 Dixitque Abraham de Sara, uxore sua: Soror mea est, et misit Abimelech, rex Gerar, et tulit Saram.

Hic novum periculum Patriarcham Abrahamum excipit, sed priusquam historiam enarramus, de Chronographia admonendi estis, quae pulchre facit ad scripturam recte intelligendam. Vixerunt eo tempore Sem, Salah, Serug et Thare: quorum Sem viderat originalem mundum ante diluvium. Non autem existimabimus sanctos viros vixisse ociosos, retinuerunt Dei cultum publice, domesticos suos erudierunt de voluntate Dei, de promissionibus, de lege, etc. Haec sine dubio viderunt et audiverunt vicinae domus, atque per hanc occasionem etiam gentes ad veram Dei notitiam pervenerunt et salvatae sunt, etiamsi circumcisae non essent. Fuerunt igitur tum multae Ecclesiae, praeclare institutae in mundo, et tamen accidit, quod etiam hodie, proh dolor, experimur, ut eo ipso tempore maxima licentia et pessimi homines essent: Sicut Sodomitarum exemplum probat, qui tamen in vicinia habuerunt praestantissimum doctorem Abrahamum, cuius beneficio liberati ab externorum regum iniuriis et iugo erant.

Sic hodie nunquam foeliciora ingenia et doctiores homines Germania habuit, sed si recte rem perpendas, nunquam fuerunt homines scelestiores, qui poterant eloquentia sua, cognitione linguarum et aliis donis praeclare Ecclesiam iuvare, hi locant operam suam tyrannis et Pontifici, ac sunt acerbissimi Ecclesiae hostes. Sed idem isto tempore tot sanctorum patrum vides accidisse, feramus igitur ingratitudinem mundi, odia et blasphemias, sicut etiam isti sancti homines tulerunt. Non enim semen ubique foecundam terram invenit, Petrae steriles sunt, sentes et spinae segetes strangulant, et Sathan securis insidiatur. Satis igitur sit nobis, quod tamen aliqui verbum cum fructu audiunt et amplectuntur, sed nunc historiam videamus.

Abraham metuens vitae suae fingit mendatium in isto novo hospitio, et vocat Saram sororem. Cur hoc? quia scilicet Deus nos vult erudire, quod etiam in sanctissimis patribus fuerint affectiones et passiones humanae, ne, sicut tamen plerunque solemus, iudicemus eos lapides aut saxa fuisse, quos timores, suspiciones, scrupuli, irae, gaudia nihil moverint, sed angelis fuerint similes. Sed hoc non est verum, in Angelum metus non cadit, sed Abraham plenus hic metu est, et timet vitae. Igitur Moses eum ut hominem describit, idque nobis in consolationem.

Cum enim nullum certum verbum de coelo de uxore sua servanda haberet, facit, quod ratio suadet, et se suamque uxorem tali mendatio servari posse sperat. Non enim spiritus sanctus semper impellit pios homines: Quaedam sinit eos facere suo arbitrio et voluntate. Elias cum

occideret Prophetas Baal, spiritu Dei impellebatur, sed idem post, nunciata ira Iesabelis, sibi metuit, et secedit in desertum, vitae suae hoc modo consulens: Id facit sua voluntate, non enim iubetur divinitus, ut secederet. Ratio dictabat tutum fore, si lateret in deserto. Igitur qui praesentissimo animo erat, cum Prophetas occideret, hic in suo periculo trepidabat, et nusquam credebat se tutum fore in Israel. Haec ad nostram consolationem sunt scripta, qui de sanctis non aliud cogitamus, ac si fuissent trunci et caudices sine sensu.

Recte igitur de se Paulus et Barnabas dicunt, Actorum 14: 'Sumus Apg. 14, 15 homines mortales vobis similes', hoc non veretur dicere ad Idolatras, quia sancti non semper feruntur impetu spiritus sancti. Habent suas appetitiones et afflictiones, sicut caeteri homines, igitur communibus studiis etiam occupantur, seminant, arant, edificant etc. Ad haec recte facienda sufficit ratio et industria, et quanquam similia impii quoque faciunt, tamen haec in piis Deo grata sunt propter fidem, in qua vivunt. Nihil igitur monstrose faciunt, nisi impellente spiritu sancto singulariter et certo verbo iussi, alioqui manent et vivunt in communibus affectibus et studiis, non occupantur singularibus operibus, sicut Pontificis sancti, qui in vestis mutatione, in mutatione loci, quod soli vivunt et se a reliqua multitudine segregant, sanctitatem ponunt, et interim negligunt timorem Dei et dilectionem Dei, colantes culicem et glucientes camelum: Es ſind mucken ſaiger und cameel ſchlucker.

Non talis fuit Abraham, qui cum omnibus monachis sanctior esset, qui vel fuerunt, sunt, vel erunt unquam, tamen cum ad ignotos Geraritas accedit, trepidat, et vitae metuit, suspicans, postquam tanta Sodomitarum fuit malitia, in eo quoque loco nullum esse timorem Dei. Sic Sem et proavi eius fuerunt patres familias, habuerunt verbum et docuerunt Ecclesiam. Sic nos quoque in eo maneamus, quod Deus ordinavit: si enim Deus aliquid singulare per te volet fieri, vocabit te et occasiones ostendet, quas sequaris, hoc si non fit, gaudeat tamen unusquisque se esse in vocatione divina, cum ista vulgaria huius vitae offitia sustinet et exequitur.

Papistae iactant canones suos et decreta patrum, quae tamen non habent authoritatem divinam, ea adorant, et negligunt interim charitatem, spem et fidem, imo quia persequuntur verbum, fidei hostes sunt. Hos fugito, et imitare sanctorum hominum vestigia, qui non abhorruerunt a communi societate, nec consuluerunt ocio suo, sed communibus huius vitae passionibus subiecti habuerunt uxorem, familiam, quam sua industria et labore aluerunt, sicut communiter solent omnes sani patresfamilias etiam inter gentes.

Sed communia sunt, inquies? At commendata per scripturam sanctam, quae testatur hominem ad oeconomica ac politica offitia creatum. Igitur

10 veretur] *wohl* verentur *gemeint.*

communia ista sunt Dei ordinatio: quam autem requiris tu magnificentiorem commendationem? aut quod clarius testimonium? Ancilla igitur cum mulget vaccas, servus cum pastinat agrum, modo fidelis sit, hoc est, ut statuat placere Deo tale vitae genus, et a Deo institutum esse, Deo magis servit, quam omnes monachi et monachae, qui de suo vitae genere certi esse non possunt. Oppone igitur hasce historias traditionibus et canonibus hominum: certum enim spiritus sancti testimonium hic est, qui describit suos sanctos, quod in fide, verbo et confessione vixerint per reliqua omnia
Reg. 14, 15 similes aliis hominibus, sicut Paulus ad gentes dicit: ‘nos sumus homines sicut vos’, hoc est, similiter affecti: dolemus, cum dolor adest, gaudemus, cum res cedunt ex sententia.

Saepe haec et libenter inculco, et scio non fieri absque fructu: tam alte scilicet hic error omnium animis insedit, quod tantum admiremur rara, aliena, monstrosa. Quin maneamus discipuli spiritus sancti et scripturae, imitantes eorum vitam et facta, quos scriptura commendat et proponit, non curantes, quod Abraham secundum suam singularem vocationem fuit bellator, et occidit quatuor reges, id fecit singulariter iussus, cum tale aliquid Deus abs te volet fieri, etiam te id iubebit, non quidem de coelo per Angelos, sed per ordinariam potestatem. Id si non fit, quiesce a singularibus, et propone tibi Abrahamum patremfamilias in ea vocatione: etsi, ut Papistae dicunt, sunt laicalia opera: tamen propter fidem et verbum vere sunt spiritualia. Sic gloriari monachus de cucullo et monasterio suo non potest, sive canones patrum, sive decreta Pontificum prae se habeat. Canones enim cum suis conciliis et decreta, siquid habent boni, consentiunt cum scriptura sancta. Si non consentiunt, nihil ea curamus: sed etiam ut suspecta merito fugimus et abiicimus. Nos autem cum testimonio scripturae praedicamus civilia opera, Voluit enim Deus nos ferre communes afflictiones et casus humanae scripturae, et iubet, ne in iis desperemus, sed confidamus eum nobis adfuturum: quin instruxit nos ratione naturali, qua regamus ista civilia, ne tentemus Deum, subiicientem nobis terram: Nunc ad historiam.

Textus dicit a rege Abimelech raptam Saram. Hic oritur quaestio, quomodo verisimile sit Saram ob pulchritudinem raptam, nec id a vulgari aliquo homine, sed ab ipso rege, cum esset iam annosa vetula, annos scilicet nata .75. In hac aetate pulchritudo formae commendari non solet: oportet igitur illud saeculum vivatius, et robore complexionum longe fuisse praestantius, quam hodie, iam enim mulieres ingressae .40. annum fere, non amplius ad partum idoneae sunt, et Sara septuagenaria non solum propter pulchritudinem commendatur, sed adhuc est in spe prolis. Moderatiores igitur tum fuerunt homines, adiuti quoque sunt, ut existimo

28 scripturae *[Druckfehler] G.*] vitae *H.*] naturae *I. K.*

clementia coeli. Hodie non gula solam affligimus nostra corpora et debilitamus, sed etiam peccatis nostris corrumpimus coelum, hoc est, Deum impellimus, ut inclementia tempestatum maior sit, quam illis temporibus fuerit.

Et voluit quoque Deus, benedictionem magnam in suis conspici, quod qui Deum timent, eorum iuventus renovatur sicut aquila, et efflorescit pietas eorum in corpus eorum, sicut de Mose, de Iosua, de Cales et aliis testatur scriptura, quod vires suas iuveniles etiam in graviore aetate retinuerint, quanquam omnino etiam hoc verum est, quod moderatus victus naturam egregie sublevat. Ubi econtra etiam firmissima corpora luxu dissolvuntur, et cum morbos cumulant, tum mortem approperant. vgl. Ps 103, 5 Jes. 40, 31

Et venit Deus ad Abimelech in somnio noctis, et dixit ad eum: 20,3
Ecce, tu morieris propter mulierem, quam accepisti:
Est enim iuncta marito.

Abraham ea ratione, quam putavit salutis occasionem fore, uxorem suam in periculum adducit. Nec in eo peccavit, quod tale consilium instituit, ubi enim non est superius verbum, quod nos gubernet, rationem recte sequimur. Loquor autem de civilibus: nam quod ad spiritualia attinet, abunde patefecit omnia in verbo suo Deus. Subiecit autem externa et corporalia rationi, nec opus est ad ea (simpliciter loquendo) spiritus sancti admonitionibus: industria, studio, cura opus est, alioqui tentamus Deum.

Quod igitur ad historiam attinet, describitur rex Abimelech, quod fuerit rex pius: Haud dubie igitur ex eorum numero fuit, qui audiverunt Patriarchas Sem, Salah et alios. Magnum enim est, quod Moses clare dicit: Deum dignatum esse cum ipso loqui. Venit ad eum, non Angelus, inquit, sed Deus. Singulariter igitur hoc notandum est: Cur igitur, inquies, a tam pio homine metuit Abraham? Ego id existimo factum propter horribile exemplum quinque civitatum. Expertus enim ibi est tantam malitiam hominum, ut Deo ipso teste in tota regione ea non invenirentur quinque homines iusti: Si ergo, cogitavit, in hac benedicta terra, quae vicinum doctorem habuit summum Patriarcham Sem, tantum fuit impietatis et scelerum: Quocunque veniam impios Sodomitas inveniam, homicidas et adulteros: Ex hac cogitatione puto timorem hunc extitisse. Docent enim nos nostra mala, sicut Graeci eleganter dicunt *παθήματα* esse *μαθήματα*.

Nec potuit hoc argumentum ab homine sapiente contemni. Si enim tu videres unam et alteram civitatem de coelo tangi, de quibus spem habuisses, esse in iis Ecclesias bene institutas, quid de reliquis sperares? quae infames sunt adulteriis, usuris, helluationibus, luxu, dolis, fraudibus etc. qualia fere hodie sunt omnia emporia per Germaniam. Sic

Sodomitae sanctum cor turbaverunt suis peccatis, ut spem abiecerit de omnibus aliis hominibus. In eam cogitationem ipsa experientia eam deducit, et quidem sine peccato.

Timet igitur Abraham vitae suae, et non sine causa, si diligenter inspiciamus circumstantias. Erat ei facta promissio, hoc anno parituram Saram, et promissio haec ideo illustrior et certior erat, quod erat filio impositum nomen Isaac. Hoc laetum nuntium sequitur acerbissimus casus quinque civitatum, quarum curam tantam habuit Abraham, ut pro eis intercederet apud Deum, sed repulsam passus est, quod tanta malitia esset istorum hominum, ut non quinque iusti inter eos invenirentur. Deinde domestica calamitas accessit. Loth enim Sarae frater fuit, ei primum eripitur uxor. Deinde per stultitiam filiarum committit incoestum: haec tot et tanta mala, quae uno anno acciderunt, quid mirum, si fregerunt cor sancti Patriarchae, ut nihil usquam putaret tutum esse? Has circumstantias qui non observant, historiam non intelligunt. Ideo etiam contemptim eam legunt. Mihi quidem mirum videtur, quod in tanto luctu Abraham generare potuit.

Pertinent autem haec eo, ut discamus, quomodo Deus suos sanctos soleat exercere. Monachi, quia uxorem habuit Abraham, ex qua suscepit filium, existimant voluptuariam eum vixisse vitam, sed tentationes et pericula, quae hoc uno anno ipsi varia et gravissima obiecta sunt, non vident. Sunt enim imperiti certaminum spiritualium, quibus sanctorum fidem assidue exercet Deus.

Extat in Papatu liber, sanctorum legendas seu historias continens, eum valde odi, tantum eam ob causam, quod portentosos cultus et stulta miracula ab ociosis hominibus conficta continet: Et revera tantum augent contemptum politiae et oeconomiae, imo etiam ipsius Ecclesiae fere. Fugiendae igitur et explodendae sunt tales fabulae: Caput doctrinae Christianae est fides. De ea nusquam unum verbum totus liber meminit. Id unum agit, ut monasticen et monachorum opera, quae a communi hominum consuetudine alienissima sunt, laudet.

Sic hodie Papistae monastices authores plenis buccis depraedicant, quod fuerint sancti homines: Sed quid hoc ad nos? non enim disputamus, an Augustinus et alii sancti fuerunt: si autem de sanctitate loquendum omnino est, an non sanctior Paulus? Imo an non sanctior Christus? Cur igitur hos non sequimur? Cur horum canones seu doctrinam non amplectimur? siquidem certi sumus, si Christum audimus et sequimur, Deo nos placere.

Haec sanctitas nobis debebat sufficere: Non debebamus aliam sanctitatem extra vocationem nostram singularibus operibus quaerere.

2/3 eam deducit] *soll* eum deducit *heißen.*

Carthusiani per omnem vitam carne non vescuntur? Cur hoc? sanctus vir ita instituit. Hoc autem respondere satisne est? quanto rectius sapientissimus vir Augustinus, qui prae aliis hanc habuit lucem, ut diceret se priorum patrum scripta ita legere, ut eis non credat, quantumlibet sanctitate et doctrina praepolleant, nisi cum scriptura conveniant. Praeclari et summi tituli hi duo sunt, sanctitas et doctrina: Sed ad fidem non sunt satis. Ea tantum niti debet verbo Dei. Haec Augustini sententia pulcherrimum iudicium proponit contra omnes traditiones humanas. Hoc enim si sequaris dices, quantumlibet eruditione, doctrina, sanctitate, opibus, potentia praepolleat Papa, vadat cum sanctimonia, doctrina et reliquis donis, quo vult, nos eum non audiemus, nisi produxerit scripturam sanctam.

Necessaria autem haec nobis cautela est, nam Domini nostri Iuristae nondum desinunt laudare suos stultos et impios canones: Et pontificum authoritatem tueri ac defendere.

Sed redeo ad Abrahamum, eum sic vides describi, quod ambulet in fide, quod operetur multa bona, et patiatur multa mala. Hunc sequamur et alios similes Patriarchas, habemus enim meliora exempla, quam quae Papa in legendis suis proponit, et illi ipsi patres, quos Papistae praedicant, in mera libertate servarunt, et servari iusserunt suas traditiones: id Papa non facit, et nectit laqueos conscientiis, et facit necessarias. Leges enim, quas iubet servari, iubet sub poena damnationis.

Sed sic Diabolus loqui debet, non Episcopus: Ideo recte Paulus Papam vocat filium peccati et perditionis, qui nihil constituit, nisi peccatum et perditionem. Explodendus igitur est ex Ecclesia, quam Christus voluit liberam esse, sicut Paulus dicit: ‘non dominamur fidei vestrae.’ Non voluit eam subiectam esse tyrannidi doctorum. Agnoscit enim unum doctorem Christum, cui in vera humilitate servit. 2. Thess. 2, 3 2. Kor. 1, 24

Tam varie igitur hoc anno vexatus et tentatus Abraham tandem etiam consolationem suam invenit. Nam et uxor ei redditur a rege, et pervenit in familiaritatem regis, et offertur ei hospitium liberale. De mendatio supra diximus, cum similem historiam tractavimus. Nam in Aegipto idem accidit Abrahae ante decennium, quod hic in Gerar.

Disputant autem in scholis de triplici mendatio, iocoso, offitioso et pernitioso seu probroso, sed revera unum tantum mendatii genus est, quod nocet proximo, vel in anima, ut Satanae mendatium, vel in corpore, vel rebus et fama. Nam iocosum mendatium, ubi simulamus aliquid, pertinet ad iuventutem instituendam. Ut cum recitantur eis fabellae, cum terrentur ceu in scoena fictis personis.

Sic offitiosum mendatium, quod vocant, etiam in proximi commodum fingitur. Sic Christus apud Lucam finxit se longius iturum esse. Saulis filia affirmat Davidem in lecto decumbere. Ex hoc genere etiam hoc praesens est, ut Sara fingat se sororem, non uxorem esse. Quod autem rex Abimelech Luk. 24, 28

credit sororem esse, et eam ad se transfert, etsi ignorantia peccat, tamen Deus eum punit, licet non ad damnationem, sed in gratia, ac certum argumentum est fuisse sanctum virum, siquidem Deus cum eo loquitur, et ne ita imprudenter peccet, graviter hortatur.

Pertinet autem hoc totum ad commendandum nobis Patriarcham Abraham, cuius fides in hoc periculo fortiter luctata est: non enim leve fuit, aut contemnendum incommodum, quod eripitur ei uxor, idque ab ipso rege, ac eo tempore, quo promissum ei erat semen. DOMINUS enim tempus ipsum notaverat. Hoc anno, inquit, Sara tibi pariet Isaac filium: in hac spe dum vivit, uxorem amittit. Nesciens, quando Dominus eam sit restituturus, et tamen firma fide statuens, promissionem Dei non fore irritam. Varie igitur animus eius distractus est, cum respexit ad mundi mores et exempla, dubitare de eventu coactus est. Notum enim est, quid Tyranni soleant, et aegre patiuntur resisti cupiditatibus suis, ac ipsum factum, quod advenienti eripitur uxor, confirmavit eius opinionem, quam iam antea conceperat, nullum in his hominibus esse timorem Dei.

Sicut autem animus hic cogitationibus indulgens, fractus et debilitatus est: ita vicissim, quoties de Deo et promissione eius cogitavit, certam concepit spem, futurum, ut Sara restitueretur incolumis: atque ita vicit carnis cogitationes fide, opponens verbum, et addens ardentem orationem. Ac Deus invocatus mox addest, nec relinquit suos in periculis. Impossibile est enim deseri credentem in promissione. Caelos potius rumperet Deus, quam ut credentes negligeret.

Nec mihi dubium est, quin David ad hunc locum respexerit, cum in
Ps. 107, 6 f. Psalmo 107. gratias agit pro auxilio tempore necessitatis exhibito. 'Clamaverunt, inquit, ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberat eos: Et eduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis' etc.

Disce igitur ex hoc loco, quanta res sit fides, et quam Deo gratum sacrificium sit cor credens. Desertus enim Abraham a suo consilio per promissionem servatur. Si igitur nos quoque in periculis vivimus, sicut omnino necesse est, si modo volumus esse veri Christiani, confidamus in Dei auxilium, quod promissio nobis certum facit, secundum sententiam:
Ps. 50, 15 'Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.'

Quibus gubernatio Reipublicae commissa est, his multae obiiciuntur difficultates. Itaque maior pars negligit officium, et metuit offensas: sed abiiciendus erat omnis timor, et in fide faciendum, quod verbum iubet. Si enim homicidam vel adulterium ideo magistratus punire non vult, quod propter potentiam vel opes sit formidabilis, et nocere Reipublicae possit, facit contra officium suum, et contra voluntatem Dei: respicere potius
Röm. 13, 1. 2 debebat ad promissionem, quae dicit: 'Omnis potestas a Deo, et qui

38 adulterium *G.*] adulterum *H. I. K. Erl.*

potestati resistit, Deo resistit.' Secundum hanc promissionem procedere debet in vindictam malorum. Quod si odia aut inimicitiae sequuntur, commendet se et salutem suam Domino in fide, et sentiet defendi se divinitus. Hanc fidem qui non habet, connivebit ad publica delicta, et sic Dei mandatum violabit, atque ideo sustinebit suas poenas.

Sunt autem fidelis magistratus opera longe praestantiora, quam Antonii heremitae et aliorum, qui quidem etiam possunt sancti esse, sed sunt de minutulis sanctis. Pavent mulierum instar, et fugiunt pericula. At Episcopus manens inter suos cives, intrepidus expectat gladium tyranni, sicut Cyprianus, sic fidelis princeps, ut Constantinus, Theodosius: Item fideles patresfamilias singuli in suo ordine infinitis periculis expositi sunt: Sed quia de vocatione certi sunt, invocant Deum, et ita fide liberantur.

Haec certamina praeparant sanctos, ut non sint sic molles, sicut heremitae, qui nihil patiuntur, nisi quod ipsi sponte sibi accersunt. Heremitas, Antonium et alios excusare potest Tyrannis principum Ecclesias ubique dissipantium. Ponendi igitur sunt inter sanctos, sed infirmos et pavidos. Ambrosius autem uno anno sanctius vivit, et plus bonorum operum facit, quam Hilarion totis 70. annis. Vixit Ambrosius communi more, et vixit coelebs, non ex necessitate aliqua, sed libere, sicut coniugium est res libera. Deinde publice docuit, privatim pro oportunitate alios consolatus est, alios obiurgavit, et Ecclesiae defendendae summum habuit studium. Haec opera, etsi iudicantur levia, tamen omnes omnium monachorum labores et cultus superant.

Magna igitur res est esse vel oeconomicum, vel politicum, vel Ecclesiasticum magistratum, sunt enim hi ordines divinitus instituti: Ergo qui in eis vivunt, etsi periculis non carent, tamen quia mandatum de invocatione habet, debet certam auxilii spem retinere.

Si igitur de Christianorum vita, seu de legendis sanctorum scire vis, quid sint, paucis dicam. Si es Christianus, in quocunque ordine sis: Deus te exercebit varie per diabolum, mundum et carnem, idque in ista communi vita, quae nullam singularem habet speciem. Lucere igitur debet per omnem Christianorum vitam fides et invocatio. Huius exemplum ubique in Abrahae historia vides: periculum est, quod eripitur ei uxor, etsi autem dolorem animo excludere non potest, tamen non desperat prorsus, invocat Deum, et credit Deum allaturum opem, ac sicut credit, ita accidit. 'Corripuit pro eis reges magnos', inquit Psalmus. ita Abimelech quoque corripitur propter Abrahamum Ps. 105, 14

Venit enim ad eum Deus, inquit Moses: Significans venisse Deum cum terrore, non sicut solet, cum speciem usitatam assumit hominis, columbae, agni. Facit autem id ideo, ut ostendat Abrahamum sibi curae esse. De tribus Prophetiae speciebus: scilicet de Prophetia per se, de

2 inimitiae *[Druckfehler] G.*] inimiciae *H.*] inimcitiae *I K. Erl.*

visione et somniis diximus supra, et quod ad somnia attinet, nota 'est regula, quod examinandae tales revelationes sunt ad verbum et ad fidem. Si enim a verbo dissentiunt, aut fidem destruunt, sunt Sathanica.

Quod Latine fecimus iuncta marito, in Hebraeo est (*Beulath Baal*) id est maritata marito. Notum autem est vocabulum *Baal*, significat enim maritum. Appellaverunt autem hoc nomine certa Idola, gloriantes se sic Hos. 2, 17 Deo coniunctos, sicut sponsa sponso. Hinc Oseas: 'auferam nomina *Baalim* de nomine ipsorum', hoc est, non habebunt amplius multitudinem Deorum seu Idolorum. Habebunt me unum verum Deum, quem vera fide complectentur, sicut ego eos vero amore complectar.

Ad hunc modum hoc in loco quoque ponitur. Sara est maritata marito, id est, iniuste facis, quod talem amas, quae habet maritum suum, a quo amatur, et quem ipsa vicissim amat. Igitur ab ea abstine et marito eam redde. Est enim praedicatio legis tam vehemens, ut nisi Deus regem servasset, statim moerore et metu extinctus esset, sed erigit se fide, et statuit Deum iustum: Itaque allegat innocentiam suam.

20, 4. 5 Abimelech vero non accesserat ad eam, et ait: Domine, nunquid interficies quoque gentem iustam? An non ipse dixit mihi, soror mea est? Et ipsa quoque dixit, frater meus est. In integritate cordis mei, et in innocentia manuum mearum feci hoc.

Dupliciter consolatur Deus Abrahamum. Primo, quod curat restitui uxorem. Secundo, quod ostendit ei Deus, non tam malos esse cives in Gerar, quam fuerunt in Sodomis. Istic non abstinebant a viris. Hic autem admonitus rex, quod Sara esset maritata, ab ea abstinet. Ac recte eius temperantia et castitas praedicatur, quod non subito secutus furorem libidinis, nuptias apparavit, neque irruit, ut Sodomitae, in hospites, raptam mulierem domi honeste habuit, ac cum primum maritatam esse cognovit, eam dimisit. Fuit igitur unus de sanctis regibus, qui suos haud dubie pie rexit. Sicut versiculus dicit: Regis ad exemplum totus componitur orbis.[1] Ac Abrahae singularis consolatio fuit, talem invenire regem etiam inter incircumcisos. Valde enim exercuit eum ista vel cogitatio, vel tentatio, quod exemplo Sodomitarum admonitus statuere coactus fuerat, totum mundum perditum et sine Dei timore esse. Haec cogitatio tam illustri exemplo ei excutitur, ita ut, ubi plurimum metuat, ibi innocentissimos homines, et vere sanctos inveniat.

Pertinet autem hic locus etiam ad commendationem coniugii, quod scimus non tantum creatum a Deo, sed hic experimur, et videmus divinitus

4 (*Beulath Baal*)] בְּעֻלַת בַּעַל

[1]) *Claudianus (ca. 400 p. Chr.): Auf das Konsulat des Honorius 299.*

defendi, sicut etiam sextum praeceptum non tantum prohibet adulteria et libidines, sed etiam sepes et munimentum est coniugii, ne violetur.

Oratio, qua Abimelech se apud Deum excusat, digna est, quam diligenter inspiciamus, non desperat statim ad istam horribilem praedicationem legis, quod audit ex Domino: morte morieris, sed primum allegat suam innocentiam. Deinde certam spem habet in iustitia Dei, hoc est, in misericordia eius. Non enim, ut in scholis docuerunt, iustitia rigor, severitas seu iracundia est, qua Deus condemnat, sed qua miseretur humilium, defendens eos contra vim iniustam, et sontes punit. Utrunque enim iustum est, punire nocentes et innocentes defendere. Qui ad hunc modum Deum agnoscit, quod sic iustus sit, ille facile terroribus resistet, et inveniet, ubi acquiescat, sed requiritur etiam illud, quod Abimelech hic dicit, integrum se cor et manus innocentes habere, hoc est, requiritur bona conscientia, sed hanc cum retinere isti non possint, qui indulgent peccato et carni, necesse est, si modo converti debent, ut primum terreantur, non quidem leviter, sed ut, quo se vertant nesciant, sicut in Petro et Davide videmus. Hi quoniam male sibi conscii sunt, non excusant se, sed agnoscentes peccatum misere confunduntur et humiliantur, et tamen appraehendunt tandem misericordiam, sicque per fidem, quae mediatorem amplectitur, reconciliantur.

Sed cur Abimelech, cum solus compellatur, respondendo involvit totam gentem? Non dicit nunquid me iustum perdes? sed nunquid gentem iustam perdes? Potest responderi habuisse eum magnam familiam, et ab aliis adductam Saram, et sic non solum regem, sed populum quoque peccasse.

Sed verior ratio est, quod sanctus rex habuit bonam notitiam sacrarum rerum. Itaque statuit exemplis et experientia doctus, quod propter regem impium saepe totus populus plectitur. Sicut etiam propter sanctum principem Deus toti regno benedicit: Sic per Naamanum dedit salutem toti Syriae. Propter peccatum autem David percussit totam gentem Israel. Haec etiam gentes experientia didicerunt, sicut extant Hesiodi[1] versus. Totam civitatem unius ob peccatum saepe plecti. Et Horatius[2] vere dicit: Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Valuit autem ad deprecationem intendendam, quod non tantum de sua persona, sed de toto populo dicit: Deinde hoc quoque verum est, nullam esse maiorem calamitatem regnorum, quam cum boni et sancti principes decedunt.

Non autem satis est regi, allegasse suam innocentiam, etiam occasiones recitat et culpam transfert in alios. Abraham, inquit, nemine cogente, sua sponte professus est, hanc mulierem esse suam sororem, quin

[1]) *Hesiod*, Ἔργα καὶ ἡμέραι 238. [2]) *Horaz*, *Epistolae 1, 2, 14.*

ipsa quoque interrogata confirmavit, se sororem, non uxorem esse. Cur mentiti sunt? Si enim, quod res erat, hoc scivissem, nunquam hoc tentassem etc.

Quid nos hic respondebimus? Accusantur Abraham et Sara a sancto rege: Igitur aut mentitur rex, aut Abraham et Sara commiserunt peccatum? Respondeo, sancti, quantumlibet magni, non tamen semper sunt excusandi a peccato, quanquam enim Abraham plenus fide est, tamen infirmitate hic lapsus est, et timuit sibi. Sed, inquies, causam habuit, sic excruciatus erat illa misera ruina Sodomitarum, ut etiam tuta cogeretur timere. Haec occasio metus, etsi contemni aut excludi ab Abraham non potuit, tamen eum non prorsus excusat.

Primum igitur hic metus peccatum fuit, et ut fit, ex hoc peccato sequitur aliud, ut mentiatur, et uxorem doceat mentiri. Sed sunt haec
1. Joh. 1, 8 peccata in sanctis venialia. Iohannes inquit: 'si dixerimus nos peccata non habere, veritas non est in nobis': et habemus articulum fidei, credo remissionem peccatorum. Quare non excusabimus penitus Abrahamum, sed includemus ipsum quoque in massam peccatricem, sed tamen talem, quae licet impia non sit, tamen habet in se reliquias peccati. Hoc etiam ex eo probatur, quod ipse Deus Abrahamum non excusat, sed Regis excusationem accipit.

Talia peccata quotidie multa sancti faciunt, nam rapiuntur ipsi quoque occasionibus, sed differunt haec peccata a peccatis impiorum, quae fidem negant, et veritatem agnitam impugnant. Talis Abraham non est, et tamen legem membrorum sentit, quae eum nonnunquam extra viam abripit: Cum scilicet est extra paroxismum ardentis fidei, quando dies mali sunt, et tempora tribulationis adsunt, sicut nos quoque quotidie in nobis ipsis experimur.

Notabitis igitur, quod sancti non semper sunt excusandi ab omnibus peccatis: Pertinet enim id ad nostram consolationem, ut statuamus eos quoque habuisse corpus seu carnem, et sensisse suas affectiones, quas peccatum originale etiam in fide renatis relinquit.

Sed hic alia quaestio incidit. Quare Deus talia peccata sinit fieri a suis? Cur sic impingere eos permittit? ad hanc quaestionem rectissime respondit ex effectu, ideo id ita permittit Deus, ut occasionem accipiat multarum bonarum rerum, non enim labuntur sancti, ut pereant, sed ut copiose eis Deus benefaciat, cumulandis maioribus bonis, sicut Romanos 8.
Röm. 8, 28 scriptum est: 'Omnia cooperantur sanctis in bonum'. ibi addit glosa etiam ipsa vitia.

Nam puod tribulationem et crucem Deus immittat eo fine, ut nobis
2. Tim. 2, 12 prosint, nemini potest esse dubium. Nota enim est sententia Pauli: 'si

19 etiam *G. H.*] enim *I. K. Erl.* *34* respondit ex effectu *G. H. Erl.*] respondetur ex affectu *I. K.* *36* Romanos] *wohl* Romanorum.

compatimur: etiam conregnabimus': Imo etiam compensat Deus calamitates.

Filii Israel vendunt fratrem Ioseph. Is servus abducitur in Aegyptum, et ibi novum ei struitur malum ab adultera, sed tandem cum gloria liberatur, Et recte dicit ad fratres: 'vos cogitastis de me malum, sed Deus 1. Mose 50, 20 id convertit in bonum.'

Sed, ut supra dixi, non solum mala passiva, quae nobis irrogantur, in bonum cedunt, sed etiam activa, hoc est, mala, quae nos ipsi facimus. Quomodo hoc, inquis? Quia homo pius, cum videt lapsum suum, pudefit et confunditur, sic lapsus ille principio operatur humilitatem. Deinde etiam invocationem ardentem. Ideo Salomo dicit: 'septies in die cadit iustus, Spr. 24, 16 et resurgit': non enim perseverant in peccatis, sed ingemiscunt et dolent. Ac malum illud, quod in carne reliquum est, est ceu calcar, quod nos excitat, ut nobis ipsis irascamur, nos damnemus et clamemus cum Paulo: 'Infelix ego, quis me liberabit a corpore huius peccati?' Domine, tolle et Röm. 7, 24 crucifige carnem nostram. Sic crescit fides occasione vitiorum, quorum semina in nostra carne sunt reliqua.

'Mirabiliter igitur gubernat sanctos suos Deus', sicut Psalmus dicit. Ps. 4, 4 'Cum electo electus eris. Et cum perverso perverteris.' Non autem sic Ps. 18, 27 accipienda haec sunt, quasi statuamus vitium bonum esse, manet enim vitium malum per se, sed in sanctis fit occasio boni. Secundum sententiam: 'cum sancto sanctus eris.' Quicquid enim sancti faciunt, sanctificatur, Ps. 18, 26 hoc est, qui sancti seu iustificati sunt, seu credunt ac timent Deum, hi etiamsi labuntur, tamen exercetur et crescit fides eorum. Adeo mirabilis Deus est in sanctis suis.

Sic Abraham ardens fide tentatur, ut metuat vitae suae, ac mendatio suo dat occasionem, ut eripiatur ei uxor: hoc est vicium, sed quis sequitur fructus hunc lapsum? nimirum hic, reaccenditur fides et oratio, redditur Abrahae uxor, et pius rex consociatur cum Abraha, ut hac occasione magis illuminetur, et ad perfectiorem cognitionem Dei perveniat, et ipsius Abrahae orationibus adiuvetur. Et Abimelech rex sentit mortem et poenam, non quidem in perditionem, ut apparet, sed ut Deus haberet occasionem perficiendi eum, et incorporandi in Ecclesiam Abrahae.

Haec mirabilia Dei opera sunt in sanctis, hoc est, in credentibus, qui non sunt impii, nec in peccatis perdurant, et tamen saepe labuntur per infirmitatem, horum lapsus cedit ipsis in bonum, quia sunt sancti.

Econtra inquit Psalmus: 'cum perversis perversus eris.' Nam eorum Ps. 18, 27 seu merita, seu bona opera (sic enim appellare liceat) cooperantur eis in malum, quia pulcherrimis Dei donis, ingenio, eloquentia, doctrina, robore corporis, forma etc. abutuntur contra Deum, et paulatim indurantur et excaecantur in impietate sua, et tandem sic superbiunt, ut videantur esse sibi prae caeteris Dii, haec donorum perversio manifeste cernitur.

Mihi quoque accidit, ut saepe impingerem, ac multa consilia stultissime praesumerem. Deus igitur gubernans omnia non addidit successum, ibi confusus ego meipsum odisse coepi, et mihi irasci, ac humiliatus tanto post maiore studio cavi, ne deciperer consiliis carnis, et verbum diligentius amplexus sum. Deo autem egi gratias, quod sic mirabiliter mutavit consilium, et alium eventum longe meliorem concessit, quam ego institueram. Sic accidit, cum Smalcaldiae essemus, recusavimus Papae concilium, sed longe fuisset melius, id non recusasse, si modo aequis conditionibus esset servatum.

Ita in omni vita accidit, multa vitiose facimus, consulimus, dicimus, sed per ea humiliat sanctos suos Deus, et vertit in maius bonum, quod forte sine illo nostro vicio non fecisset.

Haec sunt Theologica, quae non dicimus Canonistis et Sophistis, qui tales nostras sententias studiose depravant et cavillantur, sanctis ea dicimus, qui non indulgent carni, et tamen occupantur peccato, non malitiose, sed per infirmitatem, hi cum lassi sunt, non debent desperare, sed de Dei
Ps. 4, 4 consilio cogitare, qui mirificat sanctos suos, ut in Psalmo est, hoc est, mirabili consilio eos gubernat: sicut hoc valde mirabile est, quod sinit suos sanctos labi, ut humilientur, ut accendatur fides et oratio, ut arceatur
Röm. 8, 28 securitas etc. Vera enim est sententia: 'Electis omnia cooperantur in
Ps. 18, 26 bonum', et: 'cum sanctis sanctus eris.'

Sic Abraham hoc in loco incurrit vicium, sed fit occasio convertendi regis et regni. Mirabile sane opus Dei, mirabiliter agentis et ducentis sanctos suos, ut eos retineat in sanctitate timoris, et in superbia fidei. Haec prorsus concideret, si infirmitas illa in sanctis non maneret. Extolleret enim eos magnitudo donorum gratiae.

Sicut videmus in impiis, qui sua bona vertunt in mala, et sibi occasionem malorum faciunt, gloriantur enim in donis suis, non gratias agunt Deo, non fratrum necessitatibus succurrunt, sed cogitant se esse aliorum Deos et Dominos, Sicut igitur sanctis omnia in bonum cedunt, ita impiis omnia cedunt in malum.

Porro notabis hic quoque Deum non esse antinomum, incipit enim occasionem suam a lege, postea, audita innocentia, absolvit et consolatur Abimelech, ac varie ei benedicit, hic est processus divinus et verus. Abraham quoque et Sara per vicium incidunt in pericula, sed sunt ea occasio boni. Sociatur enim hoc modo rex cum domo et Ecclesia Abrahae.

Dixitque ad eum Deus per somnium, etiam ego scio, quod in 20, 6. 7
integritate cordis tui feceris hoc, et prohibui etiam ego te, ne peccares in me: atque ideo non permisi, ut tangeres eam. Nunc igitur restitue uxorem viro. Est enim Propheta ipse, et orabit pro te, ut vivas, quod si non restitueris, scito, quod moriendo morieris et tu et omnia, quae habes.

Haec suavissima contio est, qua ipse Deus absolvit regem Abimelech sua voce ab omni peccato, scio, inquit, cor tuum esse integrum, hoc est, scio, quod vere me timeas, et nihil contra voluntatem meam malitiose facturus sis. Ideo etiam te retinui, ne peccares: quod autem initio durius te compellavi, feci eam ob causam, quae sequitur: Ut Abraham consolationem acciperet, et tu venires ad pleniorem Dei cognitionem, consociatus cum domo Abrahae. Manus igitur mea tecum fuit, ne peccares in me.

Haec sunt verba gratiae singularis, quasi dicat, sum protector et custos tuus, non solum, ut nihil patiaris tu in corpore et fortunis, sed magis in anima: ideo initio visus sum tibi irasci: sed revera sic irascor tibi, ne cogar irasci, et hoc modo retardo ipse iram meam, ut tu esses sine peccato, ut consolationem haberet Abraham, et totum regnum tuum converteretur. Quae potest suavior imago Dei proponi?

Iudaei igitur crassi asini sunt, qui hoc loco comminiscuntur percussum pium regem in corpore, ut non potuerit attingere Saram. Sed aliud hic audis, nempe quod Deus non affligit corpus: sed cor ipsum regis conservat castum. Corpus enim afflictum esse potest, et tamen interim cor ardet concupiscentia. Notabis igitur hunc locum, quod Deus sanctorum suorum custos est, ne peccent.

Quod sic longa oratione cum Abimelech in somnis loquitur Deus, est singulare signum misericordiae et gratiae, sicut econtra cum tacet, certum irae signum est. Non etiamsi Deus in ira loquitur et obiurgat, tamen gratia adest, quod fieri non potest, quin homines verbo emendentur, et meliores fiant. Non enim Deus est otiosus orator, quicquid dicit, magnum et fructuosum est, norat Abimelech Abrahamum tanquam exulem et peregrinum, sed ex concione Dei discit, esse eum Dei Prophetam, hoc est, eximium Dei servum, quo mundus nihil habeat sublimius, siquidem divinitus iussus est, ut doceret mundum de Deo, et Deo in mundo per praedicationem verbi colligeret Ecclesiam.

Vixerunt eo tempore adhuc Sem, Salach et alii Patriarchae, sed solus erat Abraham, cuius domum elegerat Deus, ut esset Ecclesia, cui promissionem dederat, futurum, ut per ipsius semen benedicerentur omnes familiae terrae. Declaratur igitur divina voce, quod sit summus Pontifex, apud quem certo inveniatur verbum Dei, remissio peccatorum et vita aeterna.

Cogitare itaque possumus, in quanta posthac authoritate apud regem hunc Abraham fuerit, siquidem ab ipso Deo Prophetam appellari audit. Ergo humanissime complexus est eum, et audivit ex eo sapientiam coelestem de filio Dei, ex Abrahae domo nascituro, et redempturo genus humanum, sicque, sublata maledictione, aeternam benedictionem allaturo.

Ita constituitur Abraham Episcopus et Doctor divina voce, Rex autem cum suis civibus est discipulus et auditor, ac benedicit Deus ei loco, ut concipiatur et generetur in eo Isaac, et spiritus sanctus communicetur gentibus, non autem circumcisio, quanquam gentes istae edoctae verbo norant et credebant non esse alium Deum, quam qui ex Abrahae gente circumcisa nasciturus esset.

Haec scilicet sunt ingentia illa bona, quae sequuntur veram doctrinam, scilicet gloria Dei, impletio Decalogi, redemptio a morte et inferno. Vident igitur pii, cur haec scripserit Moses, nempe ad confirmationem promissionis fidei, quod etiam gentes pertineant ad Ecclesiam Abrahae, etiamsi non sint circumcisae. Manent igitur vices istae in mundo: Sodomitae impoenitentes ruunt et pereunt: Gerar autem convertitur. Sic hodie indurantur et excaecantur aliqui: contra aliqui verbo credunt, et eo illuminantur.

Quod Deus dicit Abrahamum oraturum pro rege. Vides, quam pulchre scriptura ubique consentiat. Ubique enim coniungit spiritum gratiae et precum. Abraham igitur Propheta est, ut doceat Dei notitiam veram in mundo, et simul sacerdos est, ut oret, non pro se tantum, sed pro Ecclesia sua, imo etiam pro gentibus, quae cum ea consociantur. Quod enim Deus dicit: ‘orabit pro te’, hoc verbo vocat regem et suos ad Ecclesiam Abrahae, et participat gentilis homo ceu Oleaster succo pinguedinis olivae, et inseritur in eam. Abraham autem a Deo sic commendatur tanquam summus Doctor et potentissimus orator seu petitor.

Sed, inquies, Quare Deus talia non facit sine Abraha? Quid tam longa oratione opus est? Respondeo, honorat Deus honorantem se, et quia Abraham est confessor Dei, Deus vicissim eum confitetur, et ornat honestissimo testimonio, subiicit ei regem cum toto regno, ut fiant eius discipuli.

De oratione saepius diximus, Deum paratum esse dare omnia, quibus indigemus: sed tamen imposuisse necessitatem orandi, iuxta sententiam:
Joh. 16, 24 ‘Petite et accipietis.’ Non autem nostra tantum causa debemus orare, sed etiam ut praestemus Deo cultum suum. Qui enim orat, confitetur Deum bonum, misericordem, ignoscentem esse. Sicut igitur in Ecclesia verbum semper docendum et acuendum est, ita oratio semper exerceri debet, ut gratia abundet, et dona inchoata in nobis augescant, et gloria Dei ubique crescat.

Cur autem in fine repetit Deus comminationem? ideo scilicet, quod qui indurati sunt, subinde relabuntur in peccata. Sic Pharao toties admo-

nitus, tamen nihil remittit de tyrannide, Saul quoque saepe iustificat Davidem, et se accusat, et tamen redit ad ingenium, et conatur eum extinguere. Sic petrosa terra accipit semen, sed manet sine fructu. Talis, inquit Deus ad Abimelech, ne sis, aut morieris morte. Multi etsi cavent externa scandala, tamen tandem fiunt securi: et Sophistae scelerate docent: Unam scintillam charitatis sufficere ad aeternam vitam. Hi nesciunt, quod verbum quotidiano auditu acuendum sit, et oratio perpetuo urgenda, si velimus persistere in gratia. Pertinet igitur haec repetita comminatio ad regem excitandum, ut maneat in gratia sibi donata. Peccanti enim minatur mortem, qui autem securi sunt, illi a se ipsis extinguuntur.

Abimelech igitur mane surrexit, et vocavit omnes servos suos, 20, 8
et locutus est omnes sermones hos in auribus illorum,
timueruntque illi valde.

Haec diligenter notanda sunt, Proponunt enim pulcherrimum poenitentiae. Non differt Abimelech emendationem sui facti de die in diem, sicut nos procrastinatores solemus, qui, cum tangimur devotione aliqua, promittimus in futurum tempus emendationem, audit Abimelech concionem in somnis de cavendo peccato, statim igitur cum illucescit, convocat totam aulam, et exponit, quid acciderit. Deinde vocat etiam Abrahamum, et reddit ei uxorem. Qui igitur rex erat, iam fit Episcopus sui regni. et spargit timorem et cognitionem Dei etiam in suos, ut ipsi quoque Deum timeant, et verbum revereantur.

Summum autem donum est, quando ex rege fit Doctor, hoc est, quando pius Magistratus seriam curam Religionis suscipit. Noverat Abimelech etiam ante Abrahae adventum Deum, et pie suos rexerat. Sed ea Dei notitia fuit generalior. Nunc, postquam ei contingit audire Abrahamum, discit quasi propius intueri Deum, siquidem scit Abrahamum fore patrem benedicti seminis. Hanc notitiam Dei spargit in subditos suos.

Hodie multi dicunt se amplexuros Euangelium, si ipsi reges concionarentur, at cum concionatorum vulgus sic miserabile, pauper, contemptum et prorsus plebeium sit, causam esse, cur sani homines eos aversentur. Sed mentiuntur, qui hoc dicunt, impii enim semper negligunt et contemnunt verbum, sive id Angeli de coelis, sive reges in mundo doceant.

Quid enim in nobis desiderant? Nonne illustrissimus noster Princeps sanctae memoriae Iohannes, Saxoniae Elector, anno 30. Euangelium Iesu Christi per liberam confessionem Augustae in comitiis praesente Carolo Caesare et omnibus Imperii ordinibus docuit, nec ipse solus, sed cum eo et post eum alii multi.

Inanis igitur et fallax ista tergiversatio est. Si enim Deus Angelos de coelo mitteret, sicut Sodomam misit, tamen non crederent impii.

Valeant igitur cum sua diabolica Rhetorica, qui praetexunt vilitatem Doctorum, et expectant lautos, splendidos ac potentes concionatores. Sicut Joh. 7, 48f. Iudaei dicunt, Iohannis 7.: 'Creditne aliquis in eum ex principibus et Pharisaeis? quin populus iste legem nesciens est maledictus.'

Ruent autem tandem istae Diabolicae tergiversationes, quibus impii pertinaciam suam ornant, et puniet Deus tam insignem verbi contemptum, quid enim profuit, quod Angeli venerunt Sodomam? quod Loth homo fuit integrae vitae, in quo sui cives nihil potuerunt repraehendere?

Sunt autem alii, qui alio praetextu contemptum Euangelii alunt. Quid, inquiunt, boni ex eo natum est? hoc quasi ariete conantur subvertere totam nostram doctrinam. Sunt autem corda piorum munienda contra has scandalosas voces. Cur non Paulum audiunt? qui dicit, non multos nobiles, 1. Kor. 1, 26 non multos sapientes vocatos, qui autem dicit non multos, relinquit hoc, quod aliqui tamen sint. Sic Abrahae tempore non multi reges veram doctrinam amplexi sunt, et tamen Abimelech eam amplectitur, et fit suae Ecclesiae doctor.

Ita in comitiis Augustanis magna fuit multitudo principum execrantium nostram doctrinam, sed tamen fuit etiam sanctae memoriae Iohannes, Elector Saxoniae, qui Christum magno animo coram toto mundo confessus est.

Si autem quaeris, quid ex nostra doctrina boni secutum sit: Responde mihi, quid boni secutum est ex praedicatione Loth in Sodomis? Nimirum quod, postquam sine fructu et frustra audiverunt verbum, coelesti igni absorpti sunt, talis poena etiam nostros contemptores suo tempore corripiet, et videmus, quod de die in diem magis excaecantur, et insaniunt magis, haec ruinae initia sunt. Notabitis autem haec ad obruendam Dialecticam Sathanae, qua multis oculos et animos praestringit.

Mundus totus in illo Germanico proverbio positus est. Wenn du einen auff dem ruck trugeſt biſs gen Rom, und ſetzeſt yn unſanfft nider, ſo were aller danck verlorem [ſo!].[1] Nostra doctrina liberat omnes gentes a carnificina et Tyrannide Sathanae, a peccato, ab aeterna morte, ab infinitis monstris Papae et illo gravissimo conscientiarum onere: sed infinita haec beneficia Dei ingratus mundus non videt. Si quod autem leve incommodum obiicitur, quod aut rapiunt quidam bona Ecclesiastica, aut liberius paulo loquuntur, vel vivunt, illud sic exaggerant, ut nullus finis sit. Tales non sunt discipuli doctrinae, tantum captant mala, seu in speciem viciosa, quae vident in professoribus Euangelii, ea rapiunt in contumeliam doctrinae, ut eam obruant.

Sed cur non etiam Abrahami ministerium repraehenditur, ad quod secuta est ruina Sodomae? ac sine dubio Sodomitae, si supervixissent,

[1]) *Nicht bei Thiele.*

omnem culpam transtulissent in ipsum, quod nimis eis fuisset vicinus, nam quod ipsius beneficio liberati erant, id iam dudum erant obliti. Sic solet mundus.

Voco autem mundum non tantum infimae conditionis homines, sed optimos, sapientia et virtute praestantes. Hi praecipui sunt, qui ex parvulo incommodo omnium maximorum beneficiorum obliti, doctrinam Euangelii iudicant, et odisse incipiunt.

Ac, proh dolor, nos quoque, qui verbum habemus, et de eo gloriamur, levibus incommodis moti, facile obliviscimur aliorum beneficiorum Dei. Mihi dedit Deus sanum corpus usque ad annum 50. dedit uxorem et liberos, et, quod supra omnia est, cognitionem verbi sui satis magnam. Nunc cum vel dissenteria, vel calculus nonnunquam me vexat, hoc unum malum excutit memoriam omnium reliquorum bonorum.

Sic dat Deus mundo solem, pluviam et alia commoda, quod si intra annos duodecim aut decem semel pestis vel fames incidit, ibi oritur clamor et quaerela, et evanescit statim benedictio superiorum annorum. Dura autem crux est, vivere in tanta hominum malicia, contemnentium beneficia Dei.

Diversum a nobis debebat fieri, ut devoraremus leviora et rariora incommoda prae immenso mari beneficiorum, quibus Deus quotidie nos obruit. Quid enim sunt omnia incommoda in unum cumulum comportata ad hoc unum donum, quod Deus patefecit nobis verbum suum? An non igitur pestilentes isti homines sunt, qui infinita doctrinae bona propter aliqua incommoda negligunt?

Quanto rectius Paulus dicit 2. Corinthiorum 4. Tribulationes nostras 2. Kor. 4, 17f.
esse temporales et leves, gloriam autem, qua eas compensabit Deus, fore supra modum ponderosam iis, qui non spectant visibilia, sed invisibilia.

Sed frustra haec contionatur Paulus. Mundus enim non credit, sed totus occupatur visibilibus, invisibilia autem negligit, et pro nihilo habet. Dedit misericors pater filium suum, qui mortuus est pro peccatis nostris, is vicissim a nobis hoc postulat, ut confiteamur nomen ipsius coram mundo, et nostram quoque vitam propter ipsius nomen amittamus, et promittit futurum, ut hanc exiguam crucem sequatur aeterna quies, et immensum gloriae pondus: hac promissione, quid potest esse suavius, quae tam certam redemptionem a morte aeterna promittit, et est nostrae vitae alioqui haec conditio, quod tandem mori necesse sit. Cur igitur non potius propter Christi nomen morimur?

Sed natura non patitur magnitudinem bonorum cum parvitate malorum vere comparari. Caro pro suo more semper obscurat infinitas magnitudines bonorum finitissima finitate malorum.

Igitur nobis semper in conspectu sit catalogus beneficiorum divinorum tum naturalium, tum spiritualium, et videbimus, ubi mali gutta est, ibi

mare beneficiorum Dei esse, quae divina Rhetorica nobis amplificare debemus, sicut Paulus egregie facit. Unico enim verbo haurit omnia pericula et incommoda, de quibus mundus potest conqueri.

Dubia istorum fortuna est, quibus ministerium verbi commendavit Deus, eiiciuntur ex suis sedibus, mactantur, subiiciuntur flammis, haec, vgl. 2. Kor. 4, 17 inquies, an non mala sunt? Respondet Paulus, sunt sane, sed levia et momentanea. Pariunt autem aeternum et infinitum bonum.

Hoc Paulus videt et credit, mundus nec videt, nec credit, sed tantum occupatur praesentibus. Itaque si, ut Germanicum proverbium dicit, Romam usque tuis humeris eum portes, et minus suaviter deponas. omnis gratia periit.[1] Non vult ullam crucem, ullum incommodulum, nullam festucam mali sentire, cum ipse plenus sit trabibus, et praecipue Ecclesiae incommodus et gravis.

Nos igitur, qui sumus Christiani, obruamus ista Diaboli portenta, et extenuemus, Rursus autem amplificemus divina beneficia. Vere enim vgl. Röm. 8, 18 minutula sunt mala omnia, et exiguum cruciolum est, quod nos portamus, si id comparemus cum beneficiis, quae ex creatione, redemptione et sanctificatione ad nos redierunt, et in futura vita erunt illustriora.

Sed redeamus ad historiam. Magna fuit Sodomitarum calamitas, quam Patriarcha Abraham videre coactus est. Igitur Deus alio exemplo non tristi, sed laetissimo et suavissimo consolatur, quod gentilis rex Abimelech fit Episcopus, et docet Dei verbum in sua aula. ‘Vocavit, inquit textus, omnes servos suos’, nec fuit frustra praedicatio haec. Addit enim Moses: ‘et timuerunt valde.’

Est igitur haec pulcherrima Antithesis. Abraham liberaverat Sodomitas et vicinas civitates, nec tantum corporale hoc beneficium eis praestiterat, sed etiam docuerat de vera Dei notitia et cultu. Loth quoque, qui in ipsis Sodomis habitavit, non tacuit, sed cognitionem Dei studuit propagare, et libere confessus est fidem suam. Sed impii cives ambos hos Doctores neglexerunt, et non solum non timuerunt Deum, sed etiam contempserunt.

At hic contrarium vides in Gerarensibus, hi audito verbo ex rege timent, humiliantur et convertuntur ad Deum, somnium regis sui nec norant, nec viderant. Recitanti autem credunt, et ut verbum Dei suscipiunt, ac timent: sic tamen, ut retineant spem gratiae divinae, ac Abrahamum magnifice donant.

Brevibus haec commemorat Moses, nec ut gentilium historici ea amplificat, nam id lectori relinquit. Pertinent autem haec omnia ad consolandum Abrahamum, qui Sodomitarum exemplo territus suspicabatur

---

20 quam] qua *im Custos G.*

[1]) *Siehe die deutsche Fassung oben S. 120 Z. 28—30.*

nullum amplius in mundo timorem Dei esse. Ostendit autem Deus ei per hanc occasionem, quod, etsi semper maior pars in mundo mala sit, tamen Deus habeat suam Ecclesiolam, licet exiguam et absconditam.

Sic in libris Regum consolatur etiam Heliam. Is enim cum queretur se solum relictum esse, qui retineret verum cultum, respondet ei Deus: septem millia adhuc restare, qui omnes integri sint, et verum Deum colant. 1. Kön. 19, 18

Nos quoque, cum tanta civium, rusticorum et omnis generis ordinum ingratitudo et malitia sit, saepe in eam cogitationem impellimur, ut statuamus totum mundum a Satana obsessum. Valde autem triste spectaculum affligit piorum animos. Sed retinenda consolatio haec est, quae hic Abrahae proponitur, quod tamen aliqui adhuc vivant probi et sancti homines. Deus enim non est sine populo, est misericordiae et iuditii Deus: Itaque eos, qui non impoenitentes sunt, sed humiliantur, et veniam petunt, servat et gubernat. Sic Psalmus 12. dicit: 'Diminutas veritates a filiis hominum', hoc est, mundum abiicere veritatem et verbum, ac odisse. Et tamen in fine dicit Dominus: 'propter pauperes exurgam.' Ergo semper aliqui manent reliqui, qui verbum retinent et amplectuntur. Ps. 12, 2 Ps. 12, 6

Sic Christus cum cessisset Hierosolymis, quod lapidaturi eum Iudaei erant, iterum Hierosolymam venit, et addit duodecim esse horas in die. Hoc est tempore mutari animos, et quosdam corrigere malitiam suam. Sunt igitur vices rerum: alicubi Abraham tristissimo spectaculo occupatur: in alio loco accipit consolationem, invenit hic in exilio pios homines, qui humaniter eum complectuntur, et ut Prophetam Dei reverentur. Joh. 11, 9

Accedit maior consolatio, quod Sara concipit, et certam spem haeredis facit. Ita copiose ostendit Deus se tenere diligere sanctos suos, hoc est, credentes promissionibus suis. Varie quidem sinit exerceri eos, et tamen fideliter servat promissa sua. Nemo igitur, etiam in summis calamitatibus desperet, sed constantissime statuamus omnes. prius ruiturum coelum, quam Deus promissionis suae obliviscatur.

Idem de Loth et filiabus eius sentiendum est, quanquam Moses nihil de eis commemorat, sine dubio enim confugerunt ad Abrahamum, tanquam patrem promissionis. Audituri ex eo consolationem contra tot et tanta mala, in quae sic improviso inciderunt: praeterquam igitur quod ipsis quoque mitigavit luctum consuetudo Gerarensium, timentium Deum, cum Sodomitae, ut Petrus inquit, afflixissent et oculos et aures sanctorum hominum. ipse Abraham, ceu summus Episcopus absolvit eos ab incaestu: etsi enim neque excusare. neque probare factum potuit, tamen proposuit eis Deum ignoscentem et compatientem nostrae infirmitati. Factum infectum fieri non potest, inquit. Igitur nihil nunc requirit a vobis Deus, quam ut agnoscatis peccatum, et speretis in ipsius misericordiam propter promissum semen. 2. Petri 2, 8

Natos autem ex filiabus Loth filios sine dubio complexus est amanter, sicut avi nepotes solent, et promisit eis regna. Itaque his quoque calamitas, per quam humiliati sunt, peperit consolationem. Non enim Abraham potuisset quiescere, nisi scisset rediisse Loth et filias cum Deo in gratiam. Nos ergo, qui credimus promissioni, habemus Deum, qui quidem
2. Kor. 4, 17 tentat nos, sed tentatione levi et momentanea, sicut Paulus vocat, non enim facimus ut prophani illi, qui dicunt: Quid boni est ex Euangelio? scimus enim Abramum credere in Deum, sed quid inde boni habuit? Cogitur deserere patriam, et proficisci in exilium, atque ibi inter gentes infinitas calamitates perferre. Haec mundus iudicat esse mala, nec nos negamus, sed dicimus esse levia mala et momentanea, si per Antithesim respicias in pondera et aeternitatem bonorum.

Sed hoc soli credentes faciunt, qui scilicet spectant invisibilia, et non visibilia, hoc est, qui simplici fide haerent in verbo. Tamen etiam in temporalibus, ut supra diximus, bona praeponderant malis. Quanto autem
Matth. 11, 29. 30 hoc magis in Ecclesia verum est? in qua sonat Christi vox: ‘onus meum leve est’, illis scilicet, qui credunt verbo meo, ‘et iugum meum suave est’, si scilicet Christum spectemus, qui promisit se nos refecturum, sicut addit: ‘invenietis requiem animabus vestris.’

Nam verbum (‘invenietis’) significat sine quiete esse ad tempus pios, sed illud tempus inquietum breve est. Requies autem animarum, quam invenient credentes, erit ponderosa et aeterna.

Hoc tantum abest, ut impii vel credant, vel intelligant, ut ne quidem praesentia sua bona, quibus quotidie fruuntur, recte norint. Si enim totos quinquaginta annos commodissime vivant, et tantum paucorum dierum febricula eos corripiat, omnium superiorum beneficiorum obliti, tantum non prae impatientia insaniunt. Haec horribilis excaecatio Sathanae est obscurantis beneficia haec. Ego Plinium propterea valde odi, quod naturam sic accusat, quasi semper sit noverca, et non potius alumna, declamitat de venenatis animalibus, serpentibus, Crocodylis etc. Sed infinitam bonitatem tot vaccarum, taurorum, ovium, volucrum, piscium, hominum non videt. Imo ne quidem solem et lunam. Ad hunc modum scriptura sancta de creaturis non loquitur: quin spiritus sancti haec est Rhetorica, ut extenuet mala, et amplificet bona. Sathan diversum solet, cum tamen res ipsa loquatur, ubi unus portentosus serpens seu draco est, esse mille vaccas, et ubi unus lupus est, esse centum oves.

Et vocavit Abimelech Abraham, dixitque: Quid fecisti in nobis, 20, 9
et quid peccavi in te, quod induxisti super me et super regnum
meum peccatum grande? opera, quae non fieri debent,
fecisti in me.

Rex Abimelech conterritus divina contione post ostensum peccatum humiliatur, humiliatus audit remissionem peccatorum, et accipit consolationem. Nunc etiam confessionem addit: Tandem sequuntur omnis generis bona opera, quibus etiam charitatem suam erga exules declarat. Porro haec confessionis verba non sic sunt accipienda, quasi solus rex ea loquatur: est publica vox totius regni, hoc est, regis ac subditorum.

Et illustre exemplum hoc est, quod etiam ante Christum natum, imo ante legem datam multi sine circumcisione Ecclesiae circumcisorum associati, et salvi facti sunt. 'Impervestigabiles enim sunt viae Domini', Röm. 11, 33
Roma[norum undecimo, et impudens commentum est Iudaeorum, quod somniant Deum abiecisse omnes gentes, et voluisse tantum a circumcisis agnosci et coli.

Translator noster putat haec regis verba esse expostulatoria, sed loquitur: ut inexpertus rerum spiritualium et tentationum. Non enim rex cum Abrahamo expostulat, sed ex contrito et tribulato corde in summa humilitate queritur de causa tanti mali. Et est unus ex illis, qui cum Iob dicit: 'Verebar omnia opera mea.' Et cum Davide: 'Delicta quis intelligit? Hiob 23, 15 Ps. 19, 13
Ab occultis meis munda me.' Item Iacobus: 'In multis offendimus omnes': Jak. 3, 2
non enim ludus aut iocus est audire verbum Dei. Cum enim tangit animum, est sicut fulmen, quod etiam munitissima loca sua vi deiicit: sicut Pauli historia ostendit, cum in itinere ad Damascum prosterneretur. Ibi non ampullas verborum audiebat, sed sentiebat contundi spiritum. Sicut Dominus apud Hieremiam dicit: 'Verba mea non sunt mollia, sed ignis Jer. 23, 29
et malleus conterens petras.' Paulus enim sic obfirmato animo oderat Euangelium, ut esset ceu immobilis rupes, et tamen a malleo verbi conteritur. 'Deus enim mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.' 1. Sam. 2, 6

Non igitur, sicut homo cum homine loquitur, ita nobiscum loquitur Deus. 'Verba eius sunt ceu anceps gladius, quo confodiuntur corda.' Hebr. 4, 12
Non igitur superbiunt corda, sed extreme humiliantur, non iactant opera aut merita, sed cum Iob verentur omnia opera, nec inveniunt, quid Dei irae opponant, Sed etiam iusta sua opera vident et sentiunt coram Deo impura et contaminata esse. Sicut Augustini praeclarum dictum celebratur: Vae quantumcunque laudabili vitae hominum, si remota sit misericordia.

Ex tali sensu etiam rex hic loquitur, non expostulat cum Abrahamo ceu iustus, et non meritus hanc iniuriam, habet contritum spiritum, et quia audit ex Deo, quod peccaverit imprudenter, circumspicit de causa. Et

quia ex ipso Deo audit. Abrahamum esse Prophetam Dei, conqueritur de sua calamitate. Eia, sancte Propheta, dic tu, quod est meum peccatum? quid feci aut commisi? quod in errorem istum incidi, et cogitavi de tua Sara ducenda in coniugem etc. Nam sic solent contrita corda, quiescere non possunt, donec audiant, quod sit suum peccatum, ut possint remedium invenire.

Dixerat autem Abraham Saram esse sororem suam, haec fuerat regi occasio peccandi, si enim scivisset uxorem esse, nunquam induxisset in animum, eam ducere aut rapere. Cogitat igitur: necesse est, praecessisse aliud peccatum, quo merui, ut in hoc peccatum inciderem. Non expostulat igitur, sed pavet et trepidat, et quaerit pacem conscientiae, nihil sibi conscius est, et tamen sentit se alicubi peccasse, secundum sententiam:

Jak. 3, 2 'In multis offendimus omnes.' Nam etiam ignorantes multa peccamus.

Matth. 6, 12 Ideo Christus consulit, ut oremus: 'dimitte nobis debita nostra', et iubet, ut nos quoque aliis sua debita remittamus. Manent enim in nobis reliquiae peccati, quae quotidiana remissione opus habent.

Papa cum suis ranis et canibus fortiter contra nos latrant, quod negemus aut prohibeamus bona opera. Sed dicimus et hortamur omnes, ut bona opera faciant. Hoc autem negamus, quod quantumvis bona opera opponenda sint iuditio Dei. Hoc rex Abimelech hic sentit, nam pavefacta conscientia nihil cogitat nisi peccatum, et amittit omnem gloriam et fiduciam, quantumcunque bonorum operum habeat.

In hanc sententiam intelligendum est dictum Gregorii: Bonarum mentium est, etiam ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. Papa, sicut decebat Antichristum, detorsit id ad Tyrannidem suam confirmandam, et voluit se ad hunc modum metui, sed male. Nam tantum coram Deo oportet agnoscere culpam, quae non est, non autem coram hominibus. Vere possum dicere, me non admisisse adulterium, non furatum esse, sed non possum universaliter dicere, me nihil peccavisse contra sextum et septimum praeceptum.

Timendum enim hic Dei iuditium est, etiamsi nihil mihi conscius sim, Peccatum enim nondum extinctum, nec penitus sepultum est, et Deo non satis est, abstinuisse manus, etiam concupiscentiam cordis damnat. Recte igitur coram eo culpam agnoscimus, ubi culpa nulla est, hoc est,

Ps. 19, 13 ubi nihil nobis sumus conscii. Recte cum Davide dicimus: 'Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.' Habet enim Deus contra nos etiam originale peccatum, tale nihil contra nos habet Papa, neque Deus est, nec iudex originalis peccati. Si igitur iniuste nos accusat, refutari debet, nec debet habere locum tyrannica in Satanae ore nata vox: Sententiae nostrae etiam iniustae metuendae sunt, quin tu dic esse refutandas, neque hic vel divi Gregorii, nec cuiusquam hominis autoritas valere debet,

4 corda *H. I. K. Erl.*] corde *[Druckfehler] G.*

non enim Papa Deus est, ut habeat culpam erga nos. Deus autem nos semper obnoxios et sibi reos habet.

Habes igitur hic exemplum egregii confessoris metuentis peccatum, ubi non erat, hoc est, ubi nihil sibi erat conscius. Audivit quidem absolutionem ex Deo, sed cor semel pavefactum non potest aquiescere satis, exercetur suis curis, etsi autem id non fiat sine ingenti animorum cruciatu, tamen placet Deo, secundum sententiam. Spiritus meus habitabit cum corde contrito. Hanc huius confessionis sententiam esse probat, quod rex secundo Abrahamum orat, dicens, quid vidisti, quod fecisti rem istam? Cum emphasi est verbum, vidisti. Videre enim Prophetarum proprium est, quibus voluntatem suam Deus per visiones patefacit, quasi dicat: scio te esse Prophetam. Age igitur dic, habuistine revelationem aliquam de hoc tuo consilio, ac certo mandato Dei dixisti, quod uxor tua sit soror tua? profecto subest culpa aliqua. Cuius neque ego, neque populus meus conscius est. Si quid igitur commisimus, quaeso dic, et agemus poenitentiam.

Et respondit Abraham: quia dixi, certe non est timor Dei in loco isto, et interficient me causa uxoris meae, sed et vere soror mea est, est enim filia patris mei, tametsi non sit filia matris meae, et facta est mihi in uxorem. Factumque est, cum me exulare fecisset Deus de domo patris mei, dixi ad eam: hoc sit beneficium tuum, quod mihi facies, in omni loco, ad quem pervenerimus, dices de me, frater meus est. [20, 10][1] 20, 11—13

Duo facit Abraham, se excusat, et regis conscientiam liberat, quasi dicat: Deus non iussit me, nec quicquam Propheticum vidi, nihil igitur metuas. Haec una vera causa huius simulationis fuit, quod relicta patria etiam ex Hebron migravi, ubi multos annos fui, Vicinus Sodomis, ac eam totam regionem liberavit Dominus per meum gladium, ego quoque oratione mea et sedula intercessione liberare volui ab ira Dei, sed non potui propter ipsorum pertinacem malitiam, eam cum viderem, fateor, cogitavi nusquam esse homines, in quibus aliquis Dei timor sit. Cum igitur periculum vitae metuerem, hac ratione iudicavi me servari posse. Plenus igitur calamitatibus et miseriis hoc consilium institui: Itaque peto, mihi quoque ut ignoscas etc.

Hae historiae dignae sunt, quae legantur, docent enim de perpetua mortificatione sanctorum. Ideo ad vitam recte instituendam valde utiles sunt. Quanto enim Abrahae fuisset facilius praebere iugulum lictori feriendum una hora, quam sic quotidie occidi? Eruditur autem hisce exemplis pius animus ad fidem, spem et omnes virtutes Christianas, saepe igitur legenda sunt, semper enim cum nova calamitas obiicitur, Deus novos sermones seu conciones habet, quibus eas mitigat.

[1]) *Vers 10 findet keine Auslegung.*

Tale nihil vides in vulgatis legendis, seu historiis sanctorum, quae cum ad summum perveniunt, laudant coelibatum. Sed longe facilius fuisset Abrahae carere uxore, quam tot incommodis exerceri. Quia autem certam promissionem posteritatis habet: ideo fert crucem, quam Dominus imponit. Nihil de eo solicitus, quod hoc vitae genus adeo est sine omni specie sanctitatis.

Postquam autem excusavit se Abraham regi, quod, quicquid fecit, ex timore et confusione fecit post illas insignes calamitates. Existimasse enim se, etiam in Gerar eadem peccata et impietatem eandem regnare, quae in Sodomis et Aegypto expertus erat: addit iam aliam excusationem, quae ad ipsam Saram pertinet. Pertinet autem tota haec longa commemoratio ad consolandum regem. Cor enim vere perterritum difficillime erigitur, Id videt Abraham, atque ideo longiore utitur oratione. Habuit, inquit, causam aliquam, cur uxor se diceret sororem meam esse: Est enim vere soror: sed non in eo sensu, quo tu accepisti. Usus enim sum figura verborum, non quidem, quod te odissem, sed ex timore, nam sororis appellatio aliquando propria, aliquando larga est. Ego large appellavi sororem. Tu autem intellexisti proprie etc.

Porro hic quaestio est, quomodo dicat Saram filiam sui patris Thare? Nam Moses clare hoc ponit, Thare habuisse tres filios, Nahor, Haran et Abraham, et ex Haran natum Loth: Loth autem fuisse fratrem Sarae. De Sara autem non dicit, quod nata sit ex Haran, nisi forte binominem fuisse fingas, et supra in duodecimo capite appellari Iessam. Sed hoc cum paulo durius sit, proximum est, ut statuamus fuisse privignam Haran, qui siquidem mortuus est ante patrem Thare, Sara in domum Thare translata atque ibi educata est, atque inde vocata Thare filia, ut neque naturalis, neque legitima Haran filia fuerit, sed cum nuptiis viduae adscita. Atque si hanc sententiam sequimur, praecisa iam est disputatio, an potuerit Abraham fratris filiam ducere. Nam fratris privignam ducere, lege non prohibitum est.

Quod nostra translatio habet: 'postquam eduxit me Deus de domo patris mei': In Hebraeo est: postquam me (*Elohim*) dii errare fecissent. Est autem diligenter considerandus, et bene notandus locus. Usitatum alioqui est nomen *Elohim*, plurale poni pro Dei nomine, sed hoc in loco nomini plurali *Elohim*, etiam verbum plurale additur, fecerunt errare. Iudaei nota calumnia hunc locum cavillantur, quasi reverentiae causa sic loquatur Moses: sed nos statuamus, idem Mosi consilium esse, quod in
1. Mose 1, 26 primo capite. Ubi Deus dicit: 'Faciamus hominem', ut scilicet diserte ostendat, in simplicissima divinitate esse pluralitatem personarum, patris, filii et sancti spiritus. Neque nos hoc sic fingimus, sed sapientiam hanc

23 in duodecimo capite *G.*] in XII. ca. *H.*] in undecimo capite *[richtig] I. K.* *32* (*Elohim*)] אֱלֹהִים

haurimus ex verbo Dei, quod apertum et clarum est, nec debet a nobis depravari, sicut Iudaei depravant, praesertim cum sic pulchre consonet scriptura sancta, et novum testamentum tam clare idem probet.

Ac sine dubio Abraham certo consilio apud regem hac phrasi uti voluit, ut doceret eum de ministerio Trinitatis, quod Deus sit trinus et unus, et quod promissum mulieris semen sit aeternus Dei filius, ac didicerunt ex Mose sancti Prophetae, qui multo diligentius legerunt sacras literas, quam vel nos hodie vel Iudaei, qui ita legunt sacra, ut magis excaecentur.

Errandi verbum notum est, vult significare Abraham se exiisse ex patria, nescientem, quo iret, tantum secutum vocem Domini, postea Dominum ostendisse hunc locum terrae Canaan: ibi autem sic se habitare, ut nihil habeat proprium, et iam huc, iam in aliam partem cogatur migrare. Summa est, significat se divina authoritate sic errare in aliena regione, ne suspicetur Abimelech, eiectum sua culpa vagari: Dei, inquit, consilium est et voluntas, quae me ita cogit, alioqui mansissem apud meos.

Notandum hic quoque est, quod Abraham adeo reverenter se cum uxore locutum esse dicit: Non mandavit, non dixit, tu mihi obedire debes, ego cogo te, ego exigo abs te, etc., sed rogo, et ipsum factum accipit non pro obedientia, sed pro beneficio, tanquam a persona superiore: secundum Petri praeceptum. 1. Petri 3.: 'Impertimini honorem muliebri sexui.' Cur autem scripsit hoc Moses? nimirum ut proponeret exemplum optimi coniugii, quod rara quidem avis in terris, sed tum DEO, tum hominibus res gratissima est. 1. Petri 3, 7

Ideo Petrus hoc ipso exemplo hortatur coniuges, ut discant se invicem amare, et reverenter tractare, non ut nunc solent. Mariti fere sunt leones domi suae, et duri erga uxores et familiam. Sic uxores fere ubique imperitant, et maritos servorum loco habent: sed stultum est, quod vir virilem suum animum et heroicam virtutem vult ostendere in regenda uxore: Econtra illud quoque intolerabile est, si uxores volunt esse Dominae. Talia coniugia, ubi utrinque morosi sunt, sunt generis communis, sicut proverbium est[1]: Tria rara, sed DEO chara esse, concordiam fratrum, amorem vicinorum et consensum coniugum. Causa autem est, quia homines fere sine oratione hoc genus vitae ingrediuntur, et sicut porci tantum carnalia inspectant. Ideo vera bona in marito non videt uxor, econtra maritus in uxore tantum videt, quae offendunt. Cum igitur mutua condonatio non intercedit, nascuntur lites et irae infinitae.

Dignum igitur hoc exemplum est, in quod coniuges saepe intueantur, ut discant inter se amice vivere, qui enim nihil condonare vult, sed ad

5 ministerio *G. H. K.*] mysterio *I. Erl.*

[1]) *Nicht bei Thiele; vgl. Wander, Geschwister 2* (fratrum concordia rara *bei Ovid) und selten 9.*

vivum exigere omnia, is miserrimam vitam vivet, et aliis quoque molestus erit. Est enim haec vita vere, ut sic dicam, scabiosa, ulcerosa et plena incommodis. Qui igitur in ea vivit, non ubique inveniet commoda. Fumus, aiunt, coniunctus est cum igni[1], sic ubique incommoda commodis addita sunt, bonae autem mentes incommoda ferunt pacienter, et pro commodis Deo agunt gratias.

Quod Abraham universaliter dicit ad Saram: 'in omni loco, ad quem ingrediemur, dices, quod frater tuus sim': Argumentum est magnae infirmitatis et ingentis metus, significat enim se non solum metuere sibi a Geraritis: sed ab omnibus aliis hominibus: itaque nusquam ausus est confiteri, quod Sara esset uxor.

Quare autem Moses scribit ista non satis honesta de tanto viro? Propter nos hoc facit, nam sanctorum virtutes sic sunt praedicandae, ut tamen homines fuisse, et aliquid humani tum habuisse, tum passos esse statuamus. Sic Iacobus capite 5. dicit: Heliam fuisse hominem similem nobis. Et Paulus de se ac Barnaba ad gentes dicit: 'Sumus homines mortales similes vobis.' Et Petrus ad Cornelium dicit: 'Sum homo tibi similis.'

Jak. 5, 17
Apg. 14, 15
Apg. 10, 26

Etsi autem magnifice commendatur per Prophetas et Apostolos fides Abrahae, tamen historia docet rediisse saepe usitatam infirmitatem. Vere enim Deus sanctos suos mirabiliter ducit: Aliquando incedunt simpliciter, ut alii homines, et videtur fides quasi sepulta, rursus alio tempore pleni spiritu faciunt mirabilia, sicut supra quoque de Helia ostendi, qui magno spiritu mactabat pseudoprophetas. Et postea ad nuncium de furore Isabelis trepidabat, ac secedebat in desertum.

Haec in consolationem nostram spiritus sanctus scripsit, ut statuamus sanctos homines non fuisse sine omni sensu, truncos aut lapides, quales Papa fingit. Hieronimus de Hilarione scribit, quadraginta annis non usum pane, et usque in septuagesimum annum non bibisse nisi aquam. Haec quia portentosa sunt, admirantur homines, Sed nihil tale de Abrahamo audis, is comedit, bibit, laborat, sicut alii homines: Si autem, fidem, spem, charitatem, humilitatem, veram mortificationem respicias, longe excellit Hilariones et Antonios omnes: habuerunt hi quoque suas macerationes (ut sic appellem) et cruces, sed voluntarias et electitias, seu sponte accersitas.

Abraham autem praecipiente Domino cogitur errabundus peregrinari de gente ad gentem, et nusquam certam habere sedem, ac videre horribiles calamitates, quas non elegit ipse, sed incurrit iubente Domino, et pacienter tulit. Ubi econtra pontificii sancti etiam in levibus causis impacientissimi sunt. Quam impatiens est ipse Hieronimus, siquidem unica vocula excitatur ad scribendam invectivam. Hos igitur sanctos intueamur, quorum exempla nobis proponit spiritus sanctus, qui pleni fide, charitate, humilitate sunt, et tamen concurrunt infirmitates humanae, ut consolationem

[1]) *Nicht bei Thiele; doch vgl. Otto l. c. S. 137 s. v. flamma.*

habeant infirmiores, quin ipse Dei filius in carne nostra infirmus fuit, toedebat, pavebat, fugiebat pericula etc.

Accepit autem Abimelech oves et boves, servos et ancillas, et dedit Abrahae, reddiditque ei Saram, uxorem suam: et dixit Abimelech: Ecce terra mea coram te est. Habita, ubi tibi commodum visum fuerit. 20, 14. 15

Ne quid desit, quod in pio rege desiderari possit, postquam docuit Moses territum verbo: Deinde absolutum a peccato, et confessum peccatum coram Abraham et tota aula sua, etiam de charitate, quam habuit, nos docet. Non enim expulit peregrinum Abrahamum, sicut supra de Pharaone audivimus, sed regaliter eum donat, dans ei boves et oves, servos et ancillas, ac liberum faciens, quocunque loco velit habitare, quasi dicat: Tu Propheta es, habes verbum et doces, Meum igitur, ut Regis offitium est, ut te iuvem, ornem, defendam, alam etc.

Sic reverenter de ministerio verbi seu sacerdotio sentit. Debebant igitur in hoc exemplum intueri omnes reges et Principes, sed fere malunt similes esse Pharaonis, quam Abimelechi. Pertinet quoque exemplum hoc ad consolationem Ecclesiarum, non enim suos perpetuo deserit Deus: Vexationem et calamitates audivimus, quas pius Abraham passus est, ac nisi promissione divina se sustentasset, non mirum, si prae tristitia esset mortuus, ac verisimile est, bonum Loth eo anno mortuum moerore animi. Venit autem Deus vere adiutor in tribulatione, in tempore opportuno, et aperit ei regnum Gerarensium, ut in eo secure et tuto vivat: Ac Sara quietum locum habeat, in quo pariat.

Sic Deus afflictam Ecclesiam consolatur, non enim perpetuo subiicit eam tyrannis, dat nonnunquam pios reges et principes, qui Ecclesias fovent, et eis benefaciunt. Tales extiterunt nostris temporibus Illustrissimi Saxoniae Electores, qui ad se praecipue Ecclesiarum curam pertinere iudicaverunt. Igitur et scholas instituerunt, et Ecclesias misere neglectas idoneis ministris adiuverunt, aliis persequentibus verbum, et turbantibus sua tyrannide Ecclesias.

Sed Abimelech intelligit, quantum donum sit, habere in regno suo verbum Dei, cultum Dei, Ecclesiam Dei et Prophetam Dei. Ideo tam liberalis est in hunc hospitem, maximoque honore eum afficit. Non tantum offerens habitandi locum, sed etiam usum rerum, ut pro suo commodo utatur, quibus opus sit.

Pertinet igitur hic rex in catalogum sanctorum principum, horum offitium non est aedificare monasteria, sed fovere Prophetas, et defendere Ecclesiam Dei. Etsi autem rari sunt, qui hoc faciant, tamen debet hoc exemplum Abimelech in Ecclesia celebrari et lucere.

Etiam inter nostros multi hodie sunt, qui rapiunt Ecclesiarum reditus, et defraudant pios doctores sua mercede. Papistae plane obsessi a Sathana etiam persecutionem et gladium addunt. Itaque praemia sua sentient, sed longe dissimilia iis, quae propter pietatem tulit Abimelech: Orat pro eo Abraham, et sanatur, tyranni habent Ecclesiae preces contra se, et tradentur aeternae morti.

Sic historia haec in Abrahamo proponit exemplum primum contionatoribus, ut discant quomodo Deus soleat sanctos suos exercere in summis virtutibus, fide, spe, charitate, ut possint carere et pati, ac discant sperare liberationem. Haec vera exercitia sunt istorum, qui Prophetae seu doctores sunt. In Sara proponit historia exemplum matribus familias. In Abimelech principibus. Merito autem benedicenda est civitas Gerar, quod filius promissionis ibi conceptus et natus est, ac miror nullum locum extare in scripturis, qui mentionem huius loci faciat.

20,16 Ad Saram autem dixit: Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, ecce est tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, et alios omnes: Sic repraehensa est.

Hic locus aliquo modo difficilis est propter grammaticam, ideo interpretes mire variant: Sed sententia tamen ex circumstantiis facile potest colligi. Clare indicat Moses regem Abrahamo donasse, quae donavit, et non Sarae. Sic enim dicit rex: fratri tuo dedi, quem scilicet tu appellas fratrem, tibi nihil dedi. Addit autem causam, cur Sarae nihil donet: 'hoc, inquit, erit tibi in velamentum oculorum.'

Non mirum est, esse aliqua loca scripturae Sacrae, quae non satis possunt intelligi. Quis enim hodie intelligit scripta scholasticorum, postquam parisiensis modus loquendi desiit. Quando enim res et usus rerum pereunt, tunc etiam vocabula non possunt intelligi. Qui iura non didicit, forensia vocabula nullo modo intelligit, sic medicina habet sua propria vocabula, sic Astronomia, quae nemo intelligit, nisi res prius teneat.

Certum autem est, Iudaeos post negatum Christum amisisse res, nihil igitur sani docere possunt, et frustra in grammatica se torquent. Saepe unum vocabulum in decem significata partiuntur: 'Amiserunt enim verborum lucem, res scilicet. Ita hoc in loco difficultas in verbis est, cum dicit: 'erit tibi in velamentum oculorum.' Nescis enim velamentum passivene an active accipiendum sit, sed posterior particula, praesertim si interpretes consulas, impeditior est.

Repraehendit Lyram Burgensis. Sanctes quoque discedit a reliquis. Hieronymus verbum memento addit, ut expleat sententiam, ac sine dubio vertit repraehensam: Sed indocti depravarunt locum, et fecerunt depraehensam. Verbum enim notum est, quod significat repraehendere, arguere,

castigare, corrigere, ut Psalmo sexto: 'Domine, ne in furore tuo arguas me.' Et Esaiae primo: 'Arguito me.' Ps. 6, 1 Jes. 1, 18

Sed omissa grammatica disputatione, sententiam videamus, quam ego hanc esse simplicissimam iudico. Tibi. inquit rex ad Saram, ne quidem obulum do, ut scilicet habeas velamen oculorum, hoc est, certum testimonium tuae pudicitiae, quod te non attigerim. Si enim tibi donarem peculiariter, suspicionem iniicerem aliis violati pudoris: Igitur velamen oculorum passive accipio, ut sit phrasis singularis, sicut nos latine dicimus obstruere os: Ita ipsi dicunt, velabunt oculos, hoc est non audebunt te accusare, sed potius testabuntur te retinuisse illaesum pudorem.

Huc faciat ultima particula, et repraehensa est seu redarguta, hoc est, non solum nullo affecta est munere a rege, sed etiam repraehensa non ex odio, sed ex mera charitate, hoc enim modo consuluit rex famae et pudori Sarae. Hanc puto veram sententiam huius loci esse, de argenteis mille affirmare nihil possum, quid valuerint, sed quia rex donat, existimo non exiguam fuisse argenti summam.

Et oravit Abraham ad DEUM, et sanavit DEUS Abimelech et uxorem eius et ancillas eius, et pepererunt, quoniam concluserat DOMINUS omnem matricem domus Abimelech, propter causam Sarae uxoris Abrahae. 20, 17. 18

Haec particula primum probat Abrahamum fuisse Dei Prophetam. Deinde praeclare commendat Ecclesiam Abrahae, quod vere sit Ecclesia Dei, ex qua nasciturus sit salvator humani generis. Fuit enim Abraham pater promissionis, et quocunque migravit, portavit secum non Deos, sicut Aeneas, sed promissiones de Christo ex semine suo nascituro.

Sicut igitur Petrus Cornelium in actis docet: Salutem esse tantum per filium Dei, factum pro nobis victimam in cruce: sic pium Regem Abimelech Abraham docet de promisso semine, et personarum pluralitate in divinitate. Hoc propheticum opus fuit, cum quo coniungitur illud alterum de intercessione seu oratione, quae statim exauditur. Impossibile enim est, iusti orationem irritam esse, promissiones enim mentiri non possunt: 'Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.' Item: 'omnis, qui petit, accipiet' etc. Apg. 10 Joh. 16, 23 Luk. 11, 10

Quod dicit textus sanatas ancillas, intelligit ancillas mulieris regi subditas, sicut in regum libris: 'Es tu servus Saul', id est, subditus? Iudaeorum foedum commentum de percusso Abimelech in genitalibus explodendum esse dixi, satis primum percussus est voce Dei in lecto. Non enim sine ingenti omnium virium concussione talia somnia abeunt, sicut

5 obulum *G. H. I. K.*] obolum *Erl.*

Danielis exemplum testatur, qui post colloquium cum Angelo graviter aliquot dies decubuit.

Deinde triste spectaculum regem afflixit, quod vidit in partu uxorem suam periclitari, et audivit idem frequentius solito pati etiam subditorum uxores. Non igitur in pudendo loco percussum regem credo: sed quod aegrotus factus sit ex ista castigatione, quam in somnis audivit, morte morieris. Deinde etiam periculo uxoris, quam videt poenam peccati sui ferre, nec posse parere: Concluserat seu arctaverat omnes matrices Dominus, ut non possent eniti.

Vocabulum Hebraeum (*Rechem*) proprie significat habitatiónem foetus in utero materno, ac per synecdochen aliquando accipitur pro tota muliere, usurpatur etiam pro clementia et misericordia, quae huic sexui peculiariter tribuitur, quod sit naturaliter factus seu creatus ad fovendum, alendum, miserandum etc. Hunc affectum miserationis habet hic sexus prae viris. ideo ab hoc affectu vocantur mulieres *Rechem*. Quin Deus quoque se vocat *Rechem*, quia scilicet sit miserator. qui nos non abiiciet in calamitate positos, sed misereatur nostri, et foveat nos.

Poena igitur mulierum Gerarensium non tantum fuit labor pariendi, sed desperatio enitendi, id quantum malum sit norunt foeminae. Omnes igitur mirati sunt, quod tam multae parturirent, et tamen eniti non possent. Sunt autem per orationem Abrahae subito sanatae, et in isto suo periculo didicerunt peccatum regis, et crediderunt Abrahamum verum Dei Prophetam, et in eius domo veram Dei Ecclesiam esse, ac conversi sunt ad Deum Abrahae, quem Dominus una cum Sara sic voluit consolari, ut posset concipere.

Quod nostra translatio habet: ‘propter Saram, uxorem Abrahae’, in Hebraeo est, propter (*Dabar*) verbum vel causam Sarae, sicut liber inscribitur verba dierum, id est, res gestae temporum. In summa proponit Moses in hac historia exemplum orationis et exauditionis, et quam tenere Deus diligat suos credentes, quam curet solicite, et quam liberaliter eis auxilietur, ut discamus nos quoque credere, et expectare auxilium tempore oportuno.

Hic locus bonum argumentum et exemplum est pro Papistis, Abraham accipit munera a rege, et orat pro eo, idem, inquiunt, nos facimus in monasteriis, iuste igitur accipimus dona, quae offeruntur, Item honores et dignitates: cur enim recusaremus haec, cum videamus Abrahamum non recusare? facile enim patitur se glorificari et locupletari. Cur igitur nos oraremus gratis? sicut vos Lutherani docetis.

Ad hoc argumentum simpliciter respondeo, fac idem, quod Abraham fecit, et dabimus tibi omnia. In hoc facile est imitari Abrahamum, ut

10 (*Rechem*)] רֶחֶם *27* (*Dabar*)] דָּבָר

accipias ab aliis, imo ut discurras hinc inde, et extorqueas pecuniam praetextu orationis, sed orationem imitari profecto non facile est, et orator, qualis Abraham est, non solum dignus est, ut alatur, sed etiam ut honoretur, sicut Paulus de verbi ministris dicit, quod duplici honore digni sunt. 1. Tim. 5, 17
Et Christus: 'Mercenarius dignus est mercede sua.' Matth. 10, 10

Narratur de sancto Hulderico aluisse eum mendicum quendam, qui quotidie pro ipso oraret: Accidisse autem, ut oeconomus eius quodam die mendicum negligeret, et portionem solitam non daret: Itaque mendicum etiam intermisisse orationem: Quia autem Huldericus aliquid incommodi passus, et eo die periclitatus erat, interrogat mendicum, orassetne eo die pro se: Mendicus id negat, et addit causam, nihil sibi eo die ab oeconomo esse datum. Igitur Huldericus obiurgat oeconomum, quod sua tenacitate privaverit ipsum intercessione mendici. Heus, inquit oeconomus, quanti esse putas orare unum pater noster? Huldericus eum ablegat Romam, ut interrogaret, quanti aestimaret unum pater noster: Respondit Pontifex, nummo. Hic cum rideret oeconomus, respondet secundo Pontifex, aureo aestimare. Tertio respondens ait: Totus orbis cum omnibus suis opibus pro uno pater noster satisfacere non posset.

Haec sic fortasse ficta sunt, sed profecto non sine fructu, aut frustra narrantur. Si ergo Papistae tam ampla beneficia recte possidere volunt, orare ipsi quoque debent, sed cum oratio requirat fidem in Christum, ipsi autem non solum sine fide sint, sed etiam verbum, quo solo fides nititur, oderunt et persequantur, nulla prorsus apud eos oratio esse potest. Oratio eis tantum linguae labor est, clamant et vociferantur in templis sine omni intellectu, nec suam miseriam, nec Dei misericordiam recte norunt. Oratio autem sine intellectu, est etiam sine affectu, quia ignoti nulla est cupido.

Sic Papistarum oratio taediosum opus et molestissimus labor est, qui ne quidem obulum valet in oculis Dei, imo est abominatio, siquidem sine fide sunt, et Deo honorem suum non tribuunt, quod gratis ignoscere, et propter Christum dare velit, quibus indigemus.

Hoc nullus monachus statuit, et tamen tegunt impietatem suam isto falso operculo, quod Ecclesia mandaverit, sic in templis vociferari, et quod Pontificis authoritate liberati sint ab orando, et tantum obstricti ad legendos psalmos: Sicut in decretis sententia haec est valde celebris: Nullam attentionem esse necessariam nisi verborum.

Tales oratores seu petitores quis non execraretur? Templa igitur ipsorum vere sunt scholae diaboli, et debebant decuplo spoliari praebendis suis, quia primum non orant: sunt enim sine fide, et quae orant, non intelligunt. Deinde ex oratione faciunt laborem linguae, et ex tritura

---

23 oderunt *G. H. K.*] oderint *I. Erl.* 29 obulum *G. H. I. K.*] obolum *Erl.*

verborum cultum Dei, cum vere sint in omnibus suis orationibus blasphemi in Christum: sunt autem affirmativa peccata, sic enim appellare licet docendi causa, longe horribiliora, quam peccata omissionis.

Cum igitur monachi et canonici suas orationes tanti faciant, ut eas etiam vendant, nihil iis sceleratius dici potest. Isti autem veri oratores sunt, qui habent verbum, sicut Abraham, nec dubitant se esse filios gratiae, quia vocati, et a spiritu sancto per Euangelium eruditi sunt, ac imbuti agnitione Christi, per quem facti sunt haeredes Dei. Haec gloria, quae non ex nobis, sed ex coelo contingit, necesse est ut adsit, cum volumus orare. Nisi enim credamus nos placere Deo, quo modo de oratione possumus cogitare, quod Deo grata sit? Qui autem de eo dubitat, sicut omnes Papistas de hoc dubitare necesse est, frustra orabit.

Contra qui credunt se propter filium Dei in gratia esse, etiam cum aliud agunt, sine intermissione orant. Est enim in eis gemitus inenarrabilis, qui non quiescit nec sabathisat, sed replet orbem terrarum dies et noctes clamoribus, imo etiam ipsum coelum. Hoc gemitus Papistae non vident: Igitur palam nos accusant, quod nihil oremus: se autem gloriantur dies ac noctes orare. Cum, quid vera oratio sit nesciant, ac multo minus, quid vera oratio faciat, et quam sit efficax, et tamen de merito orationis multa blaterant.

Quod ad verba attinet, orant nobiscum orationem Dominicam, quid autem orent, nec vident, nec intelligunt, nesciunt quid sit Dei nomen, nesciunt quomodo sanctificetur, nesciunt, quod sit regnum Dei: Et quomodo vere orare possent pro sanctificatione nominis ipsius, et pro adventu regni ipsius, cum nomen DEI, hoc est, sanam doctrinam blasphement. et Ecclesiam persequantur?

Nos autem, qui retinemus verbum, intelligimus pericula, quae Sathan Ecclesiae struit, et videmus potentiam regni ipsius, quod in hoc mundo habet. Igitur vero affectu clamamus, sanctificetur nomen tuum, hoc est, da sanctos et pios doctores in Ecclesia, qui nomen tuum patefaciant mundo, quod sis misericors, et propter filium tuum pro nobis crucifixum peccata condonare, et vitam aeternam donare velis, ut omnes homines in misericordia tua confidant, et te invocent, te praedicent, tibi gratias agant, etc., hoc enim est sanctificare nomen Dei. Veniat regnum tuum, hoc est, da spiritum sanctum, qui nos gubernet, et serva nos, ne relabamur in regnum Sathanae, qui verbum, fidem, cultum Dei omnem conatur abolere etc.

Sic cum oramus, sumus ipsi quoque Prophetae, seu Prophetarum filii et discipuli: nec opus est, ut futuri eventus nobis revelentur. Satis ad Prophetae offitium est, quod scripturam intelligimus, et alios docere possumus, ac nos inter nos precibus adiuvare. Qui enim Propheta non est, neque docere, neque orare potest, nec ullum opus bonum facere.

Commune igitur Prophetae nomen est omnibus Christianis, et qui hoc negat, etiam neget se baptisatum et verbo institutum esse: Saltem haec differentia est, quod alii spiritum Dei plenius habent, alii minus plene, etsi enim non tam copiosus est in me, ut in Helia, tamen pro sua parte etiam in me est: igitur et doceo verbum Dei, et oro pro Ecclesia, quod si Abraham maiorem spiritus mensuram habuit, tamen non habuit alium spiritum, non habuit alium Dominum et Deum.

Frustra igitur Papistae hoc Abrahae exemplo suam avaritiam et rapinas defendunt, sunt eis bona opera: in templo sine affectu et intellectu recitare psalmos, vestire cilicio, abstinere a carnibus, sed non a piscibus et vino. Haec iudicant digna tantis opibus, et tam lautis praebendis.

Sed aliter spiritus sanctus et scriptura de bonis operibus contionatur, requiri scilicet ad opus bonum fidem, quod in gratia sis apud DEUM propter Christum. Hoc fundamento stante, postea omnia sancta sunt, sive doceas verbum, sive consoleris afflictos, sive patiaris vel tuas infirmitates vel aliorum iniurias. Ideo Christus dicit: ‘Amen dico vobis, qui credit in me, opera faciet, quae ego facio, et etiam maiora.’ Joh. 14, 12

Qualia autem fecit opera Christus? nimirum quae Patri coelesti placebant, arguebat Pharisaeos, humiles consolabatur, haec Deo grata opera erant: Sed etiam in navi dormiens, etiam iter faciens, edens et bibens, placebat Deo: idem, inquit, accidit iis, qui credunt in me. Atqui, inquiunt Papistae, laicalia haec sunt et civilia opera, frons erat corruganda, erat fugienda, consuetudo hominum, et nihil faciendum, quod simile esset aliorum factis. Sic scilicet probant se nihil scire de bonis operibus, de quibus tamen perpetuo vociferantur. Nosque accusant, quasi nihil boni operemur, et fruuntur interim opibus mundi, quibus stercorantur et impinguantur. Sed veniet interitus eorum subito. Oramus quidem pro eis: quod si ipsi impediunt sua impoenitentia orationes nostras, et necesse est, istam Sodomam ruere et perire, tamen valebit oratio nostra pro misero Loth et familia eius.

Caput XXI.

Saepe admonui Chronographiam in sacris historiis non esse negligendam: ut consideremus, qui Patriarchae eodem tempore vixerint. Illustratur enim mirum in modum historia. Vidit igitur Abraham totam illam genealogiam, quae describitur genesis .11. Vixit enim cum Noah annos .58. Sem autem annos .31. Arphachsad autem cum Abrahamo .84. Salah .3. annos vixit post Abrahamum. Eber autem annos .64. Peleg vixit cum Abrahamo annis .48. Regu .78. Seruh .101. Nahor .49.

36 84] XXXXVIII *Erl.* *38* Seruh *G. H.*] Seruth *I. K.*] Serug *Erl.*

Thare .135. Hoc an non fuit pulcherrimum saeculum, quo verbum foeliciter propagatum est per tot doctores, quorum aliqui, ut Sem, viderunt primum mundum, hoc est, patres ante diluvium, ut Methusalem, qui ipsum Adam, primum hominem, vidit: et tamen praevaluit Sathan in filiis iniquitatis. Igitur et Sodoma deleta est, et bellis varie turbata sunt regna mundi, Imo ipse quoque Abraham per speciosam Caldeorum religionem seductus, per Sem et alios patres inde avocatus est. Hanc pestem induxit in mundum Noë filius, Cham. Itaque Iaphet quoque degeneravit, et in sola domo Sem mansit linea Christi, a quo in Abrahamum promissio translata est: Ita Chronographia lucem historiae adfert, si totam temporum rationem intuearis.

21, 1–3 Et DOMINUS visitavit Saram. sicut dixerat. et fecit DOMINUS Sarae, sicut locutus fuerat: nam concepit et peperit Sara Abrahamo filium in senectute sua. Certo tempore, quod dixerat ei Deus, et vocavit Abraham nomen filii sui, qui sibi natus erat, et quem sibi pepererat Sara, Isaac.

Moses admodum copiosus hoc in loco est, et fere omnes sententias bis repetit, ut scilicet cumulatissimum illud gaudium sancti Patriarchae nobis commendet, qui non solum locum securum, et faventem regem post horribiles calamitates nactus est, sed Sara impraegnatur, et parit ei filium, qui promissionis haeres est. Si autem cum liberi nuturaliter nascuntur sine promissione, solidum parentum gaudium est, quanto magis gavisus est Abraham hoc suo filio nato, quem tot iam annos promissum expectaverat? Quod igitur in spe hactenus fuit, et ipse credidit, id nunc in re est, ac, ut sic dicam, promissio iam incarnata est.

Huius gaudii sensum non possumus attingere, hactenus enim invisibilia et impossibilia fuerant, quae Abraham crediderat, nunc visibilia sunt et maxime possibilia, nobis in exemplum, ut discamus nullum esse solidum gaudium in hoc mundo praeter illud, quod verbum creditum adfert.

Quod meminit temporis definiti et certi, fit, ut inculcet promissionem. Utque magis consideremus verbum creationis, quam ipsum opus. Natus igitur Isaac est sub illum ipsum diem, quo ante annum eversa est Sodoma, ut scilicet pii parentes haberent gaudium, quo magnitudo doloris pensaretur: Utrunque enim Deus facit, ducit ad inferos et reducit, affligit et laetificat.

Quod igitur Moses subinde involvit verbum Dei seu promissionem in hanc historiam, non ideo fit, quasi generatio ista communis inter nos sit
1. Mose 1, 28 sine verbo. Quod enim Deus semel dixit: 'Crescite', id verbum adhuc hodie est efficax, et miraculose conservat naturam: Sed quotusquisque est, qui credit aut videt?

Sicut igitur Augustinus dicit de quinque panibus, eum, qui pavit quinque millia hominum, adhuc hodie eodem miraculo pascere totum mundum: Ita recte de generatione hominis dicere possumus, esse eam tam miraculosam adhuc hodie, quam fuit generatio Isaac.

Sed grandia haec miracula viluerunt assiduitate: Igitur Deus aliquando novum aliquod opus edit, non ut sit maius, sed ut ostendat ista communia et usitata, quae nobiscum fiunt, illis singularibus similia esse, et nasci ex eodem fonte, hoc est, ex omnipotenti verbo Dei. Quod enim fruges crescunt, et conservantur species, hoc tam magnum est, quam illud, quod panes in deserto multiplicati sunt: nec frustra est, quod Christus ubique in Euangelio inculcat creaturarum imagines seu similitudines, sed nos surdi, caeci et stupidi sumus, nec admiramur, nisi illa, quae singularem speciem habent. Matth. 15, 32 ff. Mark. 8, 1—10

Transitus per mare rubrum et per Iordanem magnifica fuerunt miracula: sed quis admiratur hoc, quod nos quoque per ipsum Oceanum quotidie transimus? Quid enim hoc aliud est? quod, cum natura aquae sit fluere, et operire terram, tamen virtute verbi, quod Deus dixit: ‘congregentur aquae’, stat terra et aquae inferiores, et superiores quasi suspensae pendent, nosque revera circum circa inter ipsas aquas habitamus. 1. Mose 1, 9

Idem de generatione hominis licet dicere, quae quanta res sit, nemo intelligit, et tamen contemnitur secundum vetus dictum: Vilescit quotidianum.[1] In causa autem est peccatum originale, ex quo nata est foeda libido, turpitudo, molestiae, morbi et alia mala, quae cum sentiuntur, obruitur opus DEI una cum verbo, et incipiunt homines abhorrere ab hoc sancto vitae genere, quod tam mirabilem benedictionem Dei habet. Sed est haec communis fortuna omnium operum Dei, quod sic contecta et quasi contaminata sunt multis offensionibus et miseriis.

Qui gubernat politiam, quam non sentit molestiam? Cives inobedientes sunt. Disciplina ne quidem acerbis supplitiis retineri potest. Invidia autem et odium poenae intolerabile est onus. Accedit deinde hostis Sathan, qui scandalis imperia turbat. Haec omnia qui recte considerat, putas, quod ad Rempublicam accessurus sit? Qui igitur sic gubernare volet, ut retineat cor quietum, offendicula haec removebit ex oculis, et intuebitur in verbum et voluntatem Dei: ibi videbit utcunque reliqua sint, se in tali vitae genere esse, quod Deo placeat, eoque iubente ingressus sit.

Totus mundus nihil melius, preciosius, dignius habet, quam Ecclesiam, in qua vox Dei sonat, et Deus veris cultibus, hoc est, fide, invocatione, pacientia, obedientia etc. colitur, et tamen sic obruta est cruce. afflictionibus, ignominia, contemptu, ut mundus nihil foedius nec perniciosius esse iudicet.

---

[1]) *Rufus Festus Avienus (5. Jahrh. n. Chr.), Arati Phainomena 318.*

Jes. 53, 2 f. Quin ipsum Christum inspice, quid eo est calamitosius? 'Vidimus eum laeprosum, inquit Esaias, ut averteremus vultum ab eo', et tamen est Dei filius, rex gloriae, et omnium hominum salutare. Quid igitur mirum, si dignitatem coniugii et miraculum generationis pauci videant. Inde enim nata sunt dicta illa: Uxorem esse necessarium malum[1], item esse molestum bonum. Quod si in verbum respiceremus, aliter iudicaremus. Nunc peccato originis excaecati, verbi nullam curam habemus, et tantum aestimamus illa, quibus offendimur.

Discamus igitur in verbum intueri et in voluntatem Dei, tunc aequo animo perferemus omnia, quantumvis acerba. Moses pulchre separat vicium libidinis ab opere Dei, siquidem toties inculcat Saram concepisse et peperisse, sicut Dominus locutus erat. Item in ea aetate, in qua ardor libidinis deferbuit. Ad hunc modum nos quoque separemus vitia, quae peccatum originis attulit, a creatione et operibus Dei. Ego certus sum, quod sum creatus masculus.

Est autem Dei ordinatio coniugium. Non, inquit, bonum est, homi-
1. Mose 2, 18 nem esse solum, sed obiiciuntur ibi molestiae, vexationes, tribulationes variae, quid tum? an non hoc potius est, quod sic Deo placeo? quod Deus invocantem me exaudit, quod in calamitatibus liberat? quod per sociam vitae, bonam uxorem, quam mihi adiunxi, varie mihi prodest etc.

Ad hunc modum qui suas rationes instituit, collocat se in puritatem
Hab. 3, 18 paradisi. Sicut enim Propheta dicit: 'equi tui in luto aquarum multarum, et tamen quadrigae tuae salvatio': Ita tum in oeconomia, tum politia, tum Ecclesia quoque accidit: omnia sunt plenissima molestiarum, et tamen qui in verbum respiciunt, retinent aequabilitatem animi, et sentiunt salutem. Deus enim, sicut in scaena solet, cum sit rex regum, et Dominus Dominantium, saepe induit pallium mendici.

Jes. 45, 15 Itaque Propheta vocat eum 'Deum absconditum': sub maledictione enim latet benedictio, sub sensu peccati iustitia, sub morte vita, sub afflictione consolatio. Opus autem est, ut in verbum intuearis: qui enim verbum non habent, sequuntur sensum suum, et manent sine consolatione in lachrimis et luctu. Cur enim monachi abdunt se in monasteria? nimirum ut liberentur a molestiis, quibus totum mundum vident abundare. Eodem consilio Papa elegit caelibatum, quanquam sanctitatis opinionem hoc modo captavit: sed molestiae, quas Deus propter peccatum humanae naturae inflixit, non fugiendae sunt.

Considerandi autem fulgentes radii verbi divini, quibus ornavit Deus oeconomiam, politiam et Ecclesiam, sic fiet, ut non offendamur molestiis et incommodis, quae in paradiso nulla fuerunt, et in mundo necessaria sunt ad coercendam naturam, et sane hoc, quod monachi in mundo fugiunt, in monasteriis dupliciter inveniunt: Nam diabolus etiam in deserto

[1]) *Nicht bei Thiele und Wander.*

habitat. In hanc igitur curam incumbe, ut in tali statu sis, de quo certo possis affirmare, quod sit a Deo institutus: Hoc nullus monachus de monastica, nullus Papista de coelibe vita dicere potest.

Haec causa est, cur Moses sic copiose celebret et extollat generationem Isaac, ut commoneat nos, nihil tam respiciendum esse, quam ipsum verbum: hoc qui faciunt, vident totum mundum plenum esse miraculorum, sed puri sint oculi necesse est, alioqui praestantissima Dei opera assiduitate vilescunt, et obscuratur gloria verbi et operum Dei.

Medici neque verbum, neque gloriam, quam mirabile opus generationis humanae habet, vident. Ignota igitur vera causa, coguntur tamen effectum admirari et laudare. Separant enim stercora et sudores illos seu excrementa, hoc est, libidinem, et ipsum opus generationis purissime inspiciunt per se. Considerant positum membrorum, qualitates, usus etc. idque faciunt destituti hac spirituali sapientia, quam verbum ostendit.

Sed nos supra eorum sapientiam contemplamur etiam Dei voluntatem et verbum, scilicet spiritualem illam coronam, qua Deus coniugium ornavit: 'creavit eos masculum et foeminam': 'Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium.' 'Benedixit eis dicens: Crescite et multiplicamini.' 1. Mose 1, 27 1. Mose 2, 18 1. Mose 1, 28 Haec est illa aurea corona, quam omnes pii coniuges gestant in capite, nec prohibet, quod mundus immundus, ceu porci, os et oculos in lutum et stercus figit, et tantum molestias aestimat. Nos nostra et quidem vera bona discamus intelligere, et fiet nobis ex deserto paradisus, ut saltem ferre et moderate tolerare, vel devorare omnia incommoda possimus: Ideo tam diligenter inculcat Moses verbum Dei et promissiones.

Circumcidit quoque Abraham Isaac filium suum, cum esset filius octo dierum, quemadmodum praeceperat illi Deus. 21, 4

Abraham imponit filio nomen autoritate divina: ita enim Angelus Domini dixerat nominandum. Circumcidit quoque filium octavo die, ac addit Moses id factum secundum praeceptum Domini. Sicut igitur Abraham omnia facit secundum verbum et vocationem: sic nos quoque demus operam, ne quid sine verbo instituamus, neve in tali statu aut opere inveniamur, de quo dubitemus.

Papistae nos graviter accusant, quod electitia ipsorum opera et cultus non recipimus. Sed hoc caput doctrinae nostrae est, ne quod vitae genus aut opus suscipiamus, de quo non habemus expressum mandatum Dei.

Loquor autem de talibus operibus, quae ad cultum pertinent. Nam ratio suum peculiare curriculum habet in civilibus, quae ipsa gubernat sine verbo: Sed cultum nemo iactare potest, nisi habeat verbum, et verbo tanquam pannulis involutus et quasi circumclusus sit, tunc nulla neque

tentatio, neque molestia mundi incidere potest, quam non possimus transire,
Hab. 3, 15 licet per aquas et lutum incedendum sit, tamen secundum Prophetam vincemus, promittentem, quod quadrigae Domini utcunque in luto haerentes sint salvatio.

Summum igitur thesaurum, quem sancti Patriarchae habuerunt, verbum scilicet, habemus nos quoque: Demus igitur operam, ut eum recte custodiamus, nec patiamur adversarios nos a plana via in spinosum desertum abducere, et electitios cultus suscipere. Verbo prius probent sua, et tum sequemur eos. Quod autem authoritatem patrum, Augustini, Gregorii, item conciliorum praedicant: Respondemus nihil illa ad nos. Nos verbum requirimus, Augustinus et concilia non sunt verbum, non igitur in ipsorum viis ambula-
Matth. 10, 5 bimus, secundum Christi dictum: 'In vias gentium ne abieritis.'

21, 5 Et Abraham fuit centum annorum, cum sibi nasceretur Isaac filius suus.

Hoc scribitur a Mose non tantum propter numeros annorum: sed magis propter miraculum commendandum, quod Deus senem illum sic benedixerit, ut anno centesimo genuerit filium, effoeto iam corpore per aetatem. Separat autem hic quoque Moses ipsum Dei opus purum ab immundicia et foeditate, quam peccatum originis operi Dei aspersit. Quia enim Abraham centum annorum est, quis non videt eum[1] accessurum fuisse ad Saram, nisi Deus ita iussisset?

Disputationem de annis Abrahae, fueritne primogenitus, an non, supra attigimus, et certum est, tum Iudaeorum, tum Lyrae supputationem falsam esse, tollit enim sexaginta annos. Sed de his alio in loco.

21, 6. 7 Et Sara dixit: risum fecit mihi Deus, omnis audiens ridebit me. Et dixit: quis diceret Abrahae, lactavit Sara filios, siquidem genui filium in senectute illius?

Hoc in loco valde rixantur inter se grammatici, nam verbum (*Sachak*) cum proprie significet ludere, ridere, iocari, transferunt in varias significa-
2. Mose 32, 6 tiones. In Exodo 32. sic dicit Moses: 'sedit, et surrexit populus ludere.'
2. Sam. 2, 14 In libris Regum: 'surgant pueri, et ludant', id est, dimicent armis, et
1. Mose 26, 8 mutuis vulneribus concidant. Et infra de Isaac: 'vidit rex Isaac ludentem cum Rebecca': Ubi, ut Iudaei exponunt, loquitur de consuetudine coniugali. Grammatici igitur multi sunt, Grammatistae autem innumerabiles, sed inter hos nullum invenias, quem possis eruditum Hebraeum dicere. Quia enim res interciderunt, etiam lingua seu vocabula interciderunt.

13 Et Abraham fuit filius *G. H. I. K.* *28* (*Sachak*)] צָחַק

[1]) *Soll wohl heißen:* eum non accessurum.

Nos sententiam ex ipsa re sumemus, neglectis Grammaticorum contentionibus. Propria igitur significatio verbi est ridere. Quod igitur dicit: Deus mihi risum fecit, significat, serio se laetari et gaudere de filio nato, non tantum carnali gaudio, quale aliarum matrum est, de quibus Christus dicit, non meminisse eas priorum dolorum post partum, sed gaudio spiritus sancti, quod vere ex divina benedictione sit mater facta.

Hactenus enim propter sterilitatem habita erat ceu maledicta mulier, cui Deus vulgarem benedictionem invideret: Itaque calamitosam se esse statuit sine dubio. Nunc autem nato filio gloriatur ipsa quoque de divina benedictione, et gaudio exultans dicit: Deus etiam me facit nunc ridere, et laeto animo esse, propter hoc suum insperatum beneficium.

Hanc sententiam confirmant opiniones istius temporis, quasi qui non observant, quid mirum, si de vocabulis dubitent? Nam toto isto tempore ante natum Christum in populo Iudaico benedictio coniugii maxima res habita est, sicut econtra sterilitas pro maledictione est habita.

Hodie non tanti fit benedictio haec, propterea quod Papa invexit coelibatum tanquam sanctum vitae genus. Qui autem in coniugio vivunt, etsi carent hac benedictione, tamen non ideo timent iram Dei aut contemptum hominum, tantum macerantur desiderio prolis, non autem sentiunt iram Dei in conscientia, sic mutata opinio mutavit orbem terrarum.

Illo autem tempore sanctissima haec foemina vixit in summa tristitia, et quo magis sensit, se privatam benedictione, hoc magis fuit anxia. Nunc igitur, cum respicit eam Dominus tanto cum foenore, ut non tantum pariat filium, sed talem filium, qui sit futurus pater Christi. Ibi praeter gaudium carnis est exuberans gaudium in spiritu sancto. Ideo sic gestit gaudio, et loquitur verba, quae quasi singultus quidam sunt exuberantis laetitiae. Scit enim ex hoc suo filio nasciturum, qui totum genus humanum ab aeterna maledictione sit liberaturus.

Sed non tantum laetantis haec verba sunt, sed etiam verecundiae, quasi dicat: Non solum mihi risum et exuberantissimum gaudium in spiritu sancto fecit Dominus, sed etiam coram hominibus ridebunt me omnes, qui audient. Nam parere puellarum est offitium, quarum aetas ad partum apta est. Quod autem ego vetula effoetis viribus, et tantum non cadaver pario, nonne dignum risu est? sicut igitur coram Deo summo gaudio tripudiat: ita verecundatur coram hominibus.

Caeterum frequens est in omni lingua, quod verba alias proprie, alias figurative significant. Itaque verbum (*Sachak*) quod proprie ridere significat, per Antiphrasim, quae Hebraeis communissima est, usurpatur pro irridere, sicut in Germanico vocamus per Antiphrasim nebulonem ein frommt kind, ein edles kreutlein, ad hunc modum hoc in loco verbum ridendi per Antiphrasim expono.

Dominus fecit mihi risum, est proprie dictum. Risus enim significat gaudium: quod autem addit: 'et homines ridebunt me', est figurate dictum, hoc est, culpabunt me, tanquam lascivam anum: sed benedictus Deus, qui mihi hunc risum concitavit. Rident homines: rideo ego quoque, et scio, quod Dominus risum hunc mihi fecerit. Sic sunt verba haec gaudentis serio gaudio, et tamen respicientis in irrisionem mundi.

Particula sequens: 'Quis diceret Abrahamo?' etiam varie exponitur, Grammaticos iterum video multos hic, sed Hebraeos nullos. Igitur summo iure usurpamus nobis magisterium super omnes Rabinos. Non enim ex verbis nascuntur res, sed verba ex rebus. Sicut Demosthenes cuidam interroganti, quomodo recte dicendum esset, respondit: si nihil dixeris, nisi quod bene sciveris. Re enim bene praevisa et recte intellecta, etiam verba apta ad declarandam rem se offerent.

Igitur hic quoque ex usu rerum sententia quaerenda est. Sara igitur est laetissima et plena admirationis, ut non possit satis exprimere conceptum animo gaudium. Nisi, inquit, in cunis iaceret Isaac meus, quis unquam dicere auderet Abrahamo marito natum esse filium? In Germanico magis perspicue redditur: Wer dürffts Abraham ansagen so ein gross herrlich Wunderwerck?

Sed rectius nomen Abrahae exponitur materialiter, ut significet domum seu familiam Abrahae, quasi dicat: quis unquam crederet aut dicere auderet: Abrahae natum filium anno aetatis centesimo, uxoris autem nonagesimo? Quis potuit cogitare possibile esse, quod his duobus nasceretur filius? Sunt igitur verba laetitiae spiritualis et carnalis. Quando enim cor laetum est in vero Deo, etiam caro exultat, sicut econtra etiam corda affici videmus, cum cor triste est. Hanc posteriorem sententiam puto magis propriam esse.

Iudaei hoc in loco etiam hanc quaestionem movent, cur dicat in plurali numero Sara lactat filios, cum non habuerit, nisi unum filium Isaac, ac fingunt Saram in convivio haec verba dixisse, de quo paulo post sequitur. Cum enim reliquae mulieres persuaderi non possent, eam vere peperisse, sed suppositititium puerum a paupercula quadam muliere emisse. Saram in convivio multos infantes, spectantibus omnibus mulieribus, lactasse, et sic removisse suspitionem suppositititii partus.

Talia sunt Iudaica commenta. Quanto simplicius est dicere, plurale positum pro singulari? invenisse pecuniam dicitur, qui unum tantum nummum invenit. Et pater dicitur de liberis, etiamsi unam tantum prolem habeat, haec figura usitatissima est in omnibus linguis, sed Iudaei quia res non intelligunt, neque vocabula, neque Grammaticam recte tractant. Sicut nostri Sophistae, qui amissis rebus Theologicis, vere sicut caeci palpaverunt

18 dürffts *G. H.*] dorffts *I. K. Erl.* *26* corda *G. H. I. Erl.*] corpora *K.*

in tenebris. Perpetuo enim verum est, quod ignorantia rerum affert ignorantiam vocabulorum, qui postea ex vocabulis de rebus disputare volunt, necesse est, ut hallucinentur. Usu et experientia rerum opus est. Qui autem res non habent, impossibile est eos proprie loqui.

Et crevit puer, et ablactatus est, fecitque Abraham convivium magnum in die illa, cum ablactaretur Isaac. 21, 8

Augustinus hic quaerit, quare Abraham fecerit convivium, et quidem magnum, non in die nativitatis aut circumcisionis: sed ablactationis, cum videatur dies nativitatis convivio aptior, sicut fere omnium gentium mos est, natalitium diem celebrare. Circumcisionis quoque dies divinitus mandatus erat horum nihil de ablactationis die dici potest.

Augustinus concludit huius quaestionis nullam esse solutionem, nisi intelligatur spiritualiter illud gaudium, quod habetur et nativitate Christi. Ubi non opus est lacte, sed solido cibo.[1] Hanc sententiam Augustini non ideo recito, ut sugillem sanctum virum, qui solus hunc locum attigit, sed quia bonum et necessarium est hosce sanctos patres inveniri aliquando nobis similes, hoc est, homines esse, ut scilicet stet gloria Dei nostri firma, qui est fortis in infirmitate, et sapiens in stultitia et erroribus nostris.

Hoc Papistae non norunt, qui ex singulis dictis et verbis sanctorum patrum faciunt articulos fidei, quibus non liceat refragari etiam in minimo. Sed Deus in sanctis suis mirabilis est, et ita mirabilis, ut per ipsorum lapsus et errores nobis ostendat suam sapientiam. Ideo uni et soli verbo Dei credendum est, non canonibus, non sanctorum patrum dictis, nisi quatenus cum verbo consentiunt: sicut ipse Augustinus de se et suis libris dicit. Nemo enim habet potestatem onerandi Ecclesiam novis articulis.

Quod igitur ad propositam quaestionem attinet, relinquo sancto Augustino suum iuditium, hoc tamen non ferendum est, quod historiam tantum tractat spiritualiter. Nam ipsae historiae per se explicandae sunt, non enim sunt sine sensu, utcunque videantur leves.

Possumus igitur de sanctissimo viro Abrahamo sic cogitare, quod noluerit imitari mores gentium, sive admonitus per spiritum sanctum, sive per sanctos patres et maiores, qui tum adhuc vivebant. Sic Moses prohibet ritus gentium, et praecipue Aegyptiorum.

Deinde hoc quoque verum est, quod ablactationis tempus aptissimum fuit convivio. Cum Ismahel circumcideretur, erat annorum tredecim, et potuit ferre per aetatem dolorem circumcisionis, Isaac autem octo dierum

9 fere *G. H. K.*] vere *I. Erl.*

[1]) *Augustinus:* Nec die nativitatis nec circumcisionis filii sui: sed in die ablactationis convivium fecit: quia debet magnum esse gaudium spiritualis etatis: quando talis factus est homo, qui pascatur solido cibo.

infans erat, cum circumcideretur, opus igitur tum habuit diligentiore cura parentum. Circumcisio enim magnum dolorem attulit, sicut videmus in Iosua. Populum substitisse et otium egisse, donec sanarentur a circumcisione.

1. Mose 34, 25 Et infra capite 35. [!] commemoratur de Simeon et Levi, invasisse eos Sichimitas tertio die, cum gravissimus vulneris dolor est. Idem de nativitatis die possumus dicere, saepe enim non infans tantum, sed mater quoque periclitatur a partu. Itaque hi duo dies, nativitatis et circumcisionis, convivio non satis fuerunt apti. Distulerunt igitur id ad ablactationis tempus, quo infans bene convaluerat. Haec mea esset ratio, si de hac quaestione respondendum esset.[1]

Sed observandus hic quoque est locus communis, quod sancti patres etiam convivati sunt, adhibuit enim sine dubio Abraham ad hoc convivium regem et sacerdotem Sem seu Melchisedech cum sua familia et alios patres, ac lautius instruxit culinam. Non enim frustra dicit Moses, magnum convivium apparavisse. Licet igitur sanctis praesertim tristitia et calamitate

Spr. 31, 6 oppressis, etiam corporaliter recreari, sicut scriptura dicit: 'da vinum moe-

Ps. 104, 15 rentibus.' Item: 'Vinum laetificat cor.' Hic enim conviviorum finis esse debet, ut traducant animos ad hilaritatem, et post tristitiam recreent animos. Deus enim odit tristitiam, qua cum oppressa sunt corda, non possunt laudare, non possunt gratias agere.

Fuit igitur hoc convivium non levium hominum, sed sanctissimorum Patrum, qui gratias egerunt Deo de confirmata et completa promissione divina, ac non solum corpus recrearunt cibo lautiore, sed etiam sanctis

Apg. 14, 17 sermonibus ipsum cor, sicut Paulus Actorum decimoquarto dicit: repleri corda cibo et laetitia ex benignitate Domini.

Notandus igitur hic locus est contra tristes Hypocritas, qui prodigiosis ieiuniis tantum non occidunt corpora, nec dant carni necessariam curam, quam Deus ei dedit, sed macerando ita fatigant se, ut prorsus fiant inutiles.

Röm. 13, 13. 14 Media via tenenda est, est enim tutissima.[2] 'Non in cubilibus, inquit Paulus, sed curam carnis gerentes, non tamen in desideriis', ne fiat, quod scriptum

2. Mose 32, 6 est: 'Sedit populus, et surrexit ludere.'

Talia sunt Germanica convivia nimis liberalia, sed pii convivantur

5. Mose 16, 11 ad exhilarandum cor et agendas gratias Deo: sicut Moses inquit: 'et epulabimini coram Deo vestro.'

31 Sedit populus et *G. H. Erl.*] Sedit populus manducare et bibere et *I. K.*

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 14, 296; also schon 1523 machte sich Luther seine Gedanken über diese Stelle:* Magnam coenam in die ablactationis apparat, das ſein mir ſeltzam teting. Quare in die nativitatis hoc non facit neque cum hebdomadibus venit? .... exemplum est charitatis, ut se conformet communitati .. Qui cum lupis agit, cum lupis ululet.
[2]) *Vgl.* Medio tutissimus ibis; *Ovid, Metam. 2, 137; öfter bei Luther, z. B. u. S. 177; auch den verwandten Spruch:* Medium tenuere beati; *vgl. Förstemann-Bindseil IV, 216. Lauterbach 44. 104.*

Est et hoc observandum in hoc loco, quod Deus sic palpabiliter Abrahae ostendit suam gratiam, promiserat ei filium, sed differt promissionem. Interim Abraham solo verbo contentus credit promissioni, et haeret simpliciter in invisibilibus. Fit autem suo tempore, ut invisibilia fiant visibilia. Haec nos quoque imitemur, et nobis proponamus. Credimus resurrecturam carnem nostram in extremo die. Id tam nobis debet esse certum, ac si iam factum esset, habemus enim nos quoque verbum et easdem spirituales consolationes, quas Abraham habuit.

Sicut igitur ante centum annos nihil fuimus, ita, cum mors aboleverit carnem nostram, caro nostra iterum ex nihilo emerget et vivet. Sic praesentia, quae iam habemus, palpabiliter nos docent de futuris, quae habituri sumus. Nemo igitur obiiciat, quod Abraham promissiones habuit, nonne enim nos quoque habemus promissiones in Baptismo et Eucharistia?

Haec tantum differentia est inter nos et Abrahamum, quod Abraham credidit promissionibus: nos non credimus. Abraham per fidem ex invisibilibus fecit visibilia, nos tantum in visibilibus haeremus, nec palpamus Deum palpabiliter in nobis ipsis: sicut Paulus dicit, Actor[um 14. Reliquisse eum in nobis certa testimonia suae praesentiae et bonitatis. Apg. 14, 17

Habuit tamen Abraham privilegium singulare et non contemnendum, quod nos non habemus. Certus enim fuit de posteritate: quod ambo filii essent victuri. Supra enim admonitus verbo Dei didicit ex Ismaele generandos duodecim duces. De Isaac quoque norat nasciturum ex eo Christum. Hoc exemplum in solo Abrahamo et eius familia videmus, nemo enim nostrum certus esse potest uno anno de suorum posterorum vita. Sed hoc corporale tantum beneficium est. Nos autem, quod ad spirituales promissiones attinet, vel pares, vel etiam superiores Abrahamo sumus, ac, si tantum possemus credere, sicut Abraham credidit, essemus in paradyso, imo in ipso coelo. Non enim baptisati sumus in domum Crassi aut Caesaris, sed in regnum coelorum. Ad hoc sumus absoluti et communicati. Et tamen in tanta promissionum copia, quantam Abraham non habuit, stertimus ignavi, et neque gratias agimus Deo, nec in spiritu laetamur.

Non igitur desunt nobis promissiones, sed fides nobis deest, quam Abraham habuit. Apud Papistas autem etiam ipsa doctrina concidit, nihil enim de fide, nihil de verbo Dei, quod absolvit a peccatis et consolatur, nihil de promissionibus docent, tantum docent merita propriorum operum. Baptismus prorsus apud eos mortuus est, tantum contritos et confessos absolvunt, utentes coena Domini docent, quod faciant opus obedientiae erga Ecclesiam. De remissione peccatorum, et quod fide accedendum sit, nihil docent. Decet autem nos aperire oculos, et bona, quae habemus, intueri, et de iis agere gratias, et laetari sicut Abraham, qui non tantum in spiritu gaudet, sed etiam corporaliter.

21,9 Et vidit Sara filium Hagar Aegyptiae, quem genuit Abrahamo, quod esset derisor.

Quidam in ea opinione sunt, factum hoc esse in ipso die convivii. Offensum enim esse Ismaelem et Hagar illa convivii pompa, et contumeliosum aliquid dixisse. Sed circumstantiae arguunt aliquot annos post ablactationem haec accidisse, nec unius diei contentionem fuisse, sed etiam
Gal. 4,29 aliquot annorum, idque Paulus indicat, cum vocat 'tempus persecutionis'. Nec fuit contentio de re levicula. Ismael voluit habere praerogativam primogeniturae, et mater Hagar magnifice superbivit, quod Abraham per ipsam sit factus pater. Haec puero Isaac capaci iam per aetatem iniuriae et persecutionis obiecit frater, ac fortasse, ut solet, maiorem familiae partem pertraxit ad se, ac si solus haeres esset promissionis. Nam quod de duodecim ducibus ex se nascituris audierat, id sine dubio iuvenilem animum intumescere fecit. Somniavit igitur sibi regnum, et Isaacum prae se contempsit. Idem mater fecit erga Saram, quae licet sanctissima esset foemina, tamen secundum canonem fuit infirma. Ita enim sancti, ut saepe dixi, laudandi sunt, ut tamen maneant nobis exempla patientiae et infirmitatis.

Itaque Sara tandem impatiens contemptus et iniuriarum, postquam remedium nullum vidit, nisi ut eiiciatur e domo Hagar et filius, rem defert ad Abrahamum. Nec ûnius diei haec contentio fuit, ut supra quoque dixi, sed aliquot annis dissimulavit Sara iniurias. Videtur autem Hagar instigasse filium, et fovisse domesticas rixas. Ideo durius in eam invehitur Sara, ut sequitur.

21,10.11 Et dixit ad Abraham, eiice ancillam istam et filium eius. Non enim erit haeres filius istius ancillae cum filio meo, cum Isaac. Et valde displicuit verbum illud in oculis Abraham super causa filii sui.

Matrem prius nominat, quod scilicet principalis causa istarum contentionum esset: Ismaelem non nominat: ac ostendit Sara contemptum, ancillae filium nominans. Supra autem commendavimus sanctam Saram, quod obediens fuerit marito, et appellaverit eum Dominum, ac profecto praestantissima virtus in uxore est, si sit subdita marito, et habeat eum in honore ac metuat.

Ubi igitur, inquis, manet nobis[1] ista reverentia erga maritum? quod enim ad Abrahamum dicit: 'eiice ancillam', satis imperiosum est, et quia, ut circumstantiae arguunt, contentio haec diuturna fuit, haud dubie Sara

[1]) *Für* nobis *ist vielleicht* nunc *zu lesen.*

marito saepius molesta fuit, postulans, ut eiiciatur mater cum filio: fuerunt enim uterque incorrigibiles, et causam suam coram Abrahamo et tota familia contra Saram pulchre ornaverunt. Ille enim mos semper in mundo fuit communissimus, ut authores iniuriarum se defendant, et culpam transferant in eos, qui laesi sunt.

Cum igitur Abraham vel ad credendum facilior, ved ad puniendum tardior et levior esset, videtur Sara quasi imperare marito, et servum facere, oblita prioris humilitatis et modestiae.

Sed sancta mulier neutiquam obliviscitur sui offitii. Non igitur intelligenda verba sunt, quasi superbe et imperiose sint dicta. Movetur Sara maximis et iustissimis causis ad accusandam matrem et filium, erant enim incorrigibili superbia et intolerabili praesumptione, quod vellent dominari et haeredes Abrahami esse. Ideo contemnebant Saram, et filium Iaac varie illudebant.

Intelligenda igitur verba Sarae sunt per modum supplicantis, et cum maxima reverentia et humilitate implorantis mariti opem: Ah, mi vir, profecto non habebimus pacem, nisi tu interponas authoritatem tuam, et eiicias e domo Hagar et Ismaelem: cupiunt enim me et meum filium, qui solus verus tuus haeres est, penitus oppressos etc.

Sic implorat mariti opem, non autem imperat. Etsi enim erat materfamilias, tamen tantum potestatis sibi non arrogat, ut inconsulto Abrahamo eiiciat Hagar. Primum autem defert rem ad Dominum domus cum reverentia et humilitate, et ostendit, quam ipsa iudicet ad concordiam viam esse. Quod autem de haereditate dicit, non debet intelligi, quasi velit exclusum Ismaelem ab haereditate: simpliciter hoc dicit, ne constituatur haeres cum Isaac, sed Isaac suam portionem seorsum retineat.

Sed Abrahamum valde offendit hoc consilium uxoris. Est enim sicut homo, captus amore primae suae prolis, nec tam diligenter inspexit promissionem, sicut Sara: impeditus scilicet paterno affectu. Nam sancti quoque affectionibus turbantur et rapiuntur. Iniquum igitur iudicavit naturalem et legitimum filium excludere ab haereditate. Contra Sara facit essentiales differentias inter filium ancillae et suum, nec, ut Augustinus ait, muliebriter commota est, sed ex spiritu sancto loquitur, nitens certa promissione, quam de filio suo audierat.

Habebat Ismael quoque suam promissionem. Sic enim dixit DOMINUS ad Abrahamum: 'Audivi te orantem pro Ismael, nascentur enim ex eo duodecim duces', etc. Sara autem magis attente observavit, quod addebatur de filio suo his verbis: 'verumtamen pactum meum statuam cum Isaac.'

Hanc particulam Abraham, captus scilicet amore primogeniti, non sic diligenter inspexit, sicut Sara, quae pulcherrime inter suum et Hagar filium distinguit. Primum, quod Ismael est filius servae, Se autem statuit, sicut erat, dominam esse. Secundo Hagar, ut servam, non esse sui iuris,

se autem liberam esse, nec ferendum, ut ancillae filius habeatur aequalis filio liberae: indignum igitur esse, quod serva conetur opprimere liberam et dominam, et filius servae velit concuclare filium liberae.

Hae rationes addunt sanctae matri animum, ut libere mariti opem imploret, sed Abraham victus paterno adfectu surda aure transit. Non igitur semel et iterum: sed saepius paroxismus inter pios coniuges exortus est, patre excusante Ismaelem. Excitata igitur tot iniuriis et contumeliis Sara habuit causam: cur diligentius promissionem intueretur: Verum enim Esaiae dictum est: 'Vexatio dat intellectum.' Item: optimum condimentum fames, qui enim tribulantur, sacras literas melius intelligunt. Securi et fortunati eas legunt, sicut aliquod Ovidii carmen.

Isa. 28, 19

Quare autem scribantur haec, ostendit Paulus ad Galathas quarto, et explicuimus eum locum diligenter in commentario.[1] Non enim frustra est, quod sancta mater contra mariti voluntatem sic pugnat, ne cum Isaac in haereditatem succedat Ismael. Supra etiam Ismaelem appellavit suum filium: sic enim dicit de Hagar: 'ut aedificer ex ea', ac Ismael, Abrahamo sic instituente eum, Saram appellavit matrem. Fuit enim legitima mater, licet non naturalis.

Ideo Saraceni usurparunt hoc nomen, quod Ismael esset legitimus Sarae filius[2], et gloriantur de iure primogeniturae. Sed Sara sumit differentiam ex promissione, nec vult aequari Ismaelem in haereditate filio, nec finxit hanc differentiam ex muliebri passione. Promissio eam ostendit, siquidem Deus diserte dicit: 'Pactum meum cum Isaac.'

Hanc exclusivam non tam bene consideravit Abraham, quam Sara. Ideo valde offenditur oratione et iuditio Sarae, ac putat inique agi cum Ismaele, nec vult permittere, ut ex sua affirmativa Sara faciat negativam.

Iam enim tota familia in ea sententia erat, Ismaelem fore cohaeredem Isaac, ac superiorem esse Isaaco, quod esset prior genitus. Itaque mater Hagar et filius Ismael magnifice se gesserunt, et Saram cum suo Isaac contempserunt. Haec res postea praebuit occasionem magnae dissensionis inter sanctos coniuges.

Notandum tamen est, non de levibus rebus excitatam hanc dissensionem, nec muliebri affectu Saram correptam esse, maximas et iustissimas habuit causas. Nempe promissionem Dei: de hac pugnat, nec vult eam filio eripi.

Contra Abrahamus etiam iustis rationibus movetur, nec excludat Ismaelem: agnoscit enim os esse ex suis ossibus, et carnem ex sua carne. Quomodo igitur ferre potuit, quod Sara voluit eiectum ex domo?

Ex his causis scisma hoc in oeconomia Abrahae ortum est, ac sine dubio, ut fit, utraque pars habuit suos applausores et instigatores. Qui

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 40*[1]*, 654 ff.* [2]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 14, 255:* Ex Hismaele sunt Turcae, qui sunt Agareni, quanquam nunc dici velint Saraceni. *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 181.*

igitur oeconomiam vulgare vitae genus esse clamant, illi ex his exemplis discere possunt, longe graviora exercitia fidei, spei, charitatis, patientiae, invocationis in coniugio esse, quam in omnibus monasteriis. Tales enim tentationes et tam acerbas monachi non vident, nec sentiunt, sed porcorum passionibus exercentur, et invident aliis panem et vinum praestantius.

Hi autem coniuges de promissionibus dimicant, idque in timore et obedientia Dei, ac in vera humilitate, sed obscurantur summae hae virtutes hoc nomine, quod sint Laicalia opera, et communia omnium coniugum, eam autem esse praestantem virtutem, concludi in monasterium, affligi ieiuniis, tristem esse etc.

Prodest autem historia haec ad consolandos coniuges, ne putent mirum esse, si contentiones etiam inter charissimos et sanctissimos incidant, illuc potius respiciendum est, quod in coniugio tam varia sunt exercitia pietatis et charitatis. Ubi econtra electitii monachorum cultus nihil sunt nisi stercus. Quae enim sanctitas esse potest, nihil aliud facere, quam quod tibi placeat. Et tamen gloriantur, quod abnegaverint se et sua.

Sed abnegatio vera est, cum sponte ea relinquimus, quae summo iure nobis poteramus vindicare, ubi scilicet natura divino mandato confirmata est. Sic Abraham est naturalis et legitimus pater Ismaelis, est etiam una caro cum Hagar.

Tales sunt summi affectus, Itaque intimum cordis sui sentit peti, huc accedit mandatum Dei, ut defendat uxorem, et curet atque alat filium: et tamen Sara contendit matrem una cum filio eiiciendam esse, non quod offenderint Abrahamum, cuius sine dubio observantissimi fuerunt, sed Isaacum riserint.

Haec igitur sunt martyria ista, de quibus totus Papatus nihil propter abominabilem coelibatum intelligit.

Appellant igitur coniugum vitam, saecularem vitam, Sed profecto consistit in summis gradibus spiritualis vitae. Exercentur enim summi coniugum adfectus erga Deum et hominem.

Sicut Abraham hoc in loco, qui duplici iure, naturali et divino, cogitur ad defensionem legitimae coniugis et filii, Hic adfectus facit, ut promissionem non possit clare intueri. Ideo vehemens paroxismus et acerrima contentio oritur, in exemplum et consolationem nobis, ut, cum inter nos quoque offensiunculae incidunt, memores simus communis vitae et fortunae.

Alia consolatio hinc haurienda est, ut sciamus, quod, qui pie vivunt, vel in Oeconomia, vel Politia, vel Ecclesia, illis non deerunt cruces et vexationes.

Abraham summus sacerdos in domo Dei Deum sine dubio religiose coluit. Sed quid fit? ab ipso Deo hic tentatur, et iubetur: ut Sarae obediat. Sic enim Moses pergit.

21, 12. 13 Et dixit DEUS ad Abraham, non displiceat in oculis tuis. De puero et ancilla tua, omnia, quae dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Quin et filium ancillae ponam in gentem, quia semen tuum est.

Hic cogitur Abraham simpliciter de sua sententia discedere, et eiicere filium dilectissimum cum charissima coniuge. Hoc quis non videt longe gravius onus esse, quam quod Monachus cucullam gestat, et fune constringitur. Sic qui in Politia vivunt, et pii sunt, tot Diabolos habent, a quibus exercentur, quot cives. Qui autem docent in Ecclesia, hi totum mundum sibi inimicum faciunt. Stulti igitur sunt, qui vel coniugium, vel Magistratum optant, ut possint in ocio et laute vivere.

Sunt igitur tres coelestes Hierarchiae, de quibus asini Sophistae tam multa nugantur, aliud nihil, quam vita oeconomica, politica et Ecclesiastica. Extra hos tres ordines qui vivunt, vivunt in electitio vitae genere, quod Deus in omnibus Prophetis reiicit et damnat.

Habet igitur Abraham sanctissimas cogitationes, et voluntas rectissima est. Intelligit enim divino et humano iure se obligatum esse uxori et filio, et tamen cogitur, ut eiiciat utrunque, nec fuisset finis huius contentionis, nisi Deus se interposuisset.

Probat autem Deus suo testimonio, Saram non ex carnali affectu ocutam, nec superbe imperasse marito, sed humiliter et reverenter rogasse, quanquam causam haberet iustissimam. Tota historia testatur, quod Sara reverenter tractaverit maritum, sed hic mandato Dei cogitur, ut aliquid contra mariti voluntatem suscipiat.

Neque hoc facit muliebri commotione tentata, sed diu passa et bene exercitata in isto paroxismo per humilitatem, fidem, spem, charitatem. Tandem ipsa se vincens verbum promissionis praefert offitio erga maritum. Sic enim singulis in sua vocatione manendum est, ne tamen aliquid contra verbum in cuiusquam gratiam committant.

Nos quoque hodie facimus offitium nostrum, et oramus pro Caesare et aliis principibus, qui tamen nostram doctrinam impense oderunt. Videmus autem orationes nostras frustra esse, siquidem ad verbum converti nolunt. Ibi exercetur fides nostra, ut tandem statuamus, si alterutri pereundum est, pereat mundus potius, quam Deus et Ecclesia Dei.

Abraham non respexerat sic diligenter ad promissionem. Ideo repetit eam Deus, et denuo diserte dicit: ‘In Isaac tibi vocabitur semen’. Non igitur damnat sanctam voluntatem et iustum affectum, quod amat coniugem Abraham et filium: sed tantum revocat eum ad promissionem, quae

1/2 tuis. De puero ... tua, omnia *G. H.*] tuis, de puero ... tua, omnia *I.*] tuis de puero ... tua, omnia *K.* *[Luthers deutsche Übersetzung entspricht K.]*

spem faciebat Ismaeli de magna gente, sed pactum reservabat soli Isaaco.

Hanc differentiam pia mater observat, Abraham pro amore filii non tam diligenter observat: igitur iubetur divina voce obsequi Sarae, quae certo verbo nitebatur.

Gesta autem haec sunt sine dubio vel per Sem, vel per alium ex Patriarchis, ad quem causam hanc Sara detulit. Is pronunciavit sententiam hanc contra Abrahamum, et quia consentit cum verbo Dei, recte dicitur a Mose, ipsum Deum hanc contentionem sententia sua composuisse.

Promissiones erant duplices, temporalis Ismaeli, aeterna et spiritualis Isaaco contigerat: facile igitur iuditium fuit, cum Ismael vellet praedominari non esse ferendum, et sicut infra de Iacobo et Esau dicitur, maiorem 1. Mose 25, 23 coram mundo debere servire minori.

Sic audivit interpretationem promissionis supra capite 17. factae Abraham ex patribus, qui tum vixerunt, pactum aeternum factum cum Isaac, qui non solum ex promissione natus est, sed etiam generaturus erat benedictiones, id est, ipsum Christum benedicentem omnes credentes.

Cum econtra Ismael tantum haberet temporalem promissionem, qua inflatus cum contemneret Isaacum, merito eiectus est. Ad nos erudiendos haec scripta sunt, ut discamus nos Deo servire posse in sanctissima obedientia, etiamsi tantum sumus coniuges, seu, ut Papistae vocant, Laici.

In Isaac vocabitur tibi semen. 21, 12b

Haec particula diligentissime notanda est ad confutandos Iudaeos, qui contra nos Christianos sic argumentantur. Quicunque sunt semen Abrahae, sunt etiam haeredes Abrahae. Nos Iudaei circumcisi sumus semen Abrahae, igitur etiam sumus haeredes. Contra: Qui non sunt Abrahae semen, haeredes Abrahae esse non possunt. Vos Christiani estis gentes, et non semen Abrahae: Ergo frustra gloriamini vos esse Ecclesiam. Hoc enim est haeredem Abrahae esse.

His argumentis ceu arietibus confisi, gloriantur contra nos, et multos ex nostris subvertunt, sicut audio sub impiis Principibus fieri. Hoc scilicet praemium est, quod eiiciunt passim pios pastores, et populum inermem ac rudem religionis relinquunt. Quia enim verbo destituuntur, Iudaeorum rationibus resistere non possunt. Neutrum enim negari potest, relinquendus titulus est Iudaeis, quod sint semen Abrahae, et nos negare non possumus, nos gentes esse, et ad familiam Abrahae non pertinere.

Sed divus Paulus, exercitatus scilicet artifex, pulchre ad Romanos 9. et Galat[as 3. haec Iudaeorum argumenta dissolvit, ac negat in primo syllogysmo Maiorem: quod scilicet universalis non vera sit: Omnes esse haeredes Abrahae, qui sunt semen Abrahae, ac opponit instantiam, quam

nullus Iudaeus negare potest. Ismael enim est verum semen Abrahae, natum ex ipsius carne, et tamen eiicitur, nec est particeps verae haereditatis cum Isaac.

Respondet igitur ad maiorem sic: ut faciat semen Abrahae triplex, unum carnale et sine promissione de Christo, tale semen fuit Ismael, natus ex carne Abrahae.

Alterum semen dicit esse carnale, sed cum promissione de Christo, sic Isaac ex carne Abrahae quoque natus est, sed habuit promissionem: 'Ego statuam pactum meum cum Isaac.'

Tertium semen dicit, non esse carnale, sed tantum promissionis, quod scilicet licet ad carnem Abrahae non pertineat, tamen retinet fidem, et promissionem Abrahae factam amplectitur.

Maior igitur in primo syllogismo falsa est: omnes, qui sunt semen, sunt haeredes Abrahae, hoc enim in Ismaele non verum est. Historia igitur cogit ex universali particularem facere, si modo consistere argumentum debet. In hunc modum: aliquod semen Abrahae est haeres Abrahae.

Quod si Iudaei adiiciunt Minorem, se esse illud semen Abrahae, ut eam probent necesse est, nos enim probare possumus, ipsos esse semen Abrahae, sicut Ismael fuit, sed Ismael a promissione exclusus est. Igitur Iudaei quoque excluduntur.

Constituenda ergo definitio est, quodnam sit verum Abrahae semen particeps promissionis. Hic iterum praelucet nobis historia, sicut Paulus egregie ex Mose probat: Haeredes esse tantum illos, qui sunt ex promissione, sive sint carnale semen Abrahae, sive non.

Atque hic patet, quomodo secundum argumentum refutandum sit. nam in eo quoque Maior vitiosa est. Non enim verum est simpliciter, quod, qui non sunt carnale semen Abrahae, non possint esse haeredes Abrahae, promissio enim facit veros haeredes Abrahae: sicut patet in Isaac: qui igitur promissionem fide amplectuntur, sunt filii veri promis-
Matth. 3,9 sionis et haeredes Abrahae, sicut Christus dicit: 'Potest Deus ex lapidibus excitare Abrahae filios.' Si ex lapidibus, ergo non ex carne et ossibus Abrahae.

Textus igitur clarus est. Ismael est semen Abrahae verissime natus ex carne eius. Itaque Abrahamum appellavit patrem, et vicissim a patre salutatus est filius, et tamen eiicitur e domo. Manet autem in domo haeres solus Isaac ex promissione natus, Active et passive, ut si dicam: Passive, quia promittitur ei benedictum semen. Active, quia credit promissioni.

Hoc Iudaei non considerant. Amiserunt enim veram doctrinam de promissione et fide, et haerent simpliciter in nativitate carnis, quae sola per se nihil est, si non accedat promissio et fides.

Sic Absolon est filius David secundum carnem, sed quia non credit, perit. Sic populus, qui in deserto mortuus est, etiam fuerunt filii Abrahae, sed quia non crediderunt, extincti sunt. Impossibile autem est perire filium promissionis, haeredem Abrahae et Dei populum.

Forma igitur substantialis haeredum est ipsa promissio. Sola enim haeredes facit etiam illos, qui non sunt filii carnis, sed nativitas carnalis est tantum materialis causa, tam infirma et inutilis: Ut etiam, si sis vere ex Abrahami carne natus, tamen non ideo sis haeres Abrahae.

Recte igitur Paulus dicit, haeredes esse, qui sunt ex promissione, hoc est, qui audiunt promissionem, et promissioni credunt, sive sunt nati ex carne Abrahae, sive non. Promissio enim, quae est verbum Dei, tam valida et potens est, ut ea, quae non sunt, vocet, ut sint: Sicut Christus dicit: 'Ex lapidibus generari Abrahae filios.' Matth. 3, 9

Hoc caro seu carnalis nativitas non potest, solum verbum potest, quod est omnipotens.

Dixi autem paulo ante promissionem duplicem esse: Passivam, quae nobis fit, et Activam, quam nos fide amplectimur: ea autem est, quae etiam nos natura gentes facit haeredes Abrahae: Imo fratres et cohaeredes Christi.

Frustra igitur gloriantur Iudaei contra nos, quod sint semen Abrahae. Non enim ex eo sequitur esse etiam haeredes Abrahae, nisi appraehenderint promissionem, et crediderint in Christum.

Sunt quidem semen Abrahae nati ex ipsius carne et sanguine, sed illa carnis nativitas non facit Dei filios. Sicut Iohannes dicit: 'qui non sunt Joh. 1, 13 ex sanguinibus', hoc est, qui habent carnalem nativitatem, et secundum carnem sunt Abrahae filii, 'nec ex voluntate carnis', hoc est, qui sunt legitimi filii seu adoptionis: 'neque ex voluntate viri', hoc est, qui sunt ex Prophetis regentibus et docentibus, sicut hodie Pontificii de successione gloriantur: 'sed qui ex Deo nati sunt', hoc est, qui credunt promissioni, et eam firma fide amplectuntur, non enim satis est ex carne Abrahae natum esse, nec Isaac ipse fuisset promissionis haeres, nisi accessisset fides.

Notabis igitur triplex esse semen, aliud naturale sine promissione, aliud naturale cum promissione, aliud tantum promissionis sine natura: ex his tribus tantum illud eiicitur, quod est carnale sine promissione, sicut in Ismael apparet, ac finalis eiectionis causa est, sicut ex Paulo discimus, ut constet haec distinctio inter filios et haeredes, ne in Iudaeorum errorem feramur, qui satis esse putant, quod habeant patrem Abrahamum.

Nam epulo Lucae decimo sexto, Abrahamum etiam patrem vocat, sed frustra. Reputantur enim filii Abrahae tantum hi, qui in promissione haerent, sive sint ex Abrahae carne nati, sicut Isaac, sive non. Sic Christus dicit Iohannis octavo ad Iudaeos: 'Si estis Abrahae filii, facite Joh. 8, 39 f. opera Abrahae: sed vos facitis opera patris vestri, Diaboli.' Haec ad

retundendos pertinaces Iudaeos, qui sic de sanguine et carne Abrahae gloriantur, satis sint.

Porro idem ludus nunc agitur, et, si ita debet dici, a principio mundi in omnibus gentibus actus est, pertinaces sunt et obstinati Iudaei propter nativitatem carnalem, ac solos se gloriantur populum Dei esse.

Sed Turcas vide, et videbis eos eadem carnali fiducia niti. Quia enim foeliciter contra Christianos pugnant, et magnis multisque victoriis praesertim his ultimis temporibus suam potentiam auxerunt, primum in summa securitate nobis hunc titulum adimunt, quod simus populus Dei, siquidem tot cladibus exercemur, sibi autem hanc laudem vendicant, quod sint Dei populus, siquidem indies sic prosperantur, praesertim contra Christianos, nam contra Tartarum et Persas pugnantes neutiquam sunt tam foelices Turcae.

Successu igitur elati, et quasi saginati victoriis nos pro canibus et porcis habent, idem faciebat Senaherib ad Hierosolymam, successus eum faciebat blasphemum, ut iactaret sua idola fortiora esse Deo, cuius sedes erat in Hierusalem.

Sic postea Romanorum dii totum mundum faciebant Romae obnoxium. Itaque certi erant Romani suam religionem optimam, et Deo gratissimam esse. Sicut igitur Iudaei carnali nativitate superbiunt, ita Turcae hodie non credunt alium esse populum sub sole, qui Dei populus sit, quam se.

Si quaeras causam, quomodo id probent, adferunt victorias, successum, potentiam, opes. De promissione Dei nihil neque habent, neque norunt. Ignari maiestatis divinae, quae etiam in indignos et impios regna mundi transfert, nam Turcicum imperium, quantum quantum est, nihil est nisi panis mica, quam dives paterfamilias proiicit canibus.

Hoc Turcae nesciunt: Christiani autem norunt, et universum mundum cum omnibus suis opibus pro nihilo ducunt, expectant enim aliam vitam et meliorem, in qua una stella pulchrior et laetior erit hoc toto mundo. Habent autem huius sui iuditii firmum fundamentum, nempe Dei promissionem propositam in filio Dei: Ubi Turcae putidum suum Alcoranum, victorias et potentiam temporalem habent, quibus nituntur. Facile autem credo, in locis Turcae vicinis multos Christianos hoc scandalo frangi, et deficere a fide, quod se calamitosos, Turcas autem florentissimos esse vident.

Opus igitur habebant tales fidelibus Doctoribus, qui monerent Dei benignitatem non aestimandam ex perituris rebus, ut sunt opes, potentia, victoriae, sed ex aeternis bonis. Nam exiguum hoc divinae maiestatis argumentum est, dare regna et opes mundi. Dedit enim haec Deus in commune, cum mundum condidit, illud autem munus divinam maiestatem ostendit, qualis sit, cum resuscitabimur a mortuis, et novum habitabimus mundum, idque in aeternum. Nihil igitur hoc est dicere, Deus dat regna. Dat opes: Ergo habeo propitium Deum.

Sic potius dicendum est. Deus dat promissionem, eamque de aeterna vita: Ergo vere est propitius. Proverbii igitur vice praesens textus debebat usurpari: 'In Isaac vocabitur tibi semen', hoc est, haeres sit ille, qui promissionem habet et credit.

Ubi promissio nulla est, aut promissioni, quae est, non creditur, ibi utcunque sint opes et regna mundi, dignitas et potentia, tamen Ecclesia nulla est, tamen populus DEI nullus est. Est Ismael, qui domo eiicitur, non est Isaac haeres.

Sic Papa cum suis vendicat sibi Ecclesiae nomen, sed nobis persuasissimum esse debet, quod non possint esse Ecclesia, ratio est, quia non sunt filii promissionis, hoc est, non credunt Euangelio, sed id persequuntur. Licet igitur glorientur de successione, offitio et ordinaria potestate, tamen, si promissioni non credunt, nihil sunt nisi Ismael in domo Abrahae, hoc est, non sunt haeredes, sed filii perditionis.

Hanc distinctionem, ut ex prioribus patet, facit Moses, ipse Christus, Iohannes et Paulus: Quin ipsum secundum praeceptum satis clare probat, cum praecipit nomen Dei non sumendum in vanum, esse falsam Ecclesiam, quae a nomine Dei non vult abstinere, et tamen eo abutitur.

Pertinet autem id ad consolandos nos, nomen enim DEI terribile et metuendum est, eo quia utitur falsa Ecclesia contra verae Ecclesiae membra, non potest fieri, quin terreantur. Pontifex cum nos excommunicat, facit id usurpans nomen Dei: Sciendum igitur est ex secundo praecepto hos ipsos nomine Dei abuti, qui soli volunt esse Ecclesia.

Distinguendum igitur est de Ecclesia et nomine DEI. Nomen DEI reverendum et sanctum est, sed est in frequentissimo abusu. Ibi non debemus timere, sed contemptores esse, non quidem nominis Dei, sed eorum, qui eo abutuntur, et nos terrere volunt.

Idem de Ecclesia iudicabis: Triste est audire, quod simus, ut Papistae mentiuntur, abiecta et mortua membra Ecclesiae, sed distinguamus inter verum usum nominis Ecclesiae et abusum. Ismael Abrahamum etiam patrem vocat, sed longe alia conditione, quam Isaac. Ita Pontificii se vocant Ecclesiam: sed si hoc stat, sicut negari non potest, ne quidem a Sathana, Ecclesiam esse, quae promissionem habet et credit, sequitur Papam cum suis non esse Ecclesiam, sed abuti Ecclesiae nomine. Quia promissionis hostis est, et persequitur eos, qui promissioni credunt.

Certum igitur hoc est, quod nomen Ecclesiae sit in magno et frequentissimo abusu: non enim haeretici tantum, sed etiam Turcae et Iudaei vocant se Ecclesiam. Qui igitur simpliciter hoc dicit, se esse Ecclesiam, nihil omnino dicit. Probet hoc necesse est, aut nos optimo iure Ecclesiae nomen contemnemus, quia in abusu est.

Cogit autem secundum praeceptum ac faciendam distinctionem: sicut enim Dei nomen in abusu est: Ita quoque Ecclesiae nomen est in abusu.

Ecclesia enim non est, nisi ubi verbum est, et qui credunt verbo secundum textum hunc: 'In Isaac tibi vocabitur semen.'

Papa autem persequitur verbum, et assumit nomen Domini in vanum.
Off. 13, 1 Est igitur Antichristus et foeda bestia illa, quae in fronte habet nomina blasphemiae, hoc est, quae nihil nisi meras blasphemias docet, et nomen Dei perpetuo abusu prophanat.

Joh. 14, 24 In Euangelio Iohannis dicit Christus: 'si quis me diligit, sermonem meum servabit': necesse igitur est, qui volunt esse populus DEI seu Ecclesia, ut habeant verbum Christi, hoc est promissiones divinas, et eas servent, id est, eis credant, hi sunt, quos pater diligit, ad quos venit, ut in eis habitet, sed tantum abest, ut Pontifex et sui verbum Christi servent, ut soli pertinacissime id oderint et persequantur.

Quia autem nos terrent Ecclesiae et Dei nomine, faciamus distinctionem, quam spiritus sanctus in secundo praecepto facit, alios recte uti DEI nomine, alios Dei nomine abuti. Verus usus est nominis DEI, ubi verbum et promissio est: Contra ubi blasphematur verbum, ibi nomen DEI est in abusu.

Non igitur terrere nos debet, scimus enim apud tales non habere mansionem patrem et filium et spiritum sanctum, sed ipsum diabolum, sicut ex fronte cognoscitur, in qua sunt blasphemiae nomina.

In summa populus Dei non est, nisi qui habet promissiones, et eis credit, qui confidunt operibus, legibus et aliis donis ut Iudaei, Turcae, Ecclesia non sunt, quia opera, leges etc. non sunt promissio.

In nostris autem Ecclesiis retinemus confessionem, et amplectimur promissiones, ac servamus sermonem Christi: sic quod multi hactenus occisi sunt, et adhuc occiduntur tantum propter verbum, quod confessionem Euangelii nolunt abiicere. Hae certae notae sunt, quae probant nos veram Ecclesiam esse, Papam autem cum suis esse Ecclesiam Sathanae.

Sed quid ad hoc dicemus? Papistae baptisant, administrant Sacramenta, absolvunt a peccatis: ergo sunt Ecclesia. Et negare non possumus, quin nos per ipsorum ministerium, quod ab eis baptisati sumus, venerimus in consortium verae Ecclesiae.

Ad hanc obiectionem sic respondere soleo, Sacramenta externa, item verbum potest tradi seu administrari etiam ab impiis. Iudas pro sua persona non pertinebat ad Ecclesiam, et tamen erat in ministerio Ecclesiae, et qui baptisati ab eo sunt, vere sunt baptisati.

Idem de Papistis dicamus, qui per se blasphemi sunt et impii, et tamen quando baptisant, communicant, absolvunt (si modo substantialia retinent) valet ministerium ipsorum. Etsi enim blasphemi sunt, ego tamen, qui ministerio eorum utor et credo, non sum blasphemus, sed vere per fidem consequor, quae promissio DEI offert, utcunque impius ille sit, qui promissionem mihi recitat.

Non igitur satis est habere nomen Ecclesiae, dici Episcopum, Cardinalem, Sacerdotem, 'omnia, ut Paulus dicit, sunt carnalia et personalia'. Deus autem personam non respicit: nec nos debemus respicere istas larvas carnis. In verbum debemus intueri, et ex hac historia proverbium facere contra Papistas in hunc modum: Abraham habet duos filios, unus carnalis, non habens promissionem Christi, is persequitur alterum filium, qui est haeres promissionis. Idem adhuc hodie fit, et fiet semper, et factum est ab initio, sic enim Cain primogenitus vendicabat sibi promissionem, et fratrem Abel occidebat. Röm. 2, 11 Eph. 6, 9 Kol. 3, 25

Duplex igitur Ecclesia est, sicut duplices sunt filii Abrahae. Una, quae occiditur et patitur persecutiones. Altera, quae occidit et persequitur fratres, sicut Cain et Ismael. Habet autem utraque suos certos fructus. Falsa Ecclesia blasphemat et persequitur verbum, vera autem Ecclesia retinet confessionem, et patienter fert persecutiones, sicut hodie stamus confitentes verbum coram Caesare et toto mundo.

Contra Papistae CHRISTI verbum negant, et impiis decretis conantur opprimere: Hi fructus laudis et blasphemiae, confessionis et negationis manifesti sunt, non possumus igitur dubitare, quin Ecclesia Pontificis sit Sathanae Ecclesia, etsi ministerio ipsorum, cum retinent substantialia, pii recte uti possunt.

Notemus igitur diligenter hunc textum, qui valet contra omnes gloriantes in carne. Iudaei gloriantur in sanguine, quod sint semen Abrahae, Turcae in victoriis et potentia: Papa in successione Apostolorum. Sed nos negamus consequentiam, cum dicunt sumus successores Apostolorum in offitio, ergo sumus Ecclesia. Hic enim scriptum est: 'in Isaac vocabitur tibi semen', et non in Ismael, hoc est, populus Dei sunt, non qui successionem carnalem habent, sed qui promissionem habent, et ei credunt.

Nomen Dei enim in duplici usu est: Blasphemo et sacro, in Ecclesia vera sacrum et metuendum: sed in Ecclesia falsa non metuendum. Haec enim consolatio fortiter retinenda, et assidue inculcanda est, quam secundum praeceptum tradit, quod nomen Dei in maximo abusu sit.

In scholis vulgo dicitur, aequivoca non valere ad docendum, qui enim aequivocis utuntur, procedunt ex confusis et multiplicibus vocabulis. Itaque nihil docet: Sic nomen Dei, item Ecclesiae nomen est in aequivoco usu, alii enim bene, alii male eo utuntur.

Cum igitur Papa dicit iram omnipotentis Dei incurrere omnes, qui non probant sua decreta, horribile id verbum per se est, sed est aequivocum, et in malo usu. Igitur minas et fulmina illa non pili facio. Sic nomen Ecclesiae DEI nihil dialectice significat: non enim accipit Dialecticus vocabulum, nisi sit univocum.

Ecclesia igitur vera Dei est, quae nomine Dei non abutitur, sed audit et servat verbum Christi, hoc est, credit promissionibus. Huius

nomen cum audio, in vera humilitate prosternor et adoro eam, certus enim sum habitare in ea patrem, filium et spiritum sanctum. Sed quando Ecclesiae nomine se ornant, qui non servant verbum Christi, sed persequuntur, et incedunt in electitiis religionibus, ibi fit ex vocabulo sua natura univoco aequivocum.

Sicut igitur stultitia esset, metuere ab homine picto, et gladium stringente, ita stultitia est Ecclesiae nomine terreri, cum in blasphemo usu est: est enim picta tantum Ecclesia, seu larva Ecclesiae. Vera Ecclesia autem est, ubi est Isaac, promissionis filius, ibi timendum est nomen Domini,
Spr. 18, 10 ibi est nostra salus et fortitudo sicut Psalmus dicit: 'Nomen Domini fortissima turris, ad eam confugiat iustus' etc.

In summa, ubi est verbum CHRISTI, et servatur, hoc est, creditur, ibi non dubita de Ecclesia, etiamsi impius et blasphemus sit, qui vel
Jes. 55, 10f. Sacramenta administrat vel docet. 'Verbum enim DOMINI, sicut pluvia, non redit vacuum.'

Ideo in symbolo dicimus, credo Ecclesiam sanctam, hoc est, quae
1. Tim. 4, 5 habet verbum, quo omnia sanctificantur. 1. Timothei 4. sed haec Ecclesia patitur suum Ismaelem persecutorem, donec incipiat vox et oratio Sarae et Isaac, id est, donec vera Ecclesia iugiter orando et clamando impetret, ut eiiciatur Ismael. Quanquam Ismael hoc prius non credit, quam ipsa re experiatur.

21, 13 Etiam filium ancillae faciam in gentem magnam, quia est semen tuum.

Praecepit Dominus de eiiciendo Ismaele, ne igitur videretur oblitus promissionis supra de duodecim ducibus, et poenitere consilii, promissionem repetit, et addit se hoc facturum propter Abraham, cuius semen sit. Sic naturalis filius eiicitur quidem, et tamen constituitur potentissimus rex mundi.

Dices igitur, num hoc est eiicere, constituere regem maximi populi? Ismaelis enim posteritas totum latus Australe occupavit. Et Sarraceni adhuc hodie sunt magnus populus.

Pertinet igitur haec historia ad nos docendos, quod regna et imperia huius mundi distribuit Deus etiam in reprobos et malos, non ipsorum merito, quod nullum est, sed propter Abrahamum, id est Ecclesiam, quae sola in mundo orat pro regibus et imperiis, ut possit ipsa in hac vita tranquillum tenere hospitium, et in pace propagare verbum Dei.

Turca sicut persequitur Ecclesiam, ita non credit se Ecclesiae precibus,
1. Tim. 2, 1 f. quae pro omnibus imperiis orat. 1. Timothei 2. adiuvari. Tribuit hoc Alcorano suo et iustitiae suae, gloriatur enim de vera religione et vero cultu Dei, quod sit inimicus imaginum et statuarum, nos autem tanquam Idolatras odit et persequitur.

Rex Alexander quoque non sentiebat Ecclesiae Dei beneficio se ita fortunatum esse, et tamen verum est, quod sola oratio verae Ecclesiae conservat omnia regna propter exiguam turbulam piorum, quae in hac vita hospitio opus habent.

Sic Carolus Caesar hoc, quod habet in hoc mundo, habet Ecclesiae Christi merito et precibus. Bene igitur notanda particula est, quod Deus ad Abraham dicit: 'quia est semen tuum Ismael', propter Abrahamum enim, meritis ac virtute Abrahami Ismael constituitur Caesar et monarcha.

Quam autem iniquum est, cum regna omnia Ecclesiae precibus conserventur et floreant, eam ab illis ipsis premi et conculcari, quos fideliter sic adiuvat. Sola enim Ecclesia est, cui mandavit Deus hanc curam, ut oret pro regibus. 1. Timo[thei 2. Idque ideo, quod pace, disciplina, securitate 1. Tim. 2, 2
opus est ad propagandum verbum, et Ecclesiam per verbum colligendam, sicut docent historiae primorum imperiorum, Babilonii et Assyrii.

Quod igitur ad praesentem historiam attinet, Abraham cogitur discedere de sua sententia. Sara autem perrumpit et impetrat, quod instituerat, propius enim inspexit promissionem, intellexitque purius quam Abraham. Deus enim etiam parvis quaedam revelat, ut scilicet humilientur magni. Iam sequitur alia lucta, quae pertinet ad secundam tabulam, sicut illa prior ad primam.

Et surrexit Abraham mane, et accepit panem et lagenulam 21, 14
aquae, et dedit Hagar, imponens super humerum eius, et emisit eam una cum puero, quae abiens erravit in deserto Beerseba.

Profecto miserabilis historia haec est, si eam diligenter inspicias, quanquam valde breviter describitur a Mose. Abraham postquam de Dei voluntate certus est, festinat obedientiam, mane surgit, non numerat ullam pecuniam, non instruit ad ignotum et longum iter vestibus, simpliciter ablegat charissimam coniugem, quae prima ipsum patrem fecit, una cum primogenito filio, tantum panem et utrem aquae eis dans, Ein ſack mit brott, und ein krug mit waſſer, hae scilicet sunt opes, quas a parente filius Ismael et uxor Hagar accipiunt.

An non autem crudelitas esse videtur, matrem oneratam prole sic miserabiliter dimitti, idque in ignotum locum, imo in vastum et aridum desertum? non addit servulum, non addit ancillam, nuda mater cum nudo filio eiicitur ex veri patris possessione, nihil efferentes omnium rerum praeter exiguum panis et aquae, qui paucorum dierum sine dubio cibus et potus fuit. Si vel vinum dedisset, vel instruxisset eos pecunia, tolerabilius fuisset malum.

Nunc autem iuditio rationis crudeliter videtur agere Abraham, sed hoc vere est mactare affectum coniugis et prolis erga coniugem et prolem, qui sunt duo potentissimi affectus: non enim cogitabimus Abrahamum

fuisse unum Vandalicum rusticum, fuit vir vere pius, sanctus, mitis, humilis, misericors, qui etiam inimicos suos vere diligebat.

Quare ergo sic tenuiter dimittit coniugem et filium, quasi hostes essent? ubi sunt viscera patris? Angelis venientibus, quos tamen nondum agnoscebat, apponit butirum, vitulum, panes ad cinerem assos. Hic autem ipsum primogenitum filium protrudit ex haereditate in exilium, quasi subito affectus paternus totus extinctus et mortuus esset.

Consulamus enim singuli corda nostra, si contigisset honesti coniugii socia, et proles naturalis tibi nasceretur, ac natura non esses durus et immitis, possesne paternum affectum sic vel vincere vel eiicere, ut non saltem adhiberes servum, qui esset itineris dux?

Non igitur sine maxima lucta et gravissimo dolore haec fecit Abraham, non enim lapis fuit aut saxum. Sed cum magno singultu et multis, lachrymis carissimam coniugem dimisit. Non mutat Deus naturas in sanctis nec occidit affectus. Sic omnino simile veri est, nec Hagar, nec filium Ismael risisse, sed toto pectore perculsos esse ad hoc novum nuntium exilii.

Ergo eiectio haec tragice descripta est, quanquam verba pauca sint, ac nisi promissionem audivisset Abraham, eaque tum matrem, tum filium esset consolatus, potuit metuere vitae ipsorum propter lupos, ursos, leones deserti, in summa non Sodomitas, pessimos homines, sic duriter tractasset Abraham: Orabat enim pro eis, et quasi moriebatur in precibus.

Pone igitur, quod monachi, qui in monasteriis vivunt, sancti sint, quid simile in illis invenies respectu huius unius operis tam duri et difficilis? quod duos maximos affectus erga uxorem et filium vincit, cedens per obedientiam debitam mandato Dei.

Est igitur insigne exemplum obedientiae, fidei et omnium bonorum morum, maxime autem verae erga Deum obedientiae, neque enim haec tam sunt gesta breviter, ut verba sonant. Et tamen oportuit ea sic describi, ut disceremus exemplo Abrahae, Deum diligendum esse super omnia, et sic perfecte, ut nihil in toto mundo, nec uxorem, nec liberos, nec tuam ipsius vitam sic diligas. Quod si omnia voluisset Moses scribere, ut sunt gesta, magno volumine opus fuisset ad hanc unam historiam. Quis enim narraret lachrimas et gemitus tum matris, tum filii?

Itaque ipsum Abrahamum, ipsam Saram, ipsam denique totam domum commoverunt ad commiserationem et lachrymas. In primis autem Abraham et Sara hortati ambos sunt patienter hanc eiectionem ut ferant, esse enim hanc Dei voluntatem certo verbo expressam, ut Ismael relinquat domum, patriam, et in alio loco, quam in terra Canaan, expectet Dei benedictionem, ac Deum constantem esse et veracem, neque deserturum eos, sed liberaliter daturum, quod promisit, nempe regnum potentissimum.

---

12 sine maxima lucta [lucta = *das Ringen*] *G. H. I. K.*] sine maximo luctu *Erl. [s. S. 161 Z. 19].*

Haec non adfingo ego, sed ipsae circumstantiae, et Mosi superior narratio has circumstantias clare adferunt, quam enim pius et etiam in hostes clemens et misericors fuerit Abraham, Sodomitarum historia docet: quomodo igitur a lachrimis hic potuit temperare, dimittens sic cum tenui viatico uxorem et primogenitum filium?

Mea Hagar, dixit, non sum oblitus, quid tibi et filio, meae carni, debeam, ac libenter utrunque retinerem, et offitia caritatis debita exhiberem, sed DEI mandatum aliud cogit et praecipit, propter Deum igitur aequo animo ferte, quod sic nudi ambo eiicimini. Vult Deus non meis opibus vos ditari, sed in alio loco benedictionem eius sentire, etc.

Quid igitur hac ipsa historia ad docendos nos de maximis rebus potest proponi utilius? Monet enim exemplo Abrahae, in divinis mandatis nec tardandum, nec disputandum esse. Vult enim Deus obedientiam, dilationem autem odit. Abrahamum quoque turbaverunt innatae *στοργαί*, ut cogitaret, misera mea uxor ubi cum filio manebit? ubi sedem inveniet? quis eam contra iniurias defendet?

Sed fides confirmatione certa confirmata has cogitationes carnis omnes, quanquam non sine difficultate et dolore magno, iugulat, et simpliciter in hac spe haeret, Deus eis prospiciet: Deus eorum curam aget, amat enim eos magis, quam ego, et magis iuvare poterit.

Dignum igitur exemplum est, ut discamus celeriter et sine disputatione facere, quicquid scimus verbo Dei esse praeceptum. Cum Christus, Ioh[annis 21. Petro diceret: 'sequere tu me.' Petrus quasi oblitus mandati, de Iohanne solicitus: 'quid iste, inquit, faciet?' sed increpat eum Dominus: 'quid ad te?' inquit: 'tu me sequere.' Joh. 21, 21 f.

Recte igitur Abraham facit, non disputat, quo Hagar cum filio ventura sit, simpliciter respicit mandatum Dei, qui praeceperat, ut eiiceret matrem cum filio, talia sunt sanctorum virorum exempla seu exercitia.

Monachi, ut supra quoque dixi, jactant abnegationem sui, castificationes et mortificationes, sed mortificatio eis est, si videant assidentem fratrem vel maiore vel lautiore pane aut pisce donari. In Abrahamo vero videmus crucifigi carnem, et mortificari voluntatem etiam iustam et sanctam, ac divino mandato confirmatam. Est enim Dei mandatum diligere uxorem, defendere liberos, thesaurisare liberis etc.

Hanc naturalem voluntatem et sanctum affectum hunc iubetur Abraham iugulare, et sic tum uxorem, tum filium dimittere, ut ne obulum quidem ex tot eius possessionibus auferant. Hoc si mortificationis exemplum non est, nescio, quid mortificatio dici possit. Amat utrunque coniugem et filium, sed iussus, ut eos eiiceret, sine mora vocanti Deo paret, et disputationes omnes praecidit, quicunque tandem eventus exules excipiat.

---

6 quid *I. Erl.*] qui *G. H. K.* *36* obulum *G. H. I. K.*] obolum *Erl.*

Haec est descripto eiectionis, seu discessionis, satis, ut videtis, miserabilis: neutra enim pars lachrimas continere potuit. Grave fuit Ismaeli et matri eius, discedere a patre opulento, bono, sancto, et ab tota eius Ecclesia. Patri grave fuit eos sic tenuiter dimittere, et posthac carere consuetudine utriusque, quod etiam ipsi Sarae et Isaaco luctuosum fuit, sed utrinque parent voluntati Dei, et innatos affectus occidunt, etiam illos, qui summi sunt erga liberos et coniugem, quorum causa in hac vita etiam maxima mala subimus et sustinemus.

Hoc autem est votum continentiae recte servare, de quo ignavum Monachorum vulgus, imo qui inter eos sanctissimi esse volunt, nihil sciunt.

Ultima particula, quam Moses addit, errasse eam in solitudine, etiam pertinet ad augendam commiserationem, nullus fuit itineris dux. Nescientes igitur quo irent, errarunt in solitudine. Significat autem errandi vocabulum, fuisse eos perturbatissimo animo, ut nescirent quo irent, sicut metu et dolore perturbatis accidit. Scimus autem sexum muliebrem natura imbecilli animo esse, et graviter turbari etiam levibus incommodis, quid igitur de Hagar putabimus, sic misere cum filio errante in solitudine? sine duce, sine viatico, sine omni humano auxilio. Accidit autem aliud maius et tristius malum, ut sequitur.

21, 15. 16 Et consumptae sunt aquae in lagenula, et proiecit puerum sub unum ex virgultis, et abiens sedit e regione longitudine iactus arcus: quoniam, dixit, non videbo mortem pueri, et cedens e regione levavit vocem suam, et flevit.

Non potuit historia atrocius scribi, etiamsi Moses suo more brevissimis verbis utitur. Habuerunt mater et filius aquam tridui aut quatridui, ea in solitudine se recreant: sed post aquae deficiunt. Utrique igitur impendet mors, et quidem a siti, quae naturae intolerabilis est.

Qui igitur hic contra Abrahamum declamare vellet, posset eum parricidam facere filii et uxoris: Occasio enim huius eventus ab ipso proficiscitur, qui carnem suam, sicut videtur, crudeliter eiicit. Et Moses ipse satis atrocibus verbis utitur, dicit Ismaelem siti iam pene exanimatum, positum a matre sub virgulta. Victam igitur materno affectu ab eo discedere, ne videat filium ultimum efflare spiritum.

Quis crederet haec, nisi Moses scriberet? Sic scilicet una calamitas trudit aliam, Eiectus ex patris domo est primogenitus filius, est privatus omnibus paternis bonis, nunc etiam hoc accedit, ut in solitudine periclitetur ex fame et siti de vita.

Tragicum autem *πάθος* est, quod mater reclinat iuvenem in herbam sub virgulta, cor enim sic dolore frangitur, ut sustinere aspectum morientis filii mater non posset. Haec incommoda, inquies, praecogitanda fuerant

Abrahamo, et non sic festinandum, praesertim in eo negotio, quod prorsus erat contra naturalem *στοργήν* seu affectum.

Sed supra dixi exemplum hoc diligentissime notandum esse, ne disputemus, cum Deus aliquid praecipit, sed sine mora obediamus ei. Nos hanc obedientiam, quam Abraham hic praestitit, profecto non imitabimur facile, illud autem, quod monachi faciunt, ut gestent cucullos, ut a carnibus, a pecunia tractanda abstineamus, facillime imitabimur.

Non igitur simplex, ut sic dicam, Christianus aut confessor fuit Abraham, sed martyr martyrum. Quis enim est, qui nesciat, quam vehemens sit paternus affectus erga liberos et uxorem, facilius parenti est tolerare mortem, quam deserere suos, aut pati, ut afficiantur iniuria insigni, sed mandato DEI omnia debent cedere, neque hoc agitur, ut nigra aut glauca veste utaris, si velis Christianus esse: Omnia in periculum ponenda sunt, non solum uxor et liberi, sed tua ipsius vita.

Sic enim clare praecipit Christus: ‘qui plus diligit patrem et matrem, Matth. 10, 37
quam me, me non est dignus’, hoc est, quando ego cum meo verbo et mandato venio, tum omnium oblivisci vos oportet, quae habetis et possidetis in hoc toto mundo.

De hac abnegatione, quaeso te, quid unquam audivisti vel legisti apud ullum monachum? Scribunt quidem in foribus suarum habitationum: Abnega te ipsum, sed si rem ex factis aestimes, hoc aliud nihil eis significat, quam desere pauperem culinam, et ingredere divitem, fuge molestias et labores mundi, hoc est oeconomiae, politiae, et fruere ocio, ac saginare sicut porcus, et nemini quicquam fave. O quam facilis et carni suavis mortificatio.

Quanto autem Abraham pacientior, et magis misericors fuit, tanto obedientia eius laude dignior est, quod praefert mandatum Dei omnibus, et Deum supra omnia diligit: Adeo ad suum dilectissimum filium et suavissimam uxorem tanquam hostes domo eiiciat.

Lugubriter sane descripta est haec eiectio, quod iuvenis clamat iam siti moriens, nec potest eum mater in solitudine adiuvare, quod si speciem aestimes, crudelia iudicabis haec, et accusabis Abrahamum. Sed quid aliud faceret, Deo sic iubente?

Etsi autem ex domo et Ecclesia Abrahae eiicitur Ismael, tamen, ut supra aliquoties dixi, quod haud dubie multi ex Cainitis ad Ecclesiam conversi sunt, ita non dubito, quin Ismael et multi ex posteris ad veram Abrahami Ecclesiam conversi sint: non enim hoc agitur, ut simpliciter excludatur a regno Dei, sed ut sciat naturali iure regnum Dei sibi non deberi, sed ex mera gratia contingere.

Deus enim nihil cuiquam dat ex iure, secundum sententiam: ‘Quis Röm. 11, 35
prior illi dedit?’ nec est cuiusquam debitum: male enim nobiscum ageretur, si noster esset debitor. Quin nos omnes sumus Dei debitores, si quid

igitur dat nobis, dat non ex iure, sed ex gratia, quam profuse et opulenter offert omnibus, qui promissioni credunt.

Hanc lectionem oportet Ismaelem cum matre discere, siquidem volebant ambo procedere contra Isaac iure. Postquam igitur haec iuris praesumptio per tam duram eiectionem mortificata est, non dubito, quin reversus Ismael sit cum matre ad Abrahamum. Placet enim mihi Iudaeorum sententia, quod Kethura sit Hagar.

Valet igitur historia haec eo, ut discamus nos nihil habere ex iure, sed omnia ex gratia Dei contingere, Iudaei volunt ex iure Abrahami haeredes esse, et possidere benedictionem, quia ex carne Abrahami sunt nati. Sed si ius illud resignarent, et confugerent ad gratiam, sic fierent benedictionis participes.

Sic Papa gloriatur de successione, et eo iure vendicat sibi primatum, sed nos nullo modo in Ecclesia hoc ei concedimus: si ex gratia vellet primus esse, sustineremus eum, sed urgentem ius non sustinemus.

Idem de canonibus dicimus, si eos relinquerent liberos, toleraremus eos, sed quia faciunt necessarios, ideo explodimus eos, et sumus duriores incude et Adamante, qui molliores essemus caera, si nobis nostra relinqueretur libertas.

De monastica idem iuditium est, habent monachi suas regulas et exercitia sua, ea tanquam ius urgent, et deberi sibi vitam aeternam statuunt: sed quis iussit, hoc ut facerent?

An non gravis impietas est, cum Deus propter filium suum gratis omnia largiter promittat et donet, quod nos abiecta promissione iure vendicare nobis aeternam vitam praesumimus.

Declarat igitur hoc Ismaelis exemplo Deus, se nemini quicquam debere: nemo igitur iactet aut glorietur coram eo de iustitia aut merito, sed subditus sit totus mundus Deo, et prostratus invocet gra-
Ps. 143, 2 tiam et misericordiam, et uno ore dicat: 'Non intres cum servis tuis in iuditium.'

Hoc docet nos omnes Ismael, qui mortificatus ad hunc modum ius suum simpliciter resignavit, et postea venit ad haereditatem promissionis,
Eph. 2, 11 f. tanquam hospes, sicut Paulus de gentibus dicit ad Philippenses.[1]

Credo enim, quod nepotes Ismaelis etiam se coniunxerint cum Ecclesia Abraham, et facti sint haeredes promissionis non ex iure, sed ex vaga gratia, sicut supra de cainitis diximus.

Haec causa est, cur nudus filius cum nuda matre, solus cum sola in desertum locum et in mortem sitis et famis eiectus sit ex domo patris, ut occideretur scilicet pestilentissima bestia, quae vocatur opinio iustitiae, iuris et meriti apud Deum.

[1]) *Für* Philippenses *muß es wohl* Ephesios *heißen.*

Nam apud Deum nihil valet nisi gratia, hanc si apprehenderent per Christum Turcae, Iudaei, Papa, servarentur, sed excaecati gratiam repellunt, et statuunt ius ac meritum: Ideo pereunt in aeternum.

Locus hic de tentationibus Abrahami et Hagar totus Theologicus est. Sicut enim dixi, magna fuit Abrahae tentatio, eiicere filium naturalem cum legitima uxore, adeo inhumaniter. Ut nihil prospiceret neque coniugi, neque proli: sed utrunque quasi in certam mortem traderet, non enim Abraham durus lapis fuit, plenus fuit spiritu sancto, qui homines facit mites, humiles, benignos, beneficos.

Mirabilis igitur haec historia est, sed scribitur de sancto Patriarcha nobis in exemplum, ut discamus Deum diligendum et colendum esse super omnia: Sic supra iubetur egredi ex patria, et in Psalmo .45. dicitur Ecclesiae ex Iudaeis collectae: 'Filia, obliviscere domum patris tui.' Et Christus dicit: 'Si quis plus diligit patrem et matrem, quam me, non est me dignus.' Ps. 45, 11 Matth. 10, 37

Sic in secunda tabula continentur praecepta charitatis erga fratres, sed si novum mandatum accedit, ut, cum Saul iubetur occidere Amelechitas, ibi irasci, persequi et occidere eos debemus obliti omnis charitatis, etiamsi, ut Abraham facit, filius mactandus sit. Haec enim vox, ego sum Dominus Deus tuus, illam alteram de diligendo proximo, de honorandis parentibus tollit.

Videmus igitur in Abrahamo duplicem mortificationem, prima ad primam tabulam pertinet. Ibi enim pugnatur de promissione Dei, eam contra verbum vult Abraham ambobus filiis communem esse. Hic affectus fidei mortificatur, et cogitur Abraham discere ex uxore, quis sit promissionis verus intellectus.

Altera pertinet ad secundam tabulam. Cogitur enim oblivisci pietatis erga coniugem et filium.

Haec exempla diligenter in Ecclesia docenda sunt: Concordant enim cum Euangelio, quod docet verbum fidei anteferendum omnibus rebus humanis. Doctus igitur hic exercitiis Abraham, non speravit in hac vita se consecuturum promissionem, sed intellexit eam de aliis maioribus rebus, quam sunt huius vitae, siquidem, postquam haeres promissionis ei iam contigit, tamen exercetur tantis tentationibus et calamitatibus.

Cognitio aeternae vitae et fides in futurum Christum et spes resurrectionis a mortuis vera bona sunt: haec per promissionem expectavit. Nihil motus istis calamitatibus, quod sic cogeretur errare, non habere propriam sedem, eiicere uxorem et filium primogenitum, quae omnia cum promissione carnali homini videntur pugnare, sed revera sunt exercitia fidei, necessaria nobis, sed mirum in modum carni gravia, imo prorsus impossibilia.

Verba haec, quod Abraham dederit Hagar lagenulam cum pane, brevia sunt, sed ostendunt ipsa quoque, quam miserabilis fuerit hic casus,

nam circumstantias considera, et videbis tam esse horribiles, ut oratione exprimi non possint, non Sara, non servus aliquis, sed ipse pater Abraham instruit coniugem et primogenitum filium ad iter, imponens humeris panem et aquam, ac mandans, ut exeant.

Convenit fere historia cum illa de mactando Isaac. Levior enim fuisset dolor, si servo hoc officium iniunxisset, ipse autem eo tempore profectus esset in alium locum. Sed cogitur ipse instruere utrunque ad iter, et praesens spectare abeuntes. Exuerit igitur paternum affectum penitus necesse est erga coniugem et filium, in modum hominis duri et crudelis, ac si nunquam eos nosset.

Hunc inaestimabilem timorem et amorem erga Deum Moses dignum iudicavit, quem celebraret literis, siquidem non solum spectator, sed author etiam huius calamitatis est Abraham. Quod si alius hoc fecisset, et coniugem, cum qua viginti annos plus minus consueverat, eiecisset domo, quid Abrahamum facturum fuisse iudicas? nunc autem cum Deus ita iubet, ipse quasi administer huius crudelitatis existit.

Docens hoc suo exemplo, omnia quidem facienda esse propter proximum, sed cum mandato Dei iubemur aliud facere, nihil in tota hac vita tam nobis gratum et iucundum esse debet, quod non debeamus odisse, etiam
Matth. 10, 39 vitam nostram, sicut CHRISTUS dicit: 'Qui odit vitam suam, inveniet eam.'
Ps. 45, 11 Hoc igitur est oblivisci domum patris, sicut Psalmus loquitur. Miserabilis profecto descriptio, quam vix siccis oculis legere possum, quod mater et filius sic patienter eiectionem ferunt, et in exilium abeunt. Itaque pater Abraham vel stetit, et illachrymans benedictionibus et votis prosecutus est abeuntes, vel abdidit se alicubi in angulum, ubi solus suam et exulum fortunam deflevit.

Non enim, ut saepe dixi, stipes aut saxum fuit, sed habuit pectus pietate et charitate plenum in summo gradu erga proximos, ac multo magis erga domesticos, coniugem scilicet et primogenitum filium, ubi sic tentatio tentationem excipit, et lachrymae alias lachrymas trudunt, ea vera mortificatio est, et vera fidei exercitia mortificantis etiam innatam charitatem. Nugas igitur dixeris monachorum et Nonnarum mortificationes, quas iactant.

Beerseba, cuius textus meminit, est vicina Aegipto, ad eam forte fuerunt greges ovium et armenta. Victitarunt enim eius loci homines ex pecuaria, et habitaverunt in tabernaculis. Istic Ismael et Sara[1] in novum periculum veniunt, quod matrem attonitam, ac pene crudeliter impacientem facit: sicut Abraham etiam crudeliter fecisse videri potest, quanquam alia ratione: obedivit enim mandato Dei.

Ismael siti enecatur, mater hoc spectaculum triste videre cum non posset, reclinat eum in herbam inter virgulta, ac progressa paululum tan-

[1]) *Für* Sara *ist* Hagar *zu lesen.*

quam desertura moribundum, tamen in vicinia, unde audire gemitus morientis potest, considet.

Experimur autem magnam miseriam et calamitatem esse, siquis exul sine certa sede erret inter ignotos homines: maior autem ista calamitas est, quam circumstantia hoc in loco ostendit, quod Hagar et mater et faemina est, idque sola et in solitudine, sic repente ex ampla domo eiecta, ac iam victus omnis deficit, et filius moritur.

Potuit quidem ex Beerseba habere aquas, fuerunt enim istic sine dubio pastorum tabernacula, sed errat afflicta mulier non tantum corpore, sed etiam animo sic consternata, ut, quid agat, nesciat.

Est autem hic Theologicus canon Satanam afflictis addere afflictionem, et errantes corpore facere, ut etiam corde errent: Sic enim solet, ut germanico proverbio dicimus: ubi sepes humilis est, in ea parte transcendit eam, et qua in parte inclinat currus, in eam incumbit, ut penitus evertat.[1]

Accesserunt igitur ad has calamitates cogitationes tristissimae, quarum egregius instructor Sathan est, quo ibo nunc, cogitavit, ego misere eiecta mulier? neque Deus in coelis est, qui misereatur nostri, neque homo in terra, DEUS odit nos, igitur sinet nos mori hic, et perire in deserto siti et fame etc.

Haec est illa pestilens additio, a qua Sathan nomen habet, quod vocatur Leviathan, quod ex corporali malo facit spirituale, et oneri addit maius onus. Dicit autem Iob, hamo eum capi non posse, hoc est, humanis viribus non posse repelli. Est Leviathan seu adiector, qui semper ad alteram lancem librae aliquid addit, et deprimit, et inclinatum currum evertit.

Magna igitur haec fuit tentatio et longe gravior, quam fames vel sitis: Itaque in tantum stuporem incidit, ut, quid faciat, nesciat, alioqui vidisset fontem et cogitasset de hominibus loci istius, sed lapsa in illas additiones et augmenta Leviathan, ubi drachma afflictionis est, iudicat esse aliquot centenarios.

Sic author Apocalypseos appellat Sathanam ‘accusatorem fratrum nostrorum’: qui enim securi sunt, hos facit adamantinos plane, sicut nostri antinomi sunt. Qui vero imbecilli et timido sunt animo, hos terroribus, ceu impetu fulminis prosternit. Offb. 12, 10

Non igitur tentatur Hagar tantum eiectione corporali, sed etiam spirituali, et desperat usque ad mortem. Consumptae erant aquae, sed aderat in vicinia totus fons, hoc Hagar non cogitat, est enim demersa in istis mendacibus cogitationibus, quas suggessit Sathan: ecce Abraham est vir et Propheta Dei, in eius domo sola est vera Ecclesia, is est, qui te

[1]) *Nicht bei Thiele, vgl. aber Unsre Ausg. Bd. 45, 630, 19.*

et filium eiicit: Quod aliud potest esse certius argumentum, te ad Ecclesiam illam non pertinere?

Talibus telis non libenter velim ego peti cor meum, expertus enim sum, quam periculosum vulnus faciat. Si aliquis Ecclesiae minister mihi negaret absolutionem, et me a sacra communione arceret, etsi levis aliqua esset causa, tamen credo, quod desperabundus cum Iuda fugerem, et me suspenderem.

Audit autem Hagar hanc de eiectione sententiam non ex vulgari aliquo ministro, sed ex summo Patriarcha, qui promissionis pater est, quid igitur animi fuisse ei putas?

Supra de Loth audivimus eum calamitatibus sic fractum et attonitum esse factum, ut videns non videret, et faciens non sentiret. Occupatur enim animus sic in magno dolore et periculis, ut omnes sensus in corpore quasi mortui sint. Itaque ἔκστασιν vocant et raptum, qui tam vehemens est, ut Loth, quid cum filiabus fecisset, prorsus nesciret.

In tali paroxismo etiam bona Hagar hic est, et indicat id Moses in verbo errandi, nihil enim vidit prae nimia tristitia. Desperatio facit eam surdam, mutam, caecam, incogitantem, imo simpliciter occidit secundum omnes sensus.

Vides autem contra nostros antinomos legem hic prius tractari, quam consolationes. Ismael et mater Hagar superbiebant contra Isaac, quod essent ipsi quoque semen Abrahae, et promittebant sibi propter carnalem coniunctionem haereditatem.

Hic affectus hoc modo iugulandus fuit, ut primum discerent legem, et mortificarentur, qui mortificati sunt per legem, hi demum verbo Dei iterum sunt erigendi et consolandi, sunt enim contriti, non sunt securi et superbi sicut Ismael.

Docet nos igitur praesens locus de exercitio et offitio legis. Itaque
Gal. 4, 30 Paulus hanc Sarae vocem: 'eiice ancillam' vocat vocem legis: Non dicit, quid dicit Sara? sed: 'quid dicit scriptura?' Etsi igitur Moses cum sua scripta lege nondum adfuit, tamen lex fuit in usu et exercitio suo, quia eiicere est vox legis.

Explodamus igitur antinomos, qui legem ex Ecclesia eiiciunt, et poenitentiam per Euangelium docere volunt. Hoc quidem recte dicitur erigendos et consolandos esse homines, sed definitio addenda est, qui tales sint. Nempe qui cum Ismaele et matre eius eiecti domo, patria, in deserto fame et siti contabescunt, qui ad Dominum gemunt et plorant, ac vicini iam desperationi sunt: Tales idonei auditores sunt Euangelii.

Sed qui sentiunt se in gratia esse propter carnalem aliquam praerogativam, qui praesumunt de iustitia et sanctitate sua, hi non in deserto, sed in paradiso sibi esse videntur, nec sciunt, quid sit errare in deserto, non humiliantur, non occiduntur, hi malleo legis feriendi et comminuendi sunt, imo redigendi in nihilum.

Fit autem hoc per legem, quae dicit: 'Eiice ancillam et eius filium, non enim erit haeres', hoc est, extra gratiam Dei omnes natura sumus: quantum enim ad naturam nostram attinet, sumus filii perditionis, nec sublevat, quod Iudaei sint semen Abrahae, quod nati afferimus iuditium rationis et legem, et quod accommodamus ad eam aliquo modo voluntatem nostram, omnia haec ad salutem nihil faciunt.

Sed quicquid ex lege est, quicquid est ex voluntate carnis et viri, de hoc dicitur, eiice: non potest enim Deus ferre praesumptionem Ismaelis, hoc est, non vult gloriari nos de carnali nativitate, de viribus nostris, de libertate arbitrii nostri, de sapientia et iustitia nostra, omnia haec mortificanda sunt, et de omnibus his desperandum est, sicut hoc in loco desperat Hagar.

Ubi hoc factum est, et detrusi sumus ad inferos, ibi tempus est revocandi nos per suavem Euangelii vocem, quae non dicit, eiice, sed confide, fili, remissa sunt tibi peccata tua, ideo scriptura dicit, hoc Dei opus esse, 'deducere ad inferos et reducere, occidere et reddere vitam'. 1. Sam. 2, 6

Haec causa est, cur Ismael cum matre eiiciatur, ut scilicet horribile et indomitum malum praesumptionis de propria iustitia occidatur. Sic enim cogitabat: Ego sum in domo Abrahae. Igitur haeres sum, Haec fidutia tam venenatum malum et noxia pestis est, ut occidi non possit, nisi per extremam desperationem, ut homo exutus omnibus, quae possidet, tantum non de Deo et Dei gratia desperet, ac sentiat se abiectum a Deo esse. Hoc pater et verus Abraham, hoc est, ipse DEUS cogitur nobiscum facere: nihil enim Ecclesia, nihil Christus, nihil iustitia ad nos pertinet, nisi prius noxia praesumptio sit perdomita et mortificata.

Digni igitur omnium odio sunt Antinomi, qui nostro exemplo se defendunt. Cum tamen causa in promptu sit, cur initio sic doceremus de gratia Dei. Oppresserat Papa miserabiliter conscientias traditionibus suis, praesidia vera, quibus defendi fractae mentes contra desperationem poterant, omnia ademerat, quid igitur faceremus aliud, quam ut oppressos erigeremus, et proponeremus veras consolationes?

Scimus autem cum Saturis delicatis et incrassatis aliter loquendum esse. Eramus tum omnes eiecti et afflictissimi, consumpta erat aqua in lagenula, hoc est, nulla suppetebat consolatio. Iacebamus moribundi sicut Ismael sub arbore. Opus igitur fuit talibus doctoribus, qui proponerent gratiam DEI, et respirare docerent.

At Antinomi volunt poenitentiae doctrinam simpliciter a gratia inchoari. Sed ego sic non processi, noram enim Ismaelem eiectum et desperatum, priusquam ex Angelo consolationem audiret: secutus igitur exemplum hoc non nisi prius contritos et desperabundos consolatus sum, quos lex perterrefecerat, et Leviathan oppresserat et quasi attonitos fecerat, propter hos enim venit Christus in mundum, nec vult linum fumigans

Matth. 11, 28 extingui penitus: clamat igitur: 'venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.'

Talis non erat Ismael, antequam eiiceretur domo, erat superbus et securus, et antinomicus Epicurus: Ego, inquit, sum Dominus et haeres, mihi cedat Isaac et Sara, haec superbia fovendane fuit an corrigenda? Qua autem alia ratione potuit corrigi? quam ut una cum matre eiiceretur, et nihil secum auferret ex domo Abrahae, quam illud praemium legis, panem scilicet et aquam. Sic enim solet lex, furem vinctum deducit ad patibulum, prius autem quam stranguletur, potu aquae reficit, sed deficit tandem aqua, et relinquitur mors: Plus lex non facit.

Discamus igitur, quod Deus omnes superbos odit, qui autem humiliati senserunt vim legis, hos consolatur, si non per homines, at per Angelum e coelo: non enim patitur tales perire, sicut securos non patitur in domo Abrahae manere.

Necesse est autem doctorem in Ecclesia eruditum et peritum esse in utroque, ut et redarguere et conterere contradicentes possit, et redargutos et contritos iterum consolari, ne absorbeantur. Si natura peccato non sic corrupta esset, legis praedicatione non esset opus. Nunc autem Deus per gratiam suam nihil apud nos propter nostram duritiem, et altissimam securitatem efficere potest, nisi prius adamantina corda lege fregerit et contuderit.

Gal. 4, 22 ff. Ideo Paulus quoque Galat[arum quarto ad literam praesentem locum sic exponit: Omnes, inquit, tales sunt, qui sunt de Synagoga. Nos autem usu experimur, non Iudaeos solum, sed omnes homines tales esse, sicut supra commemoravi de Turcis, qui praesumunt se populum DEI esse, quia ornantur victoriis: De Papa et eius Ecclesia, qui Ecclesiae nomen ideo usurpant, quia sunt in dignitate et offitio.

In summa haec historia tales omnes depingit, quod, nisi redigantur in mortem et desperationem, salvari non possunt: omnes enim praesumunt gratiam et remissionem peccatorum ex nativitate carnali et viribus, quas secum adfert.

Memini impium et acerrimum Euangelii hostem decidere ex tabulatu quodam inspicientem aedificium, quod extruebatur. Cum igitur ex lapsu nullum sentiret incommodum, non enim ullum membrum laesum erat, exclamat: Nunc scio me propitium habere Deum. Sic solet mundus, ex carnalibus beneficiis praesumit Deum propitium esse: talis natura est. Mortificari igitur eam necesse est, id quod fit per legem.

Qui ergo vult haeres esse promissionum, excludat necesse est omnia, quae non sunt promissio, sicut Paulus ad Philippenses facit, appellans legis iustitiam stercora: coram Deo enim nihil valet, nisi promissio et gratia in Christo proposita.

Habet caro dona sua, sed illis nihil debetur, nisi panis et aqua. Vita autem aeterna non carnis filiis, sed filiis promissionum, id est, credentibus contingit.

Praeclarum est, quod coniugibus addidit benedictionem Deus, cum dixit: 'Crescite et multiplicamini', sed haec benedictio corporalis est, et 1. Mose 1, 28 manet in repletione terrae, quantumvis enim sancti sint pater et mater, tamen hoc filiis, qui ex eis nascuntur, non prodest, non salvantur ideo: sed si salvari debent, opus est, ut promissionis filii fiant, et ipsi quoque promissioni credant. Ideo enim singulos oportet baptisari. Ego nihil inde habeo, quod tu baptisatus sis, me quoque baptisari et credere necesse est.

Sic Ismael eiectus argumentum est, quod includit omnes homines, et praeteritam Ecclesiam usque ad finem mundi coniungit, quod prima nativitas ad regnum DEI non pertineat, quod sine fide in promissionem de Christo nemo possit salvari. Stultum igitur est, quod Papistae se Ecclesiam esse clamant. Ecclesia enim non est populus aestimandus ex multitudine, magnitudine, sapientia, potentia, opulentia, dignitate, successione, offitio etc. Multo minus ex electitiis cultibus, sed est populus promissionis, id est, promissioni credens.

Quando igitur dicunt: Papa est caput Ecclesiae, igitur, quicquid praecipit divinum est: Nega tu consequentiam, quia Papa nihil neque scit, neque intelligit de scriptura sancta, multo minus credit: est larva quaedam Ecclesiae, non Ecclesia, Imo impugnat et persequitur Ecclesiam, sicut Cain Abelum. Idque propter promissionem, quam sibi vendicat, etiamsi non credat. Nemo igitur splendidis titulis successionis, vocationis, offitii terreri se sinat.

Turcae etiam gloriantur se esse creaturas Dei, et iurant per Deum, creatorem coeli et terrae. Papa gloriatur se credere in Christum, quod sit filius DEI et redemptor mundi, interim instituit monasteria, missas, ieiunia, cultus sanctorum et similia, sed frustra. Sunt enim opera creationis tuae, qui ex carne es conditus, sunt fructus arboris malae: quod si arbor debet bona fieri, oportet ut fias persona promissionis, hoc est, ut gratiam amplectaris: et sola nitaris misericordia, id quod fieri non potest, nisi verbum promissionis fide apprehendas, Ismael est naturalis Abrahae filius, et tamen non est haeres.

Hoc argumentum divi Pauli est, nec poterit ab ullo homine solvi. Videmus palpabiliter, quod Papistae promissionis filios persequuntur, sicut Ismael Isaacum: nisi igitur vana fidutia, quam conceperunt, mortificetur, et redigatur in nihilum, cum omnibus excellentibus donis ex carne nunquam salvabuntur. Vide turcas ornatos potentia et sapientia. Papa quoque et cardinales sunt sapientissimi viri, sic Plato, Cicero, Socrates etiam sunt maximi viri, sed non ideo sunt Ecclesia: non enim habent hanc essentialem differentiam, qua Ecclesia a mundo separatur, promissionem

scilicet. Largimur igitur Pontifici et suis sapientiam, dignitatem, addo etiam successionem et offitium, sed non ideo sunt Ecclesia: Deest enim essentialis illa differentia, quae est credere Euangelio, qui autem non credunt Euangelio, non sunt Ecclesia, nec pertinent ad regnum Christi.

Oportet igitur, o Papa, ut prius occidatur tuus papatus, et tu coram Deo redigaris in nihilum, vel nunquam eris pars etiam minima Ecclesiae. Durum hoc est et Papistis intolerabile: sed Ismaeli quoque doluit eiici et separari ab Ecclesia, ac haberi pro rescisso membro ab Ecclesia. Nobis quoque privatis omnibus nihil potest accidere acerbius, quam sic omni spe et fiducia exui.

Ego quoque saepissime hac tentatione divexor, quod circumspicio de operibus, quibus possim niti, quod multa docui, multis benefeci, multa indigna praeter meritum passus sum: sed sentio in veris certaminibus haec
Ps. 32, 5 omnia nihil esse, et redigor ad illam confessionem Davidis: 'Domine, nihil
Ps. 116, 11 sum nisi peccator'. Item: 'ego dixi in raptu meo, omnis homo fallax',
Ps. 143, 2 id est, omnis homo vanus, qui fallit et fallitur. Item: 'non intres cum servo tuo in iuditium.'

Sola autem hac spe erigor, quod in Euangelio video contritis solatium, desperatis spem, in inferno positis coelum promissum esse, et est huius spei hoc certum argumentum, quod filius Dei nobis ignorantibus seipsum pro nobis Deo patri suo in ara crucis obtulit.

Ad hunc modum humiliati primum et ad desperationem redacti, si, quemadmodum de se desperant, ita propter Christum confidere incipiunt, fiunt Dei filii et haeredes: sed multos invenias, qui humiliari nolunt, sed meditantur vindictam et remurmurant, hi dupliciter indurati sunt.

Tu igitur cum sentis te humiliari, abiice te ad pedes patris coelestis, et dic: O Domine, si ita mecum agis, feram pacienter, et fateor atrociora me esse meritum, Miserere igitur mei, si non vis me esse haeredem, fac, ut maneam servus, quin, sicut Cananaea dicit, non recuso canis in tua domo esse, ut saltem micis vesci possim, quae temere in terram cadunt, et alioqui conteruntur. Nullo iure quicquam mihi debes, ideo amplector misericordiam tuam etc.

Haec est vera via, qua pervenimus ad gratiam et salutem. Sed pauci audiunt, pauciores obsequuntur et credunt. Iudaei quotidie recitant haec verba in suis orationibus: Benedictus Deus, qui nos sanctificat prae omnibus populis terrae, sed haec non oratio, verum extrema contra Deum
Ps. 109, 7 blasphemia est. Sicut Psalmus dicit: 'Oratio eorum fiat eis in peccatum.' Deus enim non talis est, qui accipiat personas: Omnibus proponit verbum, et vult, ut omnes credant et salventur, non discernit inter Iudaeos et gentes, sed omnium vult esse Deus. Nemo igitur sicut impii Iudaei tale aliquid sibi arroget. Humiliemur omnes, et fateamur nos nihil esse, quicquid autem sumus, esse ex gratuita DEI gratia.

Paulus etiam inflatus erat iustitia sua, sed cum audiret vocem Christi ad Damascum, quem antea sic secure contempserat, tremens et trepidans dicit: 'Domine, quid vis ut faciam' ubi hic gloriatio mansit, quod esset Apg. 9, 6 filius Abrahae de tribu Ben Iamin, Pharisaeus, Legis discipulus? Sicut igitur Ismael ex lege ad promissionem, et ex morte ad vitam, et ex inferno ad coelum pervenit, ita Paulo quoque accidit: ideo postea cum tanto impetu et tam potenti spiritu hanc ipsam disputationem de promissione et meritis, de gratia et operibus tractat, quod scilicet sola promissio, et nihil aliud haeredes faciat, non nativitas carnis, non circumcisio, non alia opera legis.

Audivit autem DEUS vocem pueri, vocavitque Angelus DEI de 21,17
coelo Hagar, et dixit ad eam, quid est tibi, Hagar? noli timere,
quia exaudivit DEUS vocem pueri ex eo loco, in quo est.

Non vocat filium Abrahae, sed simpliciter puerum, quod est commune nomen omnibus hominibus, ac dicit clamorem eius exauditum: sine dubio autem non allegavit moribundus Ismael nativitatem Abrahami, oppressus enim calamitate et doloribus eius obliviscitur, et accedit Leviathan, de quo supra, hoc est Sathan, vi legis spiritualiter eum occidens.

Nihil igitur reliquum fuit, quam gemitus inenarrabilis desperantis animi, quod fatetur se indignum domo paterna et haereditate, sicut prodigus filius in Euangelio dicit: 'non sum dignus appellari filius tuus.' Luk. 15, 21 Hunc gemitum videt et audit Deus. Clamavit quidem voce sua, sed angustia cordis et contritio praecipua fuit, quam sequitur rugitus ex gutture, et alte ducta suspiria. Hac musica nobis, ut videtur, tristissima et lugubri delectatur Deus magis, quam ullo alio cultu, sicut apud Esaiam Jes. 57, 15 ait: 'Habitabo cum spiritu contrito', securitas enim offendit Deum.

De Antonio Haeremita, qui incepit genus vitae monasticae, narratur historia: Cupivisse eum scire, quem habiturus esset dignitatis et gloriae socium in aeterna vita: placebat enim sibi mirum in modum ob hoc solitarium vitae genus. In somnis igitur audit esse Alexandriae sutorem seu coriarium quendam, illum eiusdem gloriae socium fore. Miratur Antonius collationem, et Alexandriam proficiscitur, visurus scilicet hominem sanctitate sibi parem, et nescio quae magnifica de sutore illo sibi pollicetur, sed cum ad eum venit, vidit, quod manu sua laborando victum quaereret, et sic se et uxorem et liberos aleret. Inquit igitur quaeso te, mi sutor, scio, quod DEUM fideliter colas, et vere ei servias: Dic igitur mihi, quid facis, quid comedis, quid bibis, quomodo aut quando oras? num totas noctes insomnes agis orationi incumbens? etc. Nullo, inquit ille, modo. Mane et vesperi ago Deo gratias pro fideli eius tutela et gubernatione. Peto remissionem omnium meorum peccatorum per Christum, ac suppliciter oro,

ut me spiritu suo gubernet, et in tentationem non inducat: post hanc orationem tracto corium meum, et mihi ac meis alimoniam paro, praeterea facio nihil, nisi quod caveo, necubi aliquid contra conscientiam faciam.

Antonius haec audiens miratur, ac intelligit electitios cultus non esse cultus, itaque iis nihil esse confidendum. Hoc beneficium non solum ipsi Antonio contigit, sed est quoque admonitio ad omnem posteritatem, qua DEUS Ecclesiae suae voluit succurrere, ne indulgerent electitiis cultibus, qui semper hanc noxiam fidutiae pestem secum adferunt, quam mortificari necesse est.

Non vilis vestitus, non asper victus, non ieiunia, non longae orationes, non vigiliae, non ulla opera nobis prodesse possunt ad vitam aeternam, sola fiducia misericordiae, seu sola promissio est, quae salvat. Absque hac si sit, libere confitere, et dic, 'ego nihil sum. Ego ad haereditatem non pertineo, ego ex patris domo eiectus sum'.

Haec est pueri Ismaelis vox, quam audit Dominus, et sic clamantibus mittit suos Angelos ex ipso coelo.

Maxima igitur haec consolatio est omnium istorum, qui sentiunt se eiectos, hoc est, qui agnoscunt peccata sua, et trepidant a iuditio Dei. Non enim vult, nec potest tales abiicere, etsi talibus solatia hominum deessent, potius Angelum de coelis descendere necesse esset, qui afferret consolationem. Vocatur igitur Deus humilium Deus et afflictorum, qui linum fumigans non extinguit. Postquam vero fidutia carnis in Ismaele mortificata est, fit verus promissionis filius, et quod iure prius postulabat: non autem consequebatur, hoc nunc ex gratia ei contingit in extrema necessitate et desperatione.

Mira et notatu dignissima res, cum sentit se abiectissimum esse, habet Deum proximum, et Deo est carissimus, nec potest Deus vocem et gemitum afflicti negligere. Quod si Deus hic eum non audisset, periisset in aeter-
Hes. 33, 11 num, sed DEO hoc impossibile est: 'Est enim misericors, qui non vult mortem peccatoris.'

Discamus igitur hunc canonem, quod non possunt fieri filii Abrahae, nisi ex contritis: ex singulari et mera gratia. Non igitur praesumendum de ulla re est, sicut etiam non est desperandum, sed natura nostra talis est, tempore pacis praesumit, et desperat tempore belli, cum media via incedendum esset, et in periculis non abiiciendus animus, sed confidendum in Dei misericordiam, et invocandum eius nomen esset, secundum sententiam: 'invoca me in die tribulationis, et eripiam te.' Item: 'Ostendam eis salutare meum.'
Ps. 50, 15
Ps. 91, 16

Hoc tamen monendum est, ne quis putet contritionem, de qua iam multa diximus esse meritoriam gratiae, sicut Sophistae falso docent. Multi enim verbum non audiunt: Multi audientes verbum non credunt. Verbum enim offertur omnibus, et communis vox est, ex aequo ad omnes pertinens:

12 si sit *G. H. I. K.*] si sis *Erl.*

'Ego sum Dominus Deus tuus', sed praesumptuosi contemnunt. Desperati autem ad se pertinere non credunt. Media igitur via tenenda est, secundum versiculum hunc: Medio tutissimus ibis.[1]

De Hagar mirari licet, quod non ad Angeli vocem in solitudine extimuerit et aufugerit: sed dixi occupatum ipsius animum ingenti stupore, ut, quis loqueretur, non consideraret, sicut cum Petrus in carcere excitatur ab Angelo, et ex carcere deducitur, nescit rem serio agi, sed in somnis se aliquid tale pati existimat. Haud dubie autem Angelus in humana specie apparuit.

Quia autem verbum Dei nunquam frustra praedicatur, primum ipsa quoque Hagar quasi ex morte voce Angeli excitatur. Deinde illuminatur novo lumine spiritus sancti, et ex ancillă fit ipsa quoque mater Ecclesiae, quae posthac nepotes suos instituit, et suo exemplo monuit, ne superbirent: se enim fuisse legitimam uxorem sanctissimi Patriarchae Abrahae, ac genuisse ei primogenitum suum filium, sed eo privilegio carnis nihil se adiutam, imo extitisse eam dignitatem occasionem superbiae, eiectam autem propter superbiam, et humilitatem tandem venisse ad gratiam.

Sicut nos hodie, qui in monasteriis viximus, recitamus aliis cruces et martyria nostra, quibus confisi putabamus nos sedere in sinu Dei. Nunc autem illuminati verbo vocamus omnes illas iustitias, quibus nitebamur, 'stercora et detrimenta' cum Paulo. Phil. 3, 8

Hoc modo erudita Hagar in schola Domini multos discipulos praeclare instruxit de praecipuo articulo, qui in Ecclesia Dei docetur, non scilicet valere ullam gloriationem secundum carnem, se in eodem thoro cum Abrahamo fuisse, et tamen eiectam esse domo. Qui igitur gloriatur, vgl. 1. Kor. 1, 31 glorietur, quod Dominum norit, hoc est, quod promissionem habeat et ei credat, sine hac fide omnia alia frustra esse.

Verba Angeli in Hebraeo admodum brevia sunt: 'Quid tibi, Hagar?' sed non sunt accipienda duriter, quasi obiurget eam: sunt enim consolatoria. Ah, inquit, quid ploras? quid ingemiscis, quid desideras? causa nulla est, cur timeas, cessent lachrimae. Tu et filius Deo curae estis. Mortificare vos voluit, hoc cum factum sit, vult te bene sperare de sua misericordia. Orasti cum filio etiam prius in domo Abrahae, sed ibi Deus exaudire vos noluit: Fuit enim oratio vestra coniuncta cum superbia et despectu fratris: In hoc autem loco vos exaudivit, itaque credite hic esse eius Ecclesiam. Ubi enim Deus exaudit preces, ibi fit templum, ibi Ecclesia est, ibi est gemitus inenarrabilis desperantium de se. Ita cum Emphasi intelligendum est, quod dicit nominatim de loco, in quo Ismael est.

Sic Angelus de coelo mittitur ad consolandum moribundum Ismaelem et matrem eius: quia autem remedium tam praeciosum est, patet ex eo

[1]) *Ovid, Metam. 2, 137; s. oben S. 146 Anm. 2.*

etiam magnitudo morbi, quo ambo laborarunt: non enim homo, sed Angelus ad calamitate oppressos mittitur. Atque hic etiam de finali causa admonemur, non quia Deus Ismaelem et Hagar oderit, ideo sic miserabiliter eos sinit eiici.

Hanc falsam causam Leviathan adfingit, Dei consilium est, ut humilientur, et discant confidere in sola Dei gratia: non in meritis aut dignitate aliqua carnali.

Per spiritum sanctum autem in literas haec relata sunt, ut universus orbis et tota posteritas discat, hanc propositionem universalem et indubitatam esse, quod gratia, non meritis aut operibus salvamur. Non enim fuit aliud remedium ad conterendam superbiam meritorum et dignitatis, nisi eiiceretur Ismael cum matre ab Ecclesia sancta Dei, quae in domo Abrahae fuit. Quod si sine gravi dolore et multis lachrimis haec non acciderunt, tamen fructus, quid secutus est, longe maior extitit, quod scilicet hac via perveniunt ad gratiam et salvantur.

Hic finis tam miserabilis eiectionis est, ut doceat Deus sola gratia vel sola fide, quae gratiam in promissione propositam apprehendit, nos salvari. Exaequandi enim sunt naturales filii cum illis, qui naturales filii non sunt, et tamen credunt, ut sit unus Deus Iudaeorum et gentium, ut Iudaei non glorientur de praerogativa carnis, et gentes propter peccata non desperent.

Hic summus fidei articulus est, quem si vel tollas, sicut Iudaei, vel depraves, sicut Papistae, neque Ecclesia consistere potest, neque Deus retinere potest suam gloriam, quae est, quod sit misericors, et quod propter filium condonare peccata ac salvare velit.

Pertinet igitur miserabilis in speciem historia ad nostram consolationem, qui miseri peccatores sumus, et sine dignitate et meritis accedimus ad Ecclesiam: habemus autem aequalem locum cum istis, qui naturales filii sunt. Apud Deum enim non est respectus personarum, et sola promissio valet. Est enim Dei verbum, quod manet in aeternum.

Quae autem potest esse ratio dubitandi, ut illam propositionem tantopere impugnent adversarii. Cum dicimus, Gratia et non meritis nos salvari? Quid eos movet? certior enim longe res est, si statuamus nos per misericordiam potius adoptari in filios, quam per merita. Si enim ex meritis res pendet, nunquam possumus esse certi, quando satis meritorum habeamus. Igitur periculo damnationis carere non possumus. Quid igitur movet Papistas, quod malunt operibus et meritis niti, quam promissione et gratia?

Prima ratio haec est, quod non credunt Deum esse creatorem coeli et terrae. Si enim crederent, se esse Dei creaturam, et Deum esse creatorem, nunquam opponerent ei merita, seu opera, neque de ulla re praesumerent, quae est enim collatio creatoris ad creaturam? creatura ex nihilo

est: ergo nihil sunt omnia, quae creatura potest, si scilicet creatori opponantur, qui dedit ei esse.

Ideo Hiob quarto dicit: 'nunquid homo Dei comparatione iustificabitur? aut vir erit purior suo factore? Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem, quanto magis hi, qui habitant domos luteas? qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea.' Relinquitur igitur Papistas non credere, quod vel Deus creator, vel ipsi creatura sint, siquidem merita et opera sua Deo opponunt, et malunt operibus suis, quam gratiae confidere, sed quid est, nihilum velle pugnare cum Deo creatore? Hiob 4, 17 ff.

Secunda ratio dubitandi est, quod DEUS non agit nobiscum secundum maiestatem, sed induit formam humanam, et loquitur nobiscum per totam scripturam, sicut homo cum homine. Adamum in paradiso interrogat: 'Adam, ubi es'? ac si hoc nesciat, nisi Adam dicat: Clamant ubique sancti, 'surge DOMINE, quare obdormis? exaudi me, DOMINE'. Imo ipse Christus in Euangelio dicit: 'date et dabitur vobis', instituens quasi nobiscum commertium, adeo omnia sine maiestate, et, ut sic dicam, ex inanita forma Dei loquitur nobiscum. Fit autem, sicut proverbio dicitur, ut familiaritas nimia pariat contemptum.[1] Luk. 6, 38

Demittit autem Deus hoc modo se propter nostram imbecillitatem, non enim possumus sustinere loquentem in Maiestate, Maiestatis voces sunt: 'Quis retribuet, et retribuetur ei'? Item: 'Quos vult, indurat.' Item: 'coram eo nemo est innocens.' haec quis sustinere potest? et tamen, cum ita se propter nos demittit, ut loquatur nobiscum sicut paterfamilias cum servis, a nobis contemnitur. Et iudicamus eum indigere pecunia nostra ieiuniis nostris, orationibus nostris, vigiliis etc. Röm. 11, 35 Röm. 9, 18 Hiob 4, 18

Familiaritas igitur, quae nos invitare debebat ad amplectendam benignitatem Dei, praesumptuosos nos facit: loquitur de se nobiscum, ac si nobis similis homo esset, fingit se nescire, ubi sit Adam, fingit se dormire, locat vineam, ac pollicetur praemia laborantibus, hac eius familiaritate et humilitate abutimur, et iudicamus eum aliquem sartorem aut cerdonem esse, qui nihil donet ex gratia, sed omnia faciat ex merito: Haec non tolerabilis praesumptio est, et digna aeterna morte.

Atqui, inquiunt, promissio est: 'date, et dabitur vobis.' Quid hoc ad te? num ideo negabis te creaturam esse. Si autem es creatura, erga creatorem nihil es, et frustra opponis ei tua merita et opera. Non vides Ismaelem superbientem de nativitate carnali eiici ex domo, et tantum non occidi in deserto: sed hoc ei utile est, sic enim liberatur a praesumptione, et consequitur gratiam. Luk. 6, 38

Psalmus dicit: 'Dominus fecit nos, et non ipsi nos', cur hoc monet spiritus sanctus? quasi vero quisquam sit, qui hoc nesciat: imo profecto, Ps. 100, 3

[1]) *Augustinus, scal. Parad. 8; vgl. Wander, Vertraulichkeit Nr. 4.*

totus mundus hac doctrina opus habet. Omnes enim, qui de operibus suis praesumunt, nesciunt se a Domino factos esse, et opus habent hac admonitione, quod sint facti a Domino, alioqui humiliarentur coram creatore, et de nullis suis viribus praesumerent, quia, quicquid habent, ex Deo habent, sic ignoratio creationis et nimia Dei familiaritas erga nos facit nos praesumptuosos.

Opus igitur est, ut Deus constituat super nos legislatorem, sicut nonus Ps. 9, 21 Psalmus dicit, et cum Ismaele nos occidat: ut firma stet Pauli sententia: Eph. 2, 8. 9 'ex fide, et non ex operibus, ex gratia, et non ex meritis' sumus, quicquid sumus, etiam naturaliter et secundum corpus et carnem: quanto magis super naturaliter et secundum spiritum, ut simpliciter dicamus: Miserere mei, Deus, hoc didicerunt Ismael et Hagar in deserto.

Eiectio Ismaelis e domo docet, quam impense oderit Deus superbiam et praesumptionem: sed hic vicissim disce, quid Deus cum humiliatis faciat: sedet Hagar in maximo fletu et summa desperatione. Videt enim se cum filio eiectam, et excommunicatam ab Abrahamo, patre Ecclesiae, quae sane horribilis res est. Lex enim non iocatur, sed vere humiliat corda, ut sentiant, se omnibus suis viribus et operibus nihil meritos, quam aeternam damnationem.

Venit igitur consolator Angelus, nihil nisi consolationis verba ab ipso Deo adferens, sed Hagar tacet, fletu enim impedita respondere non potest. Nam in luctu et singultibus turbati cordis quasi moritur vox et lingua, postquam igitur ad interpellationem Angeli tacet, Angelus absolvit eam a peccatis, iubens, ne timeat.

Observabis igitur differentiam legis et Euangelii, prius audierat tristem sententiam, quod Deus vellet eam cum puero eiici: Haec legis vox deprimit superbum spiritum, praesertim, cum accessisset ista in solitudine tentatio. Ps. 51, 13 In his angustiis cum tenetur cor, perpetuo gemitu clamat: 'Domine, ne proiicias me a facie tua.' Quid autem sit proiici a facie Dei, non nisi sancti, hoc est, bene humiliati intelligunt, qui de meritis et operibus pugnant, non intelligunt. Venit igitur vera Euangelii vox, noli timere, hoc est, contrita hactenus per legem, et reiecta atque excommunicata, concipe spem salutis: eiectio, defectio aquae, vasta solitudo, filius moribundus te perturbant, et tantum non occidunt, sed Deus iubet, ne timeas. Sicut igitur reliqua te cogunt ad timorem, ita erigat te benevolentia Dei etc.

Antithesis autem ostendit in summo timore et tremore Hagar fuisse, quorsum enim pertineret mandare, ne timeat, nisi summo timore perturbata fuisset. Antinomi, Epicuraei comessantur, ludunt, saltant, igitur frustra iuberentur non timere. Sed Hagar in summo desperationis gradu est cum filio non tantum, quod deficeret aqua in lagena, sed magis, quod spiritualis aqua deesset, et excommunicatam se sentiret, senserat se hactenus

frustra clamasse et orasse, fuerat enim superba. Iam autem auditur eius oratio, quia contrita est et mortificata cum filio. Deus autem est Deus humilium, non tantum Iudaeorum, sed gentium quoque, superbis autem resistit. vgl. 1. Petri 5, 5

Vide autem, quam pulchre Angelus orationem suam temperet, non dicit, exauditam vocem Hagar, sed filii, et tamen non cum filio, sed cum Hagar loquitur. Ipsa enim ut mater propter filium moribundum maxime turbabatur, cum igitur audit eum esse in gratia, et promitti ei amplum regnum seu gentem magnam, tota iterum erigitur, nec obstat huic gaudio, quod non statim restituitur seu revocatur in locum, unde eiecta erat: Audivit, inquit Angelus, Deus pueri vocem in eo loco, in quo est, quasi dicat: non debes facere distinctionem coram Deo inter domum Abrahae et istam arborem, sub qua filius tuus iacet. Etiamsi non es in domo Abrahae, tamen cave dubites te et filium pertinere ad eandem Ecclesiam.

Est quidem Abraham pater promissionis, et in domo eius est vera Ecclesia, ab hac exulare videtur miserum esse, itaque cogitas te libenter ancillam, filium libenter servum esse velle in domo Abrahae: sed non est opus, hoc satis est, quod humiliata es. Quantum enim ad conditionem loci attinet, non inferior est hic locus, in quo nunc es, ipsius Abrahae domo. Hic enim Deus tecum loquitur, hic exaudit preces filii tui: Ergo hic templum habet, etc.

Sic Paulus ubique facit, aequat gentes et Iudaeos, neque aliam facit differentiam, nisi quod filiis Abrahae naturalibus credita sunt eloquia Dei, hanc praerogativam gentes non habuerunt, quod ex ipsorum semine venturus esset Christus, et tamen quo ad gratiam salutis Iudaeis aequantur, si modo credant in Christum, sicut hic videmus, quod Deus habet apertam aurem ad vocem Ismaelis, extra Abrahae domum clamantis in solitudine sub arbore, ut scilicet propositio haec stet certa et firma, Deum esse humilium Deum, et beneplacitum esse Domino super timentes eum. Pſ. 147, 11

Item Acto[rum 10. dicit Petrus: 'Deus personas non accipit, sed in omni populo, quicunque eum timuerit, et faciens iustitiam, ei acceptus est', sive circumcisussit, sive non. Hanc enim exclusivam circumstantiae certo adferunt. Apg. 10, 34. 35

Dignus igitur hic locus est et necessarius, in quo immoremur. Verissimum enim est, si dignitas et meritum aliquid sunt, sumus perditi, dignus igitur Papatus est omnium odio. Omnia enim ibi fiunt in respectu personarum et dignitatis, monachus, monacha, sacrificulus, celebs. Omnes cogitant, nos sumus pauperes, celibes, iciunamus, oramus, ergo certo possidebimus regnum coelorum: sed haec est Ismaelitica superbia, quam Deus ferre non potest. Ac debent Deo a nobis agi gratiae, cum variis tentationibus hanc meriti fidutiam nobis excutit, ac docet gratis nos iustificari fide, non meritis operum.

Quod igitur sic severus esse, et crudeliter cum Ismaele videtur agere, utilis et necessaria severitas est: primum propter Ismaelem, qui alia ratione humiliari non potuit: Deinde propter nos, ut in ipso spem et fiduciam habeamus, quod per solam gratiam et misericordiam eius salvi fiamus,
Apg. 15, 9. 11 sicut et ipsi Iudaei, Actorum 15.

Non solum igitur audit Deus clamantes in domo Abrahae, Ubi est Ecclesia, sed etiam sub arbore, modo humilieris, et per Christum speres gratiam. Sic stabilitur principalis articulus fidei nostrae et summa nostra sapientia, quod filii Dei non sint, qui nati sunt ex sanguinibus, ex voluntate viri, ex voluntate carnis, sed qui ex Deo sunt nati, hoc est, qui
Joh. 1, 13 credunt promissioni: per hanc enim solam vult salvare eos, qui non praesumunt de nativitate aut merito, sed credunt in Christum: Haec est Angeli contio, addit autem mandatum.

21, 18 Surge, tolle puerum, et apprehende eum manu tua, quoniam in gentem magnam ponam eum.

Potuit cogitare Hagar, Quid nunc faciam, postquam Deus mecum rediit in gratiam? num redibo ad domum Abrahae? non, inquit Angelus, hoc mando, ad nullum locum te alligo: Vade, quocunque libet, modo puerum tolle, et apprehende eum manu, hoc est, cures, instituas, gubernes eum. Sic absolvit turbatam foeminam ab omni excommunicatione et metu, recipiens eam in gratiam et communionem promissionis Isaac, et relinquit simul libertatem eundi, quo velit. Non alligat eam ad domum Abrahae, aut ullum alium locum, quasi dicat, parum refert, ubicunque fueris, modo timeas et adores Deum, et regas ac cures filium, nihil solicita de loco, tempore, personis, cum quibus eris: Fac offitium matris, et scito te DEO curae esse.

Prius igitur excommunicatae et quasi captae restituit nunc libertatem Christianam, potuisset cum ea loqui Deus, sicut in monte Sinai, sed territa iam ante vocem Maiestatis ferre non potuit.

Eadem benignitate erga nos quoque utitur Dominus, loquitur nobiscum per ministerium hominum, et abscondit hoc modo formidabilem et nobis intolerabilem Maiestatem. Sed quia ministerium nimis humile et familiare est: Primum ipsi pastores, deinde ipse Deus in ministerio contemnitur, et tantum conculcatur pedibus. Sed erit tempus, cum Deus sic se humilians propter nostram salutem ostendet suam maiestatem, et opprimet securos contemptores. Igitur agnoscamus summum et inaestimabile eius donum, quod ad hunc modum se exinanivit, et induit formam humanam: Non ideo contemnamus verbum, sed procidentes adoremus et osculemur ministerium sanctum, per quod Deus dignatur nobis loqui.

Vere enim sumus populus ille, sicut Moses de Iudaeis suis dicit, qui habemus Deum appropinquantem ad nos, et habitantem nobiscum, siquidem per tuum os loquitur mecum, et per meum os loquitur tecum, quin filius DEI ipse descendit in carnem, et factus est homo eo solo consilio, ut nos ad se invitaret, et nos spem conciperemus misericordiae, neque metueremus ab eo, sicut metuemus a Maiestate, quam natura nostra sustinere non potest, sicut scriptum est: 'non videbit me homo, et vivet.' Item: 'Deus ignis consumens est.' Induit igitur formam infirmam, nobis similem, atque ideo humanissimam, a qua tam non debemus metuere, quam non metuimus nobis a nobis ipsis. 2. Mose 33, 20 5. Mose 4, 24

Pertinent autem omnia haec contra naturae vitium insanabile, quod omnes respicimus ad opera et merita, et sic obliviscimur nos creaturas, Deum autem creatorem esse, et gratiam, qua sola salvari oportet, negligimus, huic malo ut succurreret Deus, misit filium in mundum, qui ostenderet patrem. Filius autem misit spiritum sanctum, qui ostenderet filium hominem et victimam pro nobis factum.

Quod Angelus repetit promissionem de gente magna, admodum necessarium fuit propter tam severam excommunicationem. Sic enim necessario cogitavit Hagar: ecce, cum filio eiecta sum, etsi igitur Deus promisit de duodecim ducibus, tamen, quia secuta est excommunicatio, poenitet eum beneficii, et periit promissio. Excommunicatio enim omnia aufert. Consolatur igitur eam Angelus, et promittit firmam fore promissionem, siquidem tantum eo consilio eiecta es, ut humiliareris, et disceres, quicquid habes te non habere iure aliquo, quod Abraham maritus tuus fuit, sed ex mera gratia. Hoc docendum et vestro exemplo toti mundo proponendum fuit. Haec est absolutio, quam sequitur consolatio etiam corporalis.

Et aperuit Deus oculos eius, viditque fontem aquarum, et abiens implevit lagenam aqua, et dedit puero bibere. 21, 19

Simplicissime describit Moses omnia: Dixi supra de stupore et *ἔκστασι*, in qua Hagar fuit, ut vicinum fontem non animadverteret: nunc autem verbo Dei ceu ex alto somno excitata et erecta aperit oculos, et videt fontem: Ac pedes tristitia animi prius fracti nunc faciunt offitium, accurrit enim ad fontem, et aquam haurit, qua moribundum puerum recreat.

Quod igitur dicit Moses Deum illi aperuisse oculos, aliud nihil est, quam quod Deus solvit stuporem animi per verbum suum, sicut Psalmus dicit: 'Converti animam per verbum', hoc est, recreavi animam, et quasi restitui. Nam in tentationibus gravioribus alienantur animi, ut nihil sentiant et intelligant. In comoedia[1] quidam dicit, se ita iratum, ut non possit Ps. 119, 25 [?]

[1]) *Terentius, Phormio 2, 3, 10.*

instituere animum ad cogitandum, quod si ira sic perturbat animum, quid non facerent stupores et extases, quas sensus irae Dei et aeternae damnationis adfert.

Animus, inquit Augustinus, magis est, ubi amat, quam ubi animat. Sicut apparet in amantibus, ita in magnis doloribus obruitur animus, et moriuntur quasi omnes sensus. Haec autem vis est verbi Dei, ut animos sic mortuos restituat vitae: verbum hominum hoc non potest.

Quod potat puerum, pertinet id quoque ad nos docendos de magnitudine tentationis: solet enim succus corporis exhauriri tristibus cogitationibus, ut lingua arescat, et totum corpus sentiat defectum humanum, animo doloribus ardente et aestuante, hinc sincope et alia tristia accidentia oriuntur.

21, 20. 21 Et fuit DEUS cum puero, et crevit, mansitque in solitudine, et factus est magister arcus: habitavit autem in deserto Pharan, et accepit ei mater sua uxorem de terra Aegypti.

Hactenus audivimus quomodo Ismael, postquam occisus et mortificatus est in deserto, receptus iterum sit in gratiam, et didicerit hanc propositionem: Filios esse, non qui nascuntur ex carne Abrahae, sed qui credunt promissioni. Requirit enim Deus supra nativitatem carnis propriam iustitiam seu personalem, quae contingit ex sola gratia, per solam fidem, Röm. 4, 2 ut scilicet cesset omnis gloria coram Deo. Romano[rum 4.

Pertinet autem hoc ad nostram consolationem et doctrinam, ne vel praesumamus de nostris donis, vel desperemus propter nostra peccata, sed ut incedamus media via: quia enim praesumunt, peccant in primum praeceptum, et in suo corde hanc Sathanae blasphemiam alunt, quod dicunt: ego sum mihi Deus. Qui autem desperant, peccant hi quoque in primum praeceptum, et blasphemant Deum: statuunt enim eum non esse misericordem, et divinitatis gloriam praecipuam ei adimunt.

Media igitur via est confiteri et credere, quod, sicut in primo praecepto dicitur, ipse sit Deus noster, nos creatura et opus eius. Non igitur desperemus: habemus enim Deum, neque ita praesumamus aliquid, sumus Isa. 40, 6 enim creatura, et, ut Esaias dicit, nihilum ac pulvis.

Quod textus dicit Deum fuisse cum Ismael, magnifica consolatio est, quae ostendit Deum humiliatis nobis aperire coelum, et copiose seipsum et omnia effundere: non solum enim reducitur Ismael in viam, ne pergat praesumere: sed humiliatus restituitur in Ecclesiam, ex qua propter praesumptionem eiectus erat, et ipse Deus se constituit eius custodem: gubernat eum: et benedicit ei, ac grata nunc habet, quae facit omnia.

24 quia *[Druckfehler] G*] Qui *H. I. K. Erl.*

Itaque Ismael sine dubio evasit in eruditum et doctum concionatorem, qui edoctus suo exemplo praedicavit Deum esse humiliatorum Deum: solere enim eum suos humiliare, non quod conterere velit, sed ut frangat blasphemam praesumptionem, nosque possimus capaces esse gratiae suae.

Hac occasione, postquam maritus factus est Ismael, perduxit ad Dei notitiam etiam uxorem, et uxoris cognatos ac parentes, instituit Ecclesiam inter gentes non circumcisas in similitudinem Ecclesiae Abrahae, divisam quidem personis et locis, sed agnoscentem et praedicantem eundem Deum, et idem semen promissum domui Abrahae.

Verbum 'crevit' non tantum est intelligendum de crescendo naturali (Fuit enim excommunicationis tempore annos natus plus minus viginti,) sed quod Deus fecit eum grandescere primum in verbo et donis spiritualibus, Deus enim, inquit Moses, erat cum eo. Deinde etiam temporaliter benedicendo, ut generaret duodecim duces, ac dubium non est ditiorem factum Ismaelem Abrahamo: ipse enim duodecim duces ex se natos vidit. Sed Abrahae posteritas non ita subito crevit, quanquam postea ex nepote Iacob duodecim tribus natae sunt.

Discimus igitur quam potens sacrificium sit cor contritum, et quam Deo gratus fumus seu incensum sit humiliatio. Vere enim Psalmus dicit, Ps. 145, 19
Deum facere voluntatem timentium se. Hi enim hostiam sanctam Deo offerunt. Qui vero praesumunt, hos abominatur Deus, non enim invenit apud eos inenarrabilem gemitum.

Horribile autem est, quod fere semper sic accidit, ut posteritas degeneret. Quo reciderit populus Israel, docent tot calamitates et captivitates, exercuit enim eos Ismaelitica praesumptio. Quia enim habebant verbum et templum, ideo erant securi, nec metuebant ruinam, et libere non solum peccatis indulgebant, sed etiam novos fingebant cultus. Idem accidit posteritati Ismaelis, quam videmus totam absorptam in gloria carnalis nativitatis. Ideo enim Sarracenos se et non Hagarenos appellarunt.

Fieri autem non potest, quin talis ruina sequatur, ubi doctrina haec abolita est, quod tantum ex gratia, et non ex natura simus filii: sequitur enim optima consequentia ex hoc antecedente illud consequens, quod natura omnes sumus filii irae, et, sicut Psalmus 51. affirmat, quod simus concepti Ps. 51, 7
in peccatis, hoc est, quod massa seminis, ex qua nascimur, sit vitiata peccato.

Sunt quidem excellentia in natura dona tum corporis, tum animi: sed quid Deus pronunciat? 'homo foenum est, et iustitia eius flos agri'. Jes. 40, 6
Haec doctrina ubi non est, ibi inflantur animi, et somniant sibi merita, gloriantur de sanguinibus, de carne et voluntate, sicut Papa: is enim, quia offitium habet, baptisat, distribuit Eucharistiam, virtute clavium absolvit, ideo se caput Ecclesiae esse gloriatur, sed frustra. Non enim, utcunque Apostolorum successorem se esse iactet, fidem Apostolorum retinet, et per

consequens Ecclesiae pars nulla est. Filii enim sunt non qui ex carne nascuntur, sed qui credunt. Quod igitur Ecclesiae nomen, claves et alia dona habet, concedo, sed non ideo habet spiritum Dei.

Moses dicit Ismaelem fuisse Rabinum seu magistrum arcus, hoc est, sagittandi peritum, id non intelligendum est, quod pulchre colimare potuerit, sed quod fuerit bellator strenuus: non enim, ut nunc, ad spectacula et ludos utebantur arcu, sed contra hostes: et adhuc Arabes bellicosi sunt, et arcubus utuntur, neque unquam penitus subiugati sunt ab ullo monarcha.

1. Mose 16, 12 Itaque angelus supra: 'manus eius contra omnes, et omnium manus contra eum'. Sicut enim non omnes oppressit, ita quoque non est oppressus. Rudimenta fortasse et tirocinium eius in solitudine fuit figere lepores, cervos, aves, sed textus ad propagationem imperii spectat. Relapsa igitur posteritas Ismaelis est in vitium patris obliti humiliationis.

Apg. 20, 29 Idem etiam nostris posteris accidet. Paulus actorum 20. dicit: 'ex vobis ipsis surgent lupi graves': sic hodie exorti sunt sacramentarii et Anabaptistae, qui initio appraehenderunt nostram doctrinam, sed postea verterunt insaniam et furorem in nos. Eadem enim sunt artificia Sathanae omnibus temporibus. Sarraceni, ut dixi, gloriantur de Ismaele, et non vident illam gloriam per excommunicationem redactam in nihilum. Gloriam volunt habere a maioribus, non spiritum, sic Iudaei quoque.

Sed conclusum est posteros oportere eundem spiritum, eandem fidem et promissionem habere, vel non sunt filii Dei. Me oportet habere fidem, et retinere confessionem, quam habuit Petrus, aut nihil sum, si etiam Papa sum. Sic Ecclesia habet diversa dona, sed est eadem fides, spes, charitas, quae conglutinat in uno capite Christo omnes credentes.

In fine meminit Moses deserti Pharan, ut significet eiectionem non fuisse institutam in perditionem Ismaelis. Pharan enim vicina est Beersabeae et Gerar, in finibus terrae sanctae, finitima tribui Iuda, sicut ex

4. Mose 10, 12; 13, 3, 26 libro Numerorum patet. Non igitur longo itinere ab Abrahae domo habitavit Ismael.

Igitur etiam vicinia ostendit Ismaelem reconciliatum esse cum patre Abrahamo et eius Ecclesia, quanquam posteri, ut fit, paulatim degeneraverunt.

Notandum quoque est, quod Moses diserte ostendit Ismaelem duxisse uxorem, non secutum suam voluntatem, sed authoritatem matris, ad exemplum omnium iuvenum et puellarum, ut parentum authoritatem praesertim in contrahendo matrimonio sequantur, nec contra parentum voluntatem indulgeant suis affectibus et cupiditatibus. Dederat Angelus mandatum ipsi Hagar, ut curaret filium, institueret et gubernaret. Igitur divina voce iubetur obedire matri, quae uxorem ei accipit ex terra Aegypti, ac filius, ut decet, matris iuditio et voluntati obsequitur.

Haec virtus a spiritu sancto hoc in loco commendatur, et benedicit ei Deus secundum promissionem quarti praecepti: 'ut sis longaevus super

terram'. Meminerimus igitur nos quoque nostri offitii, et ministeria hominum, quibus Deus ceu mediis utitur, non contemnamus, liberos vult regi authoritate parentum. His cum pares, certus es te Deo paruisse: Sic in Ecclesia constituti sunt Pastores, hos cum audis, Deum audis. Sic Magistratus divina authoritate praeest. Sathanae igitur artificium est, quod externa haec ministeria in contemptum adducit.

Verum quidem est, quod solus spiritus sanctus illuminat corda, et fidem accendit, sed hoc non facit sine ministerio externo, et sine externo sacramentorum usu. Ideo Paulus ad Damascum iubetur audire Ananiam. Sicut autem in Ecclesia nobis commendatur verbum, ita in oeconomia non dubitandum est, cum parentes audis, aliquid praecipere: Deum audis, et certus es de Dei voluntate. Sin autem a ministerio discesseris, et tuas opiniones fueris secutus, non solum nihil proficies, sed etiam Sathanam pro Deo appraehendes, et incertus eris de tuis cogitationibus, ex Deone, an ex Diabolo sint.

Fert igitur Ismael praemium amplissimum suae obedientiae, quod matris authoritatem in ducenda uxore sequitur, benedicit enim ei Deus copiose. Ubi econtra maledicit inobedientibus: sicut exempla docent: infoelicia coniugia esse, quae contra parentum voluntatem liberi ineunt.

Factumque est in illo tempore, ut diceret Abimelech et Phichol, 21, 22, 23
princeps exercitus eius ad Abraham, dicens: Deus est tecum
in omnibus, quae tu facis, et nunc iura mihi per Deum, ut non
inique agas mecum, et cum prole mea et nepote, sed iuxta
misericordiam, quam feci tecum, tu agas mecum et cum terra,
in qua peregrinatus es.

Haec nova tentatio est. Saepe enim dixi, Deum sanctos suos sic in hac vita mirabiliter ducere, ut subinde alia tentatio aliam excipiat. Sicut autem calamitates excitant ad orationem et fidem: ita, cum liberantur sancti, ad gratiarum actionem excitantur et praedicationem misericordiae. Faciendum tamen discrimen est inter illa fidei exercitia et ipsam fidem, sicut semper necessario differunt opera ab ipsa promissione et fide.

Tentatio igitur, qua hic Abraham excipitur, est pulcherrima et speciosissima virtus Diaboli, indomitum scilicet illud malum invidiae, quae semper piis plurimum negotii in mundo fecit. Causa autem invidiae est, quod Deus paraverat in Gerar hospitium Isaaco, ac rex liberam habitandi, ubi vellet facultatem Abrahae concesserat. Itaque cum omnia tranquilla et quieta sunt, et Abraham benedictione Domini crescit, invident ei tanquam exuli eam foelicitatem Palestini. Nam rex a Mose excusatur,

---

24 feci *G. H.*] fecit *I. K. Erl.*

qui adhuc memor somnii amicissime cum Abrahamo loquitur, eumque ut Prophetam Dei colit.

Auxit autem invidiam nomen Abrahae, norant enim Palestini ex ipsius regis iudicio, promissam ei terram Canaan, et benedictum semen Christum. Haec fama postquam in totam aulam et in vicinas Palestinorum civitates permanavit, tum demum palestinis intolerabilis fuit, cum seni singulari miraculo ex vetula uxore natus est filius, ibi statuerunt peregrinum hunc hoc agere, ut solus dominetur in terra Canaan.

Haec satis magna causa diabolo fuit, cur et odisset Abrahamum, et concitaret Palestinos ad invidiam contra ipsum. Sic enim vulgus solet. Potentiae et dignitati crescenti invidet, et cum nossent ex promissione Abrahamum futurum haeredem terrae, sibi et suis metuebant, ac tentabant consilia vel opprimendi exulis, vel impediendi. Huius consilii authores fuerunt, qui in aula regia primum tenuerunt locum. Non enim hoc nunc novum est, ut, cum principes et reges sint optimi, aulici tamen, seu, ut nos vocamus, consiliarii, fraudulenti, invidi, iniuriosi, avari et pleni doli et mendatii sint. Non igitur semper fit, quod boni principes iubent et volunt.

Nostri principes hodie fovent Ecclesias, et favent Ecclesiarum ministris: sed quid faciunt nobiles, cives et rustici? nonne conspirant quasi in odium ministerii? Sic Diabolus excitat membra sua contra pios, id quod statim in paradyso coepit.

Luctatur igitur Abraham hoc loco contra invidiam, ac ostendit animum fortem: scit enim omne vitae genus, quod ex Deo est, Sathanam odisse et turbare. Imperiti putant coniugium tale vitae genus esse, in quo nihil nisi voluptas et gaudium sit, sed innumerae molestiae et offensae, quae incidunt, requirunt fortem et patientem animum. Invenias alicubi pium aliquem rusticum, sed is exercetur invidia vicinorum, vulpes, lupi insidiantur pecori: familia negligens est, ignava et furax. Hic non solum materiam uberem bonorum operum talis rusticus habet, sed etiam occasionem discendae patientiae.

Idem Patriarchae Abrahamo accidit, laetus est de nato filio, quaerit ei commodum hospitium, ac Deus benedicit ei, et facit eum crescere multis opibus, ornat eum gloria sacerdotali, et contio de promissione terrae Canaan vulgatur per omnem Palestinam. Excitatur igitur invidia, et, ut infra sequetur, quotidianae rixae oriuntur propter aquam, qua non potuit carere, quis autem incommoda omnia, quae singulis diebus nova nata sunt, enumeraverit? foecundissima enim iniuriarum est invidia, discedit igitur ex Gerar, cessurus scilicet invidiae. Deo igitur hoc genus vitae gratissimum est, benefacere omnibus, et tamen sustinere invidiam, odium, iniurias diaboli et hominum.

---

4 iudicio *G. H. Erl.*] indicio *I. K.*

Quod ad historiam attinet, mihi non videtur, quod rex sua sponte vel proprio motu Abrahamum compellavit, sed proceres in aula dies noctesque fatigaverunt optimi regis aures, ne in praesenti periculo sterteret, et pateretur sibi eripi regnum ab exule: crescere enim eum, et aspirare ad regnum propter nescio quam promissionem: stabiliat igitur rex Abimelech regnum sibi et posteris suis. Illud autem rectius fieri non posse, quam intercedente religione iuramenti.

Huius consilii Phichol, dux regius, author fuit, ac magnificis verbis qualia aulicorum sunt, perpulit regem, ne videretur se et suos negligere. Hic enim aulicorum mos est, cum maxime videntur regum commodis inservire, suo commodo student, ut sibi authoritatem comparent. Rex non credens dolum subesse, nec ex invidia et odio profectum hoc consilium, simplici animo cum Abrahamo agit: Video, inquit, te crescere, et promissionem tibi factam impleri. Peto igitur abs te, ne in me et meos sis durior. Venisti ad nos exul, qua potuimus humanitate te tractavimus, idem, cum Dominus te evehet, abs te flagito, me, filium meum et nepotem meum ne expellas, idque iuramento confirmes. Sentit bonus rex, se non posse resistere promissioni: timet autem, quia iam natus erat Isaac, ne statim impleatur promissio. Exercuit autem pium regem cogitatio de posteris, quod sint degeneraturi. Deum igitur ingratis verbi contemptoribus maledicturum, et dignitatem regiam translaturum in alios, ideo contentus est: si filio et nepoti Abraham parcat.

Pertinet haec quoque historia ad consolationem et doctrinam. Habemus enim hodie nos quoque nostros Phicholitas aulicos, qui invidia et odio contra Ecclesiarum ministros ardent, et omnes vias obstruunt quibus nos crescere posse iudicant. Hoc enim ipsorum verbum est, sufficere victum et amictum[1], rock und kropff, et propter multas causas cavendum, ne ditescant ministri Ecclesiarum. Sed profecto accidet, ut, quod timent, ipsis invitis accidat, volunt nunc comparcere micas in alendo misero Lasaro, cum prius effuderint in epulonem omnes suas opes, dederunt enim Episcopis arces et civitates, et nimis splendide ac laute habuerunt eos. Nunc cum isti alendi sint: qui vere et fideliter docent, vix micas alioqui perituras eis concedunt.

Haec est perversa mundi sapientia, qua non solum sibi maledictionem accersit, sed etiam occasionem subministrat, ut, sicut antea creverunt opes Pontificiorum, ita adhuc hodie fiat. Papatus enim crevit, cum duae illae causae concurrerent, prima, quod ii, qui tenebant ministeria Ecclesiarum, natura erant ambitiosi, et implicabant se saecularibus negotiis tractandis. Secunda, quod nobilitas et magistratus erat ignavus, et fugiebat labores, indulgebat voluptatibus, et curam gubernationis relinquebat ministris Ecclesiarum.

[1]) *Sprichwort?*

Haec adhuc hodie sacrificulorum potentiam augebunt. Dum enim principes venantur, comessantur, ludunt, saltant, nec volunt componere causas, tandem parochis disciplinae custodia retinenda est. Sed hi varietate negotiorum saecularium obruti, abiiciunt necessario Biblia et studium sacrarum rerum. Non enim possunt simul Reipublicae et Ecclesiae servire.

Nos quidem diligenter interea docemus distinguendas esse administrationes illas: Politicam et Ecclesiasticam, sed frustra. Culpa igitur est non solum ambitiosorum Episcoporum, quod exaltantur sacerdotes et crescunt, sed ignavi magistratus, qui quidem vult esse in gloria et dignitate, ac merito, sed non vult laborare. Cum igitur ipsi offitium facere nolunt, qui ad id vocati sunt, ac defectus in imperiis seu morbi sunt perpetui, et requirunt medicum, si Pastores Ecclesiarum eam curam suscipiunt, hac via tandem ad dignitatem Pontificiam devenient.

Exhortandi igitur erant magistratus ad laborem, et ad molestias sustinendas, quas gubernandi ratio diligens secum adfert, Mundus enim vult gubernari, alius iniuriis, alius plagis, alius indigna contumelia afficitur: requirit igitur ceu in morbo medicinam, quod si isti in politia cessant, res devolvitur ad eos, qui sunt in Ecclesia. Sic ipsa negotia et laborum patientia provexit ad amplissimas dignitates Ecclesiasticas. Sunt autem non debilitatae solum hac ratione Ecclesiae, sed poenitus collapsae. Sero, aiunt, sapiunt friges, idem nostris quoque accidit, ante haec tempora nimium profuderunt in templa et Episcopos. Nunc etiam micas Lazaro invident.

Hoc malum sine insigni poena non abibit. Bonus Abraham non postulat possessionem civitatum in Palestina, relinquit eas regi suo, contentus est gramine et aqua pro se et pecore, quin cedit invidiae, et in loco vicino Beerseba habitat: sed invidia aulicorum ne id quidem ferre potest, cupit eum oppressum, et impeditam benedictionem, et non vident, quod, quanto largius Abraham omnes adiuvat, tanto benedicitur magis. Econtra aulici quanto dant parcius, tanto maledicuntur magis.

Sed sic comparatum est, qui Christo mendico nihil dant, hi dant superfluum epuloni, et qui esurientem non cibant, hi ipsi peribunt fame. Non libenter velim administrationem politicam denuo nostris imponere cervicibus, sed quia magistratus secure dormiunt, et suum munus aliis
Luk. 19, 40 permittunt. Igitur si tacuerint hi, clamabunt lapides. Implent hi multis iniuriis et iniustitiis mundum. Itaque necessaria est diligentis medici cura, qui morbos hos depellat.

Laudo igitur regem Abimelech eumque excuso, quod non proprio instinctu seu motu cum Abrahamo egerit, sed sic impulsus a principe militiae in aula sua. Signum enim est probitatis, quod a peregrino tam humiliter petit, ut velit in suos esse beneficus, non iubet, ut excedat terra, sed ut sacerdotem Dei reveretur.

21 friges *G. I. K.*] Phryges *H. Erl.*

[1]Quod Moses diserte dicit Abrahamum iurasse, id videtur esse contra 21, 24
Euangelii sententiam et Christi mandatum. Sed necessarium hoc exemplum Matth. 5, 34 ff.
est, quod Abraham non recusat iuramentum, et docet suo facto, moralia et civilia ista nec contemnenda, nec negligenda a sanctis praetextu religionis. Ac spiritui sancto agendae sunt gratiae, quod ita describit sanctorum patrum historias, ut sint exemplaria non solum fidei et superiorum virtutum, sed etiam in civili genere vitae contra insensatas statuas monasticas, quae omnem humanitatem et civilitatem exuunt, hoc scilicet pacto mortui mundo, et tamen vivacissimi in omnibus generibus viciorum. Dicit igitur Abraham vivum testimonium contra tales, quod scilicet vita civilis et actiones civiles Deo non displiceant.

Quod autem ad mandatum Christi pertinet: 'omnino non iurabitis', Matth. 5, 34
ea quaestio facillime dissolvitur, si causas inspicias, quas Moses in hac historia pulchre ostendit. Potest vere et simpliciter responderi, iustum non peccare, etiam cum iurat, sed gratum offitium facere Deo et hominibus, sed causarum explicatio facilior est. Efficiens causa est, quod Abraham non temere, sed a rege sic iussus iurat. Non enim detrectanda hic est Magistratus civilis autoritas, sicut stultum Anabaptistarum vulgus delirat. Convenit igitur iuramentum a Magistratu impositum cum mandato Dei, qui iussit magistratui obedire.

Altera causa finalis ostenditur etiam hic, ut hoc pacto pax inter familiam regis et Abrahae sanciatur: sicut enim sacra scriptura dicit: 'iuramentum est finis omnium controversiarum', hoc est, finit controversias Hebr. 6, 16
et lites, hoc quis negaverit sanctum et bonum opus esse?

Pertinet autem ad secundum praeceptum, qui enim verum iuramentum Magistratui deferunt, honore affitiunt Dei nomen, et veritatem ornant, suspitiones autem tollunt. Pii igitur benefaciunt, cum per iuramentum dant testimonium veritati. Contra impii nihil recte faciunt, quia semper habent annexum titulum: 'hi errant corde.'

Respondemus ergo ad quaestionem, qui temere iurant, et veritati non patrocinantur, horum iuramentum ex abundanti et malum est: ubi autem iuramentum servit veritati, et ad retinendam benevolentiam ac concordiam utile est, ibi recte iurare non est contumelia nominis Dei, sed honor, ut scilicet timeatur Deus, et maneat pax et tranquillitas.

Gubernat igitur etiam civiliter sanctum Patriarcham Dominus, et defendit contra invidiam, permittens, uti eum legibus et moribus civilibus, et ut se usitatis ritibus hominum accommodet ad servandam pacem publicam. Non enim resistit in hac parte Philosophiae et legibus scriptura

---

[1]) *Die folgenden Ausführungen beziehen sich auf v. 24:* Dixitque Abraham: Ergo iurabo. *In allen Drucken ist es unterlassen,' den Wortlaut des Verses, wie sonst üblich, an die Spitze zu stellen.*

sancta, sed confirmat eas, et ex iuramento ceu sacramentum quoddam facit, siquidem coniunctum est cum nomine Dei. Et pertinet ad reconciliandos animos et tollendas lites ac suspiciones.

21, 25. 26 Et redarguit Abraham Abimelech super causa fontis aquae, quem vi abstulerant servi Abimelech, et dixit Abimelech, nescio, quis fecerit rem istam, nec tu indicasti mihi, et ego quoque non audivi, nisi hodie.

Hic aliud exemplum civilis vitae proponitur. De magistratu et eius dignitate scripsimus satis copiose, certum enim est, quod Euangelion leges civiles et obedientiam magistratui debitam non tollit. Magna igitur adversariorum non solum impudentia, sed etiam scelerata malitia est. Cum scripta nostra contraria loquantur, quod nos seditionis accusant.

Quomodo igitur excusabimus Abrahamum, qui hoc in loco videtur regem non pro dignitate tractare? siquidem redarguit eum violati foederis, cum tamen pius rex perseverans in sua pietate sancte testetur, se nihil omnium, quae adversa Abrahae acciderint, nosse. Potest dici implorasse eum regis opem, idque sine cupiditate. Sed infirma haec excusatio est: quin sunt haec exempla communis vitae, in qua etsi impingimus varie omnes, tamen piis talia errata condonantur. Decipitur Abraham suspitione, quod putat, conscio rege et authoritate regia sibi ademptum fontem contra foedus, sic supra cum Saram negat uxorem esse, sed sororem, impingit etiam: sed non peccandi voluntate, metu et timore tale consilium instituit. Melius quidem fuisset non increpare regem, sed suspitione occupatus non potest aliter cogitare, quam regem facti huius conscium esse. Et sane magistratus non sic debet negligens esse sui offitii, ut, quid sui peccent, nesciant: etsi enim etiam pius resciscere omnia suorum facta non potest, sed multa cogitur ignorare, tamen peccato non caret.

Ergo, inquis, uterque culpandus est: Abraham propter suspitionem, et quod regem durius tractat, et rex propter negligentiam offitii? Ita sane: vult enim Deus nos habere peccatores, ut non superbiamus, sed
Ps. 19, 13 canamus cum Davide: 'ab occultis meis libera me, Domine', item: 'Delicta quis intelligit?' Ac utile est scire, quod tale offitium geras, cui ubique satisfacere impossibile sit, qui aliud statuent, superbiunt, et per superbiam gravissime impingunt. Solent autem hoc fere isti facere, qui novitii ad gubernationem accedunt. Hi enim sicut imperiti sagittarii longissime a scopo aberrant. Voluntas igitur boni magistratus non est, quod nocere velit. Huc consilia omnia dirigit, ut prosit suis, sed servi et Consiliarii, quorum opera cogitur uti, quod solus tot negotiis sufficere non possit, multa faciunt sub nomine principum, quae si scirent: non paterentur. Sic a familia multa peccantur, quae ignorat herus.

Idem etiam sanctis accidit. Exercentur non solum poenis et tribulationibus multis, sed etiam implicantur saepe in offendicula lapsus et erroris: sed discendum est, quod non ideo pereunt: modo voluntas sincera et pura sit, ac absit ignavia. Si enim privati non possunt sine peccato vivere, multo minus id poterunt, qui in magistratu sunt. Videat tamen unusquisque, ut non adsit mala voluntas, et absit adfectata ignorantia.

Implorat igitur Abraham magistratum, sed cum increpatione: sic enim cogitat: Rex iste sic debebat imperare, ut haberet obedientes servos, qui essent pactorum custodes etc. hic certe mala voluntas non fuit. Experimur autem nos hodie idem fieri in aulis principum. Saepe mihi hoc accidit, ut, cum a principe cum bona gratia aliquid impetrassem, intervenere aulici Picholes, et impediverunt, ne fieret, quod princeps iusserat. Si igitur privati non possumus omnia peccata vitare, orandum tanto diligentius est pro magistratu. Habet enim magnum corpus, cuius membra rebellia et multis modis vitiosa sunt.

Porro praeter hoc peccatulum, quod Abraham committit male de rege suspicans, locus hic notandus est etiam contra Anabaptistas, quod liceat contra iniurias magistratus auxilium implorare. Bonum quidem esset, ut Magistratus sua sponte offitium faceret, nec expectaret, donec imploraretur eius auxilium, sed pauci hoc faciunt, et ne quidem crebris supplicationibus ad debellandas iniurias impelli possunt.

Tales sunt ex illorum numero, de quibus supra dixi, quod optent gloriam, reverentiam et obedientiam, gaudent se appellari Deos: sed si mores et vitam aestimes, sunt Diaboli et Tyranni, habentes non solum realia, sed etiam personalia peccata. Talis Abimelech non fuit, qui peccat ignorantia. Talia peccata excusanda, et oratione coram Deo levanda sunt, non exagitanda, multo minus concitandae ideo seditiones: peccat Abimelech non solum sicut homo, sed etiam sicut Magistratus. Non enim potest scire, quid ubique a suis fiat: et tamen est hoc peccatum coram Deo, ut scilicet nemo superbiat. Soleo igitur hoc peccatum comparare cum peccatis legalibus, seu ceremonialibus potius.

Pertinet autem ad consolationem nostram, ne cogitemus fuisse sanctos viros statuas monasticas, mutas et sine sensu: Haec enim offendicula arguunt fuisse homines, et habuisse passiones similes nobis, spirituales quidem fuerunt, sed tamen vixerunt in carne.

Quod igitur Abraham implorat regis auxilium propter raptum fontem, clarum exemplum est, quod liceat nobis quoque implorare auxilium magistratus, et uti eius defensione: quam scilicet leges et usus fori permittunt: quod si Magistratus ope sua nos destituit, ferenda est iniuria: sciendum tamen, saepe peccare etiam bonos: etsi enim voluntas non desit, tamen saepe deest cognitio, quanquam voluntas quoque in multis infirma est.

Honorandi tamen sunt, et ferenda incommoda: sed in quibus perversa voluntas est, in his detestanda est malitia, et sunt redarguendi.

Abimelech pulcherrime se excusat: ‘non cognovi, inquit: non audivi, nec tu indicasti.’ Nam pius Magistratus non offenditur admonitione, sed requirit, ut indicetur a subditis, si quid peccatum alicubi est. Quomodo enim scire potest, quid ubique agatur? Qui autem superbi sunt, et offenduntur iuditiis ac admonitionibus subditorum, quasi dedecus sit ignorare aliquid, hi parum memores sunt suae conditionis, neque unquam humiliantur coram Deo, nec invocant Deum, talia peccata ut condonet.

Est autem, ut dixi, inevitabile peccatum Magistratus ignorantia, et tam innatum Magistratui, quam omnibus innata est concupiscentia, sine qua certe nemo vivere potest. Agnoscant igitur singuli defectum suum: ita enim fiet, ut humilientur, et non solum implorent auxilium Dei, sed etiam exposcant veniam occultorum peccatorum.

Praeclare igitur Bernhardus ad Eugenium Papam scribit. Multa cogeris ignorare, et multa cognita dissimulare. Ignorantia est error in voluntate, qua toleramus ea, quae non volumus. Abimelech quidem rex est, sed non scit omnia, quae subditi faciunt: haec enim laus non hominis, sed solius Dei est, qui omnia scit, et falli non potest. Hanc laudem superbi tyranni sibi usurpant, qui admoneri nolunt.

Sciendum igitur, quod ipse Deus, deinde etiam ipsum ius postularit, ut magistratui indicemus, si quid publice peccatum est: sicut enim magistratus ignorando peccat, si peccant subditi non indicando. Retorquet igitur Abimelech culpam in Abrahamum, quod non citius detulerit ad se aulicorum iniurias, et revera Abraham in culpa aliqua est: non tamen prorsus iniustus eius motus est, vidit regum animos mirabiles et mutabiles esse, nam sunt in offitio mirabili, et res, quas gubernant, sunt mutabiles. Cum igitur affectus esset iniuria ab aulicis, suspitione hac carere non potuit regem conscium esse.

Sic uterque bene humiliatur, Abrahamus suspicando, et non indicando. Abimelech autem ignorando, ne enim sineret Abraham errare regem, admonere debuit. Id charitatis offitium fuit. Iuste igitur queritur Abimelech, Abraham nihil indicasse, nec se a quoquam quicquam audivisse. Quam perversa igitur hodie res est, quod fere omnes necessarium hoc offitium magistratui negant. Si enim de cuiusquam peccato ad magistratum referas, proditoris nomine ab omnibus appellaris: peccatum igitur illud pro heroica virtute celebratur, nihil magistratui indicare, quid enim hic faciat rex, si tu indicare recusas, quod nescire ipse cogitur, nonne videtur innocens et excusatus?

Vult tamen Deus implicatum eum peccato ignorantiae, ut agnoscat se non habere universalem gubernationem, quae homini impossibilis est

7 iudiciis] indiciis *Erl.*

propter ignorantiae peccatum, sed partialem, et Deum agnoscat universali gubernationi praeesse: is enim est, qui habet universalem oculum, et intuetur omnia ac nihil ignorat, sed magistratus utcunque bonus habet tantum partialem oculum.

Adiuvandus igitur est, et quando aliquid publice peccatur, concurrere omnes debent, tanquam ad commune incendium restinguendum. Debent enim singuli pro suo modo adiuvare rempublicam.

Sic describit sanctos spiritus S. in praedicamento actionis et passionis, quod secuti sint civilem hominum consuetudinem, deferendo iuramentum magistratui, et implorando auxilio eius, ac passi non solum iniurias aliorum, sed etiam, ut sic dicam, culpas et ignorantias suas, ne scilicet deesset occasio orandi: sanctificetur nomen tuum. O Deus, cur enim me facis magistratum? cur contionatorem? cum scias me satisfacere non posse voluntati tuae: sed ades tu adiutor, adsunt etiam angeli tui, tu autem vis hoc modo superbam meam cervicem humiliare, ne scilicet me tibi aequem, qui es iustus, et omnia scis etc.

Notabilis hic locus est de implorando magistratu et indicanda rapina: quanquam hoc posterius pauci praestant, nemo enim vult subire invidiam vicinorum, nobilium, potentum, sed statuendum erat hoc nostro offitio valde indigere Magistratum, alioqui suum offitium facere non potest. Quod si indicasti iniuriam, nec tamen a magistratu adiuvaris, feras incommodum, et scias te sine culpa esse, ac fecisse, quod debebas. Non autem carebit poena sua negligens Magistratus.

Et tulit Abraham oves et boves, ac dedit Abimelech, et per- 21, 27–32
cusserunt ambo foedus, et Abraham statuit septem agnas ovium seorsum. Dixit autem Abimelech ad Abraham, quid volunt sibi septem agnae istae, quas statuisti seorsum? Respondit, quoniam septem istas agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quod ego foderim puteum istum. Ideo locus ille vocatus est Beerseba: quia uterque ibi iuravit, et percutiens foedus in Beerseba surrexit Abimelech et Phichol, princeps exercitus eius, et reversi sunt ad terram Philistim.

Pergit Spiritus sanctus in describenda idaea sancti patriarchae: foedera et pacta non sunt opera erga Deum, quibus indigeat, sed de rebus temporalibus et humanis, quibus etiam sancti miscentur: si quis igitur scire cupit, quomodo se gesserit Abraham in rebus civilibus, Historias diligenter inspiciat, non fugit civilia offitia, non detrectat iuramentum, reveretur regem, implorat eius opem etc. Rex quoque pro sua erga Prophetam Dei pietate sponte iuramentum defert, tandem uterque iuramentum confirmant

8 spiritus S. *G. I. K.*] spiritus sanctus *H. Erl.*

tanquam sigillo. Abraham regi donat oves et boves, rex donum eius non contemnit, hoc ceu sigillo confirmatur pactum, non ut nunc in more verbosae literae componuntur, utrinque contenti sunt conceptis verbis iurare, postea additur reale signum, donatio.

Haec simplicitas veterum in contractibus admodum iucunda est, nosque admonet, quantum degenerarint mores ferrei nostri saeculi, in quo nulla pactorum fides, nullae syngraphae, nulla sigilla satis sunt, fraude eluduntur, et vi turbantur omnes contractus.

Duo autem facit Abraham, primum donat oves et boves. Deinde seorsum donat septem agnas, non quod rex tali munere indigeret, sed Abraham vult hoc modo publice testatum facere apud omnes subditos regis, hunc fontem suo labore factum esse.

2. Mose 23, 8 5. Mose 17, 19 In lege prohibita sunt munera: sic enim textus dicit: ‘non accipies munera.’ Item: ‘munera excaecant et corrumpunt iudices’, quin etiam gentilium literae damnant munera tanquam singularem imperiorum pestem. Quomodo igitur excusabimus Abrahamum offerentem, et regem accipientem?

Respondeo sicut supra. Pius quicquid facit, recte facit, etiamsi errat, habet enim cor rectum, in quod praecipue intuetur Deus. Contra impius, etiam si opus, quod facit, per se bonum est, tamen Deo non placet, quia errat corde, hoc est, neque agnoscit Deum, neque credit Deo, neque timet Deum.

Consideranda autem hic quoque est causa finalis, si munera dantur eo consilio, ut suspitiones, invidia, discordia amoveantur, et ut concilietur benevolentia et pax, recte numerantur inter bona opera: quid enim suspicari mali de Abrahamo rex potest, cum tam liberaliter eum donet, profecto nocere non vult, qui in alium liberalis est. A bono igitur viro honestum est, ut accipias munus. Dat enim puro corde, non ut te sibi obnoxium reddat, non ut causam iniustam per te obtineat, sed ut hoc modo alat mutuam benevolentiam. Sic sponsus dat munera sponsae ad testandum amorem et alendam benevolentiam. Summa igitur offitia sunt, et ad hanc vitam valde necessaria, sic largiri et accipere munera: sed qui hoc modo vel accendunt discordias, vel corrumpunt iudicem, et iuditia pervertunt, hi abutuntur muneribus, et sequenda est regula, quam proverbium proponit: nec omnia, nec ab omnibus, neque semper. Sicut enim incivile est, aversari amici munus, ita etiam honestum est in causa mala a muneribus abstinere.

Quod textus narrat de septem agnis, et copiose eam ceremoniam describit, certo consilio fit. Rex est homo sanctus. Phichol autem et reliquum aulicorum vulgus sunt mali, invidi, avari, furaces, rapaces etc. Omnes enim aulae semper hac infoelici appendice maculatae sunt, quod habent Doëgitas, qui impediunt, ne fiat, quod rex statuerit, aut ignorante

rege contrarium faciunt. Abraham igitur ut vir politicus vult, placationem cum rege institutam muniri a rege iuramento, ut scilicet hoc modo aulicorum vulgus absterreatur, ne deinceps tale aliquid ignorante rege audeat facere.

Iucundum autem est videre, quam civiliter Abraham hic se gerat, apertis verbis non audet hoc a rege exigere, ut iuret, est enim peregrinus. Abimelech autem rex est, ideo cum incivile esset, tanquam ab inaequali exigere iuramentum, singulari prudentia et civilitate Abraham utitur, statuit septem agnas seorsim: rex interrogat, cur id faciat, cum iam antea percussum foedus sit? Respondet Abraham, et rogat, ut eas accipiat, non propter te, inquit: sed propter aulicos tuos, Phichol et alios, qui fortasse denuo tentabunt rapinam, et concitabunt nova iurgia. Hoc igitur, ut in posterum caveas, volo, ut publice mihi iures, quanquam hoc exigere non audeo, tamen istis septem agnis ceu rudibus literis postulo.

Observandum autem hoc loco est, Haebraeum vocabulum (*Seba*) esse aequivocum. Utrunque enim significat septem et iuramentum, sicut in Germanico vocabulum hutt et pileum et custodiam significat. Vocabulum rad consilium et rotam significat. Hoc igitur in loco vocabulum *Seba* utrunque significat, iuraverunt ambo, et, ut sic dicam, septimaverunt ambo. Item statuit seorsim agnas septem: aperte igitur indicat Abraham, etsi iuramentum non postulet, tamen cupere se, ut iuret rex.

Singulari igitur sapientia et pulcherrima insinuatione extorquere vult regi iuramentum, cum aperte id postulare esset incivilius. Oves proponit septem, et quia vocabulum *Seba* utrunque significat, septem et iuramentum, intelligit Abimelech, quae sit Abrahae voluntas. Sicut si mutus aliquis ad me veniret, ostentans rotam, hic mihi facile est propter aequivocum vocabulum divinare, quod requirat consilium. Vocabulum enim Germanicum rad rotam et consilium significat. Ad hunc modum per septenarii numeri vocabulum admonet Abraham de iuramento. Fuisset enim impudentia aperte postulare iuramentum a persona superiore. Hinc etiam apud Germanos puto esse hunc morem, ut in condendis testamentis utantur septem testibus, et septimandi verbum usurpatur pro certo testimonio. Sic enim loquimur, man muß ims beſtbnen, hoc est, tam est incredulus, ut nisi septem testes audiat, non credat.

Singulare igitur hoc exemplum est reverentiae erga magistratum, quod sic arte tractat regem. Regis quoque singularis clementia est, quod cedit Prophetae, et non recusat iuramentum, admonitus hac figura.

Fuit autem Aegyptiis prae aliis gentibus in more, per imagines seu picturas loqui, sicut extant apud Philostratum *ἱερογλυφικά*, locuturi de Iove pingebant sceptrum superne habens oculum, sicut adhuc Mathematici

---

15 (*Seba*)] שֶׁבַע *39* Philostratum] *alle Drucke haben* Philostrotum.

Iovis nomen scribunt. Sceptrum enim significabat eis propter rectitudinem iustitiam. Oculus autem prudentiam. Hoc enim si destituta sit iustitia, fit iniustitia sicut proverbium testatur: Summum ius, summa iniuria.[1] Talibus literis prisca saecula usa sunt.

Pertinet igitur ad doctrinam haec diligens descriptio, ut discamus, quomodo sancti Patriarchae se gesserint in rebus civilibus, quam reverenter tractarint magistratum, et quam clementer magistratus complexus sit subditos, et quid potest haec vita habere pulchrius, quam magistratum iustum, et subditos amantes sui principis? ibi revera paradysus est, ibi mandavit Deus benedictionem. Sed si Magistratus caecus et iniquus est, plebs autem mala et indomita, quod mali genus non invenias?

Moses dicit, ab hoc pacto inditum loco nomen *Beer Seba* id est, fons septem, seu fons iuramenti, quod factum est per septem agnas. *Seba* enim utrinque significat, septem et iuramentum. Haec ceu civilia, seu moralia voces, diligenter notanda et consolationis plena sunt, ne cum Anabaptistis cogitemus Christianos abiicere debere communia civilis vitae opera. Non enim sic Deus condidit Ecclesiam, ut aboleret vel oeconomiam, vel Politiam, sed potius per Ecclesiam confirmat eas. Ideo Abraham, pater promissionis et rex regum in hac terra, non dedignatur iurare, et inire pactum cum rege et aula illius.

Non igitur praetextu religionis politica offitia recusanda sunt aut fugienda, sicut Monachi faciunt, qui ideo se abdunt in monasteria, ne cuiquam serviant: Caecum hominum genus et traditum in reprobum sensum, ideo neque primam neque secundam tabulam curat. Ferunt autem praemium dignum suae impietati, dum vitant oeconomicas et politicas molestias, immerguntur in deterrima et foedissima vitia, plus quam ulli, ut vocant, saeculares.

Prudenter igitur inspiciamus divinas ordinationes et exempla sancti Patriarchae Abrahae, qui de omnibus rebus Ecclesiae abunde nos docuit, et specimen pietatis suae praebuit non solum in Ecclesiastico vitae genere, tanquam Propheta Dei, sed etiam in Politicis et oeconomicis. Oportet enim esse gubernatores in hac vita, nec est posita Ecclesia ad subvertendam oeconomiam et politiam, sed ad instaurandam. Sed etiam reges sui offitii non obliviscantur, sint iusti et clementes erga subditos: subditi quoque eis obediant, sed hoc tempore optare licet, habere non licet. Miror autem locum *Beerseba* non esse celebratum a Iudaeis insigni quadam Idolatria, sicut alia loca, in quibus sancti Patriarchae vixerunt. Nobis haec doctrina satis sit, quod scimus pios etiam cum civilia offitia subeunt servire Deo.

---

12 Beer Seba] בְּאֵר שֶׁבַע *14* utrinque *G. K.*] utrunque *H. I. Erl.* ceu *G*] seu *H. I. K. Erl.*

[1]) *Cicero, De officiis 1, 10. 33.*

Et plantavit arbores in Beerseba, et vocavit ibi in nomine 21, 33. 34
DOMINI Dei aeterni, et peregrinatus est Abraham in terra
Philistin multis diebus.

Quoties particula haec ponitur, vocasse seu clamasse Patriarchas in nomine Domini, seu aedificasse altare, significatur certum locum constitutum esse ad docendum et audiendum verbum Dei, si enim servanda est Ecclesia, oportet aliquem bonum principem esse, qui praebeat hospitium, ac concedat spacium et pacem, ut propagari doctrina et cultus Dei possit. Talis tum fuit Abimelech, sub quo domus Abrahae, in qua Ecclesia fuit, pacem et tranquillitatem habuit, et verbum in Gentes propagatum est per Papam seu Episcopum Abrahamum, qui, quocunque pergit, trahit secum verbum, cultum, religionem et omnia.

Meminit hic quoque Moses civilis seu oeconomici operis, quod plantaverit nemus. Vocabulum enim (*ESCHEL*) generale est, sicut apud nos arboris nomen, ut intelligas, non tantum hortum consitum fructiferis arboribus, sed etiam arbores silvestres pro commoditate pecorum.

Quare, inquit Monachus, haec scribit Moses: cur non potius scribit de ieiuniis et orationibus et duro vestitu? sed, ut saepe dixi, facit hoc Moses contra monasticas statuas, quae mandata Dei negligunt, et incedunt in electitiis religionis cultibus, tales non vident mandatum Dei: 'Subiicite 1. Mose 1, 28
vobis terram, et colite eam'. Voluntas enim Dei haec est, ut plantetur et colatur terra, non tantum propter homines, sed etiam propter pabula bestiarum.

Est igitur hoc quoque civile, sed bonum et sanctum opus, non licitum solum, sed etiam divinitus mandatum, ut nobis et posteris, addo etiam bestiis provideamus colendo terram, ne simus Monachorum similes, qui ceu ignavi fuci et erucae nihil laborant, sed tantum aliorum labores vorant, ac contumeliis etiam laborantes conscindunt, dum vocant hoc divinitus mandatum opus Laicale et rusticanum.

Abraham sanctior est omnibus sanctis in novo testamento, et tamen hoc Laicali opere occupatur, non solum propter peregrinos adventantes, ut umbram habeant, sub qua consideant, sicut Lyra exponit, sed domesticam necessitatem, ac praecipue propter mandatum Dei: 'subiicite vobis terram, et colite eam'. Accedit tertia quoque causa, ut in uberiore proventu etiam elemosinas dare possit.

Interim praecipuum suum munus exercet, aedificat templum, non ut nos ex lapidibus, sed locum constituit, in quo praadicat in nomine, vel

---

3 Philistin *G. H.*] Philistim *I. K. Erl.* 14 (*ESCHEL*)] אֶשֶׁל 35 elemosinas *G. I. K.*] eleemosynas *H. Erl.*

per nomen Domini. Haec phrasis significat docere et praedicare, quando adiecta est litera *Beth*. Quando autem litera *Beth* non additur vocabulo *Schem*, sed simpliciter ponitur invocare nomen Domini, ibi significat orare seu invocare.

Observandum autem est novum nomen Dei hoc in loco, vocavit, inquit, seu clamavit in nomine DOMINI, (*ELOLAM*) Dei saeculorum seu mundi, vocabulum enim (*Olam*) aequivocum est, significat enim saeculum seu aeternitatem et mundum. *El* autem etiam creaturis applicatur, et in Mose saepe dicitur de praestantissimis et optimis fructibus, et fere exponitur pro fortitudine.

Mihi igitur placet hoc in loco dici Deum (*El Olam*) quasi dicas potentiam et virtutem mundi, implentem omnia in mundo, sicut apud Poëtam[1] est: A Iove principium musae, Iovis omnia plena: quam vocem sine dubio hausit ex antiqua traditione patrum. Quicquid enim habet mundus, existit et servatur divina voce. Deus enim condidit mundum, et conservat mundum, ita hic (*El Olam*) Deus est virtus mundi, per quem mundus est, et potest, quicquid potest.

Hoc nomen Abraham Deo tribuit, doctus sua experientia. Vidit enim Deum praesenti auxilio adesse suis, ita ut etiam cor regis et procerum inclinet, quo velit. Imo qui fingat sigillatim corda, hoc est, qui det omnibus consilia et motus ad faciendum ius et rectum. Excipitur tamen hic peccatum, cuius Deus autor non est. Actionum omnium dicimus esse autorem, quae iustae sunt, peccatum autem non est actio, sed privatio.

Caput XXII.[2]

22, 1. 2 Factum est autem post negotia haec, Deus tentavit Abrahamum, et dixit ad eum: Abraham: Qui respondit: ecce ego, et ait, tolle nunc filium tuum unicum, quem diligis, Isaac: et vade ad terram Moriia, et offeres eum ibi in holocaustum super unum montium, quem dixero tibi.

Audivimus insignem illam tentationem, qua tentatus est Abraham in eiectione filii Ismael, eo eiecto pax concessa est sub rege Abimelech: subiit autem tum alia tentatio longe maxima, prae qua priores fere nihil

---

2 *Beth*] ב 3 *Schem*] שֵׁם 6 (*ELOLAM*)] אֵל עוֹלָם

[1]) *Virgil Bucolica (Eklogen) 3, 60.* [2]) *Am Rande steht folgende Notiz*: Incepit hoc caput Lutherus anno XXXIX die Octobris vigesima septima, cum pridie sepultus esse Clariss|imus et opt|imus vir D|octor Sebaldus Munsterer Noribergensis, et paulo ante eum duo optimae spei adolescentes: Geuderi, patritii Noribergenses. Fecit igitur initium lectionis in hunc modum. Non ideo lego quod cupiam vos hoc tempore hic

sunt. Sic scriptura sancta ubique sibi consonat, et veros Dei filios describit perpetuo exercitatos in utroque vitae genere, activo et passivo, sine ulla tamen specie ceremoniarum, ostendens scilicet bonos fructus in bona arbore. Ambulant enim in debita obedientia erga Deum et charitate vera erga homines, et tamen variis tentationibus et periculis excipiuntur.

Quia autem Abraham primus et maximus inter sanctos patriarchas est, ideo patitur vere Patriarchales tentationes, quas posteri non potuissent ferre. Abraham iam laetus et fidens in magna securitate est, adolevit enim iam filius promissionis Isaac, ac fuit annorum plus minus viginti corpore sic firmo, ut sustinere onus lignorum posset, quibus ad holocaustum opus erat.

Cum igitur uterque parens impense amarent eum, quod in senectute, esset eis natus, et promissionem divinam haberet de futura benedictione totius mundi, atque ideo in summa laetitia essent ambo, ac pax in domo, eiecto Ismaele, et extra domum, reconciliato rege constituta esset, ac iam solliciti parentes de uxore deligenda cogitarent, ut scilicet mature semen promissum suscitaretur. Ecce autem pulcherrima haec consilia, et cogitationes parentum suavissimae de maritando filio unico verbo evertuntur et perturbantur, quod Dominus iubet, ut ipse Abraham tollat filium et mactet.

Longe igitur gravius Abrahami cor hic vulneratum est, quam supra in eiiciendo Ismaele, sed nos magnitudinem huius tentationis assequi non possumus. Ratio est, quia Isaac habuit promissionem futurae benedictionis, tanto igitur acerbius fuit mandatum de occidendo eo.

Singulariter autem observandum hoc in loco est verbum tentandi: non enim otiose positum est, nec debet ita tractari frigide, sicut Iacobus in primo capite tractat, adfirmans neminem tentari a Deo. Scriptura Jak. 1, 13
enim hic diserte dicit vere ab ipso Deo tentatum Abrahamum, non de muliere, de auro, de argento, nec de morte, nec de vita, sed de contradictione scripturae sanctae. Deus enim manifeste hic sibi ipsi contradicit: quomodo enim conveniunt haec: ‘in Isaac vocabitur tibi semen’, et: ‘tolle 1. Mose 21, 1
filium tuum, et macta eum’. Non dicit venturum latronem aliquem, et clam abducturum filium, ibi enim spem retinere potuit Abraham de vita filii et restitutione, sed ipse iubetur esse author caedis, ne scilicet dubitet, Isaac vere occisum esse.

---

retinere, quo timetur periculum pestiferae luis, quod si pestis imminet, fugiat qui volet, ac praecipue isti, qui sunt pavidi. Hos enim scriptura sancta iubet excedere castris, ne faciant pavere corda fratrum. Ego quidem grassantem luem hoc tempore non metuo, sed iudico pavorem praecipuam huius mali causam esse. *Vgl. dazu Unsre Ausg. Bd. 42, VIII. Luther bewies seine Teilnahme bei dem Tode des juristischen Professors Sebald Münsterer auch dadurch, daß er dessen Waisen in sein Haus nahm; vgl. Köstlin-Kawerau II, 437; Buchwald, Univers.-Geschichte Nr. 175; De Wette 5, 218.*

Hic igitur an non murmuraret contra Deum, et cogitaret: non hoc Dei mandatum, sed Sathanae dolus est? Nam promissio divina certa, clara, indubitata est: 'ex Isaac habebis semen.' Quomodo igitur iubet Deus occidi eum? sine dubio poenitet Deum promissionis, alioqui sibi non contradiceret, vel ego insigne aliquod peccatum commisi, quo Deum graviter offendi, ut retractet promissionem.

Sic enim natura solemus omnes, quando corporalis aliqua afflictio nos urget, mox adest conscientia, eam exagitat Diabolus colligendis omnibus circumstantiis. Anxium igitur cor circumspicit, et cogitat, qua nam re maxime offenderit Deum. Inde nascitur murmur contra Deum, et summa tentatio, odium Dei.

Sic Abraham quoque cogitavit: Ecce promisit et dedit mihi filium Dominus. Laetus igitur sum factus, et quasi vivificatus denuo, sed forte ex hoc dono nimis superbivi, nec Deo tam fui gratus, ut debebam, poenitet igitur eum promissi etc.

Haec tentatio non potest vinci, et longe maior est, quam a nobis possit compraehendi. Est enim contradictio, qua ipse Deus sibi ipsi contradicit, hoc carni impossibile est intelligere: necessario enim cogitat, vel mentitur Deus, quod blasphemum est, vel odit me Deus, quod desperationis est occasio. Non potest igitur hic locus pro rei magnitudine explicari.

Nos saepe tentamur cogitationibus desperationis, quis enim homo est, qui ista cogitatione carere possit? quid, si Deus non vellet, te salvari? Docemur autem in hoc certamine appraehendendam promissionem in baptismo nobis factam, quae certa et clara est, sed hoc cum fit, non statim cessat Sathan, sed reclamat in corde tuo, te non esse dignum ista promissione.

Est autem hic opus ardenti oratione, ut det Deus spiritum suum, ne extorqueatur nobis promissio. Ego contradictionem istam non possum solvere. Unica enim nostra consolatio est, quod in afflictione confugimus ad promissionem, ea sola baculus et virga nostra est, quem si nobis Sathan ex manibus excutit, nusquam manere possumus. Sed promissio retinenda est, et statuendum, quod, sicut de Abrahamo textus dicit, tentemur a Domino, non quod revera Deus hoc velit, sed quod experiri vult, an eum diligamus super omnia, et possimus eum iratum sic ferre, sicut libenter ferimus benefacientem et promittentem.

Sicut Abraham credere non potuit, se tentari tantum, alioqui certus mansisset de promissione, cogitasset, Deum facere, sicut nonnunquam parentes solent, cum tentant liberos, et vel poma, vel tale aliquid eripiunt, quod mox eis reddunt, sed Deus cum iubet filium tolli, nullam spem relinquit, sed simpliciter ducit Abrahamum in contradictionem, et Deus, qui antea summus amicus videbatur: nunc videtur factus inimicus et Tyrannus.

Gravius igitur tentatur Abraham, quam Maria Hierosolymis amittens filium, etsi enim ipsa quoque cogitavit se dare poenas negligentius custoditi filii, tamen certam adhuc retinuit spem de eius vita. Hic autem Deus, qui dederat filium, iubet, ut filius occidatur ab ipso patre. Quid igitur sperare potuit pater? Hoc profecto non potuit intelligere, tantum se tentari, Deum non ex corde loqui, sicut nos hac cogitatione nos erigimus. Deum, etsi irasci videtur, tamen non odisse nos, nec abiicere nos, sed facere nonnunquam, ut Esaias dicit, alienum opus et simulare iram ad occidendum sensum carnis, qui est contra Deum, sicut Iob dicit: ‘etsi me occiderit, tamen sperabo.’ Certus enim est, quod Deus aliud cogitet, nec fere sit iratus. Isa. 28, 21

Scripta igitur haec nobis sunt in consolationem, ut discamus promissionibus, quas habemus, niti. Ego baptisatus sum, igitur statuere debeo me translatum esse ex regno Sathanae in regnum Dei. Alius ingressus est Matrimonium, ibi, ut fit, obiiciuntur varia incommoda. Igitur intueatur in quartum praeceptum, cogitet hoc vitae genus Deo gratum esse, praecipit enim, ut parentes honore affitiantur, et sic ostendit, hoc vitae genus sibi gratum esse.

Sic in omnibus aliis tentationibus faciendum est, ubicunque enim contrarium a promissione experimur, certo statuamus, cum se aliter ostendit Deus, quam promissio sonat, esse eam tantum tentationem, nec ideo hunc baculum promissionis patiamur nobis extorqueri e manibus.

Desperatione tentantur fere omnes homines, et quanto pii magis sunt, tanto crebrius hoc Sathanae telo petuntur. Hic quid aliud facias, quam ut dicas, scio me baptisatum, et promissam mihi a Deo propter filium gratiam? Haec promissio non mentietur, etiamsi in exteriores tenebras abiiciar. Itaque haec Dei voluntas non est, quam mihi proponit Sathan, sed tentat me eo modo Deus, ut appareat, quid in corde meo absconditum sit, non quod Deus id ignoret, sed quod ego ignoro, et ipse hac occasione in me vult conterere caput serpentis. Cor enim hominis inscrutabile est, et *φρόνημα* seu sensus carnis est inimicitia erga Deum, nec intelligit haec, nisi per verbum legis, quo occiditur caput serpentis, ut nos vivificemur, sicut scriptura dicit: ‘Deducit Deus ad inferos, et reducit.’ 1. Sam. 2, 6

Dixi, quae fuerit tentatio Abrahae, nempe contradictio promissionis. Egregie igitur hic elucet eius fides, quod tam prompto animo iubenti Deo obsequitur, et quanquam mactandus sit Isaac, tamen de promissione implenda nihil dubitat, etiam si modum impletionis ignoret, etsi autem trepidat et pavet: quid enim aliud faceret pater? tamen haeret in promissione, futurum, ut aliquando habeat semen Isaac.

Ratio humana simpliciter concluderet, aut mentiri promissionem, aut mandatum non esse Dei: sed Diaboli. Est enim contradictio manifesta. Si enim debet occidi Isaac, irrita est promissio: Sin rata est promissio,

impossibile est, hoc esse Dei mandatum. Aliud ratio non potest, sicut exempla ostendunt in levioribus negotiis.

Matth. 26, 26 Matth. 14, 22 Luk. 22, 19 1. Kor. 11, 24 Sacramentarii contradictionem faciunt, quod Christus dicit: 'Accipite, hoc est corpus meum': et Christus sedet ad dextram patris. Inde concludunt: ergo in coena Domini tantum distribuitur panis et vinum, non Joh. 6, 63 corpus et sanguis Christi. Item: 'caro nihil prodest.' Christus in coena dat carnem suam, ergo Christi caro in coena non est. Hoc vere est illotis pedibus irruere in scripturam sanctam, et sequi coecum rationis iuditium.

Abraham, etsi hic manifesta contradictio sit: inter mortem enim et vitam nullum est medium, tamen non discedit a promissione: sed credit morientem filium habiturum semen. Idem nos quoque discamus, sepelivimus heri charissimum nostrum amicum D. Sebaldum.[1] Itaque conclamatus iam est, quasi sit mortuus, sed nos scimus eum vivere: quia enim Matth. 22, 32 in confessione filii Dei vera expiravit, et Deus, Matth[a]ei 22. Non est mortuorum Deus, sed vivorum, vivit ipse quoque.

Ad hunc modum innititur Abraham promissioni, et tribuit divinae maiestati hanc potentiam, quod mortuum filium sit reducturus ad vitam. Sicut enim vidit natum ex effoeta matrice et matre sterili: sic etiam sepultum, et in cinerem redactum credidit excitandum esse, ut habeat ex Hebr. 11, 19 se semen, sicut Epistola ad Hebraeos dicit: 'potens est Deus etiam mortuis dare vitam.'

Intellexit igitur Abraham articulum de resurrectione mortuorum, et per eum solum solvit hanc contradictionem, quae alias solvi non potest, ac merito praedicatur a Prophetis et Apostolis eius fides. Sic enim cogitavit, hodie habeo filium, cras habebo nihil nisi cineres. Hi nescio quam diu iacebunt dispersi, sed iterum vivificabuntur, sive hoc fiat me vivo adhuc, sive mille annos post meam mortem. Verbum enim dicit, me per Isaacum hunc incineratum habiturum semen.

Dixi autem hanc tentationem nos non posse assequi, sed ceu ex longinquo videre et imaginari. Vides autem non hic agi, sicut Iacobus in Jak. 2, 21 sua Epistola dicit, de opere, nondum enim ad opus ventum est, sed fides est, quam admiramur et praedicamus.

Tenenda igitur est consolatio haec: quod Deus semel dixit, hoc non mutat. Baptisatus igitur es, et in Baptismo tibi promissum est regnum Dei, hoc scias immutabile verbum esse, nec patiaris, te ab eo abduci: etsi Luk. 24, 28 enim fieri potest, ut, sicut apud euntes in Emaus, fingat se ire velle longius, ac videatur nobiscum agere, quasi oblitus suarum promissionum: tamen retinenda fides in verbum est, et urgenda promissio, quod vera et infalli-

---

5/6 panis et vinum, non corpus et sanguis *G. H. I. Erl.*] panis et vinum, non corpus et vinum, non corpus et sanguis *K.*

[1]) *S. oben S. 200 Anm. 2.*

bilis sit, etiamsi nobis modus, tempus, occasio, locus et aliae circumstantiae ignotae sunt. Certum enim est et infallibile, quod Deus non potest mentiri.

Quando ego occidor, video, quibus modis et circumstantiis pereat vita: sed circumstantias non video, quibus vita sit reditura, nec tempus, nec locum. Cur igitur credo hoc, quod nusquam video? Quia habeo promissionem et verbum Dei, id non patitur, ut spem vitae abiiciam, aut dubitem de haereditate, quae Christi est, per quem nos adoptati sumus in filios.

Cogitaverat hactenus Abraham filium Isaac ducturum uxorem, et generaturum in eo loco, in quo tum erat. Haec omnia cadunt: adest enim mandatum Dei de occidendo filio. Etsi igitur circumstantiae istae loci et temporis intercidunt, tamen de ipsa re non ideo dubitat Abraham, scit habiturum filium semen vel post mille annos.

Haec exercitia sancti patriarchae nobis proposita sunt, ut animemur in nostris tentationibus, et cum Abraha dicamus: etsi moritur filius meus Isaac, tamen, quia in Deum credit, sepulchrum ipsum, in quo cineres eius iacebunt, non erit sepulchrum, sed cubile et dormitorium. Imo, inquit ratio, contrarium apparet, abit caro in pulverem, et rodunt eam vermes: sed hoc Dei verbum neque impedit, nec tollit, sunt enim haec duo inter se coniuncta, quod Deus dicit ad Adam: ‘pulvis es, et in pulverem con- 1. Mose 3, 19
verteris’: et: ‘ipsum semen conteret caput serpentis.’ 1. Mose 3, 15

Iudaei dicunt hic de quatuor revelationibus, non eodem tempore factis, sicut Lyra recitat, ad ostendendam magnitudinem obedientiae et immensam vim fidei: sed tali subtilitate hic opus non est: Iudico enim simul et semel haec esse facta: ‘Tolle non servum aut ancillam, non Ismaelem, sed illum tuum unicum filium, quem diligis, Isaac.’

Hoc modo exaggerat mandatum, et durius atque acerbius facit, quasi dicat, non eris posthac talis filii pater, nec habebis, quem sic diligas. Volo enim, ut eum mihi offeras, non ut caetera primogenita, quae retinebantur, sed ut mactes: nihil igitur de promissione Abraham iam habet, quam ante natum Isaac: et tamen propter Deum paratus est amittere non solum filium, Saram, haereditatem, domum et Ecclesiam: sed etiam suam ipsius vitam. Haec enim omnia mors Isaaci includit, siquidem in Isaac haerebat promissio.

De Sara textus nihil meminit, fueritne conscia huius mandati, vel non: fortasse, quia infirmior, quam ut illum ingentem impetum sustinere posset, coelavit eam hanc rem Abraham. Durum enim est, quod textus dicit: ‘offeres’, non in donum, seu gratiarum actionem filium: sicut primogenita in Israel offerri solebant, sed in holocaustum, ut simpliciter in cineres redigatur: et foedandae erant manus paternae sanguine filii.

---

36 quia infirmior *G. H. K.*] quia infirmior erat *I. Erl.*

Quomodo existimas cor Abrahae hic affectum fuisse? habuit enim carnem, nec, ut saepe dixi, fuit ἄστοργος. Auxit autem dolorem illud quoque, quod non ausus est cuiquam revelare factum, alioqui omnes dissuasissent, et multitudo dissuadentium forte movisset eum. Igitur cum servulis et filio solus ingreditur iter. Grande praeceptum et longe durius, quam nos cogitare possumus: et tamen hoc plenum consolationis est, quod textus clare dicit Deum hoc facere tentative. Quod si Abraham scivisset, minus habuisset curarum. Nunc autem in hac cogitatione adsorptus est, quod sit mactandus, quandocunque et quocunque modo implenda sit promissio.

Etiam locum Dominus certum designat extra domum in terra Moriia. Porro Moriia distat a Beer Seba miliaribus germanicis, si non mentiuntur Cosmographi, plus minus decem, id tridui fere iter est. Ambulavit enim cum asino, qui ligna et victum portaret, ideo tardius processerunt.

2. Chron. 3, 1 Porro Moriia, sicut 2 Paralip⌊omenorum 3. scribitur, est mons ille monti Syon vicinus, in quo Salomon aedificavit templum in medio Hierusalem, versus aquilonare latus, ubi urbs descendit ad declivum. Dedit autem mons toti terrae nomen, ut vocaretur terra Moriia. Turcae quoque adhuc hodie eo nomine montem appellant, et religiose colunt. Sic saepe fit, ut unus locus toti terrae nomen faciat, sicut ab arce Saxenburg tota Saxonia nomen habet. Ita a monte Moriia illo tempore Morii dicta est tota ea regio, in qua fuit Ierusalem. Tum Salem, item Iebus dicta, et a Patriarcha Sem gubernata.

Scribitur autem Moriia cum duplici ii: et Hebraei valde sollicite disputant de Etymologia. Hieronimus appellative reddidit hoc in loco: Vade in terram visionis. Sed repudiatur ab omnibus Etymologia haec, quod sit alienior a Grammatica. Alii iudicant habere nomen a Mirrha, ut Moriia latine sit, Mirrha mea Dominus: quia Dominus ibi habeat mirrhan, hoc est, cultum suum. Crescebant enim ibi mirrha et thus, unde fiebant sacrificia incensorum. Ac convenit Etymologia, (*Mor*) enim mirrha est. *J* est pronomen enclition, mea. *Ja* Dei nomen est.

Hanc Etymologiam etsi non impugno, tamen non sequor, maxime ob eam causam, quod Iudaei suo more tantum appraehenderunt externum cultum incensi: veros autem cultus et internos neque intelligunt, neque praestant.

Potior igitur et melior eorum sententia mihi videtur, qui deducunt vocabulum a verbo *Jara*, quod docere significat, unde dicitur *thora*, lex seu instructio, ut sit sententia, *Morija*, id est, Dominus docens, quod in Jes. 2, 3 hoc monte doceat Deus et audiatur, sicut Prophetae dicunt: 'Ex Syon egredietur lex, et verbum ex Hierusalem.'

21 Morii dicta *G. H. I. K.*] Moriia *Erl.* *30* (*Mor*)] מֹר *31 J*] י *Ja*] יָהּ *37 Jara*] יָרָה *thora*] תּוֹרָה *38 Morija*] מֹרִיָּה

Haec Etymologia pulchrior mihi videtur et accommodatior tum ad sententiam, tum ad Grammaticam, sed non arrogo mihi in hac lingua tantum iuditii, ut pronuntiem. Burgensis quoque cum hac convenit. Vertit enim doctrix, seu docens me Dominus.

Tertia Etymologia mihi omnium maxime placet, et tamen reliquas non excludo, deducunt enim *Morija* a verbo *Jare*, quod timere significat.[1] Testimonia enim scripturae sacrae ubique sunt, quod timor Dei sit cultus Dei. Sicut enim homo et risibile sunt convertibilia, sicut Dialectici loquuntur: Ita timor et cultus Dei. Deus enim Mirrham seu incensum non curat, si absit timor, quem scriptura sancta ubique maxime urget, ut scilicet obediamus verbo Dei: Sicut apud Ieremiam cap|ite 7.: 'Non sum locutus cum patribus vestris de holocaustis et victimis, sed hoc verbum praecepi eis dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut vobis bene sit.' Jer. 7, 22 f.

Reverentia igitur et timor est verus et Deo gratus cultus. Si enim Abraham occidisset filium stulto zelo, et cum contemptu verbi Dei, sicut Achas, fuisset quidem mirrha, hoc est, durum et acerbum sacrificium, quod affligit cor, sed Deus non externum opus, sed ipsum cor intuetur, id si rectum est et timens Dei, Deo placet, quicquid facit.

Existimo igitur vocabulum hoc *Morija* proprie significare *θεοσέβειαν*, seu reverentiam et timorem Dei, ideo Esaiae 29. Ubi Hebraeus habet: 'Timor eorum in mandatis hominum', septuaginta, sicut etiam Christus citat, fecerunt: 'frustra me colunt in mandatis hominum'.[2] Jes. 29, 13 Matth. 15, 9

Apud eundem Esaiam vocatur spiritus timoris, hoc est, cultus Dei. Habuit igitur tum terra illa, tum mons nomen a vero cultu Dei, is autem nusquam est, nisi ubi ipse Deus docet. Jes. 11, 2

Ac verum esse videtur, quod Iudaei affirmant in illo ipso loco Adam, Abel, Noe sacrificasse. Certe Sem ibi sedem habuit, a quo verus cultus Dei in mundum propagatus est. Huc alludit illud quoque, quod supra diximus paradysum ante diluvium fuisse circa illam terram: et eiectum Adamum ex paradiso habitasse circa montem Moriia. Itaque etiam ante diluvium celebris locus fuit propter Dei cultum, ac mansit celebris usque ad Christum. Nam post exhibitum spiritum sanctum Euangelium inde propagatum est in totum mundum, nec amplius vel cultus Dei, vel ipsa Ecclesia conclusa fuit in illum exiguum angulum terrae Iudaicae.

Libenter igitur illos sequor, qui Moriiam dictam putant ab Hebraeo verbo, quod significat timere, colere, revereri Deum, ac si dicas germanice

---

6 Jare] יָרֵא

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 187.* [2]) *Jes. 29, 13:* וַתְּהִי יִרְאָתָם אֹתִי מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה׃ *Septuaginta:* μάτην δὲ σέβονταί με διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας. *(Matth. 15, 9.)*

heyligstat, locus sanctus, domus Domini, quod is locus a principio mundi templum et domus Dei fuerit, et cultus ab ipso Adam, Noe, et habitatus a summo patre Sem, sicut hodie Moriia est, quam late terrarum orbis patet, sicut et Ierusalem, hoc est, Deus adoratur et colitur non in uno et certo loco tantum, sed ubique terrarum, ubicunque est piorum congregatio.[1]

Quomodo autem Deus hoc mandatum de mactando filio revelaverit, variant sententiae. Maior pars in nocte per visionem factum esse dicunt: alii, sicut moris fuit, putant Sem Patriarchae revelationem hanc esse factam, et ipsum authoritate divina ita iussisse Abrahamum. Sed utcunque sit, certum est ex Mose hanc fuisse Dei voluntatem, ut hoc mandato tentaretur Abraham.

Quod ad Hieronymi versionem attinet, qui ex proprio nomine appellativum fecit, dignus est venia, Ea enim Hebraicae linguae natura est, quod tota est Etimologica etiam in propriis nominibus. Sicut igitur in Paralypomenon loci proprium nomen reliquit, ita etiam hic relinquere oportuerat sed decepit eum sequens locus, ubi scribitur appellasse Abrahamum nomen loci, Dominus videbit. Itaque hic quoque vertit: vade in terram visionis.

Qui allegoriam volunt sequi, his Moriia erat verbum Dei et fides in verbum. Nam haec duo correlativa sunt: non potest esse fides, nec cultus Dei, ubi verbum non est, et ubicunque verbum est, ibi necesse est aliquos esse, qui credant. Ubi igitur haec duo sunt, sequitur tertium, Crux scilicet et mortificatio. Haec tria absolvunt vitam Christianam, sed haec alias copiosius.

Praecipue autem notandum hoc in loco est loci adverbium: 'Ibi offeres mihi filium in holocaustum.' Non enim licuit ubique sacrificare, seu Dei cultum instituere: sed tantum in eo loco, quem Deus elegit. Ideo Prophetae valde reprehendunt Iudaeos, alibi, quam in praecepto divinitus loco sacrificantes, et hic non solum locus diserte nominatur, sed personae quoque, item sacrificus. Tu, Abraham, offer filium: non pecudem: Isaac, non Ismael, omnes particulae sunt exclusivae.

Non enim vult Deus, ut serviamus ei in nostris electitiis operibus, ideo praecepto suo, eoque tam certo et rigido omnia definit, ut, si sit vel alia persona, vel locus alius, vel tempus aliud, erres, et non solum cultum nullum praestes, sed etiam irrites, et ad odium et iram concites.

Iudaei non erant Abraham, hoc est, non habebant praeceptum, sicut Abraham, de immolandis liberis, imo quintum praeceptum prohibebat in genere omnes caedes, et tamen Achas putabat se praeclare mereri de Deo, si faceret per ignem transire liberos. Antecedens erat, etiam filius

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 188:* Morija heisst Gotts furcht, reverentia dei, cultus dei, denn die Altveter Adam Noha Sem auff dem selben berge Gott geehret, gefurcht, gedienet haben. Wir groben deutschen heissen es vieleicht den Heiligen berg oder da man Gott dienet mit loben, beten und dancken. *Seit 1541 neue Bibelglosse zur Stelle.*

occidendus est propter Deum, sicut Abrahae exemplum docet: Ergo ego quoque occidam filium meum, sed haec est falsa consequentia propter dissimilitudinem. Nam Abraham peculiari et novo mandato iussus est filium immolare, id mandatum Achas non habuit: ideo nihil debuit suscipere contra manifestum decalogi praeceptum.

Igitur Abraham mane surgens cinxit asinum suum, et accepit secum duos pueros et Isaac filium. 22, 3a

Digna est historia haec, cuius singula verba diligenter excutiantur. Mane surrexit: non cessavit, non disputavit, nec fuit Quarista, ut Adam in paradyso, ut quaereret: Quare mandat hoc Deus? Non audivit neque carnem, neque serpentem, imo ne cum Sara quidem rem communicavit, sed ubi audivit mandatum, sine ulla haesitatione properat ad executionem.

Est hoc insigne exemplum, et descriptio perfectae obedientiae, cum tam subito semel et simul ex oculis abiicit et mortificat omnia, quae in vita sua habebat charissima, domum, uxorem, filium tam diu expectatum et cumulatum tam magnificis promissionibus. Frustra igitur miramur sanctos in novo Testamento, et eorum ieiunia et macerationes sine iuditio legimus: quales quales enim fuerunt, si ad Abrahamum conferantur, sanctitas et virtutes eorum vilescunt prorsus et sordescunt: Nesciunt illi, quid sit mactare filium promissionis, in quo parentis grandaevi spes et opes omnes positae erant, quae omnes cum vita filii tam repente in uno momento concidunt. Illud vere est abnegare semetipsum, et relinquere omnia. Legimus alibi, alios abiecisse aurum, argentum et opes, alios uxorem et liberos, et vitam in discrimen adduxisse propter confessionem. Sed qui hanc obedientiam tam constanter praestare potuisset, nullus unquam fuit Apostolorum, Patriarcharum aut martyrum.

Meminerimus autem in hac tota historia praecipue spectandum esse verbum et mandatum Dei, quod omnia opera fidelium illustrat, et magnifica reddit, quantumvis exilia. Sicut ea, quae extra mandatum fiunt, etiam in speciem sanctissima, merae sordes sunt, qualia sunt Papae aut aliorum fanaticorum.

Deinde describitur animus promptus et alacer Abrahae, cum dicit Moses: Surrexit, non tardavit, non cunctatus est. Quando enim de voluntate Dei certi sumus, et credimus eum iussisse id, quod prae manibus est, non trepide aut contanter, sed summa alacritate negotium aggrediendum est, etiamsi mille pericula aut mors ipsa adeunda esset. Non enim potest irritum esse verbum Dei. Sed quando nos iubenti Deo obtemperamus, eventus praefinitus certo sequitur, repugnantibus etiam ipsis portis inferorum. Sic David CXIX. Psalmo dicit: 'Verbum tuum consolatio mea in humilitate Ps. 119, 50

mea', id est, quia habebam verbum tuum, eram animo praesenti et alacri ad omnia pericula subeunda, et vivificabat me eloquium tuum.

Verissimum enim est, quando quis in vocatione sua animo persuasum habet, quod Deus velit, et verbo suo iusserit hoc, quod gerit, tantam vim et efficatiam illius divini mandati sentiet, quantam in nullius Oratoris, nec Demosthenis, nec Ciceronis oratione inveniet. Illud circumstantias omnes declarat: Quid utile, quid bonum in re sit: ostendit, et suggerit animo Deum infinitos fines exuperantes sensum nostrum spectare, qua fiducia instructus animus fortiter pergit, nec de possibili, aut impossibili, facili aut difficili solicitus est. Sicut hanc piorum confidentiam et securitatem Paulus Ro[manorum 8. magnifice descripsit.

Si Gideon et Simson non habuissent verbum Dei, nunquam tantas res gessissent, sed succubuissent oneri et magnitudini rerum. Verum, quia credebant verbo, sic cogitabant: ego sum ad hoc vocatus, et habeo mandatum invadendi Philisteos, Medionitas etc. pergam ergo audenter. Fides enim est, quae haec miranda opera efficit. Sicut inquit Christus Joh. 14, 12 Joh[annis 14.: 'Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet.'

Haec autem in ethnicis historiis non videmus, neque nos Christiani satis intelligimus, quia stertimus, nec credimus mandanti, comminanti, punienti aut promittenti Deo, sed sumus insensati. Isti sancti heroes et patres, Abraham, David etc. crediderunt, ideo tam arduas res gesserunt. Supra commemoratur, quomodo Abraham quatuor reges exiguis copiis devicerit, eam victoriam non alia re consecutus est, quam fide, quae iussu et vocatione divina nitebatur.

Ita in hac historia vincit fide tentationes, quas habuit haud dubie maximas, Scit Deum praecepisse, ideo properat ad executionem, nihil moraturus Sarae, aut familiae, aut ullius creaturae diversum iuditium. Ps. 119, 50 Haeret enim id infixum animo, quod in Psalmo dicitur: 'Lex tua mea maxima consolatio, quia me vivificat.' Ad eundem modum, qui habet certum verbum Dei, in quacunque vocatione, credat tantum et audeat, et dabit Deus haud dubie secundos exitus.

Nos de eiusmodi extraordinariis et singularibus mandata non habemus, non crediturí forsitan, etiamsi haberemus. Sicut simile exemplum de Acha rege incredulo. Esaiae 7. describitur. Inferebant ei bellum duo potenIes. 7, 2 tissimi reges Syriae et Israel. Dicit autem scriptura, commotum esse cor eius, et cor populi eius, sicut moventur ligna silvarum a facie venti. Ibi Jes. 7, 4 mittit Dominus Prophetam ad Acham cum novo mandato: 'Vide, ut sileas, noli timere, ne trepides.' Nam isti duo reges coram me non sunt reges, sunt adusti titiones, imo caudae titionum fumigantium, tantum tu confidas,

15 Medionitas *G.*] Midionitas *H. I. K.*] Midianitas *Erl.*

nec timeas, quin et signum petere iubetur, ut animus et fides eius magis confirmetur. Sed quid Achas? 'Non petam, inquit, et non tentabo Dominum' etc. Tales nos quoque futuri essemus, non recepturi, etiamsi offerret nobis Deus novum aliquod mandatum. Jes. 7, 12

Nunc in praesenti periculo pestis ita trepidamus, ac si non haberemus mandatum vivendi et invocandi Deum. Habemus firmissimam vocem prolatam ex ore filii Dei: 'Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum'. Sed hanc quis curat aut attendit? Similiter quilibet in sua vocatione certus esse potest de verbo Dei, sive civilis ea sit, sive Ecclesiastica: sed nihil minus facimus, quam offitium. Magistratus oscitantia et ignavia omnibus nota est. Episcopi et Parochi silent, ut muti canes, non credunt se hoc esse, quod sunt, lucra et honores aucupantur, sed opera non praestant. Interim querimur deesse nobis occasionem faciendi bona opera. Joh. 11, 25. 26 vgl. Jes. 56, 10

Habemus mandatum omnibus commune, ut diligamus Deum, et neminem timeamus, nec Diabolum, nec Turcam, nec pestem, ambulantes in viis nostris, etiamsi vita periclitetur, iuxta sententiam: 'Expecta Dominum, viriliter age et confortetur cor tuum.' Hoc quis servat? Nemo, quia nemo credit Deum praecepisse fiduciam, et damnasse desperationem. Dignus igitur hic locus est accurata consideratione, ut discamus veram obedientiam erga Deum, et quantum momenti sit in certitudine mandati Dei, quanta fidutia impleat corda piorum: Eam certe in extremis finibus orbis terrarum inquirere debebamus: Sed non est opus longinqua peregrinatione aut curiosa inquisitione, plena est domus, corpus, cor nostrum mandatis Dei, et tamen non credimus, ideoque non laetamur, neque quicquam lucis aut sensus habemus de superbia et confidentia illa spirituali ex Dei verbo et praeceptis. Ps. 27, 14

Ideo exaggeranda et diligenter inculcanda sunt exempla patrum, in quibus efficatia et virtus verbi Dei et fidei conspicitur. Sicut David gloriatur: 'Haec consolatio mea, eloquia tua.' His eloquiis fidens interfecit ursum et leonem et Philistaeum Goliath, et alias res arduas et praeclaras gessit: Eandem consolationem retinuit eiectus a filio ex regno, sic sentiens: ego sum rex electus autoritate et praecepto divino, non propter meam voluptatem, sed ad gloriam Dei, de hoc cum certus sim, non movebor, nec trepidabo, et hac fiducia invocat: 'exurge, Domine Deus meus, in praecepto, quod mandasti', quasi dicat: Si vis me abiicere, bene est: sin regem esse et manere vis, regnabo etiam invitis et adversantibus inferorum portis. Hoc verbo et filium suum Absolon, et improbum consiliarium vicit et occidit. Ps. 119, 50 Ps. 7, 7

Sic Abrahae unica consolatio fuit in hac incredibili tentatione, quod scivit se habere mandatum Dei: Is certe non fugisset pestem, nec

Turcorum multa millia: Quia cor eius firmiter retinuisset illam fidutiam: Credo in Deum omnipotentem. Quid vero sunt decem millia Turcorum ad omnipotentem Deum? Ideo nec hic cessat, sed statim arripit mandatum, et paratus est ad sacrificium peragendum.

Hanc verbi Dei vim discamus intelligere, quam spiritus sanctus adeo solet exaggerare, ut maiorem faciat omni creatura, inferno, morte, angelis bonis et malis. Quin et Deo aequat, sicut revera est, quod Romanorum 1.
Röm. 1, 16 dicit Paulus: 'Virtus et potentia Dei', et quidem de verbo vocali sic sentiendum est. Id Abraham praeclare intellexit, ideoque non dubitavit, etiamsi moreretur Isaac, eum tamen resuscitatum iri, et mansurum sibi semen, propterea quod Deus mandatum et promissionem suam non sinit esse irritam.

Ps. 91, 7. 11 Sic Psalmo XC [sic!] dicitur: 'Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.' Hanc promissionem qui retinet firmiter, et interim diligenter facit offitium suo loco, quem scit divinitus sibi attributum esse, etsi quid periculorum aut impedimentorum obiicitur, tamen non dubitat de successu aut eventu prospero, sed animo suo persuasum habet, potius angelos omnes e coelo in auxilium et defensionem advolaturos esse, quam irritus sit et inanis conatus pius, secundum verbum Dei. Es muſs hindurch gehn, was du anfengeſt auff ſein Verbum, und ſolt kein Engel im himel bleyben. In hoc igitur antecellunt gentilium res gestas historiae sacrae. Hic enim mandato Dei, illic fortuito et consiliis humanis geruntur omnia.

Atque haec horum verborum sententia est: 'Abraham surrexit mane', non disputavit de eventu, sed sic cogitavit: Certus sum, quod fiet melius aliquid, quam ego nunc video, non mea aut meorum virtute, sed viribus mandati Dei. Sequar igitur Dominum iubentem et vocantem. Sicut Ioab
2. Sam. 10, 12 ad fratrem dicit, 2 Regum 10: 'Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro et civitate Dei nostri. Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu suo.' Tales sunt parati ad omne opus bonum, reliqui omnes sunt reprobi. Quia etiam tarda obedientia est nulla.

22, 3a

Cinxit Asinum suum.

Haec omnia ideo tam diligenter describuntur, ut significetur etiam moram fidem eius nonnihil exercuisse. Ipsi parenti quaerenda sunt ligna, secanda et imponenda asino ad cremandum filium. Interim haud dubie maximam carnis trepidationem sensit. Neque enim ferreo pectore fuit, sed tenerrima natura: et animo eius perpetuo observata est cogitatio de sacrificio holocausti, ad quod filius unigenitus promissus, spes futuri seminis et posteritatis mactandus, et illis ipsis lignis, quae colligit pater, creman-

dus erat. An non in re tam tristi et stupenda deliberandum amplius erat? an non conferenda consilia cum Sara matre? Haec in istis, ut apparet, inutilibus verbis significantur, alioqui potuissent haec brevissime dici. Sed vult indicare Moses, quos motus senserit singulis momentis, quibus haud dubie gemitus inenarrabiles, suspiria, singultus et lachrymae paternae accesserunt. Ipsemet autem cingit asinum, non servis id dat negotii. Adeo attentus et quasi absorptus est in reverentia et timore Dei. Vix ut sentiat, quid agat.

Et accepit secum duos pueros suos. 22, 3a

Hebraei disputant, qui fuerint isti duo servi. Ismael est eiectus, et tamen dicunt unum fuisse Ismaelem, alterum Eliezer, procuratorem domus suae, cuius supra facta est mentio. Fuerunt certe fidelissimi, quicunque tandem fuerunt. Sequuntur enim et observant Dominum suum absque ulla tergiversatione. Ex hoc autem textu Saraceni horribilia mendatia commenti sunt. Fingunt Ismaelem loco Isaac, quem dicunt aufugisse, et non obediisse patri, immolatum esse. Hinc se filios Sarae iactant, quia Isaac non sit oblatus, sed Ismael loco fratris sui.

Est haec consuetudo perpetua omnium haereticorum, ut transferant in se gloriam Ecclesiae et populi Dei. Quilibet enim vult Deo proximus esse, et fuit haec tentatio inter homines ab initio mundi. Sic hodie haeretici et Papa volunt esse Ecclesia. Turca vult esse populus Dei. Christiani autem suo iusto titulo et honore privantur. Hic cursus mundi est ab initio usque ad finem. Cain primus author est, et durabit per omnia saecula. Falsa Ecclesia arrogat sibi titulum Ecclesiae Dei. Idola rapiunt nomen et honorem Dei, itaque in primam tabulam pene plus peccatur, quam in secundam. Hac ratione Isaac quoque inobediens et fugitivus dicitur.

ET ISAAC FILIUM SUUM. 22, 3a

Postquam accepit mandatum, praeter id unum nihil videt. Omnia in eo moriuntur, Sara, familia, domus, Isaac. Haec vera mortificatio est: Illud est sedere in cinere et sacco. Facessant hinc Antonius, Hilarion et alii, qui quidem magna et difficilia opera fecerunt, sed ea omnia non fuerunt mortificatio capitis illius serpentini, rationis videlicet et voluntatis humanae, quod Monachi et id genus hypocritae vivificant potius et augent, dum inflantur sua iustitia, meritis et operibus supererogationis.

Sed hic ingens et vere tristis dolor est, amittere tantis precibus et lachrymis impetratum filium, et spem illam et gloriam, qua se patrem seminis benedicti fore speraverat. In hoc dolore tamen se erigit, et statuit se habiturum semen, si non in sua vita, tamen post obitum. Sicut

supra 16. capite Sara se erexit cogitando: Ego non ero mater huius seminis, non fui digna, sit ergo alia, scilicet Hagar ancilla mea, tantum det Dominus semen aliquod. Hae sunt verae mortificationes, quae non fiunt in desertis locis extra societatem hominum, sed in ipsa oeconomia et politia, et vel hinc insignis obedientia Abrahae usque ad intimas medullas iudicari potest.

22, 3b Sectisque lignis in holocaustum surrexit, et abiit ad locum, de quo dixerat illi Deus.

Omnia ad moram indicandam spectant. Habet 318 famulos: et ipse tamen servus servorum est. Quae ideo recitantur, ut memorabilis eius obedientia commendetur. Nemini quicquam imperat, omnia ipse exequitur. et quidem festinanter, quia urgetur mandato, quod in eo regnat et vivit.

22, 4 Die autem tertio levavit Abraham oculos suos, et vidit locum illum a longe.

Existimo locum sacrificii non abfuisse amplius quarta parte miliaris ab eo loco, ubi iussit servos consistere. Hierosolyma enim sive mons Morija, etsi fuit locus editior, tamen quia circum circa fuerunt montana, non potuit procul conspici. Miror sane patrem non extinctum esse illo tam acerbo et diuturno dolore. Quia iter tridui conficiendum fuit, si unius aut alterius horae *ἀγὼν* ille fuisset, facilius superasset. Ideo haec mora obedientiam eius amplificat: interea cogitavit: Ecce incedo cum filio summae spei iuvene, ei moriendum est. Eiusmodi carnis macerationem hosce tres dies simul cum Satanae sagittis sustinuit: mussitandum tamen et silendum fuit propter mandatum, quo nixus confirmatur et servatur.

22, 5 Dixitque Abraham ad pueros suos: sedete hic cum asino, ego autem et puer illuc ibimus, et postquam adoraverimus, revertemur ad vos.

Si servi adfuissent, non permisissent fieri, quod cogitabat pater, aut mente eum errare suspicati essent: Quod si non potuissent impedire, tamen clamassent, et clausis oculis conspectum tanti facinoris effugissent.

22, 6a Et tulit Abraham ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum.

Alia dilatio est, et integrascit dolor, cum imponit ligna. O mi fili, si scires quale lignum gestares, aut mater tua, putas te ferre ad sacrificium: sed nescis teipsum fore holocaustum.

Ipse vero accepit in manum suam ignem et gladium. 22, 6b

Non fuit gladius, nec recte imago illa Abrahae mactaturi filium vulgo pingitur. Fuit culter, quo lanii et sacerdotes solebant uti, Isaac supinus super strue lignorum iacuit, verso vultu in coelum, et Abraham iugulum eius ferire voluit, sicut lanii vitulos solent mactare. Prius gestavit ligna asinus, servi ignem, ab illis accepit et imposuit ligna, onus asinorum, filio, quia non fuit puer, sed adolescens .25. annorum circiter: ignem ipse tulit. Tum vero servis varia in mentem venisse necesse est.

Et pergebant duo illi simul. 22, 6c

Hi duo soli fuerunt, ambulantes in solitudine. Totus mundus ignorat, quid hic agatur: Neque quisquam adfuit, qui erigeret moestum parentem. Filius autem nescit se esse occidendum. Talis transitus, qualis hic est, nusquam in scriptura sancta descriptus est, Duo. Qui? pater carissimus et dilectissimus filius. Quo animo? eo animo: Isaac rei ignarus et tamen paratus obedire. Abraham certissimus mactare filium, et in cineres redigere.

Dixit autem Isaac ad patrem suum: pater mi, At ille respondit: 22, 7. 8
Ecce ego, fili mi, ait ille: Ecce, ignis et ligna, ubi est pecus ad holocaustum? Respondit Abraham: Deus providebit sibi pecus in holocaustum, fili mi, et pergebant duo illi pariter.

Ingens vero hic motus, et vehemens *πάθος* est, quod Moses noluit praeterire. Isaac victima alloquitur patrem, et irritat illam *στοργὴν φυσικὴν*, quasi dicat: Tu mihi es pater, et parens vicissim: tu mihi filius. Haec penetrarunt et perculerunt haud dubie animum paternum. Ait enim filius: Ecce ligna, ubi pecus? Solicitum esse apparet de gloria Dei, scit enim patrem oblaturum esse holocaustum, cuius vult ipse spectator esse. Admonet igitur eum, ne forte prae nimia intentione et devotione animi sacrificii obliviscatur. Ubi est pecus, inquit, in holocaustum, ibi debuisset respondere pater: tu eris. Sed tacet, et addit: Deus providebit, quo dicto simul includit mandatum Dei.

Non vult filium macerare longa cruce et tentatione. Ideo nondum indicat, quod ipsi sit moriendum, nec significat Moses admonitum esse a patre hosce tres dies inter eundum, ut adsuesceret cogitationibus mortis. Sed videtur tacuisse et expectasse, donec iam iam iugulum petiturus esset.

Mirandum sane est, quomodo potuerit Isaac tam subito omnes huius vitae adfectus exuere, et oblivisci patrem, matrem, domum, promissionem, vitam denique ipsam, quam vixdum ingressus fuerat. Non potuerunt haec

vinci sine ingenti luctu et dolore. Neque enim stipites et insensati sunt, sancti. Sed homines sunt, et humanae naturae insitos motus et στοργὰς excellentes habent. Egregia certe fides fuit, qua se tam repente a vita avertere, et in mortem tradere potuit. Non enim aliud cogitavit nec vidit oculis corporis, quam praesentem interitum.

22, 9a Et venientes ad locum, de quo dixerat illi Deus, aedificavit ibi Abraham altare, et ligna composuit.

Hactenus Moses prolixa narratione exemplum obedientiae utriusque, et filii et parentis descripsit, suspenditque lectorem ad tedium usque mirabili expectatione. Constructo iam altari cum ad ipsam Epitasin perventum est, tacet, et vel desperat ista eloqui: Quia res maior est, quam ut ulla eloquentia efferri possit, vel prae lachrymis non potuit scribere. Atque ita stuporem et admirationem in animis auditorum relinquit, et vult, ut ipsi rem expendant, quam verbis assequi non potest.

Iam enim constructo altari, parato cultro et igni accenso necesse fuit aliquos sermones inter patrem et filium intercedere, quibus Isaac edoctus est de voluntate et mandato Dei. Pater dixit: Tu, mi dilectissime fili, quem Deus mihi dedit, destinatus es ad holocaustum. Ibi filius haud dubie obstupuit, et patrem de promissione vicissim admonuit: Cogita mi pater me esse semen, cui promissa est posteritas, reges, populi etc. Dedit me Deus matri meae Sarae per magnum miraculum. Quomodo igitur poterit impleri promissio me occiso? Sine tamen nos antea de ea re conferre et colloqui.

Illa omnia hic scribenda fuissent, cur omiserit Moses, nescio. Non autem dubito, quin insignis admodum oratio fuerit patris ad filium, et principalem eius statum fuisse existimo, Mandatum Dei et resurrectionem mortuorum: Deus praecepit, ideo oportet nos ei obedire, et cum sit omnipotens, potest servare promissionem etiam te mortuo et in cinerem redacto. Atque hac doctrina haud dubie Isaac ante imbutus fuit, et aeque atque Abraham praeclare intellexit et credidit. Quia sunt exempla fidei: Fides autem includit promissionem, quae supra capite 15. recitata est.

Fuit igitur oratio patris ad filium, quae conciliavit hasce duas contradictorias propositiones: Isaac erit semen et pater regum et populorum: Isaac morietur, non erit pater populorum. Illae contradictoriae non possunt conciliari per ullam rationem humanam aut philosophiam. Sed verbum conciliat haec duo: Quod mortuus vivit, et vivens moritur. Sic nos vivimus, et tamen morimur. Quia iam viventes reputamur pro mortuis propter peccatum: et mortui reputamur viventes. Ista sunt hic tractata et agitata inter patrem et filium, et non solum ab Abraham, sed etiam ab Isaac credita. Nam in fide promissionis moritur, quod sit futurus pater. Ergo Isaac moritur et vivit, fit cinis et pater populorum.

Sophistae et Rabini hoc loco nihil intelligunt, quia non vident medullam scripturae sanctae, quae agit de resurrectione mortuorum, vita, victoria mortis, destructione peccati, non de rebus caducis et nihili. Simul etiam hic videre est. An fides sit sine operibus, et an damnentur opera, cum docetur iustitia fidei. Quantum enim pulcherrimorum operum et sanctissimae obedientiae in hoc uno exemplo concurrit?

Ligansque Isaac filium suum posuit eum in altare super ligna, 22, 9b. 10
extenditque manum suam, et arripuit cultrum,
ut immolaret filium suum.

Brevi sententia complectitur Moses illam mirabilem et stupendam historiam. Pater filium iam iam iugulaturus est. Filius iugulum praebet sublatis oculis in coelum, et expectat, ut in cineres redigatur: Ita in extremum discrimen vitae uterque a Deo adducitur. Si ibi non fuisset fides, aut Deus dormitasset unum momentum, actum fuisset de filii vita. Quia culter paratus, filius vinctus, in struem lignorum positus est, iugulum petitur. Haec Dei opera sunt, quibus ostendit se nos in summis periculis et media morte curare.

Disputant autem Hebraei de ista ligatione, qualis fuerit: Ego puto vinctum fuisse Isaac, sicut lanius ovem aut capram fune ligat, unaque manu pecudem prehendit, altera cultrum tenet. Ad hunc modum Abraham illo momento filium quoque mactare voluit.

Sed cur ligat? Non ideo, quia Isaac fugam meditetur, et patri nolit obedire. Sed ut servet ritum holocausti. Oportuit enim Abraham induere adfectum et gestum sacerdotis mactantis vitulum. Ideo similem gestum et ritum adhibet. Collocat super ligna, velut vitulum iam mactandum, admoto simul cultro ad iugulum. Quare non significatur hic aliqua coactio aut necessitas. Sed ritus tantum et gestus sacerdotis vel mactatoris?

Ego non potuissem esse spectator, nedum actor et mactator: Stupenda res est, quod pater carissimus filii carissimi iugulo cultrum admovet, et agnosco sane me hasce cogitationes et adfectus nec verbis, nec meditando assequi posse. Nemo alius hunc locum explicare debebat, quam Divus Paulus. Nos non movemur istis adfectibus, quia non cupimus eosdem sentire aut experiri. Filius obediens est, sicut ovis ad mactationem, non aperit os suum. Cogitavit, fiat voluntas Domini: Quia educatus est in disciplina et obedientia patris, ac praeter Christum simile exemplum obedientiae nullum habemus.

22, 11a Et clamavit ad eum Angelus Domini de coelo, dicens: Abraham, Abraham.

Ibi vides, quam secure ludat divina maiestas in morte et omnibus viribus mortis. Colludit hic cum suo Patriarcha et eius filio, qui simul in summa Angustia et maxima victoria mortis constituti sunt. Non enim Isaac tantum paratus fuit mori. Sed et pater Abraham septies moritur revera, quia totus est in cogitatione de immolatione et morte filii.

Mors naturalis, quae est separatio animae a corpore, simplex mors est. Sed sentire mortem, hoc est, terrorem et pavorem mortis, ea demum vera mors est. Sine pavore mors non est mors, sed somnus, ut inquit Christus:
Joh. 11, 26 'Qui credit in me, non videbit mortem', ablato pavore, ablata est animae mors.

Proinde hanc descriptionem mortis constituamus. Mors habet animam et corpus. Corpus est extinctio mortis animae, Animae mors est ipse pavor et horror mortis. Quod si anima mortis est mortua: corporis mors est somnus. Hic in Abrahamo animae mors fuit, quia nihil dubitavit, sed certo scivit immolandum, et illo momento occidendum esse Isaac. Quandocunque autem homo in terrore mortis constitutus est, hoc est, in ea persuasione, quod debeat mori, ibi tantam violentiam verae mortis sentit, ut sustentare se non possit, et tum verissime moritur, non quando fit separatio animae a corpore.

Eiusmodi duae mirabiles mortes hic coniunguntur in summa pacientia et obedientia. Abrahamo enim tolerabilius fuisset vel septies mori morte naturali, quam spectatorem, imo mactatorem esse filii. Ita uterque occiditur, cum nihil aliud videant, nec sentiant, quam mortem, et tamen coram Deo non sunt mortui, ut postea audiemus. Quia mortem pro ludo et ioco habent, non aliter atque nos cum pila aut pomo ludere solemus.

Victoria autem Abrahae et Isaac et omnium sanctorum est fides, hanc qui habet, is superat pavorem mortis, et vincit et triumphat in
2. Kor. 1, 9 aeternum. De ea loquitur. 2. Corinthiorum 1.: 'Speramus in Deum vivum, qui suscitat mortuos.' Huius fidei nos quidem vix unicam scintillam habemus. Tamdiu enim credimus, quandiu mortem non sentimus, ubi ea apparet, statim pavor et horror subsequuntur.

Illud igitur admirandum est, et rationi impossibile creditu. Quod Deus possit et velit mortem abolere, et mutare in vitam. Sed hoc multo mirabilius, quod Abraham et Isaac persuasum habuerunt istam totam actionem esse ludum, et non mortem. Ac Deo quidem mortem ludum esse quivis facile credit. Sed si idem mihi et in meo corpore statuendum sit: mortem non esse mortem. Hoc nec medicus, nec philosophus, nec iureconsultus unquam persuadebit.

Quis enim ista coniunget et conciliabit: Mors non est mors, sed vita? Moses ipse contrarium adfirmat. Si enim legem audias, dicet: Media vita

in morte sumus[1], iuxta veterem illam et piam cantionem in Ecclesia, sed est legalis tantum. Euangelium autem et fides invertunt hanc cantionem, et sic canunt: Media morte in vita sumus, te redemptorem laudamus, suscitasti nos de morte et salvasti nos. Quia Euangelium docet, quod in ipsa morte sit vita, quod legi et rationi ignotum et impossibile est. Hinc Paulus triumphat, Cor. [!] 2.: 'expolians principatus et potestates, ostentavit eas palam.' Item. 2. Cor[inthiorum 6: 'Quasi morientes, et ecce vivimus.' Haec fidei vis est, quae ita mediat inter mortem et vitam, et transmutat mortem in vitam et immortalitatem, quam scit donatam per Christum. Kol. 2, 15 2. Kor. 6, 9

Id Deus ostendere voluit hoc facto, tanquam spectaculo quodam: mortem coram ipso nihil esse praeter ludum et inane terriculamentum generis humani, imo vexationem quandam et tentationem, veluti si pater aliquis cum filio ludat, auferat ei pomum, et interim cogitet de haereditate integra ei relinquenda. Sed difficile id creditu est, ideo gentes, quae ignorant hanc voluntatem Dei, quam revelat in verbo suo, nihil prorsus sperant. 1. Thess[alonicensium 4. 1. Thess. 4, 13

Christiani autem, qui habent verbum, omni studio id audire et meditari debebant, quo excitarentur corda eorum, ut, quantumvis graventur peccati mole et Satanae impedimentis, tamen assurgant in gloriam illam et cognitionem mentis divinae et immortalitatis, ut possint credere veram et immotam hanc sententiam esse. Mors est ludus, id quod credidit et sensit Abraham, et vicit mortem hac fidutia. Sic enim animum induxit suum. Filius meus Isaac, quem iugulo, est pater promissionis, quae propositio simpliciter vera est: Ergo filius vivet in aeternum, et erit haeres. Etsi igitur iam morriendum ei est, tamen revera non morietur, sed resurget.

Fides igitur conciliat contraria, nec est ociosa qualitas, ut Sophistae dicunt. Sed virtus eius est mortem occidere, infernum damnare, esse peccato peccatum, diabolo diabolum, adeo ut mors non sit mors, etiamsi omnium sensus testetur adesse mortem. De hoc Abraham certissimus est, et cogitat: Redigo filium in cinerem, tamen non moritur.[2] Imo isti cineres erunt haeres. An non id ludere est in tam magna et ardua causa? in qua omnes homines bis pueri sunt.

Haec vero non propter Abraham scripta sunt, qui iam defunctus est. Sed ad confirmandos nos et animandos, ut discamus apud Deum mortem esse nihil, et canamus: media morte in vita sumus, quem laudabimus, nisi te Deum nostrum? Haec Euangelica cantio, altera legalis est. Patriarchae

---

8 Cor *G. H. I. K. [Druckfehler]*

[1]) *S. Unsre Ausg. Bd. 42 (1. Mose; I. Bd.) S. 60 Anm 1.* [2]) *Vgl. Förstemann-Bindseil, Tischreden Teil IV, 284.*

et spirituales homines praeclare ista intellexerunt. Nos quotidie ista tractamus et magna luce. Sed quotusquisque est, qui credat aut attendat? Ac sane tales nihil differunt ab iis, qui non audiunt. Imo audientes non audiunt, quia sunt mortui in peccatis et in avaritia. Horum similes fuerunt etiam in veteri testamento Scribae, sacerdotes et impii, qui haec non intellexerunt. Sed David, Esaias, Samuel, Ieremias habuerunt intellectum spiritus sancti, et potuerunt hoc videre: quod Isaac et pater Abraham morientes, tamen vivunt. Abraham septies hic occiditur, et tamen manet in vita, et quidem corporali, uno momento Abraham pater et Isaac filius occiduntur et vivunt.

Ista nos non assequimur, et tamen cogitanda sunt, ut assequamur, quantum possumus. Ego sane tarditatem meam agnosco, meus asinus infra resistit, nec potest ascendere in montem. Sic omnes, qui non sunt eruditi in doctrina fidei, manent asini, non possunt istas cogitationes apprehendere, quod mors sit vita. Sic Petrus negans Christum in periculo mortis ignavum pecus fuit, imo ne asini quidem similis. Non solum enim non consistit infra montem: Sed resilit prorsus et fugit.

Meminerimus igitur hoc spectaculum, quod Moses proposuit, et lusum illum divinae maiestatis in morte, ut discamus credere, mortem esse vitam. Quot enim, quaeso, sunt, qui hoc sciunt? Vide, quid faciamus, quando aspicimus aut adsumus iis, qui animam agunt, aut cum nostra vita periclitatur. Si ita adfecti essemus, quemadmodum Abraham et filius, dicere-
Ps. 118, 17 mus: 'Non moriar, sed vivam.' Castigando quidem castigavit me Dominus, sed morti non tradidit me, etiamsi sepeliar et corrodar a vermibus, tamen vivam. Atqui morieris? obiicit caro. Non. Sed castigatio est.

Abraham et Isaac nihil aliud videbant et sciebant, et res ipsa et tota actio nihil differebat ab eorum cogitationibus, et tamen statuunt non esse mortem, sed ludum quendam. Sicut Paulus insultat morti, et trium-
1. Kor. 15, 55 phat: 'Mors, ubi stimulus tuus?'

Haec discamus nos quoque, ut possimus in media morte dicere: Ade, laub und gras.[1] Non moriar, sed vivam, sicut Isaac, quando petebaur eius iugulum. Quod si adhuc pavemus et trepidamus cogitatione et conspectu mortis, agnoscamus inscitiam nostram, nec gloriemur nos esse Theologos.

Videre mortem possunt omnes homines, gentiles et impii intelligunt, quod mors sit mors. Haec autem Christianorum sapientia et doctrina Ecclesiae peculiaris est, quam Abraham tenet: Ego occidens filium habeo cum viventem. Et Isaac: moriens non moriar, utcunque iugules, et in cineres me redigas, fiam quidem cinis: nihilominus tamen vivam, et generabo haeredes totius orbis terrarum.

Recte vero antea dictum est: 'Illi duo simul pergebant.' Nam in toto mundo cogitatio ista de morte non fuit, praeterquam in istis duobus.

[1]) *Wohl kaum Sprichwort, vielmehr der einfache Abschied von der Welt.*

Iugulandus cogitavit: In manus tuas commendo spiritum meum, Non moriar, sed vivam, et redibo, quia Deus non mentietur. Filius promissionis sum: necesse igitur est, ut generem liberos, vel si coelum ruat. Vide, an non sit hoc mori certa morte, et tamen certiore vita vivere? Hinc Prophetae in scriptura sancta passim praedicant resurrectionem mortuorum. Et hic locus manifeste ostendit resurrectionem etiam in hanc vitam corporalem, quanto magis in futuram?

Manant autem haec omnia ex primo praecepto. Ibi enim est doctrina fidei et resurrectionis mortuorum. Ego, creator omnipotens coeli et terrae, sum Deus tuus, id est, tu debes vivere ea vita, qua ego vivo. Si cum bobus loqueretur haec, in aeternum viverent. Nobis autem, nobis, inquam, haec dicuntur. Non illud: Tu debes comedere paleam, triticum, gramen, sed sum Deus tuus.

Porro Deum esse est liberare ab omnibus malis, quae nos premunt, ut sunt peccatum, infernus, mors, etc. Sic enim Prophetae inspexerunt et interpraetati sunt haec verba. Gentiles tantum Deum creantem norunt. Sed in primo praecepto invenies Christum, vitam, victoriam mortis et resurrectionem mortuorum in vitam aeternam, totum denique vetus et novum testamentum. Illi vero soli haec vident, qui habent spiritum sanctum, et attendunt, quid Deus dicat et faciat. Alii etiamsi assiduo ista audiunt, tamen nihil curant.

Sint igitur hi duo: Abraham et Isaac huius articuli de resurrectione mortuorum exempla. Quia ambo credunt, quod Deus non solum possit, sed certissime velit resuscitare mortuos, et quod agat cum hominibus de occidenda morte, quae tamen ipsi non mors est, sed somnus, qui est quasi frater et consanguineus mortis. Quando enim homo sepelitur, Deo non est mortuus, sed dormit.

Sic potest dici de Isaac, quando redigitur in pulverem, unde sumptus est, non est cinis mortuus, sed filius promissionis generans reges. Sic de nostris mortuis et corporibus cogitemus. Istud pabulum vermium non manebit pulvis, sed reviviscet, quia audimus scripturam dicentem, quod mors coram oculis Dei puerilis quidam lusus sit, et omnibus Christianis etiam talis, qui credunt in Deum vivificantem mortuos, et reputantem defunctos pro vivis.

Haec est doctrina Christiana et sapientia Dei, scientia sanctorum, sublimis cognitio supra captum mundi: 'Mors ubi stimulus? ubi victoria tua?' Media morte in vita sumus: 'Non moriar', etc. Qui hanc artem novit, gratias agat Deo. Sed danda est opera, ut non solum speculative in ore, sed virtualiter eam et toto pectore teneamus. 1. Kor. 15, 55 Ps. 118, 17

Quod si quaeritur, unde hanc sapientiam hauserint patres: respondet Paulus: 'de comitante populum in deserto petra spirituali', hoc est, ex agnitione Christi, promissi liberatoris. 1. Kor. 10, 4

Lex et sapientia carnis haec non intelligunt: Sicut tunc spectaculum illud duorum fuit absconditum toti mundo: Deo autem et Angelis notum et longe iucundissimum. Hominibus et daemonibus horrendum et expavescendum. Quia diabolus, cum videt hominem in fide agentem, terretur,
1. Kor. 4, 9 iuxta illud. 1. Cor[inthiorum 4.: 'facti sumus spectaculum mundo et Angelis et hominibus.' Id si de malis Angelis intelligitur, horribile spectaculum
1. Petri 1, 12 est. Si de bonis, est iucundum spectaculum, ut 1. Petr[i 1. dicitur: 'In quae desiderant Angeli prospicere.' Libenter enim inspiciunt Deus et Angeli illa miranda opera: victoriam mortis, destructionem peccati. Isaac redeuntem et resuscitatum ex cinere, et ex nihilo factum patrem gentium.

Magna enim lux fidei fuit in illo adolescente. Credidit in Deum creatorem, qui vocat ea, quae non sunt, ut sint, et iubet cinerem, qui non est Isaac, ut sit Isaac. Qui enim hoc credit: Deus est creator, qui ex nihilo facit omnia, necessario concludit. Igitur potest Deus mortuos susci-
Apg. 26, 8 tare. 'Quid incredibile iudicatur apud vos? si Deus mortuos suscitat?' inquit Paulus, Acto[rum 26.

Id ergo agitur istis exemplis, ut discamus credere vitam et mortem iuxta esse piis. Si vivunt, moriuntur, si moriuntur, vivunt: Sicut docetur per totum novum testamentum, et ostenditur, omnia Christianorum opera
Ps. 4, 4 esse miracula, Psalm[o 4.: 'mirificat Dominus sanctum suum': Item,
Joh. 14, 12 Ioa[nnis 14.: 'Maiora his faciet, qui credit in me: et ego vado ad patrem', ut sim omnipotens in vobis. Ista mirabilia opera terrent daemones, exhilarant Angelos, consolantur pios.

Impius vero tollatur, ne videat gloriam Dei. Quia mundus non
Joh. 14, 17 videt spiritum veritatis, nec cognoscit Ioan[nis 14.: 'Vos autem videtis, quia in vobis est et manet.' Videbant quidem Iudaei Christum resuscitantem Lasarum, Petrum sua umbra sanantem. Sic nostri adversarii vident nos velle consulere omnibus hominibus Euangelio, cernunt item opera nostra dilectionis, humilitatis, patientiae. Sed videntes non vident: Etiamsi spiritus sanctus eiusmodi opera exhibet, quae in ipsos oculos et in aures manifeste impingunt, ut palpari possint manibus, tamen non vident. Ideoque nos blasphemant, et spiritum, qui in nobis loquitur et operatur, et clamitant esse diabolica omnia.

Atqui clare eorum oculis expositus est spiritus sanctus, cernuntur eius opera et mirabilia in verbo et Sacramentis, ut vel lapides, nisi sensu carerent, videre et testari possent, tamen non vident. Quare? Quia Christus
Joh. 14, 17 dicit: 'Mundus non potest eum capere.'

Quia autem potest credere iuxta primum praeceptum, quod Deus sit creator coeli et terrae, is non disputabit nec dubitabit de resurrectione mortuorum. Econtra qui non credit, quod Deus possit et velit suscitare mortuos, ille nihil prorsus credit, sicut Papa, Cardinales, Episcopi non credunt resurrectionem mortuorum, ideo infallibili consequentia colligitur,

quod non credant esse Deum, quia negant eius opera, nihil credunt de eius maiestate et potentia, quae conspicitur in resurrectione mortuorum.

Amplificet igitur istam historiam, et meditetur toto pectore, qui potest, ut habeat pro erudito exemplo ad confirmandam fidem. Deinde ad refutandas stultas opiniones de Papistarum obedientia et votis monasticis, quae ipsi magnifice praedicant. Sed hanc historiam ex alto despiciunt, propterea quod Abraham fuit oeconomus, laicus, maritus. Ista sunt opera politica et mundana, inquiunt, nos spiritualia facimus, deserimus mundum.

Quod si quis monachis persuadere vellet Abraham fuisse sacerdotem et Episcopum, eum haereticum clamarent. Ipsi enim sacerdotem definiunt, qui habet longam vestem, rasum caput, qui legit horas canonicas. Extra hanc ideam nullum sacerdotem norunt. Quasi vero Deus sacrificos istos ululantes in templis probet. Diaboli sacerdotes sunt, Abraham autem vere sacerdos est: quia non solum pecudes, sed filium offert. Et hic quidem ritus immolationis descriptus est, ligavit, et mactare voluit tanquam pecudem.

Hoc ipsi non considerant, nec magnifaciunt, propterea quod Abraham non habet rasum caput, non habet casulam aut unctos digitos: alit barbam, et est maritus. Si habuisset scortum et spurios, magis laudarent.

Sed nos vicissim eos detestamur et damnamus tanquam idolatricos et diabolicos, et hos veros sacerdotes esse dicimus, qui credunt verbo Dei, offerunt sacrificium laudis et crucis: non incedunt in longis vestibus, sed in donis et ornamentis spiritus sancti: fide, pacientia mortis et expectatione alterius et melioris vitae.

Haec de historia ista vere spirituali dicta sufficiant, quam quidem ego carnalis et unus de pedibus asini, qui non ascendit in montem, non possum perfecte assequi aut enarrare: tantum tamen docere volui, quantum mihi per tenuitatem meam cogitare et intelligere licuit.

Et clamavit ad eum Angelus Domini de coelo dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit, ecce ego. 22, 11

Hic videre est, quomodo sancti sunt admirabiles Angelis et spectacula Dei, quia sunt ipsi opera Dei. Angelus de coelo hic adfuit, et vidit Abraham in toto actu. Imo Deus ipse in coelo et omnes Angeli fuerunt spectatores. Neque enim procul a finibus mundi advolavit Angelus, sed adstitit supra Abraham, et Isaac intentis oculis consideravit et vidit, quomodo ligaret filium, et admoveret cultrum iugulo, et quomodo filius suam obedientiam declararet et volens expectaret istum. Abrahamo fortassis

---

38 istum *G. H.*] ictum *I. K. Erl.*

lachrimae fluxerunt. Filius resupinus iacuit fixis oculis in coelum, Ista Angelus aspexit, et stricto iam cultro clamat et vocat Abraham nomine. Adeo prope adsistunt, et oculos in nos dirigunt Angeli, cum sumus pii.

Hac obedientia mirum in modum delectatus est Deus. Id enim unum omnium sacrificiorum Deo gratissimum est: occidere peccatum, vivere in iustitia, sanctitate, obedientia et mortificatione carnis. Nobis quidem id dolet et grave est, sed discendum et assuescendum est, ut Paulus inquit, quae sit voluntas Dei bona. Röm. 12, 2

Nos de his tantum verba facimus: Sed Abraham et Isaac re ipsa praestiterunt. Atque haec Deo perfecta voluntas est, nobis ne quidem inchoata, Deo bene placens et bona: nobis mala et ingrata. Nihil enim asperius est mortificatione carnis et peccati. Ideo nobis horribilis et impossibilis videtur, eamque fugimus et odimus. Assuescendum tamen et incipiendum est exemplo Abrahae, qui non fugit: sed summa voluntate expectat, et ideo adest, ut mactetur filius, et ut vita succedat morti.

Hoc est opus in fide factum, quo solent gaudere Angeli, etiam in nobis: Quando sumus in officio et opere Christiano. Ad hoc collata Papistarum iustitia et obedientia non solum obscuratur, sed foeda prorsus et abominabilis videtur, quia sunt omnia electitia. Sicut Reges et populi multi exemplum Abrahae imitati sunt: Sed peccaverunt graviter, nec intellexerunt veram mortificationem.

Extat historia in vitis patrum de quodam eremita, qui cum unico filio mundum relicturus in desertum concesserat: ibi cum puer fleret, voluit eum in vicinum flumen coniicere et submergere. Hoc opus magnifice efferunt et extollunt monachi, et operi Abrahae aequiparant. Sed aequale est operi Diaboli in paradiso. Et si occidisset filium, fuisset homicida, et quicunque alii eius exemplum unquam secuti essent, aut approbassent. Ratio haec est: Quia sine verbo nulla obedientia Deo placet.

Sed Papistae, sacerdotes illi Baal, hanc rationem non accipiunt. Sed pertinaciter reclamant nos damnare bona opera. Atqui bonum opus esse illud nos adfirmamus, quod fit in fide et obedientia Dei ab eo, qui credit Deum creatorem, servatorem et resuscitantem a mortuis. Econtra Monachus, sacerdos Baal, Turca, Iudaeus, num incedit in obedientia Dei? Nequaquam: quia nullum mandatum Dei habet.

Sic Achas magnum opus fecit, sed contra Deum et eius verbum. Ideo recte Micheae 6. dicitur: 'Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo?' etc. Non, quia non est praeceptum. Abraham habuit singulare mandatum Dei, alii non item: quia non generaliter dicit: Quicunque immolaverit Deo filium, placet Deo. Micha 6, 7

Non possumus omnes unum et idem opus facere, sicut in corpore humano diversorum membrorum diversas operationes esse necesse est. Pedes non fabricant, manus non ambulant. Sed una est obedientia et unus

spiritus sanctus. Obedientia autem sit certa de fide, quae nulla est, ubi non est promissio divina. Neque opera placent, ubi non est mandatum Dei. Papistae et Turci sunt pleni fide, sed conficta, quia dicunt: Ego sic credam, igitur sic Deo placebo. Id vero electitium est propria opinione: Ideoque devotio est, non ad Deum, sed ad Diabolum pertinens.

Itaque exemplum illud singulare Abrahae non est trahendum in consequentiam. Sed obedientiam et fidem resurrectionis, occisi peccati, mortis, quae in ipso et filio fiunt, imitari debemus. Postea quisque suo loco et ordine in eadem fide maneat, et obediat Deo. Ita erimus socii Angelorum, hospites et convivae regni Dei.

Caeterum hoc loco quaeri potest, cur apud nos et in universum in novo testamento rarius apparuerint Angeli, quam in veteri testamento. Respondeo, Ideo hoc fieri, quia apparuit et missus est filius, haeres omnium. Antea quidem praemissi sunt ministri et nuncii, ut solet fieri a principibus et regibus in mundo, qui monerent populum de adveutu Domini. Ipso autem praesente nihil opus est ministris et praecursoribus.

Postquam Deus misit filium, revelavit omnia, et replevit orbem sapientia coelesti, attestantibus signis et miraculis a CHRISTO editis. Sicut inquit Paulus. 1. Timothei 3.: 'Deus manifestatus est in carne, iusti- 1. Tim. 3, 16
ficatus in spiritu', etc. Ideo non expetendae sunt Angelorum apparitiones.

Post Christum exhibitum diabolus horribiliter mundo illusit immissis spectris et malis Angelis, ut testantur exempla superioris aetatis. Sed fuit ea poena ingratitudinis hominum, qui Dominum ipsum praesentem contempserunt, et inani curiositate novas revelationes quaesiverunt.

Sic initio renati Euangelii Monetarius, Carolostadius et Sacramentarii exorti sunt, qui relicto Euangelio, tradito per spiritum sanctum de coelo, peculiares illuminationes sectati sunt. Quidam eo dementiae pervenerunt, ut gloriarentur se vocem Dei in coelo loquentis audire.

Hic necessario opponenda fuit veritas et lux Euangelii, et pugnandum contra eiusmodi phanaticos, qui sine verbo voluntatem Dei scrutandum putabant. Tales fuerunt olim Enthusiastae, item Manichaeus et omnes haeretici, qui voluerunt similes esse patriarchis, quibus subinde clarius revelata sunt oracula Dei, donec Christus lux ipsa prodiret in hunc mundum.

Sic Pontifices nova deliria commenti sunt ex promissione Christi male intellecta, cum dicit Ioannis 16.: 'Adhuc multa habeo vobis dicere: Joh. 16, 12 f.
sed non potestis portare modo. Cum autem venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.' Finxerunt non omnia per Christum et Apostolos tradita esse, quae sunt ad salutem nostram necessaria. Sed multa oracula reservata esse Episcopis et sibi, subinde clarius Ecclesiae proponenda.

His deliriis omnibus opponatur vox Christi: 'Habent Mosen et Pro- Luk. 16, 29
phetas.' Item: 'Dominus ipse venit, hic tollantur portae, ut intret.' Non Ps. 24, 7 f.

enim est servus, qualis Moses aut spiritus ministrantes sunt: sed Dominus ipse.

Haec tradenda, et ad posteros quoque propaganda sunt, ut fugiant et detestentur revelationem novarum doctrinarum, et custodiant mandatum illud coeleste: HUNC AUDITE, id est, Euangelistas, Apostolos. Hos legant et audiant: item vetus testamentum, quod fert de istis omnibus fidele testimonium.

Quod si praeter haec aliquid revelatur, oportet, ut habeat Analogiam fidei, et sit revelatio intellectus scripturae. Alioqui diabolica est: Satan me quidem saepe tentavit, sicut et Augustinum, qui deprecatur, ne Angelus sibi appareat, ut postularem signum a Deo. Sed absit a me, ut huic tentationi adsentiar. Martyres sine Angelorum apparitione solo verbo confirmati, mortem oppetierunt pro nomine Christi. Cur non eodem et nos acquiescamus? Satis evidens et illustris apparitio est Baptismus, Eucharistia, claves, ministerium verbi, aequale, imo exuperans omnes omnium Angelorum apparitiones, quorum collatione Abraham guttulas tantum et micas habuit.

Ego igitur non curo Angelos, et soleo Deum quotidie precari, ne quenquam ad me mittat, quacunque de causa. Quod si offerretur aliquis, non audirem, sed aversarer: nisi de politica necessitate aliquid significaret, sicut somnia omnia iucunda et laeta in rebus civilibus interdum solent nos exhilarare; Et tamen haud scio an etiam in tali casu auscultare et credere ei velim.

Verum in rebus spiritualibus non requiramus Angelos. Quia promissio Dei abunde in Christo exhibita et patefacta est. Reliquit is mihi verbum, quo me erudio et confirmo. Nec est, quod vercar eum varium aut mutabilem esse, qui subinde aliam atque aliam doctrinam edat. Sicut
4. Mose 23, 19 Num[eri] 23. dicitur: 'Non est Deus quasi homo, et mentiatur. nec ut filius hominis, ut mutetur.' Habemus sermonem Dei, Eucharistiam, Baptismum, decalogum, coniugium, politicas ordinationes et oeconomiam: His acquiescamus, et exerceamus nos usque in finem mundi.

Gregorius, ut videre est in eius dialogis, credidit simpliciter omnibus apparitionibus. Sicut inter reliqua de festo S. Michaelis multa commenti sunt. In monte Gargaro Michaelem templum consecrasse, et bovem confodisse, qui eo die festo araverat. Ego dixissem, Quid tibi cum monte Gargaro, cuius Dominus est Rex Apuliae, Tu non es Michael, sed diabolus.

Talibus mendatiis referti sunt Papistarum libri, et accidit id nostra culpa. Quia noluimus audire Dominum, et postulavimus Angelos, revelationes et apparitiones, ideo magna copia quod quaesivimus, offendimus magno nostro malo.

21 somnia omnia iucunda *G. H.*] somnia iucunda *I. K. Erl.*

Sic enim Paulus iudicat .2. Thessalonicensium 2.: 'Eo, quod caritatis 2. Thess. 2, 10 f.
veritatem non receperunt, ut salvi fierent, Ideo mittet illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendatio.' Contempsimus illum doctorem, de quo dictum est: Hunc audite, Item: Spiritus Domini super me, etc. Habuimus aures prurientes, et a veritate auditum avertentes, ad fabulas conversi sumus. Ideo invenimus, qui aures fricarent.

Ego si essem Rex, et misissem alicui filium meum unicum oblato simul regno et omnibus bonis, et is tantum beneficium aspernaretur, mitterem ei crucem et omnis generis mala. Sic nos cum Euangelium confirmatum signis e coelo non receperimus: An non digni fuimus, qui acciperemus totam legionem diabolorum pro uno Angelo bono, quem vidit Abraham?

Et ille ait: Non mittas manum tuam in puerum, neque facias illi quicquam. 22, 12a

Hic alia quaestio oritur: Quomodo potuerit Abraham voci Angeli obtemperare, et a mactatione filii abstinere. Quid si dubitasset, et cogitasset non esse Angelum, sed diabolum? Quia mandatum Dei expressum habuit: 'Macta filium, et offer in holocaustum', contra id iubetur parcere puero.

Prior tentatio fuit contra promissionem seminis, ea vero superata, cum iam de obedientia animum obfirmasset, et Isaac hanc consolationem amplexus esset, se in cinerem redacto, tamen mansuram promissionem, et se a Deo resuscitatum iri. Contra haec omnia iam clamat Angelus: 'ne facias puero quicquam.' Ibi tentatur pugnantia contra praeceptum, sicut supra contra promissionem.

Respondeo autem ad quaestionem. Scriptura sancta adfirmat fuisse verum Angelum, non fallacem, adferentem verum Dei verbum, ei credidit Abraham, quod non proferretur in vanum, et spiritus sanctus, cum iam de occidendo filio certus esset, intus per verbum Angeli tanquam per externum organum eum admonuit, et domuit in eo spiritum et fidem: verum sine verbo externo non credidisset Abraham diversum, nec mutasset sententiam.

Deinde credibile est singulari quodam et arcano motu Abraham continuisse manus contra mandatum. Sicut in veteri testamento Prophetae multa fecerunt contra verbum, ut Elias aedificat altare in monte Carmeli, et interficit Prophetas Baal, contra quam Moses praeceperat: 'In loco, 5. Mose 12, 5
quem elegerit Deus, ibi offeres', hoc non servavit Elias, nec Elizeus. Item multi Prophetae in Israel fuerunt, qui non venerunt Hierosolymam, ut ibi docerent.

1/2 caritatis veritatem *G. H.*] charitatem veritatis *I. K.*] caritatis veritatem *Erl.*

Hi omnes singularem impetum cum quodam privilegio habuerunt.
Richt. 14, 6 Sic Simson peculiarem spiritum habuit, quando leonem dilacerat, et mille
Richt. 15, 15 philisteos maxilla asini sine armis trucidat. Isti singulares motus et heroici spiritus supra communem regulam et rationem sunt. Quemadmodum in politico regimine videmus discrimen quoddam gubernatorum et principum: quidam in gubernatione servant leges et ius commune: Quidam non, ut Alexander nullis legibus se adstringi patitur, sed perrumpit suo quodam impetu, quod ab aliis fieri nequaquam posset.

Haec in exemplis ethnicis cernimus: Quanto magis Deus reservavit sibi heroas in suo populo. Gideon trecentis militibus profligavit exercitum Midionitarum. Supra Abraham quatuor Reges exigua manu devicit. Haec non sunt vulgaria exempla: sed miracula, quae Deus sibi reservat. Sic fieri potest, quod Abrahae occultum et peculiarem impetum indidit Deus, ne mactaret filium: sic simpliciter responderi posse videtur.

Sed textus addit etiam externam notam. Quia diserte dicit, Angelum de coelo venisse, non venit more Satanae. Deus enim mirabile discrimen constituit, boni Angeli veniunt cum terrore, id est, cum aliqua maiestate,
Ps. 104, 4 sicut Psalmus .103. Angelos sive ministros ignem urentem vocat, ita ut terreantur homines, ad quos veniunt. Sic Maria expavescit viso Angelo. Item Daniel capite 8. Adferunt igitur secum quandam maiestatem.

Ita hic Angelus delapsus est coelo, et coelum haud dubie apertum est, adfulsit nova lux, conspecta fulgura et ignis, adfuit una multitudo Angelorum, qua maiestate perterritus Abraham cultrum et cogitationem simul de mactatione abiecit. Sic in monte Sina cum flamma et tonitru apparuerunt, ut prosterneretur populus. Tandem vero discedunt boni Angeli cum laetitia, et relinquunt animos tranquillos et hilares. Haec ratio Deo est mittendi bonos Angelos, quo signo et Abraham admonitus est, adesse verum Angelum.

Sed Angelus malus, perinde ut serpens, leniter et suaviter serpit, donec illiciat homines in securitatem et peccatum, postea recedit cum horribili pavore.

Secundo: Abraham habet Analogiam fidei, quia Angelus non adfert verbum contrarium promissioni, sed consentiens cum hoc: 'In Isaac tibi semen', etc. Iudicandi enim sunt spiritus per Analogiam fidei. Ut cum iubet Satan per Pontificem, ut adorem Bennonem, idolum illud Misnense[1], id mandatum ad regulam et normam fidei exigo, et video, an cum ea conveniat.

18 Psalmus .103. *G. I. K.*] Psalmus .105. *H.*] Psalmus 104 *Erl.*

[1]) *Bischof Benno von Meißen (1066 bis ca. 1106) wurde von Papst Adrian VI. am 31. Mai 1523 kanonisiert. Luther protestierte heftig dagegen in der Schrift:* Wider den neuen Abgott und alten Teufel ꝛc. *1524. Vgl. Unsre Ausg. Bd. 15, 170 ff.*

Analogia autem fidei haec est, Act⌊orum 4. 'Non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri.' Sic inter Christum et Iacobum in compostella[1] nulla Analogia est. Igitur hunc tanquam idolum abiicio, etiamsi Angelus aliud euangelisaret, aut mortuos excitaret idolum. Apg. 4, 2

Promissiones sunt simpliciter invariabiles et immutabiles: Ideo et Abraham antea praeceptum quidem servavit: Sed ita, ut ad Analogiam promissionis exigeret de venturo semine. Postremo etiam finalis causa spectanda est, Ideo sequitur.

Quia iam cognovi, quod tu timeas Deum, et non pepercisti filio tuo unico propter me. 22, 12 b

Angelus hoc vult, ut timeatur Deus. Illam finalem causam Diabolus non praescribit. Et tamen finis ille, videlicet timor Dei nullus est, nisi habito prius verbo Dei. Sic utcunque externa differentia apparitionum constitui potest ab iis, qui iuditium spiritus et fidem habent. Spiritus enim malignus non potest non suam gloriam quaerere. Sicut impii et falsi Doctores proponunt nova et inaudita, ut mundus sapientiam eorum admiretur, non ut Deus timeatur.

Alterum et certissimum argumentum boni Angeli est, quod e coelo venit. Tertio congruit etiam Analogia fidei. His motus Abraham paruit voci Angeli tollenti mandatum de immolando filio, quibus accessit haud dubie spiritus sanctus, qui perpetuo coniunctus est cum verbo.

Eiusmodi loci, ut videntur contrarii, mirabiles disputationes pariunt apud ambitiosa ingenia. Diabolus enim quaerit *ἀντιλογίας*, iis ubi nihil proficit, *παραλογίας* excogitat: Num Deus sibi ipsi sit contrarius et mentitus: prius iussit immolare filium, nunc vetat. Verum nobis Christianis de his rebus, et cum reverentia, et timore Dei cogitandum et loquendum est. Et talis agnoscendus est Deus, quod agat contraria in contrariis. Quanquam haec sanctorum miranda gubernatio multa suaviter monet, et plenissima consolationis est. Ac vere pii, si salva reverentia maiestatis et veritatis divinae liceret, possent his formis loquendi uti: Deum fingere, mentiri, simulare et ludere nos, ut nostro proverbio dici solet: Sols war sein, so ist es ein grosse lugen.[2] Quando enim mors oppetenda est, possunt ad Deum dicere: Non est mors, sed vita, tu ludis mecum, sicut pater cum filio, aliud dicis, aliud cogitas. Id nobis salutare mendatium est.

Ac foelices nos, si possemus hanc artem a Deo discere. Alienum opus tentat et proponit, ut suum facere possit: per nostram adflictionem

---

[1]) *In St. Jago de Compostella (Spanien) wurde seit 829 mit den angeblichen Gebeinen des Apostels Jakobus des Älteren ein ausgedehnter Reliquienkultus getrieben.*
[2]) *Nicht bei Thiele und Wander.*

CONCORDIA COLLEGE LIBRARY
BRONXVILLE, N.Y. 10703

quaerit suum ludum et nostram salutem. Deus dixit ad Abraham: Occide filium etc. Quomodo? ludendo, simulando, ridendo. Foelix sane et iucundus lusus.

Sic fingit interdum se longius a nobis recedere, et nos occidere. Sed quis credit simulationem esse? Atqui apud Deum est ludus, et, si liceret ita dicere mendacium est. Est quidem vera mors, quae omnibus obeunda erit. Sed Deus non serio id agit, quod ostendit. Simulatio et tentatio est, an velimus amittere res praesentes et vitam ipsam propter Deum.

5. Mose 13, 1 ff. Sic in Deuteronomio dicit Moses 13: 'Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicet etc. Non audies, qui tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum in toto corde, et in tota anima vestra.'

Haec verba non sunt irati iudicis, sed paterna verba sunt: Ego dedi tibi verbum, ut quieto corde amplectaris etc. Sed mittam Pseudoapostolos, et tentabo, an velis serio diligere me et verbum.

Sic pater puero pomum aufert simulatione quadam, non quod velit eripere: sed tantum tentat, an filius diligat se, et credat patrem redditurum. Quod si filius libenter dat pomum, gaudet parens de obedientia et amore filii.

Sic Dei tentatio paterna est. Ita enim Iacobus in sua Epistola Jak. 1, 13 inquit: 'Deus non est tentator ad malum', hoc est, non ideo tentat, ut eum metuamus et oderimus, tanquam tyrannum: sed eo fine, ut exerceat et exuscitet in nobis fidem et dilectionem.

Satan autem tentat ad malum, ut abstrahat a Deo, ut faciat te diffidere et blasphemare Deum. Deus ludit cum filiis, quos diligit, exhibet se, ut carni apparet, iratum et formidabilem. Hinc querelae illae oriuntur: Ps. 31, 23 Ps. 27, 9 'proiectus sum a facie oculorum tuorum', item: 'Ne avertas a me faciem tuam.' Sed sunt meri lusus. Nec fallet aut decipiet te Deus, tu tantum firmiter adhaereas promissioni infallibili et immutabili: et quamvis honores, opes, vitam ipsam amittas: tamen non statuas Deum tibi irasci, teque abiecisse propterea, sed alia longe praeclariora dona, honorem vitamque Hiob 13, 15 f. meliorem ab eo expectes, sicut inquit Iob 13.: 'Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.'

Caeterum verbum, 'cognovi', interpraetati sunt patres hoc loco, noscere te feci, hoc est: ut intelligeres te esse timentem Dei, Sicut Petrus monet, ut certam et firmam faciamus vocationem et electionem nostram bene operando. Quemadmodum si quis tentationem superavit, certior redditur de auxilio Dei, et potest dicere, hoc certum argumentum est, me a Deo esse adiutum: quia meis viribus non potuissem hoc efficere. Sic fructus spiritus dicuntur testimonia fidei, quae nos de nostra electione et vocatione certificant.

Porro Canon hic observandus est de duplici cognitione vel visione

Dei. Quando dicitur in scriptura sancta: vidit Deus, ibi faciunt duplicem cognitionem, unam aeternam et invisibilem, qua Deus videt res, antequam existerent: alteram, qua intuetur res praesentes. Deus non vidit Mariam, antequam fuit, illa altera visione, qua existentes res aspicit: et tamen ab aeterno vidit. Sic omnes creaturas vidit Deus, antequam fierent: et iam cum factae sunt, etiam videre sive cognoscere dicitur.

Ad eundem modum hic loquitur Deus: Nunc cognovi, hoc est, nunc probo et in effectu video te timere Deum. Huc pertinet Augustini distinctio inter cognitionem vespertinam et matutinam.

Habet enim Deus aliqua humano captui accommodata, ideoque hanc phrasin ('nunc cognovi') simpliciter accipiendam puto, tametsi patrum expositionem non reprobo, quod loquatur Deus humano more, tanquam ex illa obedientia tum demum perspexerit pietatem Abrahae et verum timorem.

Dulcissimae enim sunt eiusmodi descriptiones, quando scriptura de Deo tanquam de homine loquitur, et humana omnia ei attribuit, quod loquatur nobiscum familiariter, et similia hominum sermonibus, quod gaudeat, contristetur, patiatur ut homo: propter mysterium futurae incarnationis.

Ob eam enim causam legimus et evolvimus vetus testamentum, ut Christum videamus praedictum incarnandum, non solum verbis, sed et variis figuris et factis.

Itaque amamus illas phrases scripturae, quando forma et gestibus humanis describitur Deus: 'Quare obdormis?' 'oculi Domini super iustos.' Pſ. 44, 24 Pſ. 34, 16
'aperis tu manum tuam', et si qua sunt similia, quae de hominibus ad Pſ. 145, 16
Deum transferuntur, propter nostri intellectus imbecillitatem.

Et hac quidem quasi pictura contenti simus, et fugiamus curiositatem illam humani ingenii, quae vult scrutari maiestatem. Ideo enim Deus praedictus est incarnandus, ut certam formam cognoscendi et appraehendendi Deum haberemus.

Deinde quaestio hic agitari solet, an Abraham sit iustificatus ex operibus? Sicut disputat Iacobus in sua Epistola. Quia enim dicitur: 'Nunc video te iustum', vult inde colligere, quod prius non fuerit iustus. Jak. 2, 21
Sed facilis est responsio, quam ipsa verba ostendunt. Aliud enim est esse iustum, etiam Grammatice loquendo: aliud cognoscere iustum.

Abraham fuit iustus fide, antequam cognoscitur a Deo talis. Igitur male concludit Iacobus, quod nunc demum iustificatus sit post istam obedientiam, per opera enim, tanquam per fructus cognoscitur fides et iustitia. Non autem sequitur, ut Iacobus delirat: 'Igitur fructus iustificant.' Sicut non sequitur: ego agnosco arborem ex fructu. Igitur arbor ex fructibus fit bona.

Facessant itaque e medio adversarii cum suo Iacobo, quem toties nobis obiiciunt, et multa de iustitia operum blaterant, sed nihil intelligunt.

Quin et Sophistae distinguunt inter esse cognitum, et esse substantivum. Iustus non fit iustus cognoscendo. Sed iustificatus fide, ut supra cap. 15. de Abrahamo dictum est, cognoscitur iustus ex fructibus et operibus.

Observandum vero et illud est hoc loco, cum celebratur Abraham timens et reverens Dei, non tantum de fide dici, sed de universo cultu, de arbore cum fructibus, siquidem timere Deum Hebraeis est idem, quod colere Deum, seu servire Deo, diligere et habere Deum in precio.

Ps. 14, 5 Sic Psalmus 13. [!]: ‘timuerunt, ubi non erat timor’: non loquitur de pavore, quia impii non pavent. Sed de cultu impiorum. Colunt Deum,

1. Tim. 4, 2 ubi non est colendus: faciunt cauteriatam, ut Paulus appellat, hoc est, factitiam, sive fictam conscientiam, violentam, non naturalem, non veram. Sicut Papa, quando prohibet coniugium et esum carnium. Impii igitur volunt timere, id est, colere Deum, ubi non est verus cultus Dei.

Matth. 15, 9 Sic cum dicitur: ‘frustra colunt me mandatis hominum’, idem est, quod timent. Quia summus cultus est in scriptura sancta: timor Dei.

1. Mose 31, 42 Hinc Iacob appellat Dominum Deum timorem et reverentiam, et nihil aliud intelligit, quam ipsam divinitatem.

Impii ergo volunt esse reverentes, humiles, inclinata cervice et tremulo capite incedunt, sicut arundo, cupiunt videri timentes Dei prae omnibus hominibus, et tamen frustra timent et colunt.

Atque id sane commune malum est per totum orbem terrarum: timemus, colimus, observamus etiam usque ad angelorum religionem: sed conficta et cauteriata conscientia. Sicut sacerdotes Baal durissima quaeque patiebantur, pungebant se cultris et subulis usque ad sanguinis effusionem,

Gal. 6, 17 sed erant illa stigmata electitia, non illa, de quibus Paulus dicit: ‘porto stigmata Domini mei’, etc.

Econtra ubi maxime timendum erat, nihil timent impii: imo audacissimi sunt in contemnendo vero cultu et conculcando verbo Dei.

Nusquam vero est timendus Deus, nisi in suo verbo, iuxta illud: ‘Non adorabis Deos alienos: non facies tibi sculptile, qualecunque sit’: ubi revelatur Deus in verbo, ibi cole, ibi exerce tuam reverentiam, tum times, ubi timendum et pavendum.

Ideo nos proculcamus Papam, et sectas, qui cultus instituunt extra et contra verbum Dei, non timemus aut colimus. Ipsi vicissim veram religionem et doctrinam damnant, et vocant haereticam. Timent igitur, ubi non est timor, et ubi timendum erat, non timent.

Hactenus Abraham sacrificium expedivit cum suo filio, quamvis non est peractum, sed tantum fuit praeparatio quaedam ad sacrificium.

Et levans Abraham oculos suos vidit, et ecce aries post tergum, 22, 13
compraehensus in perplexu veprium cornibus suis, abiensque
tulit arietem illum, et obtulit eum in holocaustum
pro filio suo.

Supra dictum est nos pie et cum reverentia sic cogitare posse, quod Angelus cum singulari maiestate venerit cum vento et flamma, et Abraham perterritus prostratus sit in faciem, vel saltem genibus flexis praebuerit aurem, quando dixit Angelus: 'Tu es timens Deum.' Postquam autem prohibuit mactationem, disparuit Angelus. Ibi Abraham solus cum filio relinquitur, cumque levant oculos et circumspiciunt, vident Arietem post se (Emphasis est in particula post se) is haeret intricatus vepribus perplexis et implicatis.

Hebraeum enim vocabulum (*Sebach*) proprie significat ramos erraticos, diffusos, crescentes sine certo ordine, illi appraehenderunt cornua arietis.

Sic Psalmo 74.: 'Quasi in silva lignorum securibus exciderunt', signi- Pſ. 74, 5
ficatur, non aliter grassatos esse hostes in sanctuarium, ac si silva vel arbustum securibus cedatur, quasi templum et sanctuarium confusa et perplexa silva esset. Alii finxerunt esse proprium loci. Sed est nomen appellativum. Aries fuit in radicibus montis, detentus inter vepres et virgulta.

Sic quaeri hic solet, unde venerit iste aries. Iudaei dicunt creatum esse sexta die cum aliis animalibus, et divina ordinatione conservatum ad illud tempus usque. Nos Christiani scimus, quod apud Deum idem est creare et conservare. Qui novit potentiam creatoris, non disputabit curiosius, unde venerit aries. Scotus disputat, unde Deus sumpturus sit ignem in die iuditii ad conflagrationem mundi. Quid potest quaeri aut cogitari stolidius? Sapientes scilicet non committunt nisi insignes errores.[1] Sed ut aliquid dicamus de proposita quaestione, illud meminerimus, quod scriptura sancta usitatum Deo esse ostendit, ut per Angeli aut ministri alicuius vocem producat ea, quae non erant, aut ea, quae existunt, multiplicet.

Ad verbum Mose hominis manat aqua ex petra, coturnices sparguntur per castra. Si Deus unam coturnicem habet, centena millia aut innumeras habet. Sic sumit quinque panes, et cibat quinque millia.

Si credimus potentia divina omnia ex nihilo esse condita, cur non et illud credamus, eum hoc, quod iam existit, posse multiplicare et augere.

---

13 (Sebach)] סְבַךְ

[1]) *Häufig bei Luther in der deutschen Form:* Ein weiser man thut kein kleine torheit. *Vgl. z. B. Unsre Ausg. Bd. 33, 684 zu 475, 39; Bd. 31[1], 206, 33.*

Unde nix, unde pluvia tam subito saepe oriuntur? iam coelum serenum est, paulo post uno momento, quando libet, mittit nivem vel pluviam.

1. Kön. 17, 14 Elias 3. Reg|um 17. ad viduam Sareptanam dicit: 'non deficiet hydria farinae, nec Lecythus olei minuetur.' Per hoc verbum alitur vidua cum familia toto illo tempore famis: quin et filius mortuus resuscitatur. Sic

2. Kön. 4, 42 Heliseus 4. Reg|um 1. imperat servo: 'da populo panes, saturabuntur', et saturati sunt centum viri viginti panibus hordeaceis. Quanto magis ergo Angeli id possunt? Deo non est impossibile ex ipsis vepribus pronunciante Angeli arietem producere, tanquam per potentiam ordinatam et mediatam: quanto magis, si voluisset uti immediata: sicut quando ignem in fornace mutat in refrigerium.

Non igitur repraehendo, sive per Angelum allatum arietem dicas, sive iubente Angelo procreatum, quod magis credo.

Neque tamen temere prolata videtur vox illa a patribus, quod aries fuerit ab initio mundi praeparatus. Habuerunt enim notitiam de semine mulieris, de Christo, cuius figuram intellexerunt esse arietem istum.

Tit. 1, 2 Is enim ante creationem fuit: sicut inquit Paulus Tit|um 1.: 'Promisit, qui non mentitur, Deus, ante tempora saecularia', Christus igitur ante saecula ab aeterno ad id destinatus fuit divina providentia, ut contereret caput serpentis, fieret victima pro genere humano, mortificaret peccata, et nos vivificaret: expectavit autem donec tempus praefinitum manifestationis veniret. Haec satis bona allegoria est, quam non improbo.

Postquam vero viderunt arietem divinitus quoquomodo adductum assumpsit eum Abraham, et obtulit in holocaustum pro filio suo. Ibi Isaac fuit acoluthus et iuvit patrem in peragendo sacrificio. Fuit autem aries ille signum, quo confirmatus est Abraham, non Isaacum, sed arietem immolandum esse. Sic semper signum aliquod ad verbum additur, statim enim intellexit arietem divinitus exhibitum esse, ut offerretur, ne frustra parasset altare et alia necessaria ad sacrificium.

22, 14 Vocavitque Abraham nomen loci illius. Dominus videbit: Sicut et hodie dicitur, in monte Dominus videbit.

Communis sententia est omnium interpretum, passivam vocem hic retinendam esse, et legendum: in monte Dominus videbitur. Nec dubito Hieronymum initio sic reddidisse: Sed alterius cuiusdam scioli aut notarii vitio mutatum esse, qui putavit posteriorem particulam cum praecedente convenire debere.

Supra autem de monte, sive potius de terra Moriia dictum est, qui fuit locus reverentiae et cultus divini, in quo patres obtulerunt.

Mihi vero magis libet Burgensis sententiam sequi, qui et linguae Hebreae peritus, et in explicanda sententia scripturae eruditus est: is

1 nec *H. I. K. Erl.*] ne *G.*

sentit legendum esse: In monte Dominus videbit, et huius sententiae hanc rationem adfert. Quia responderat Abraham supra filio interroganti de pecude: Dominus videbit, hoc est, providebit, quasi dicat, etiamsi nos nesciamus, ipse novit, unde pecudem simus habituri in sacrificium holocausti, ipse viderit.

Hanc Etymologiam non possum improbare: quia Dominus videbat, hoc est, curabat, ut impleretur ista vox Abrahae ad filium: Dominus providebit. Inde nomen monti inditum est, Dominus videbit, quasi dicat: Dominus intuetur, et curat hunc locum.[1]

Atque haec quasi relativa significatio est ad montem Moriia, in quo colebatur Deus, illius respectu hoc nomen: Dominus videbit, tanquam correlativum est ad eos, qui existunt in monte, et colunt Deum, eos enim vicissim respicit et exaudit Deus. Iam olim igitur mons iste sacer antiqua religione patrum, sicut supra dictum est, nunc etiam ab ipso Deo sanctificante et curante tum locum, tum illos, qui veniunt illuc adorantes, consecratus est.

Plena itaque consolationis appellatio est montis: Quia continet relationem inter timentem, hoc est, invocantem, gratias agentem et Deum suscipientem, sive exaudientem vota et preces: inter adorantem et adoratum.

Quia iam antea quidem fuit locus destinatus cultui divino. Iam vero plane confirmatur Abraham, Deum ibi praesentem esse, et flectere oculos et aures ad omnes, qui hoc loco colunt et adorant.

Etsi igitur rectius, ut Hebraei volunt passiva significatio retinetur: tamen usu detorta est vox de passiva in activam, ut significaretur Deum ibi adesse, et vigilantes oculos dirigere in suos cultores.

Sic Iacob infra, cum iret in Mesopotamiam, et noctu in somnis videret scalam, et in ea Angelos Dei ascendentes et descendentes, terribilis, inquit, est locus iste, et non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli, id est, hoc loco timendus Deus est, hic gratiae agendae et sacrificandum est. Ita hic mons Dominus videbit ad omnem posteritatem sacer est habitus, et patres quadam pietate et reverentia traxerunt ad cultum, ut, qui vellet videre Deum, illuc veniret: quia non solum ibi appareret et videretur: sed etiam videret Deus.

Quasi dicerent. Iam debet vocari Epiphania. Quia Deus respicit, apparet, auditur, videtur, ostendit se in verbo, exauditione precum et omnibus aliis beneficiis. Haec Catachresis et mutatio vocabuli est: verum non in malum usum, sed magis in consolationem.

Quia vero non solum videt ipse, et intuetur hunc locum, quod nobis non satis esset. Sed etiam videtur et apparet nobis, Hinc sequitur illud:

---

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 188f. die neue Glosse zu v. 14.*

Dominus videbitur, ubi antea tantum videbit dicebatur. Existimo autem montem illum fuisse locum oraculorum. Rebecca postea consuluit illum videbitur, hoc est, petivit consilium a Patriarcha Sem, qui fuit sacerdos Domini, et eo loco haud dubie docuit et praedicavit.

22, 15.16a Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de coelo: dicens.

Postremus hic sermo est, quem habuit Dominus ad Abraham, iamque historia Abrahae finietur. Caeterum hic iterum moneo, quod saepe dixi in sacris literis et historiis inprimis observandum esse verbum et conciones Dei, id quod in mutis legendis non auditur, sola scriptura sancta habet Epiphania Domini.

Quanta autem, et quam illustris gloria est Abrahae, quod toties cum Deo sermones confert: Octies invenimus cum eo collocutum Deum. Nostrae legendae in Ecclesiis gentium nihil simile habent, et praepostera haec ratio est omnium hominum, ut magis admirentur opera, quam sermonem Dei, qui est author et effector omnium mirabilium et difficillimorum operum. Et tamen oculos tantum in opera deflectimns, vocem autem Dei cogitamus esse vocem hominum. Neque enim aliqua differentia apparet inter verbum hominis et verbum Dei prolatum per hominem, eadem vox, idem sonus et pronunciatio est, sive divina, sive humana proferas. Ideo recedimus a maiestate verbi, nec curamus illud Dominus videbitur, sive apparitionem Dei, negligimus loquentem nobiscum Deum, et interim monstra illa Carthusianorum suspicimus.

Igitur inprimis verbum Dei considerandum est, et quamvis omnia miracula quis faciat, quin et mortuos suscitet, et venit sine verbo, repudiandus est. Idem omnes Apostoli et Prophetae diligenter monuerunt,
5 Mose 13, 9f. et Moses Deutero[nomii 13. Pseudoprophetam et fictorem somniorum occidendum dicit. 'Quia locutus est, inquit, ut averteret vos a Domino Deo vestro.'

Nos nostro periculo moveri et sapere debebamus: Quia Pontifex suam Tyrannidem eiusmodi miraculis absque verbo stabilivit. Sicut nugantur de Papa Sixto, cum aliquando in mari periclitaretur imperasse eum mari, et dixisse: Si sum Vicarius Christi, quiescat mare procellosum, idque subito evenisse.

Hoc miraculo probaverunt Papam esse Vicarium Christi: sicut multis aliis, sive veris, sive ementitis miraculis religione item, abstinentia, vigiliis, laboribus monachorum miserae plebi fucum fecerunt.

Haec meminisse nos, et primae aetati quoque inculcare debebamus, ut cavere et odisse haec monstra, et econtra verbum Dei amare et magni-

11 Epiphania *G. H. I. K.*] epiphanias *Erl.*

ficare discerent. Id enim super omnia est, et creat omnia, pulcherrimum illum Solem, animam, corpus, et quicquid hic orbis habet.

Quid igitur opera ipsa quantumvis speciosa tantopere praedicamus? factorem potius et authorem operum admiremur, et primum omnium certi simus, an per verbum Dei, quae praedicantur miracula, sint facta, an non?

Sed dicunt Pontificii: Quomodo possent ista fieri, si non esset voluntas Dei? Recte sane, vult Deus et permittit haec fieri in poenam fastidii et contemptus verbi, ut Paulus inquit 2. Thessalonicensium: immisit eis non 2. Thess. 2, 11
simplicem errorem, sed vim et *ἐνέργειαν* erroris, qui penetret et vincat.

Proinde Pontifex ante omnia verbo Dei demonstret, Papam Sixtum esse Vicarium Christi. Scriptum est, inquiunt: Tu es Petrus, et super Matth. 16, 18
hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Bene: Sed hoc ipso vult Christus, ut sit Petrus confessor et minister verbi, non Tyrannus, qui oneret conscientias traditionibus humanis, non deleat notitiam Christi, id enim non est esse Vicarium Christi, sed Antichristum.

Itaque etiamsi mortuos suscitaret vel Sixtus, vel quicunque alius, expuerem illi in faciem, et dicerem, non sancto, sed immundo spiritu eum agitari, propterea quod non adferret verbum Dei.

Opponimus igitur verbum contra opera. Sicut ipsi vicissim opera contra verbum, et habent quidem hanc praerogativam, quod homines specie et pompa illa operum magis moventur, quam verbo. Sed nos ideo has historias tam diligenter tractamus, ut, quid principale in iis sit, consideretur. Ea ipsi non vident: sed dicunt Abraham fuisse laicum, habuisse familiam, peregrinatum esse in terris pauperem et extorrem. Non vident autem eum plenum fuisse patientia, humilitate, caritate: multo minus ista verba, quae Deus cum eo loquitur, attendunt. Si habitus eius peregrinus et inusitatus, ieiunia, gesticulationes devotae celebrarentur, tum applauderent et laudarent. Sed quia habuit uxorem, familiam, pecudes, hominem carnalem esse aiunt. Sed valeant cum suis monstris.

Nos firmiter statuamus, et credamus verbum Dei esse omnia in omnibus, cui si credis, non deerunt opera grandia et admirabilia: Sed talia tamen, quae non incurrunt in oculos prophanorum, non agnoscuntur a mundo.

Nos per verbum et preces multas arduas res gessimus, precibus adhuc servamus pacem, et frangimus conatus et insidias adversariorum. Sed ista pii tantum vident, qui habent spiritum sanctum, et magnifaciunt opera illa vere spiritualia et admiranda: Baptismum, Eucharistiam, absolutionem, assiduitatem in vocatione, obedientiam erga parentes et superiores, quae omnia Papistae fastidiunt, quia sunt vulgaria et quotidiana.

1 discerent *H. I. K. Erl.*] dicerent *G.*

22, 16b Per memetipsum iuravi, dicit Dominus.[1]

Deus maiestatis non solum promittit, sed etiam iurat: et quidem per seipsum, ut verba ostendunt. Si haberet se maiorem, libenter per ipsum iuraret: sed quia non habet, ideo per semetipsum iurat. Nostris hominibus mos est iurare per fidem, per animam suam: id non leve iuramentum est: quanquam, si homines spectes, levissimum, quia ipsi sunt vani et mendaces. Sed revera tantundem est, ac si per Deum ipsum iures.

Matth. 5, 34ff. Quemadmodum Christus exponit Matthaei 5.: 'Ego autem vobis dico, ne iuretis omnino, neque per coelum: quia thronus Dei est: neque per terram: neque per caput tuum iuraveris: quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.' Multa minus ergo per animam iurare licebit: et ratio haec est: quia iuramentum per capillos, coelum, terram, etc. fit per creaturam Dei, hoc est, per id, quod non est nostrum, aut in manu nostra. Ergo includunt eiusmodi iuramenta Deum ipsum, tametsi nomen Dei non exprimatur. Sic in sacris literis quoties dicitur. Vivit anima, est iuramentum per Deum factum, cuius creatura est anima.

Hebr. 6, 13 Magnum autem et admirandum est, quod et author Epistolae ad Hebraeos hoc loco vidit, et diligenter expendit: quod Deus per semetipsum iurat. Est enim significatio ardentis animi ineffabili amore et desiderio nostrae salutis, quasi dicat, tam cupio mihi credi, tam vehementer expeto, meis verbis fidem haberi, ut non solum promittam: Sed me ipsum pignori opponam. Non habeo maius, quod oppignorem, quia me maius nihil est, als war ich Gott bin. Si non servo promissa, non ero amplius, qui sum.

Stupendum profecto est et dignissimum observatione. Hoc enim vult significare divina veritas. Tu homo mobilis, varius et mutabilis es, addam igitur immobile iusiurandum, et eo testatum volo, me, priusquam fefellero, non fore Deum.

Si in haec tantum verba iurasset: prius coelum, terram, solem, lunam et pulcherrimum opificium totius mundi sinam interire, quam meam promissionem irritam fieri patiar: magnum profecto, et non minus mirandum esset.

Sed addit aliud longe gravius et sanctius: Ego, qui DEUS sum, qui habeo potestatem destruendi aut creandi coelum et terram, iuro et oppignoro non creaturam, non coelum et terram, sed meipsum, creatorem omnium rerum.

Hoc tam sanctum iusiurandum damnabit omnes incredulos, sicut sanctorum patrum fidem mirabiliter excitavit et auxit. Cogitaverunt enim:

---

[1]) *In allen Drucken außer I. und K. ist v. 16b nicht als Bibeltext hervorgehoben, sondern steht in laufender Zeile.*

Deus promisit vitam, redemptionem a morte et Diabolo, et per semet-ipsum iuravit. Id nostrum *Urim* et *Thumim* est: nisi itaque crediderimus, damnabimur. 2. Mose 28, 30

Meminerimus ergo et nos tam insignem amplificationem promissionis divinae, exuperantem omnem cogitationem et fidem: auget eam et confirmat Deus per suam maiestatem, ne ullam occasionem diffidendi et dubitandi habeamus.

Illud nimirum est condescendere, seque totum applicare nostrae infirmitati. Satis esse debebat, si unicum digitum moveret ad testificandam suam paternam benevolentiam erga nos. Iam vero verbum suum proponit, nec promittit solum, sed et iurat, et sibi ipsi imprecatur et maledicit, si liceret ita loqui, ut nobis benedicat.

Removeamus autem disputationes de praedestinatione et similes, quae plenae sunt periculi et exitii, quia de Dei voluntate et consiliis arcanis extra verbum inquirunt, volunt scrutari et rimari curiosius, quare Deus sic vel aliter se patefecerit, cur tam sollicite voluntatem nostram ad credendum solicitet. Nota enim est curiositas Adae, qui in Paradyso Deum extra verbum quaerebat, quemadmodum et Satanas in coelo, et invenit eum uterque, sed non sine magno malo.

Ideo discamus Deum appraehendendum esse non nostra ratione. Sed sicut ipse se revelavit, et dignatus est nobiscum loqui, et agere humano more: adeoque cum gaudio amplectamur divinam maiestatem dimittentem se ad nos tam humiliter, ut non simpliciter promissionibus ad se invitet, sed etiam iureiurando interposito cogat ad amplectendum ea, quae in verbo offeruntur.

Haec eadem doctrina egregie in Epistola ad Hebraeos explicatur capite 6.: ‘Homines enim per maiorem se iurant, et omnis controversiae eorum finis ad confirmationem est iuramentum: in quo abundantius volens Deus ostendere promissionis haeredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.’ Hebr. 6, 16 ff.

Quid posset ad fidem nostram augendam et confirmandam dici aut cogitari certius et firmius? et quid aliud nos nostra incredulitate aut dubitatione agimus, quam quod Deum promittentem et iurantem mendatii arguimus? et quasi in faciem resistentes, dicimus: Domine Deus, tu mentiris.

Quotusquisque autem est, qui tam horribilem et nimis usitatam blasphemiam, quae haeret naturaliter infixa omnium hominum animis, consideret? aut enim secure contemnunt et oderunt, aut si quando audiunt verba et promissiones, dubitare, nescire se aiunt, an sit Deus adeo misericors, an curet et exaudiat invocantes, et praecipue indignos et peccatores.

2 *Urim* et *Thumim*] אוּרִים et תֻּמִּים 22 dimittentem *G. H.*] demittentem *I. K. Erl.*

Quando autem animus in dubio est, ut ille inquit, paulo momento impellitur etiam ad blasphemiam et desperationem. Ideo toties monet Paulus de *πληροφορία*, hoc est, firma et immota cognitione voluntatis divinae erga nos, quae conscientias confirmet, et corroboret contra omnem haesitationem et diffidentiam.

Doctrina Papae eo detestabilior est, quia non solum negligit ista, Sed etiam impie statuit dubitationem. Hoc est palam pronunciat Deum mendacem, etiamsi promittat, iuret, oppignoret suam maiestatem, et maledicat sibi.

Quantum vero mali sit in impio et blasphemo dogmate, testantur externa scelera, avaritia, libidines et omnis generis flagitia, quae tanquam mali fructus ex vitiosa arbore nascuntur ex blasphemo corde, quod Deum non sentit veracem esse, sive promittat, sive mandet aut minetur transgredientibus mandata.

Ideo Epistola ad Hebraeos diligenter monet de firmitudine consilii et promissionis divinae, ne inconstantiam et vanitatem Deo tribuamus.

Tit. 1, 2 Sic ad Titum diserte inquit Paulus: 'qui non mentitur, Deus'. Quorsum attinet, inquies, ista tam accurate monere. Quis enim ausit dicere, Deum mentiri? An non etiam Pontifex, Turci, Iudaei statuunt Deum esse veracem, iustum, sapientem, bonum?

At illi ipsi cum maxime hoc dicunt, maxime omnium Deum mendacem, iniustum, insipientem esse sentiunt. Non enim aliam notitiam de Deo habent, quam Philosophicam aut metaphysicam. Quod Deus est ens separatum a creaturis, ut ait Aristoteles, verax, intra se contemplans creaturas. Sed quid haec ad nos? Diabolus etiam sic Deum cognoscit, et scit esse veracem, sed in Theologia quando de agnitione Dei docetur, agnoscendus et appraehendendus est Deus, non intra se manens, sed ab extra veniens ad nos, ut videlicet statuamus eum nobis esse Deum.

Ille prior Aristotelicus vel Philosophicus Deus Iudaeorum, Turcarum, Papistarum Deus est, nihil vero is ad nos. Sed quem sacrae literae monstrant: is nobis Deus est, quia dat nobis sua Epiphania, suam apparitionem, *Urim* et *Thimim*, et loquitur nobiscum.

Dolendum itaque est, quod huic Deo, qui verbo et signis se nobis patefecit, non assentimur et credimus. Omnes enim habemus hanc blasphemiam diffusam per carnem et sanguinem: nescio, dubito, an Deus mei curam agat tantam, quantam verbo suo promisit. Hoc quid est aliud sentire vel dicere? quam Deus est mendax.

Quod si libidines, avaritia et alia peccata tantum in nobis regnarent, non tantopere irasceretur Deus. Sed hanc radicem et caput omnium malorum detestatur et punit horribiliter. In sacris historiis celebrantur

32 *Thimim G.*] *Thumim H. I. K. Erl.*

multi reges propter omnis generis virtutes, continentiam, munificentiam, iustitiam et similes, quas humana disciplina praestare potest. Sed hoc de iis queritur scriptura, quod fecerint malum coram Domino, hoc est, hunc Deum loquentem et promittentem neglexerint, et coluerint vitulos et idola. Sicut Hieroboam et alii. Tanta enim est perversitas humani cordis, ut facilius multo et avidius amplectatur Deos alienos, quam hunc Deum, qui se nobis patefecit promissionibus et signis, veracem esse statuat. Quantum beneficium est, quod redemit nos per filium? at quam aegre id credamus videre est in periculis pestis, famis, exilii, suppliciorum, in quibus adeo angimur et trepidamus sine omni fiducia prorsus, ac si absque omni spe et promissione essemus.

Quae est causa? Quia vitio originis nobis hoc malum insitum est, quo animus noster promissionibus divinis perpetuo obstrepit et obmurmurat illud: Deus mentitur: iuramentum non est verum.

Si firmiter possemus credere, Deum servaturum promissa, et ratum fore iusiurandum, quo suam deitatem oppignoravit: et in signum filium suum dedit, tum mortem, inopiam, ignominiam, infernum, iuxta ac vitam, divitias, gloriam et coelum haberemus: sicut coram Deo nihil differunt. Sed quia id non fit, certum argumentum est incredulitatis et diffidentiae nostrae.

Igitur Papistae, Turci, Iudaei simpliciter nihil credunt nec intelligunt, quid sit peccatum, quid misericordia, iustitia, veritas, gratia: haec omnia sunt eis mera aenigmata: et tamen volunt videri sapientes, et sunt quidem, sed in suo genere, in Philosophia: non in regno coelorum. Quia de his spiritualibus rebus nihil intelligunt prorsus, sed contemnunt.

Et quomodo curarent, aut magnopere illis adficerentur, cum nos, qui cupimus esse pii, horribile illud malum in nobis depraehendamus, quod non gaudemus omni momento in spiritu de illa ineffabili misericordia Dei erga nos, non ridemus et contemnimus mortem, mundum et Diabolum.

Pertinet autem hoc ad commendationem mirabilis patientiae et misericordiae Dei, qui non solum peccata praeterita remittit: sed et praesentia, et usitatam hanc negligentiam suae gratiae magna animi lenitate tolerat.

Habemus Christi mandatum cum annexa promissione et comminatione simul: 'Quicunque confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui in coelis est.' Matth. 10, 32 'Qui non acceperit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.' Matth. 10, 38 'Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodiet eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi ego sum, illic et minister meus erit.' Joh. 12, 25. 26

His et similibus qui non moventur, sed anteferunt corporis salutem et huius vitae bona confessioni Christi, profecto non aliud sentiunt, quam Deum fallacem esse in promittendo aut comminando.

Quoties repetitur in Psalmis: 'Expecta Dominum, viriliter age, et Ps. 27, 14

Ps. 31, 24. 25 confortetur cor tuum, et sustine Dominum.' 'Diligite Dominum, omnes sancti eius: quoniam credentes custodit Dominus, et retribuet abundanter agentibus superbe, viriliter agite et confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino', Ista omnia scimus, et quotidie proponuntur nobis: neque tamen credimus, nec sequimur Deum, vocantem nos ad confessionem verbi, et promittentem auxilium et liberationem. Neque vero est, quod cogitemus Deum delectari illa dubitatione et diffidentia in nobis. Quin unum id omnium peccatorum longe gravissimum est, quod mundum et incredulos damnabit. Magnitudo enim peccati aestimari potest ex magnitudine promissionis, iuramenti, oppignerationis, imprecationis divinae.

Qui igitur aliquam vel exiguam guttam, sive scintillam fidutiae istius spiritualis habet: noverit esse benedictionem Dei et donum singulare. Quod si firmiter et indubitanter eiusmodi promissionibus adsentiremur, longe maius robur animis nostris adderetur, quam ut mundum aut Diabolum, aut omnes portas inferorum formidaremus.

Ideo saepius agitantur ista, ut animos nostros exuscitemus, et incipiamus aliquando discere cum Alphabetariis saltem. Doctores enim et Rabbi in hac sapientia nunquam erimus, utinam discipuli Christi essemus.

Deinde ut meminerimus scripturam sanctam de aliis et longe sublimioribus rebus docere, quam artes et libri Philosophici docent. Illi nihil sciunt de immensa misericordia et veritate: non intelligunt magnitudinem peccati, quo Deo mendatii crimen impingitur ab omnibus hominibus. Ignorant enim promissiones, quas Dei beneficio habemus.

Diligenter igitur haec verba iuramenti ponderanda sunt. Deus monet nos, ut clementissimus pater, solicitat, impellit, quibuscunque modis potest, promittit, iurat, seipsum pignori opponit cum sui, si liceret ita dicere, execratione: tantum ut credamus.

Sed omnes sancti hic laboraverunt: Paulus non frustra dicit ad Tit. 1, 2 Tit[um. 1.: 'Qui non mentitur, Deus.' Forsan et ipse tentatus et luctatus est cum illa dubitatione de misericordia et veritate divina, quasi diceret: Promisit Deus, sed mundus non vult credere: imo mihi ipsi difficile est vincere diffidentiam, haud dubie enim cum indignatione hanc particulam adiecit.

Nos quoque nostram miseriam et imbecillitatem agnoscamus. Quia enim primitiis istis, quas accepimus, utcunque contenti sumus, nec cupimus proficere et progredi, prorsus languidi sumus ad invocationem, confessionem, gratiarum actionem, nec statuimus iuramentum Dei esse verum: sed magna ex parte dubitamus, et tanta quidem parte mentiri Deum et fallere existimamus.

Non igitur iustificemus nos, si velit nobiscum ingredi in iuditium Deus: sed humiliemur fide, et agnoscamus peccatum, doleamus, quod istae feces et reliquiae peccati horribiles in nobis haerent, quibus mendacem

Deum, quod ad nos attinet, facimus. Ac clamemus: Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam etc. Dimitte nobis debita nostra.

Quod si superbimus de nostra iustitia, et despicimus fratres infirmos, certum est nos nihil de hac doctrina intelligere. Sicut Pharisaeus, Lucae VII. Luc. 7, 36 ff. despicit et damnat mulierculam peccatricem. Sed Christus contra opponit: Te ipsum nosce. Tu non credis mihi iuranti et oppignoranti maiestatem meam: Id summum peccatum est: non habes me pro Deo, facis tibi sculptile ex propria tua iustitia.

Tum perfecta erit fidutia nostra, Quando vita et mors, gloria et ignominia, res adversae et secundae nobis iuxta fuerint. Id vero non speculationibus assequemur. Sed in tentatione et invocatione discendum erit. Non enim disputatio hic est de vocabulis. Deus est veritas. Sed de rebus: Deus non mentitur, iurans et promittens summa bona, vitam, liberationem a peccato et inferno, tam constanter asseverans singulis nobis: Tu homo certo vives: aut ego ipse non vivam. Infernus tibi devictus et extinctus est, aut ego ipse extinguar, et desinam esse Deus: Imo ut ne dubites, habes quoque filium meum tibi dono datum.

Hisce amplissimis promissionibus credere, et certa fiducia haec bona a Deo expectare, vera fides est: Et ad hanc fiduciam excitari animos nostros vult non solum exemplis Abrahae et aliorum: nec promissis tantum, sed et filio proprio pro nobis tradito, ut esset donum et pignus coelestium bonorum.

Ad hanc doctrinam si conferimus Iudaeorum et Papistarum traditiones, horribiles tenebras in utrisque animadvertimus. Nihil enim prorsus de his rebus docent. Quid fides? inquiunt Papistae: bona opera sunt facienda. Miseri illi et amentes fidei vim et naturam ignorant. Quantum papirus ista intelligit de hisce quinque literis (FIDES) tantum ipsi intelligunt, papirus legentium oculis obiicit quinque literas. Sic illi amplius nihil de fide norunt, existimant esse ociosam cogitationem, aut notitiam tantum, qualis in daemonibus est, Nesciunt fidem esse credere et assentiri Deo promittenti et iuranti. Sentiunt quidem Deum esse, sicut et daemones. Sed id nobis non sufficit, imo nihil ad nos, quia est extra nos.

Vera autem fides sic statuit: Deus est mihi Deus, quia mihi loquitur, mihi remittit peccata, non irascitur mihi: Sicut promittit ego sum DOMINUS DEUS tuus. Ibi explora animum tuum, an credas Deum esse tuum Deum, patrem, salvatorem et liberatorem, qui velit te ex peccatis et morte eripere, et si sentis te vacillare aut haesitare, cogita, quomodo assiduo usu verbi Dei illam dubitationem emendes.

Confirmemus igitur et muniamus nos contra dubitationes Papistarum, et discamus Deo unicum et gratissimum cultum et obsequium esse fidem, hoc est credere et fidere Deo nostro tam sancte iuranti.

---

9 Tum perfecta *G. H.*] Tum autem perfecta *I. K.*

Caeterum nusquam alibi in scriptura sancta extat Deum iurasse, nisi
Ps. 110, 4 Ps. 132, 11 hoc uno loco. Atque inde promanarunt omnia, quae in Psalmis 110. 132. de iuramento facto Davidi dicuntur. Sicut enim promissio seminis Abrahae derivata est in semen Davidis, ita scriptura sancta iusiurandum Abrahae datum in personam Davidis transfert.

Et David accepit hoc iuramentum non aliter, ac si ipsi datum esset, et magnifice praedicat in Psalmo 110, ubi loquitur de Domino suo: Quia diligenter versatus est in studio scripturae sanctae: et habita promissione de semine et fructu ventris sui multa argute et pie ex hoc loco ratiocinatus est, sibique accommodavit.

Cogitavit enim: Deus iuravit Abrahae in promissione seminis, id iuramentum procul dubio ad me quoque pertinet, ideoque toties repetit, et
Ps. 89, 36 Ps. 132, 11 se tam potenter confirmat Psalmo 89. et 132.

Cur hoc? Quia: certus sum per promissionem mihi factam, quod semen Abrahae descendens per tot patres venit in meam tribum, in meam lineam, personam et corpus meum. Quicquid igitur Abrahae dictum aut promissum est, id omni iure in me redundet necesse est.

Haec sane insignis gloria et magna dignitas fuit, quae haud dubie animum eius nonnihil inflavit, ideoque secuta est humiliatio, cum laberetur in foedissimum peccatum, ne immodice se efferret.

Deinde quia benedictio ponitur in semine Abrahae, collegit amplius, illam benedictionem sibi et suo semini accommodandam esse: Illud semen Abrahae iam est meum semen. Messias erit filius meus et Dominus meus. Et ego is sum, in quo haeret promissio, sicut in persona Abrahae haesit.
Matth. 1, 1 Atque huc allusit Matthaeus, cum diceret: 'filii David, filii Abraham'.
1. Mose 14, 19 Porro benedictio est sacerdotum: non regum, ut supra Genesi 14. Melchisedec benedicit Abrahae, meum autem semen est filius regis, et tamen benedictor, igitur et Rex et sacerdos erit.

Ad hunc modum evolvit et tractavit hoc iuramentum David illustrante spiritu sanato, ut nihil dubitaret, quin et magnifice praedicaret, quod Messias filius suus esset futurus Rex, tanquam ex rege natus, et tamen benedicens, et ideo sacerdos.

Quia autem David non erat de tribu sacerdotali sive Levitica, cogitavit: Quare benedictionem de semine Levi non sumpserit Deus? nimirum eo consilio, ut significaret sacerdotium Leviticum abolendum esse, huius vero sacerdotis fore aeternum sacerdotium et immutabile. Quia benedictio promissa Abrahae est aeterna. Hinc collegit illud, quod sit sacerdos secundum ordinem Melchisedec, cuius finis et principium ignoratur.

Ita non solum author Epistolae ad Hebraeos, sed etiam patres et Prophetae viderunt et mirati sunt amplitudinem misericordiae divinae, effundentis se totam per promissionem et iuramentum. Quare summo studio hunc textum expenderunt. Atque hinc nati sunt Davidi pulcherrimi Psalmi:

et a sanctis etiam in novo testamento magno gaudio hoc iuramentum celebratur. Sic enim Zacharias canit: 'Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.' Sic Maria: 'Sicut locutus est ad patres nostros Abraham et semini eius in saecula.' Luk. 1, 72. 73 Luk. 1, 55

Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito: benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, et velut arenam, quae est in littore maris: et possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Benedicentur quoque in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae. 22, 16c–18

Haec verba materia et quasi fons scaturiens sunt multarum Prophetiarum et concionum Esaiae, Davidis, Pauli. Conveniunt autem cum superioribus promissionibus, quae sunt in capite 12. et 15. 'In te benedicentur omnes familiae terrae', Item: 'Suspice coelum et numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.' Sed clarior haec promissio et explicatior est. 1. Mose 12, 3 1. Mose 15, 5

Supra dixit: 'In te, Abraham, benedicentur omnes familiae terrae', ibi semen includitur, sed non exprimitur. Hoc loco autem diserte dicitur: 'In semine tuo.' Illud vero semen Paulus declarat Galatarum 3., et exponit esse Christum contra Iudaeorum deliramenta. Gal. 3, 16

Deinde omnes gentes nuncupantur: Igitur promissio haec etiam ad nos gentes pertinet, et ad omnes, qui unquam eam audituri et recepturi sunt: non tantum ad Iudaeos.

Nobis quidem non est facta promissio, in quo Iudaei nos antecellunt, sed sumus tamen personae, de quibus Deus loquitur. Prima persona est Deus loquens. Secunda, Abraham. Tertia, nos gentes sumus. Ideo venerari et ex animo amare praesentem locum debebamus. Si enim sic verba sonarent: In semine tuo populus tuus benedicetur, ibi nos essemus exclusi, sed quia de gentibus et de nobis loquitur, est profecto, quod gaudeamus de benedictione ista.

Et digna sane haec verba sunt, quae grandiusculis et aureis literis pingantur, nostrisque oculis et animo perpetuo obversentur. Haec enim est gloriatio nostra de benedictione per semen Abrahae, quam iactamus et praedicamus non minus, quam Iudaei.

Nobis quidem non est locutus, nec iuravit Deus, sed de nobis locutus est. Suntque adeo personales tantum differentiae, quia Iudaei sunt secunda persona, nos tertia. Sed prima, quae est Deus loquens, ad utramque loquitur, et vult, ut Iudaei primum, deinde et Graeci (sicut Paulus loqui solet, et relinquit Iudaeis suam praerogativam) credant et fruantur omnibus bonis, quae adfert semen Abrahae benedictum, Christus Iesus, salus et benedictio omnium gentium.

Postremo certum est nos alicubi terram incolere et habitare, aeque atque Iudaei terram incoluerunt: additur enim in textu: 'omnes gentes terrae', ergo et hac ratione de benedictione ista participabimus.

Verbum benedicendi diligenter notandum est, quia in Hebraeo diversum est ab eo, quod supra positum est capite 12. Petenda est autem proprietas vocabuli ex Hebraeorum coniugationibus, iuxta quas distinguuntur significata verborum.

Prima coniugatio est verborum neutralium sive absolutorum, ut curro, sive cum dico, doceo, benedico, sine regimine, ut non transeat actio. Non enim dico Deum benedicere hominem, aut simile aliquid.

Eadem autem verba in secundo ordine construuntur cum accusativo, ut docet Rhetoricam, benedixit hominem, ibi actio benedicendi transit in alium.

Tertia coniugatio est transitiva, quae in sacris literis frequens admodum est, ut, si latine dicam, doctifico, hoc est, facio docere, amatifico, facio, ut ames. Sic benedictifico, id est, facio te benedictum. Atque haec soli Deo propria est, is enim sapientificat, hoc est, dat illa bona: Quamvis hominibus etiam tribui queat, ut Moses doctificat populum, id est, facit Aaronem docere populum, ut populus discat.

Quartus ordo est eorum verborum, quae habent actionem non transeuntem in alium. Sed quae reflectitur in agentem, ut cum dico: Benedico meipsum. Quanquam pronomen reciprocum non additur, sed proprietas verbi includit hanc reflexam significationem in me ipsum. Germani et Latini addunt pronomen, quia non habent eiusmodi verba. Inchoativa aliquantum accedunt, ut calesco, sed non respondent per omnia.

Huc igitur pertinent verba transitiva, reciproca, sive reflexiva actionis, ut grammatici appellant: ut in Domino laudabit se ipsam anima mea, hoc est, ego exulto, et effero me ipsum, vel anima mea gloriatur, id est magnifice se effert, iudicat se digniorem coelo et terra: sed in Domino. Proprie enim significat, quando quis aliena virtute quid facit, quod propria non potest.

Nos passive efferimus, in Domino laudabitur anima mea: Item, gentes benedicuntur. Deus autem est, qui benedicit: Christus est semen, per quod benedicit, gentes benedicuntur, vel reciproca coniugatione benedicunt sese, hoc est, illa benedictio Dei per Christum benedictorem venit ad gentes, quando sibi applicant benedictionem, ut dicant, Sum benedictus: non in me ipso, sed in semine: Sicut dico, me ipsum laudo, glorifico. Sed in
Gal. 2, 20 semine, ibi aliena gloria et virtute glorior, sic Paulus Galatarum 2. inquit: 'Vivo ego, vivit in me Christus.' Sum superbus de salute, de remissione peccatorum, per quid? per alienam gloriam et superbiam, videlicet Christi.

39 Vivo ego, vivit in me Christus *G. H.*] Vivo tamen non iam ego, vivit in me Christus *I. K. Erl.*

Usus est eodem verbo Moses in Deuteronomio 29. ubi post com- 5. Mose 29, 19
memorationem beneficiorum et confirmationem foederis divini occurrit per tacitam obiectionem securitati et hypocrisi impiorum. 'Si audierit, inquit, verba iuramenti huius, benedicat tamen sibi in corde suo, dicens: pax erit mihi' etc. hoc est, impii nec promissione, nec comminationibus movebuntur, sed dicent: maledicat sive Deus, sive Moses. Quid mea? Ego benedico et consolor meipsum.

Sic Ieremiae 9: 'Non glorietur sapiens, fortis, dives, etc. Sed gloriator Jer. 9, 23 f.
glorietur in noticia mei.' Ibi in singulis membris reciproca significatio est. Qui se ipsum laudat, sapiens, fortis, dives, laudet seipsum non in sapientia, etc. Sed laudator laudet se in Domino. Germanice addimus pronomen: Erneeret ſich, beiſſet, friſſet ſich, quod Hebraeum verbum sua natura includit. Itaque ad proprietatem Hebreae linguae sic vertes commodius. In semine tuo benedicent sese omnes gentes.

Haec ideo accuratius tradere et monere volui, ut hortarer eos, qui volunt sacra discere ad studium Hebreae linguae, ut rabinorum nugas etiam grammatice refutare possint. Periculum enim ingens est, ne suis glosis iterum obscurent et corrumpant sacra biblia. Alias autem dictum est, esse duplicem benedictionem, verbalem et realem, verbalis consistit in laudibus et praedicatione, de hac Iudaei hunc locum intelligunt, resistentes tantum in verbali benedictione.

Realis vere divina est: Nam benedicente Deo sequitur res, sive id, quod dicitur, iuxta illud: 'Ipse dixit, et facta sunt', et capite 1: 'Dixit Deus, fiat lux, et facta est', est benedictor effectivus, qui facit omnia per suum dicere, Quia verbum eius est res ipsa, et benedicere ipsius est benefacere largiter tam corporaliter, quam spiritualiter. Pſ. 148, 5 1. Mose 1, 3

Proprie autem benedictio significat multiplicationem, Sicut Angelus ad Hagar dicit: 'multiplicans multiplicabo semen tuum', et de Ismaele: 1. Mose 16, 10
'Benedicam ei et augebo, et multiplicabo eum valde': Et non est verbalis, 1. Mose 17, 20
sed realis benedictio, quanquam corporalis, quod generaturus sit Ismael duodecim duces. Hinc saepe in sacris literis legitur: 'Hi sunt filii, quibus 1. Mose 48, 9
benedixit mihi Deus'.

Iudaei tantum de verbali benedictione hunc locum accipiunt, quod omnes gentes sese laudabunt in populo Iudaeorum, mirabuntur et praedicabunt eius benedictionem. Hoc ideo moneo, ne quis Rabinorum glosis moveatur. Sic enim exponunt haec verba: Semen Abrahae benedicetur, id est, cumulabitur omnibus rebus, ita ut omnes gentes admirentur, et benedicant sese, et laetentur, quod participes esse possint et socii istius benedictionis.

Ita extollunt se supra gentes, et eas sibi subiici volunt, tantum propter benedictionem corporalem. Sed si historias inspicias, invenies gentiles, assyrios, persas, longe superiores et potentiores fuisse Iudaeis: quia tenuerunt imperium mundi.

Non igitur subiiciuntur hac benedictione gentes Iudaeis tanquam servi. Ea enim rectius maledictio, quam benedictio diceretur: Si nullam aliam gloriam haberent gentes, quam de Iudaeorum superbo imperio.

Atqui gentes Iudaeorum Domini fuerunt, et gravi servitute oppressos tenuerunt. Necesse igitur est alia bona per benedictionem exhiberi: Coelestia nimirum et aeterna, quibus gentes iuxta cum Iudaeis fruantur, et sic vera et divina benedictio gentibus promittitur, non subiectio et servitus, ut somniant Iudaei.

Idem Burgensis recte et pie monet: non agi hic de benedictione humana, sive ut supra distinximus, verbali, sed divina, hoc est, de beneficiis divinis et ubertate bonorum coelestium, de quibus gentes laudabunt seipsas, in semine illo.

Haec sententia vera et genuina est, siquidem eandem explicationem D. Paulus quoque habet, quod gentes magnifice sese efferent, et beatas
Eph. 1, 3 se dicent, coeli et terrae Dominos: Sicut ait, Ephes⌊iorum 1.: 'Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in coelestibus, in Christo.'

In eandem sententiam transibunt haud dubie Iudaei saniores, qui credunt saltem resurrectionem mortuorum. Cum enim patres eorum promissionem de bonis corporalibus non sint consecuti, necessario nobis largientur, hanc promissionem intelligendam esse de alia benedictione, quam huius miserae et calamitosae vitae, qua alioqui impii magis, quam pii abundant.

Postquam vero vim et proprietatem verbi declaravimus, iam et illud considerandum est, quod additur: 'IN SEMINE TUO.' Omnes gentes benedicent se, superbient, iactabunt se salvas, benedictas, repletas omnibus donis spiritualibus. Sed quomodo? Num in semetipsis? Non. Sed gloriabuntur de victoria mortis, de abolito peccato, de donatione vitae aeternae, non propter sua merita et iustitias, sed in semine tuo.

Omnis gloria et confidentia miserrimorum peccatorum non in hoc consistet, quod per se sint laudabiles et iusti: sed praedicabunt se esse sanctos, redemptos, ablutos sanguine Christi, et translatos de regno tenebrarum in regnum lucis.

Iudaei contra eminere et superbire volunt sapientia, fortitudine, robore et opibus: verum non hoc vult promissio benedictionis huius. Sed in Domino gloriandum esse docet, sicut idem Ieremias gravissime contra
1. Mose 9, 24 perpetuam et innatam Iudaeis superbiam urget, cap⌊ite 9.

Ad eundem modum et nostrorum operariorum vanam confidentiam, quam habent in votis, cucullis Carthusianorum, Minoritarum retundimus. Nam ne sanctissimis quidem, sive Petro, sive Paulo sua opera iactare licet, tametsi mortuos suscitarint. Sicut Paulus sua Pharisaica iustitia et
Phil. 3, 4 aliis donis, quae ad Philipp⌊enses commemorat, adeo non effertur, ut existimet 'omnia detrimentum esse propter eminentiam cognitionis Iesu Christi, Domini nostri'.

Exclusa est igitur omnis gloriatio per additam particulam ad promissionem: 'in semine tuo.' Illud semen tollit omnes alias benedictiones et gloriam propriae iustitiae, et confert nobis suam, hoc est, 'illam, quae ex fide est Christi, quae ex Deo est iustitia in fide', Philip[pensium 3. Phil. 3, 9
Omnes igitur gentes benedicent se non in alio, quam in semine tuo: in ipso omnes Thesauri sunt sapientiae, iustitiae, sanctitatis, quicquid usquam apud eos erit laudabile, id totum habebunt per hoc semen.

Sicut inquit Paulus, 1. Cor[inthiorum 1.: 'Qui factus est nobis sapientia 1. Kor. 1, 30
a Deo, et iustitia et sanctificatio et redemptio, ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.' Ipse est vita, salus et pax nostra, Ioan[nis 11.: 'Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus Joh. 11, 25
fuerit, vivet.'

Abraham multis praeclaris virtutibus et donis ornatus fuit, quae agnoscere certe et praedicare debuit, sed non habet gloriam coram Deo: quia exclusa est omnis gloriatio. Quanto magis de aliis sanctis idem iudicabimus, quantumcunque est in eis meritorum, sive congrui, sive condigni.

Quia Deus benedicit in illo solo semine Abrahae, et hoc vult, ut simus benedicti, nosque ipsos benedicamus in hoc semine, hoc est, gloriemur, et certo statuamus esse id semen nostrum, et ad nos pertinere cum omnibus suis bonis et thesauris coelestibus.

Vidit idem Burgensis satis foeliciter conversus a Iudaismo, cum dicit, Benedicere includere authorem et benedictorem non gentes, sed semen Abrahae, quod sit causa principalis effectiva illius benedictionis.

Neque solum est causa efficiens, sed et formalis, hoc est, benedictio ipsa. Ex ipso enim et in ipso sumus benedicti, Christi et uncti, et de hoc singuli possumus gloriari. Christus est mea formalis benedictio, unctio, vita, salus, quia ei adhaereo per fidem, et ab hoc benedicente denominor Benedictus, meque ipsum benedictum nuncupo.

Diligenter igitur Hebraea Phrasis in verbo benedicendi notanda et expendenda est: Omnes gentes benedicent semet ipsas. Significat enim *πληροφορίαν* illam et naturam fidei, quod certo et indubitanter statuere me debeo me esse benedictum, meque adeo vivum, salvum, iustum et benedictum pronuntiare: alioqui iniuriam facio semini Abrahae CHRISTO authori vitae et salutis.

Neque enim in meis meritis aut operibus haeret promissio: Sed in semine Abrahae, ab illo benedicor, cum id fide apprehendo, et vicissim mihi adhaerescit benedictio, et diffunditur per totum corpus et animam, ut et ipsum corpus vivificetur et salvetur per idem semen.

Idque in hac vita inchoatur per fidem, quando anima oppressa morte et peccato erigitur, et consolationem vitae et salutis accipit. Aliquanto

---

32 πληροφορίαν H.] *πληροφορία G. I. K.*

post in resurrectione mortuorum sequetur et corpus animam sine omni impedimento, non instrumentaliter, sed effective, et quasi formaliter, adeo
Phil. 3, 21 ut corpus nostrum humile transformetur, ‘ut sit conforme corpori CHRISTI glorioso’, Philippensium 3.

Multipliciter autem haec fiducia et tam sancta gloriatio in nobis impeditur. Nascitur enim nobiscum vitio originalis peccati conceptum malum: Superbia et praesumptio, quae praesumunt homines de suis viribus, sapientia, potentia, opibus.

Carni et sanguini nihil est facilius, quam sese benedicere et efferre coram Deo, sed propria iustitia et sanctitate. Sed haec benedictio carnis mortificanda et occidenda est tanquam pestilentissimum venenum. Et priusquam benedictionem illam apprehendamus, cogitanda est et agnoscenda maledictio, qua peccatis et horribili corruptioni immersi sumus, diffidentiae, blasphemiae, securitati et aliis infinitis morbis et cupiditatibus.

Quando enim pronuntiat Deus gentes esse benedicendas, significat eas esse maledictas. Non enim ociose id a Deo dicitur, sed significat carere eas benedictione, et egere gloria Dei. Haec consequentia est necessaria et inevitabilis. Sicut Paulus Apostolus se ipsum huic iuditio
1. Kor. 4, 4 subiicit. 1. Corinthiorum 4.: ‘Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.’

Iustitiarii et Hypocritae haec non attendunt, neque existimant se esse
Luk. 18, 11 maledictos. Sicut superbe gloriatur apud Lucam Pharisaeus: ‘Non sum sicut caeteri’, ideo non pertinet ad eos benedictio, tametsi semper eam in ore habeant, et sese benedicant: Sed in se ipsis, non in semine.

Ea vero diabolica et maledicta est. Et Prophetae passim cum hoc genere acerrime dimicant, appellant eorum benedictiones mendatium, vanitatem, idolum, incantationes, auguria etc.

Gal. 3, 10 In hanc sententiam loquitur Paulus Galatarum 3.: ‘Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.’ Omnes igitur gentes, quia egent benedictione, sunt sub maledictione et peccato, ut subditus sit Deo omnis
Gal. 3, 22 mundus. ‘Conclusit enim scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.’ Haec et similia multa ex hac promissione, tanquam ex largissimo fonte emanarunt.

Sed hae voces iuditii divini carni et rationi non perinde gratae sunt. Defugiunt enim omnes homines etiam palam impii et facinorosi confessionem peccati: praesertim vero hypocritae audientes doctrinam Euangelii aegerrime ferunt argui ipsorum peccata et impietatem. Benedictionem facile omnes admittunt et iactant, sed maledictos et damnatos dici propter peccatum, haud unquam patiuntur: quin etiam docentes et arguentes oderunt, et persequuntur hostiliter.

Sciamus igitur pertinere hunc locum non ad saturos, praefractos et propria iustitia tumentes, sed ad humiliatos et adflictos, quos vexat et

angit peccatum, qui sentiunt maledictionem et iram Dei, quae impendet maledictis et peccatoribus, qui si etiam habeant iustitiam, sapientiam et alia dona, tamen clamitant haec nihil esse, nisi larvas et umbram, queruntur se omnium, qui vivunt, miserrimos, Ideoque misericordiam et gratiam Dei implorant.

Sic David erat praepotens et dives, tamen quia norat, se esse sub ira Dei, peccato et morte et potestate Diaboli: Quid prosunt mihi, cogitat, omnes opes totius mundi, siquidem mihi non benedicunt, nec adferunt vitam et salutem aeternam.

Sic omnes gentes, quae agnoscunt se esse damnatas, habentes spiritum contribulatum, et fidutiam de suis donis et viribus mortificatum, etsi incedunt in pompa et gloria pulcherrimorum donorum spiritus, ut David et alii: tamen reputant se pro miserrimis et maledictissimis, quia sentiunt vim peccati, terrores inferni et irae Dei. Illis igitur haec promissio proponenda est. Sicut Prophetae hinc omnes consolationes suas sumpserunt.

Nos in novo testamento egregie illustratam et explicatam habemus promissionem hanc. Divus Paulus Gal[atarum 3. Semen hoc pulchre declarat, et dicit esse Christum: Spiritu sancto haud dubie illustrante et docente. Iudaei enim et universa sapientia carnis nequaquam intelligunt nec concedunt illud unum semen esse Christum.

Deinde et illud explicatum es.. Hoc semen Abrahae esse verum hominem et verum Deum. Homo est, quia caro factum est, et filius virginis. Id Iudaei non negant, siquidem filius Abrahae est. Deum vero esse benedictio probat. Gentes enim sub maledicto sunt, sicut omnes creaturae: Ideo non est creatura, nec de gentibus, alioqui etiam maledictum esset. Verum non solum benedicit aliis, sed et ipsum formaliter benedictum est, ut totus mundus per id benedicatur. Hoc de nullo gentili dici potest: Nemo unquam sibi hoc recte arrogavit, quod se et alios benediceret, et liberaret a morte.

Ideo Burgensis praeclare id urget, benedictionem soli creatori competere nulli creaturae. Necesse igitur est illum benedictorem esse verum Deum. Quia liberare omnes gentes a maledictione est opus divinum, non humanum, nec Angelicum. Atque ita semen illud est verus Deus et homo in una persona: Homo est, quia de semine Abrahae, Deus est, quia benedictor.

Tertio necesse est talem hominem esse, qui sit natus sine peccato. Hic demum admirabilis est fides nostra. Credimus esse hominem, et tamen non ex sanguine natum. Quia non est conceptus in peccato originali. Non enim possunt simul stare benedictio et maledictio, quod fieret, si in peccatis esset conceptus.

Igitur Maria non naturali modo hoc semen concepit. Non talis mater est, quales omnium gentium matres sunt: Matrem oportuit esse, et

novum hominem parere. Sed fuit pura mater, et virgo, quae concepit non ex masculo, neque ex Angelo, sive bono, sive malo: Sed de spiritu sancto, Lucae 1.

Ad hunc modum Paulus, Esaias et alii Prophetae diligenter locum istum expenderunt, non oscitanter et obiter, ut nos, promissiones legerunt. Quando enim Deus loquitur, tanta et tam sublimia verba profert, quae caelum et terra non possunt comprehendere.

Loquitur enim de maximis rebus exuperantibus omnem sensum totius mundi. Quod omnes gentes sint sub peccato, morte et aeterna damnatione. Idque sane a posteriori et ab effectu colligere licet, sentimus enim omnes pericula et calamitates infinitas ipsa morte duriores. Causam vero nescimus, multo minus liberationem perspicimus.

Ea igitur monstratur in hac promissione, quae testatur omnes gentes esse sub maledictione et potestate diaboli, et offert tamen liberationem, si agnoscant suam miseriam, nec desperent. Sed credant in semen, et propter id sese benedicant, glorientur de vita, et singuli sibi hanc liberationem applicent fide et dicant: Non sum iam peccator, sed iustus, non maledictus, sed benedictus per semen Abrahae, quod est verus homo, natus de semine Abrahae, et verus Deus.

Haec tam potens et efficax benedictio est, ut et mortem et omnem maledictionem ex peccato originali contractam extinguere et abolere queat.

Ingens autem et inaestimabilis dignitas est miserae illius massae
Hebr. 2, 16 generis humani, quod Deus non Angelos, sicut in Epistola ad Hebraeos dicitur, sed semen Abrahae apprehendit. Non enim difficile aut impossibile ei erat producere filium suum in mundum sine matre, sed voluit uti foemineo sexu.

Poterat item ex virgine subito formare corpus, sicut ex luto Adamum, ex costa Adae Euam. Non placuit hoc, sed servavit ordinem a se conditum. Puella enim ita est creata, ut concipiat, ferat uterum novem mensibus et pariat: Ergo in utero puellae concipi, gestari et nasci voluit, non ex luto formatus, neque ex masculo.

Magna sane consolatio est, quod non placuit Deo filium suum fieri hominem ex alia materia, quam de genere humano, ut fieret frater noster, et nos amplissima dignitate ornaret, quod Deum habemus natum et hominem factum in nostra carne et sanguine.

Haec tam magnifica et sublimia sunt, ut non alia ratione, quam fide apprehendi et comprehendi possint, quae in nobis illam confidentiam spiritualem pariat, qua firmiter credamus habere nos pacem aeternam in coelo et in terra, non quidem in nobis, sed in semine Abrahae.

Removenda vero hic est omnis opinio et arrogantia propriae iustitiae. Atque illud semen accurate separandum ab omnibus operibus. Semen enim Abrahae conceptum ex spiritu sancto non est meum opus. Sed sunt distinctae

res, iustitia nostra et semen. Opera quidem etiam dicuntur et sunt benedictiones, de quibus Ioan[nis 14.: 'Maiora his faciet.' Sed tum demum Joh. 14, 12
vere bona sunt, si prius adsit benedictio.

Benedictio autem seminis alienum opus est, et non nostrum. Ergo nec iustitiae legis, nec traditionibus Papisticis iustificatio tribuenda est. Sed in Christo Iesu liberatore nostro benedicam me ipsum, ut, qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Cor[inthiorum 1. et in Psalm[o 104. [!]: 1. Kor. 1, 31 Ps. 105, 3
'Laudamini in nomine sancto eius', ibi gloriemur cum fidutia et laetitia aeterna.

Hactenus vero affirmativam sententiam huius loci tractavimus. De fide in Christum, semen Abrahae, exclusa operum dignitate et meritis. Quia textus clare dicit, quod omnes gentes in se quidem maledictae et sine ulla dignitate et iustitia, se ipsas tamen sint benedicturae aliena benedictione.

Damnata est igitur omnis benedictio extra hanc, omnis sapientia, iustitia, potentia, et quicquid possidet homo iuxta suam primam originem et nativitatem ex Adam. Utcunque floreamus vel universi mundi opibus et bonis, stante maledictione damnata est omnis illa corporalis benedictio. Nec ullius tanta est dignitas et gloria, qui hic excipiatur. Quia omnes gentes significant omnes homines.

Haec cum doctrina nostra de iustificatione et fide recte et pie congruunt, quam pontificii tanquam erroneam et haereticam damnant et persequuntur, et nos vocant solarios, propterea quod soli fidei tribuimus iustitiam.

Huius vero doctrinae nos non authores sumus: Sed ex hac et similibus promissionibus, spiritu Christi illustrante, hausimus. Manifeste enim hic reiicitur omnis opinio et fidutia iustitiae operum, et in unam hanc benedictionem per semen Abrahae includitur iustitia, salus et vita.

Quia vero tam impudenter apertae veritati contradicunt, operae pretium est tractare et negativam, sive adversativam nostrae doctrinae, quam ipsi statuunt, una cum nova glosa, quam recens commenti sunt ad palliandum suum errorem.

Non enim simpliciter operibus iustitiam tribuunt, sed operibus coniunctis cum fide. Quia vident se in manifesto et turpi errore deprehensos, quod opera tantum sine fide, et quidem traditionum humanarum docuerunt. Iam igitur paululum sese inflectunt, et pro traditionibus suis opera et iustitiam legis ad iustificationem exigunt.

Verum cum ne id quidem ad declinandam iustam ignominiam satis sit, eo decurrunt, ut adsuant fidem operibus, et dicant, nec opera sola, nec solam fidem iustificare. Sed fidem cum operibus, quia fides sine operibus est mortua.

Examinemus igitur negativam hanc. Affirmativam supra posuimus, quod sola fide iusti reputemur et pronunciemur, ea confirmatur ex hoc

loco, ubi dicitur, quod gentes benedicent se non in sapientia et iustitia
1. Kor. 1, 30 sua, nec in lege, sed in benedictione seminis, hoc est, Christo Iesu, ‘qui factus est nobis a Deo sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio’. 1. Corinthiorum 1.

Negativa haec est. Non sola fides iustificat, sed fides coniuncta operibus. Ac huic propositioni callidam declarationem sive limitationem addunt. Licet exigamus opera tanquam necessaria ad salutem, inquiunt, tamen non docemus confidendum operibus. Est satis astutus diabolus, sed nihil agit, tametsi fucum imperitis et rationi faciat.

Posito enim illo, quod fidutia operum reiicitur et damnatur, tum iustitia operum prorsus nihil est. Impossibile enim est esse veram iustitiam in hominibus, nisi accedat simul fidutia etiam praecepto divino, quo prohibeor mentiri, aut negare iustitiam, quae revera talis est. Non enim eam peccatum dicere debeo.

Si igitur est aliqua iustitia operum, ut ipsi dicunt, quod fides sine operibus nihil sit, divina autoritate eam iustitiam adfirmare et habere debeo, et de necessitate salutis credenoum est, quod haec iustitia valeat ad salutem et vitam aeternam.

Itaque fallacia et mendatium est, quod docent non esse fidendum operibus. Et contraria sententia retinenda est, quod necessario fidutia comitetur iustitiam operum. Quia omnis iustitia et veritas adfert secum fidutiam, quae est endelechia, sive actus primus, substantia et fac totum iustitiae.

Sic civilis et oeconomica iustitia non possunt esse sine fidutia. Quomodo igitur illi detrahatur, quam coram Deo iustitiam esse volunt? In oeconomia certum me esse oportet, quod haec mulier est uxor mea, haec proles mea est. In politia certus esse debeo de meo magistratu, quis sit, cui sum subditus, qui cives mei, qui iisdem legibus mihi coniuncti sint: non licet dubitare aut ambigere. Quin etiam tanta constantia et certitudo requiritur, ut non dubitem, nec recusem vitam et omnia bona impendere pro salute et defensione domus, uxoris, magistratus et civium. Sin autem dubito, num haec sit mea coniunx, meus pater, filius, princeps aut cives, tum non est uxor mea, nec pater, nec filius, nec princeps, etc. Atque ita tollitur iustitia cum oeconomica, tum civilis.

Omnis igitur iustitia et veritas, sive politica, sive oeconomica, fidutiam adiunctam habet, tanquam suam formam substantialem.

Quando igitur dicunt Papistae se docere iustitiam operum, et tamen negant confidendum esse operibus, sibi ipsis contradicunt, et iustitiam operum prorsus nullam esse ipsimet fatentur. Sicut in oeconomia si dubitas de uxore, an sit tua uxor: non est uxor, sed meretrix. In qualibet enim iustitia oportet esse certitudinem, non tantum Christianorum, verum etiam gentilium

33 cives *G. H. I. K.*] civis *Erl.*

et Turcorum. Turca certus est de sua coniuge, familia, Imperatore etc. Sic Christianus statuat sua opera Deo placere et bona esse, sive in Ecclesia fiant, sive in oeconomia, sive politia: et fallacia est, quando docent, opera facienda, et tamen non confidendum illis.

Unde enim conciones illae Prophetarum? 'adorant opus manuum suarum', et similes? nisi quia omnes, qui volunt iustificari suis operibus, revera sunt idolatrae: quia non possunt vitare, quin habeant fidutiam operum. Jer. 1, 16

Quare sustinui ego maximos labores in monasterio? cur corpus meum ieiuniis, vigiliis et frigore adflixi? nimirum quia conabar esse certus, per ea mihi contingere remissionem peccatorum, etc.

Ideo responde: Tu loqueris pugnantia, asseris iustitiam operum, et negas fidutiam, cum tamen omnis iustitia necessario includat fidutiam: diffidentia autem est argumentum concludens nullam adesse iustitiam. Quod si collocas fidutiam in opera, es idolatra.

Hoc an non est docere pugnantia et implicantia contradictionem? Quis non videt, eos semetipsos conficere, et devorare suis contradictionibus? Modo statuunt iustificationem, modo negant, verbis quidem non negant, sed re ipsa. Quia fidem cum operibus iustificare dicunt, et tamen fidutiam excludunt.

Quae antea de traditionibus humanis et operibus legis nugati sunt, ipsorum etiam iuditio et confessione damnantur. Postquam autem fidei vocabulum arripuere, ita ut negent solam sufficere ad salutem, et assuant operum merita, simul etiam fidem cum operibus amittunt.

Sed allegant locum Lucae .17.: 'Omnia cum feceritis, dicite: Servi inutiles sumus', hoc tuentur suum dogma, quod non sit confidendum operibus. Sed rursus deformiter impingunt. Quod enim pro se facere iudicant id universam doctrinam eorum labefactat. Non enim fiduciam tantum, sed et iustitiam omnem et merita operum damnat Christus. Si enim dicendum est opera esse inutilia, sequitur necessario, quod non sint iustitia, nec valeant ad vitam aeternam, sed sint vilia et nihili prorsus. Luk. 17, 10

Igitur omnis fidutia, iustitia, sapientia, et quicquid est operum, reiicitur et falsum est, quod fide cum operibus iustificemur. Solum autem semen benedictum liberat a morte, et confert iustitiam et vitam aeternam appraehensam fide.

Non negamus nos facienda esse opera. Sed hoc improbamus, quod adversarii commiscent fidem iustificantem, et opera iustificatorum per fidem. Bene quidem conveniunt, et sunt connexa inseparabiliter fides et opera. Sed sola fides est, quae apprehendit benedictionem. Ideo solam fidem iustificantem praedicamus, quia sola benedicitur, opera non habent gloriam, quod benedicant, sed sunt fructus benedictae personae.

Haec nostra iustitia est per fidem, de qua non est dubitandum, nec

Jes. 5, 20 dicendum eam esse innutilem aut vanam, ne audiamus illud: ‘vae, qui dicitis bonum malum’, Esaiae 5. Non dicam igitur, ego habeo benedictionem: Igitur sum inutilis, sed verax, sanctus, iustus, benedictus, quia aliena iustitia talis sum, non mea. Hanc possum opponere irae et iuditio Dei, et certus sum, quod Deus non potest se negare, et abiicere filium suum, semen illud Abrahae, ideo cum fidutia et indubitanter statuo me esse iustum et haeredem vitae aeternae.

Comprehenditur hac promissione pene universa doctrina Christiana, incarnatio Christi et iustificatio praeter sacramenta, quae postea Christo veniente declarata sunt. Deinde refutatio Papisticae doctrinae, non tantum de traditionibus et operibus: sed etiam de fide coniuncta cum operibus, quam urgent contra nos solarios. Et manet immota et firma haec sententia, quod sola fides iustificet. Quia simpliciter damnatur universa fidutia omnium hominum, et ponitur sola fidutia in semen.

Ergo concludemus contra adversarios: Iustificatio vestra, in qua docetis opera cum fide coniungenda, est mendatium: quia contradicitis vobis ipsis, statuitis iustitiam operum, et negatis fidutiam, qua sublata ipsam iustitiam tolli necesse est. Quia ipsa vita iustitiae est certitudo et fidutia.

Econtra vera iustificatio est, quanto certus sum per fidem, semen benedictum habitare in me, per quod me benedico. Nec dubitandum est, aut sentiendum benedictionem illam esse nihil, aut ociosam. Semen enim Abrahae non sinit me esse inutilem, sed plenum fructibus. Ioannis decimo-
Joh. 14, 12 quarto: ‘Qui credit in me’, etc.

Obiiciunt vero et illud, quod hoc loco textus habet: ‘Quia fecisti hanc rem’. Item: ‘Quia obedisti’. Hinc videtur sequi, quod Abraham suis operibus sit meritus benedictionem. Igitur et nostra opera sunt meritoria. Est enim causalis locutio, quando dicit Deus: Benedicam te, quia obedisti voci meae, quasi diceret, Non benedicerem te et alios, nisi obedisses.

Hoc argumentum tanquam murum aheneum opponunt iis, quae hactenus diximus, ac imperitis facile fucum faciunt: Ubi nunc manet, quod dicis, inquiunt: Omnes gentes benedicent sese in semine Abrahae? Item, quod damnata sit iustitia operum. Moses hic contrarium dicit: Quia fecisti, quia obedisti. Consequentia est manifesta, Obedienti et facienti Abrahae datur benedictio, Obedire, facere sunt opera: Ergo per opera consequimur benedictionem.

Respondeo: Duae quaestiones sunt in hac disputatione. Prima, an per opera iustificemur. Secunda, an Deus faciat magnalia et mirabilia propter electos, quia iam sancti et iusti sunt per fidem.

Nos de prima quaestione nunc agimus, per operane mereamur iustificationem, an ex gratia et misericordia Dei tanquam donum accipiamus sine merito.

Non hoc quaeritur, an iustificatus per gratiam et fidem mereatur, vel impetret a Deo, ut propter ipsum faciat Deus miracula et insignia opera. Sicut sanctos suos mirificat, et ornat variis et mirandis modis.

Has duas quaestiones ipsi Satanica malicia miscent et confundunt, estque, ut Dialectici loquuntur, fallacia compositionis et divisionis. Eiusmodi doctores digni odio sunt et reprobandi. Quia seducunt populum meris fallatiis: non distingunt inter argumenta et materias, de quibus disputatur.

Doctoris et Dialectici est primum omnium recte definire et dividere, postea argumentari et concludere. Priora duo adversarii non faciunt. Sed ponunt propositiones et conclusionem sine ulla definitione et divisione. Illa confusione nihil sani docent. Sed turbant et seducunt simplices animos.

Quaestio nostra haec est: An peccator possit mereri iustitiam per opera bona, vel sola, vel cum fide coniuncta: Aut num sola fides absque operibus iustificet?

Ab hac quaestione distinguenda est secunda: An Deus propter iam iustificatos, sanctos, constitutos haeredes vitae aeternae faciat mirabilia, de quibus Psalm⌊o 16[!]: ‘mirifica misericordias tuas’ etc. Nam hanc propo- Ps. 17, 7
sitionem arripiunt ipsi de mirificis Dei, quae fiunt in iis, qui iam habent iustitiam, spiritum sanctum, sunt filii et haeredes Dei, et confundunt opera iustificandorum cum operibus iustificatorum.

Quin potius ad hoc respondent: An Abraham sit iustificatus per immolationem filii, et consecutus haereditatem aeternae vitae. Id nos negamus, et ratio est, quia est iustificatus, supra cap⌊ite 15. Et hic dicit textus: 1. Mose 15, 6
‘tentavit Deus Abraham’: non iustificavit, antea enim acceperat remissionem peccatorum et iustitiam per fidem. Quando dicit Moses: Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam, Illic non scriptum est: quia fecisti, quia obedisti.

Igitur nihil valet eorum argumentum. Sed horum verborum haec sententia est: Fecisti mirabile opus, quia es iustus, vicissim mirabile opus tecum faciam, dabo benedictionem omnium gentium per semen tuum. Per hoc non iustificatur Abraham. Quid enim ad ipsum omnium gentium benedictio? ad quas hoc totum pertinet, quod hic dicitur, per memetipsum iuravi?

Ergo promissio haec non est facta Abrahae, ut eum iustificaret. Sed est tanquam praemium et ornamentum quoddam a Deo additum, ut testaretur Deus se fidelibus et invocantibus se largiturum immensa beneficia. Magna enim res est, quod Abraham est pater fidei, benedictionis et Christi. Haec sunt dona incredibilia, sed per ea non iustificatur, quia iam ante est benedictus, antequam benedictio omnium gentium promittitur.

Longe alia res est, quando Deus sanctis suis ingentia miracula dat, quam si eos iustificat, et recipit in gratiam. Promisit Christus fidelibus,

Joh. 16, 23 Joh. 15, 5 quicquid petierint a patre, impetraturos, Item: 'Qui manserit in me, fructus faciet multos.' Sed per haec opera, quae impetrant a patre, non iustificantur, sicut per fructus non fiunt palmites.

Concedimus igitur Deum benefacere iustificatis, remunerari et ornare grandibus et mirabilibus operibus. Sed haec omnia non impetrarent eis remissionem peccatorum et gratiam Dei, nisi antea in sanctis adessent. Et sancti quia sunt in gratia, et habent spiritum sanctum, ideo instructi sunt ad omne opus bonum.

Abraham nisi fuisset iustus et donatus principali illo dono gratiae et misericordiae divinae, nisi fuisset plenus iustitia et fide, nunquam obtulisset filium, nec hanc gloriam consecutus esset, de qua praesens locus concionatur.

Sic ego quotidie oro, ut Deus pessundet Papam et Turcam. Sed per hanc orationem non iustificor, imo nisi iustus essem, non orarem. Sentio autem et experior has meas et totius Ecclesiae preces repellere et reprimere Turcos, Papam et complices eius. Ac magnum beneficium est, quod adversariorum furor depellitur, qui dies noctesque vires et artes suas exercent ad fundendum sanguinem innocentem.

Sed oratio haec non facit Ecclesiam, sed econtra, Ecclesia orationem, per quam obtinet mirabilem istam victoriam adversus Satanae insidias, et arcet malorum Angelorum saevitiam, et custodiam bonorum Angelorum impetrat. Haec sunt opera et merita sanctorum, de quibus inquit Christus:
Joh. 14, 12 'Qui in me credit, maiora his faciet.'

Ad hunc modum Deus ad Abraham hic loquitur: Tu fecisti hoc insigne opus, fuisti obediens, en vicissim insigni miraculo te ornabo, non ut iustificeris, sed ut scias Deum diligere sanctos suos, non solum vocare, iustificare, sed etiam magnificare et glorificare.

Iustificati igitur faciunt mirabilia, mirabilibus autem non iustificantur. Sic Paulus habet gloriam, quod sit doctor gentium. Nos gloriamur de victoria adversus Satanam et eius membra, quod nihil possint contra nos. Sed per hanc gloriam non iustificamur. Deus enim sic diligit sanctos suos, ut, quicquid agant, approbet, ornet et remuneret: non propter ipsa opera per se, sed propter fidem in semen Abrahae, quae est efficax per omnis generis virtutes.

Quod si opera iustorum et fides possent disiungi aut separari, quod non potest fieri, tunc revera essent inutilia, et dicendum esset, servi inutiles sumus, quod Papistae de sua illa iustitia dicunt: Quia reliquiae peccati adhaerescentes nobis contaminant opera: Sed oportet involvi simul fidem, tanquam inseparabiliter connexam operibus. Ac si quid restat vitii, illud totum absorbetur per benedictionem seminis.

Commendo igitur hunc locum omnibus piis, plenum eruditione spirituali, eaque multiplici et varia, in quo explicando, si non pro dignitate

tractavi omnia, tenuitati meae id adscribet aequus lector. Capita tamen rerum haec esse existimo.

Primum, quod suppeditat hic locus plenissimam confirmationem doctrinae de iustitia fidei: quod sola fide iustificemur. Quia nulla benedictio est speranda, nisi per semen Abrahae. Textus enim clarus est. Omnes gentes quantumcunque iustae, sapientes, ornatae donis insignibus, tamen non benedicuntur, nisi per semen tuum, o Abraham, ita ut benedicant seipsas non in seipsis, sed in semine tuo.

Ac simul hic fidei natura describitur, quae est certo credere nos esse benedictos non per nos ipsos, sed per Christum, qui est benedictio nostra. Benedicimus igitur nos ipsos, et statuimus nos eos esse, ad quos pertineat ista benedictio: Quia fides est, quae appraehendit benedictionem.

Ad illam confirmationem accedit refutatio adversariorum de iustitia operum. Quia enim opera non sunt illa benedictio per semen Abrahae, manifestum est, idolatriam et maledictionem esse, quaecunque iustitia vel benedictio per opera praesumitur.

Haec sunt capita nostrae doctrinae adfirmare iustitiam per solam fidem, et refutare Papae idolatriam. Corrolarie autem sequitur, quicquid Papistae de fide et operibus blaterant, ab ipsis non intelligi. Et repraehendendum inprimis est, quod docent dubitationem, et auferunt iustitiae formam suam substantialem, quae est fidutia.

Nos autem ideo tam multis fidem praedicamus, ut adseramus fiduciam et certitudinem illam, qua persuasi et certi esse debemus, non esse benedictos per semen Abrahae.

Observandum vero et hoc est, quod in ista promissione involvit scriptura sancta non tantum divinitatem Christi, sed etiam discrimen personarum, Quia pater est, qui promittit. Semen autem est filius, qui promittitur, et discernitur a promittente. Sunt igitur duae distinctae personae, aeternus pater promittens, et filius aeternus, qui promittitur. Haec Prophetae ex istis verbis pulchre evolverunt. Non enim tam frigide legerunt sacras literas, ut nos solemus et praecipue Iudaei, qui tantum verbalem benedictionem somniant.

Sic Esaias 65. ait: ‘Quicunque benedictus est super terram, benedi- Jes. 65, 16
cetur in Deo Amen’, id est, si ulla benedictio super terram erit, illa erit in Deo amen, id est, Deo vero. Significat igitur semen Abrahae esse verum Deum, per quod futura est benedictio. Ne Iudaei dicant nos adorare hominem crucifixum. Quia Esaias clare dicit: ‘erit DEUS et DEUS amen’, hoc est, verus DEUS, non fallens promissa. Tales multae sententiae promanarunt ex hoc loco, tanquam ex fonte vivo et puteo aquarum viventium.

Sed redeamus ad verba promissionis, et cum superioribus conferamus: est enim repetitio cum additione quadam, quod usitatum est in scriptura

sancta, ut repetantur promissiones aut sententiae priores, quoties aliquid novi addendum est. Idem hic fit.

Discrimen autem non tantum in verbis est, sed etiam in rebus: Verbalis differentia est, quod dicit: 'possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum.' Supra enim dixit: 'Maledicam maledicentibus tibi', quod eodem recidit. Realis est in additione iuramenti et in verbo benedicendi, quod omnes gentes sese benedicent, et quidem in semine Abrahae, haec promissionem non tantum clariorem, sed etiam augustiorem faciunt.

Caeterae particulae facile concordantur. Quod enim praesens locus habet: 'Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum', Capite duodecimo
1. Mose 12, 3 dicitur: 'Faciam te in gentem magnam, et benedicam benedicentibus tibi' etc.

1. Mose 13, 16 Sic capite decimotertio: 'Faciam semen tuum sicut pulverem terrae', hic paululum mutatis verbis effertur: 'velut arenam maris.' Supra autem ostendimus significari duplex semen Abrahae, alterum, quod stellis coeli comparatur, hi sunt sancti, alterum, quod cum arenis in littore maris et pulvere terrae confertur, hi sunt impii.

Qui requirit explicationem copiosiorem, rectissime faceret, si contulerit haec cum concionibus Prophetarum, praecipue vero cum Psalmis Davidis, qui huius loci studiosissimus fuit, ut ex 110. Psalmo apparet, quem tanquam pulcherrimam telam ex hac promissione texuit.

Primum Abrahae semen vocat suum Dominum, imo collocat ad dextram Dei, hoc est, tribuit ei parem potentiam cum Deo. Quia enim in eo benedicendae sunt omnes gentes, necesse est eum discerni a gentibus, quae omnes ex Adam progenitae, et propterea sub maledicto sunt. Divina enim opera et beneficia sunt tollere peccatum et mortem, benedicere, et impertiri hominibus beneficia spiritualia et aeterna.

Concludit igitur David semen illud sine virili semine natum sedere ad dextram Dei, hoc est, aequalem esse Deo, quia facit opera divinis operibus aequalia.

Sed quia est semen Abrahae, ut assumat humanam naturam necesse est. Alioqui enim Deus in sua propria natura et substantia non potest dici semen Abrahae.

Hanc definitionem David primum hinc colligit. Semen hoc est filius Dei et aequalis Deo, et est talis rex, qui sedet ad dextram patris.

Deinde promissio dicit non solum regnaturum, sed etiam benedicturum. Ergo simul erit sacerdos. Non enim de regno tantum, verum etiam de sacerdotio agitur, et praecipua beneficia Christi complectitur appellatio et officium sacerdotis. Ideoque David spiritu sancto illustratus, addit iuramentum non ad regnum, sed ad sacerdotium: 'Iuravit Dominus, et non

18 faceret *G. H.*] fecerit *I. K. Erl.*

poenitebit eum. Tu es sacerdos in aeternum etc.' hoc est. Dominus meus sedebit ad dextram Dei. Sed ita, ut non solum regnet, sed etiam benedicat.

Haec excellens notitia fuit in Davide de Christo venturo semine ex sua tribu et carne, et haud dubie agnovit et mirifice gavisus est, se tam insigni gloria et honore prae aliis regibus cumulari, quando attulit Nathan ad eum promissionem: 'De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.' Ps. 132, 11 Inde collegit, benedictionem hanc derivari in corpus et semen suum, et filium Dei nascendum esse ex suo semine.

Hoc nuncium cum gaudio accepit, cum audiret in populo Israel lineam Abrahae in suam personam deducendam esse, ut ex suo corpore et sanguine suo egrederetur hoc semen. Hanc gloriam antea nunquam ne cogitaverat quidem. Sicut nec Maria tantam dignitatem sperare potuit, quod futura esset mater Christi.

Cogitavit semen Abrahae esse dispersum, nec certo sciri, in quam personam promissio derivata esset. Ibi Propheta ad certam tribum et personam adstringit. 'De fructu tui ventris, inquit, ponam super sedem tuam.'

Magna omnino res fuit, quod scivit ex se nascendum esse filium Dei, et benedictionem omnium gentium ex sua carne expectandam. Nec sibi tantum, sed et toti orbi terrarum gratulatus est de repetita et derivata promissione in suum corpus, ne vagarentur amplius animi, aut dubitarent, unde expectanda esset redemptio Israel.

Haec gloria Davidis ideo diligenter notanda est, ut discamus discernere vocationem, iustificationem et glorificationem. Multi vocantur, qui non iustificantur, multi iustificantur, qui non glorificantur, sicut Abraham aut David glorificati sunt.

Neque tamen ad iustificationem Davidis haec gloria pertinet. Nam scriptura ipsa distinguit, et docet Deum iustificatis promittere et donare insignia et gloriosa opera, quae commemorantur in Psalmo CXLIX: 'ad Ps. 149, 8f. alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis iudicium conscriptum, gloria haec est omnibus sanctis.' Sic legimus sanctos excitasse mortuos.

Haec sunt opera glorificationis, sed per ea non sunt iustificati, licet confirmati sint se esse in gratia et iustos. Nisi enim prius iustificati fuissent, non fecissent ea.

Haec obiter volui monere propter ineptam illam argumentationem, quam supra attigi: Abrahae dicitur, quia obedisti etc. Igitur operibus iustificamur. Non enim confundenda sunt opera iustificationis.

Porro quod in promissione ponitur: 'possidebit semen tuum portas Ps. 110, 1 inimicorum tuorum': David his verbis expressit: 'Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.'

---

38 opera iustificationis *G. H.*] opera iustificationis et glorificationis *I. K. Erl.*

Ex hoc colligitur, quod semen hoc habiturum sit hostes et inimicos, eosque varios, potentes et acres. Sed erit tamen victoria penes arenas et stellas: maxime autem penes unicum filium. Ita enim videmus evenisse, quod hic populus habuit capitales hostes, sed contra eos multas insignes victorias, etiam corporales.

Sicut in libris Iudicum et Regum recitatur, quando etiam impii reges Israel, Ahab, Ioas praeclaras victorias consecuti sunt contra Philistaeos, Syros, Ammonitas, propter semen hoc, cui subiicit Deus inimicos ad scabellum pedum.

Atque hae victoriae impiorum fuerunt, qui comparantur arenis in littore maris et pulveri terrae. Sed stellae coeli, hoc est, pii veram benedictionem adepti sunt in victoriis spiritualibus, quia possederunt portas spirituales, hoc est, corpora et mentes subiectas imperio Sathanae, illas converterunt ad fidem, atque destruxerunt portas inferorum, regnum Diaboli, mortis, peccati et omnis generis adflictiones cum animi, tum corporis, et pacem consecuti sunt in coelo et in terris, ne horrerent amplius infernum, non expallescerent ad conscientiam peccati et legis accusantis minas.

Hae longe praeclariores victoriae et caedes sunt, quam Ammonitarum, Philistaeorum et similium. Congruunt autem haec pulcherrime cum
1. Mose 3, 15 prima promissione edita in Paradiso: 'Semen mulieris conteret caput serpentis', etc. Sicut et aliae omnes, nisi quod alia est clarior alia.

Nos quoque, qui credimus hoc semen esse benedictionem nostram, magnam causam gloriandi et superbiendi habemus contra omnes portas inferorum et Satanam ipsum cum omnibus squamis et compluribus suis.
Röm. 8, 37 Ferre quidem hostium odia et saevitiam cogimur: 'sed in his omnibus superiores evadimus per eum, qui dilexit nos.' Romanorum 8.

Si sumus Christiani, et credimus in semen benedicens, quid ad nos, si irascitur Diabolus aut mundus? rapiant sane, quae habemus, et occidant corpus. Num detinebunt nos ideo in morte? Nequaquam, quia benedicti sumus et certi de vita contra mortem, de gratia et benevolentia Dei contra odia mundi.

Ad hunc modum David promissione ista se confirmavit, et non immerito gavisus est, quod semen illud translatum esset in domum suam, vocat id *Adoni*, et ratiocinatur fore regem et sacerdotem. Rex est, quia
Matth. 11, 27 sedet a dextris Dei, qui omnia in manu habet Matthaei XI: 'Omnia mihi tradita sunt a patre meo.' Sacerdos est, quia benedicit.

Haec omnia aptissima et facilima consequentia sequuntur ex illis praemissis. Benedictio seminis Abrahae promissa pertinet ad meam domum. Quia audivi ex Propheta Nathan: 'De fructu ventris tui' etc. Igitur Christus

---

24 et compluribus suis *G. Erl.*] et complicibus suis *H. I. K.* *34 Adoni*] אֲדֹנִי *34|35* quia sedet a dextris Dei *I. K. Erl.*] quia a dextris Dei *G. H.*

promissus Abrahae nascetur de meo semine. Atque ita linea ab Abrahamo ducitur in corpus Davidis.

Postremo animadvertit quoque sacerdotium Leviticum non ideo institutum esse, ut esset perpetuum, quia alius benedictor promittitur, et offitium benedicendi, quod antea ad tribum Levi pertinebat, iam ad tribum Iuda transfertur.

Ibi apertissime retecta est facies Mosi, ut videret sacerdotium Levi tantum umbram et figuram esse, quod inde etiam liquet, quia ante Mosen promissio facta est Abrahae, venturam esse benedictionem ex semine ipsius.

Vidit ergo aliud longe excellentius sacerdotium successurum Levitico, quod benedicat cum Abrahae, tum Levitis, qui et ipsi sunt sub maledicto, et propterea benedictione seminis opus habeant aeque atque alii. Huc deinde accommodavit Melchizedec, et sacerdotium aeternum fore propter semen aeternum statuit.

Haec ratiocinatio perspicua et facilis Davidi fuit, praemissae enim sunt certae. Ego sum de tribu Iuda, Levitae non, et promittitur mihi Rex et Sacerdos, qui sit benedictio omnium gentium. Igitur quicquid ordinatum fuit a Mose de Levitica tribu, tantum est umbra futurorum, quia multo ante illam ordinationem promissus est verus benedictor.

Item quando ad Mosen dicit Deus Exod[i vigesimo quinto: 'Facies 2. Mose 25, 40
omnia iuxta similitudinem, quae tibi monstrata est in monte', non frustra tam diligenter de similitudine illa, sive typo moneri cogitavit, et statuit omnino Mosen ante oculos et in conspectu habuisse benedictionem futuram per Christum. Moses enim est umbra et figura praecedens Christum venturum. Verum igitur sacerdotium statim ab initio mundi fuit, primum obscure, postea clarius Abrahae promissum.

Ad hunc modum David et alii Prophetae diligenter scrutati sunt, et expenderunt hanc sententiam. Ideoque recte et foeliciter potuerunt interpraetari Mosen. Nempe quod legum iustitia et opera a maledicto non liberent, sed illud unum credere, et amplecti plena fiducia sacerdotem, qui Abrahae promissus est.

Erant quidem Levitae sacerdotes divinitus instituti, sed erant mortales, ideoque benedictores tantum temporales: Qualis enim sacerdos, talis benedictio: non poterant tollere peccatum, mortem, nec purificare corda.

Hinc dicit David, quod alius sit venturus, benedictor scilicet aeternus, cuius regni non erit finis. Quin et Moses omnibus suis ordinationibus occulte significat omnia ad domum Davidis trahenda.

Hinc Prophetae et omnes sancti ante Christum toties et tam anxie clamant, veni, Domine: ut desiderantes intueri gloriam et lucem illam seminis Abrahae et David, qua omnes pii in novo Testamento magno Dei beneficio fruuntur.

Notanda autem est explicatio particulae universalis: '(OMNES GENTES

BENEDICENTUR)'. Scripturae sanctae usitata videlicet, quod nihil gentium benedictum sit, nisi per hoc semen. Eadem sententia est Ioannis primo: 'Illuminat omnem hominem', item: 'Deus vult omnes salvos fieri.' Joh. 1, 9 1. Tim. 2, 4 Non quod omnes illuminentur, sed quod universa benedictio dispersa per omnes gentes venit ex hoc semine. Exclusiva per universali ponitur, quasi dicas, nusquam est lux, vita, salus, nisi in hoc semine.

Sic igitur doctrina nostra clare confirmata est, et adversariorum refutata. In Christo, non in nobis benedicimur, id est, certo debemus statuere, quod per ipsum Christum contingat benedictio. Hoc qui impugnant, quod Papistae faciunt, satis testantur se nihil de doctrina pietatis intelligere.

22, 19 Reversus est itaque Abraham ad pueros suos, et surgentes venerunt pariter Beer saeba, habitavitque ibi Abraham.

Mirandum vero est, quod sanctissimus Patriarcha a loco tam sancto revertitur. Si alicui nostrum fieret tam magnifica revelatio de immolando filio, et accederet illa gloriosa promissio: 'in semine tuo benedicentur omnes gentes.' Item colloquium et praesentia Angeli non unius, sed totius militiae coelestis: Certe humana devotio suaderet, non solum hunc locum colendum, sed etiam incolendum. Cur igitur Abraham hoc non facit?

In libris Regum et Prophetis cernitur, quam furiosus sit populus iudaicus in humana religione, elegerunt montes, colles, silvas, arbores, ubi saltem potuerunt habere aliqua vestigia rerum a patribus gestarum. Hinc instituerunt cultus et sacrificia in Gilgal, Bethel, Dan, Thabor: ibi enim gestae fuerunt res insignes.

Sic Abraham habuit iustissimas causas manendi et colendi hunc locum, praestitit summum sacrificium in eo loco religionis et reverentiae divinae, tamen noluit celebrem facere ullo monumento, sicut infra audiemus de Patriarcha Iacob, nepote ipsius, qui lapidem erigit eo loco, ubi viderat scalam.

Posteritas Abrahae eiusmodi loca insignia patrum religione et sanctitate sectati sunt et coluerunt. Ideo toties taxantur a Mose et Prophetis, et Moses id summo studio agit, ut revocet omnes historias, Sacra, mirabilia et totum cultum ad locum, quem eligeret Dominus. 'Cave, inquit, ne 5. Mose 12, 13 f. in quocunque loco offeras, sed eo tantum, in quo memoria fuerit nominis mei.'

Ideo designat eis certum locum, et vocat tabernaculum *Moed,* id est, statum, certum et fixum locum: id tabernaculum dedit Deus Mosi in certum signum loci, quem elegisset, et addidit promissionem se habitare ibi, adesse, audire vota et preces invocantium.

Sed ille ipse populus, qui maxime certum et definitum locum cultus habebat, omnium maxime incertis et electitiis locis vagabatur et errabat.

Est enim ea naturae nostrae deploranda perversitas, ut, quicquid Deus mandat, non servemus nec magnifaciamus: quicquid autem Diabolus statuit, id summo studio et devotione amplectimur et observamus, aedifi-

camus altaria, sacella, templa, currimus Romam, ad S. Iacobum.[1] Interim negligimus Baptismum, Eucharistiam, Absolutionem et vocationem.

Et Papa hoc unum egit, ut tolleret locum fixum, seu tabernaculum, hoc est, ministerium verbi. Ipse non curat, nec exercet verbum et sacramenta, sed tollit et horribiliter vexat populum, indulgentiis replet totum orbem, ubicunque loca et anguli electitii, ibi distribuit indulgentias, ut confirmet errores et Idolomaniam.

Econtra Deus revocat nos ad locum, ubi est memoria nominis eius, ad tabernaculum nostrum, quod est ministerium verbi: ubi sonat verbum, et porriguntur Sacramenta secundum institutionem Christi, id verum Dei tabernaculum est.

Si Papa pro se haberet tantum testimonium, quod Deus secum locutus fuisset Romae, quemadmodum cum Abraha in monte Moriia, quis posset ei resistere? Nunc proprio ausu, sine verbo, sub Petri nomine tantas idolatrias confirmat, et suis impudentissimis mendaciis totum terrarum orbem replet, ut opes mundi ad se rapiat.

Memorabile itaque exemplum Abrahae est, qui habuit iustissimas causas aliquid hoc loco instituendi: vocatus est ex Beerseba in montem Moriia autoritate divina, praestitit sacrificium maximum et admirabile, quia paratus fuit proprium filium immolare, et audivit verbum Dei de coelo in timore et fide: tamen nihil tentat, non convocat populos ad celebrandum aut colendum hunc locum.

Moses hoc singulariter descripsit nobis in exemplum et doctrinam, ut nihil tentemus, aut audeamus in rebus divinis. In aliis rebus sive politicis, sive oeconomicis abunde est, ubi te exerceas, et facias offitium audenter secundum verbum Dei. Sic contra Turcas iuberis esse audax, fortis et confidens. Sed in religione prohibita est prorsus omnis audacia et temeritas, omnia studia et electiones propriae, sicut passim ab omnibus Prophetis taxantur.

Abraham nihil addit ad religionem ultra vocationem: quanquam hic locus sanctissimus esset, et sanctissimae personae, Angeli, Abraham, Isaac ibi constitissent et morati essent, tamen avertit sese ab his omnibus, et abit. Cogitavit enim: quod debui, feci, sacrificavi filium, sicut iussus sum: Non autem mandat Deus, ut hic cultum instituam. Nihil igitur audebo, atque ita ab omni temeritate et audacia abstinet, manet in timore DOMINI, et expectat eius vocationem paratus obedire et sequi, quocunque eum vocaret Deus.

Doctrina igitur huius loci est, In religione ante omnia quaerendum esse, quis iussit? Seneca ait. Non quis, sed quid dicatur, attende. Id praeceptum in oeconomia et politia locum habet. In Ecclesia vero et religione invertendum est, et quaerendum non Quid? sed Quis? In homine

[1]) *S. oben S. 229 Anm. 1.*

est aliqua sapientia ex lumine rationis divinitus insito. Sed quia hominis proprium est errare et falli, ideo, quid dicatur, attendendum est, non quis dicat, non innitendum personae.

Sed in Ecclesia consideretur Quis, Qualis, Quantus sit, qui iubet: id si non fit, Diabolus facilime immutat Quis, Qualis, Quantus, in Quid, Quale, Quantum.

Achas cogitat de insigni cultu Deo praestando, immolat filium exemplo Abrahae. Sed peccat graviter. Nam Quis, hoc est, Deus non iussit: *Mincha* sive vitulum offerri mandavit, hoc ipse negligit, et Quid pro Quis arripit.

Haec in Ecclesia saepe monenda et diligenter agitanda sunt, ut simus contenti doctrina semel tradita. Hanc si secuti essemus ante haec tempora, haud unquam coenobia, peregrinationes, indulgentias, sacrificia pro defunctis amplexi essemus. Quilibet pastor in sua Parochia docuisset verbum Dei, et Ecclesia acquievisset Verbo, Baptismo, Caena Domini, Absolutione, Consolationibus in morte et vita. Singuli deinde fecissent suum offitium in functionibus civilibus et oeconomicis, sive servi essent, sive domini, Magistratus seu subditus. Ista portenta Papisticarum abominationum nunquam irrepsissent in Ecclesiam.

Sic enim Abraham se gerit, relicta religione, Angelis, conspectu Dei in monte Moriia, quo tum nullus sanctior in toto orbe fuit. Sonuit enim ibi vox et promissio divina: omnibus illis tergum vertit: tanti facit vocationem et ministerium verbi: Cum Deus nihil iubeat, nihil tentat, sed revertitur ad operas oeconomicas, gubernat familiam, uxorem, servos: ubi plane nihil spirituale aut ecclesiasticum apparet, ea enim relinquit in monte Moria, nec moratur eum Angelorum apparitio, sed redit ad pueros et asinum.

Haec si audiret religiosus aliquis Heremita aut Monachus, detestaretur Abrahamum. Num enim is sanctus Patriarcha est, qui relinquit locum tam sacrum, ubi Deus habitat cum Angelis: et vadit ad asinum, exercet opera oeconomica, popularia, sordida et stabularia? Qualis haec est sanctitas? Mirum enim est, quantus sit apud istos contemptus horum: et id unum religionem et sanctitatem ducunt, deserto mundo, hoc est, patre, matre et civilibus offitiis secedere in angulum desertum.

Hieronymus alicubi tantopere praedicat hanc sanctimoniam, ut dicat matrem et patrem occurrentem monacho ingressuro monasterium, et cupientem eum retrahere, reiiciendum et proculcandum esse. Impia haec et detestanda vox est. Quin te, Hieronime, conculcamus, cum tua Bethlehem, cucullo et deserto. Quia ministerio verbi divini vocor, non in Bethlehem, sed in parochiam ad Ecclesiam, ad audiendum verbum Dei,

---

9 *Mincha*] מִנְחָה

ibi habitat Deus, ibi sunt custodes Angeli, ibi audio honore esse afficiendos parentes, serviendum vocationi pie et fideliter. Si Deus alio me collocare volet, vocabit me, sine vocatione, sequatur te et alios Diabolus.

Honorabo igitur, non conculcabo parentes propter verbum et mandatum Dei. Si autem a Baptismo, fide et obedientia Dei deficio, quod omnes Monachi fecerunt, quae potest esse sanctitas aut cultus Dei?

'Propter ME, inquit Christus, et propter NOMEN MEUM relinquetis fratres, sorores, patrem, matrem, uxorem, filios, agros': non vestro arbitrio aut electione deseretis parentes, cum maxime opera et ope vestra opus habuerint. Similis impietas apud Iudaeos quoque invaluerat, quam taxat Christus. Matth[aei 15. Cum sacrificium longe sanctius esse docerent, quam obedientiam erga parentes: *Corban*, hoc est, donum et sacrificium plus tibi proderit, quam honor: atque ita tollebant specie sanctitatis et religionis parentum statum et dignitatem, ad suam avaritiam explendam. Mark. 10, 29 Matth. 15, 5

Haec doctrina ut multis hactenus agitata et diligenter explicata est: ita assiduo est repetenda propter adolescentes et teneram aetatem, quae est seminarium Ecclesiae, ut discant, ibi persistendum et manendum esse, ubi DEUS loquitur, et ad ea officia adsuescant, quae sunt mandata divinitus: nisi alio vocentur, aut expellantur, ut quando Tyranni proscribunt, et eiiciunt suis functionibus pios.

Spontanea electio et voluntaria in religione arridet quidem carni, et rationi est admodum plausibilis. Sed si sequeris, perinde facis ac illi, qui relicto tabernaculo ad arbores et lucos currebant. Id diabolicum est, non divinum. Et Paulus etiam damnat electitias religiones, ubi non adest verbum vocans, sed tantum voluntas eligens et instituens.

Moses igitur diligenter hoc annotavit, quod non voluit Abraham manere in loco isto sacro, cum peregisset sacrificium. Sed reversus est ad Laicas operas et sordidas, et ad suos cultus liberos adhuc, nondum ulli loco alligatos. Adhuc enim vagabatur, non habebat cultum fixum: sed iubente Deo quandoque offerebat.

Redit igitur ad pueros sive servos et asinum: atque ibi haud dubie instructo convivio cum servis et filio epulatus est. Sacrificium enim convivium lautum et hilare adiunctum habet, tanquam suum substantiale.

Sicut in lege, quando offerebantur pecudes, adeps incendebatur, armus et pectusculum dabatur sacerdoti. Reliqua caro erat offerentium, si non erat holocaustum. Sedebant igitur coram Domino, et laeti epulabantur, et gratias agebant Deo.

Fuit et gentibus usitatum, ut in sacrificiis epularentur, et nos ex isto ritu gentili diebus festis splendidius vivimus et vestimus. Sic Abraham

---

12 Corban] קָרְבָּן

quoque sedit in radicibus montis apud asinum, et cum servis et filio convivatus est.

Mira vero res est, quod post tantam tentationem de immolando filio statim potuit sese colligere, et sereno animo esse. Apparet fuisse eis hoc in more, etiamsi nondum esset praeceptum in lege, sicut postea a Mose ordinatae sunt epulae post sacrificia. Recepto igitur filio et mactato ariete uterque, parens et filius, ex animo laetantur, et haud dubie totam rem magno gaudio servis commemorarunt, et Deum gratis animis praedicaverunt. Post haec redierunt Beerseba ad Saram, unde egressi fuerant relicto sanctissimo loco, sacrificio, Angelis et conspectu Dei.

22, 20–24 Et factum est, postquam haec gesta sunt, ut nunciaretur Abrahae a dicente: Ecce, peperit et ipsa Milca filios fratri tuo Nahor. Nempe UZ, primogenitum suum, et Buz, fratrem eius, atque Kemuel, patrem Syrorum. Sed et Chaesed, et Hazo, et Pildas, Iidlaph atque Betuel. Betuel vero genuit Rebeccam: octo istos genuit Milca Nahor, frater Abraham. Sed et concubina eius, nomine Rehuma, genuit quoque Tabah et Gaham, Tahas et Maacha.

Vicinae regiones sunt Syria et Canaan. Sed Abraham ignoravit hactenus, quid fieret apud fratrem Nachor, qui in Haran cum uxore sua manserat. Scribit igitur Moses nunciatum ei esse de familia et sobole fratris: quod genuisset ex Milca octo filios, et ex concubina quatuor, sunt duodecim personae praeter Rebeccam.

Meminit autem huius genealogiae scriptura sancta. Primum, quia facit Nahor propemodum patrem Patriarchae Iacob recto numero et perfecto in prole masculina et foeminina. Filios enim genuit duodecim et filiam unam, quemadmodum et Iacob. Deinde propter Rebeccam et sponsalia cum Isaac aliquanto post contracta.

Porro hic locus superiorem quaestionem explicat capite undecimo, et ostendit. Nahor esse maiorem natu fratre Abraha, quia tam numerosam sobolem habuit, quae hic recensetur. Item Bathuel habet filiam Rebeccam, neptem Nachor, quando Abraham octuaginta annos habet. Igitur coniectura hinc sumitur Abraham non esse primogenitum.

Apud Hebraeos quidem habetur pro primogenito. Aran pro secundo. Nahor pro tertio genito. Sed si hoc ita est, quomodo Milca et Sara, filiae Aran, potuerunt nubere duobus fratribus: Nahor et Abrahae? Sequitur enim Aran anno octavo aetatis duxisse uxorem, et genuisse Saram, quod est absurdum prorsus. Hanc Iudaeorum opinionem solus lyra impugnat, et concludit Abraham ultimo genitum esse, et 60. annis minorem fratre, idque probabilibus coniecturis et argumentis probat, quae supra recensuimus.

Sed Stephanus in actis magis me movet, qui ait Abraham esse Apg. 7, 4
egressum post mortem patris: inde sequitur, annos sexaginta addendos esse ad aetatem Abrahae, qua egreditur, si historiam inspicias, et annos Thare patris numeres. Sed si numeres ab anno septuagesimo Abrahae, sicut in omnibus supputationibus vulgo fit, intercidunt sexaginta anni, ut supra quoque monuimus. Sicut et in libris Regum viginti anni desiderantur. Ita fere centum annos amittimus.

Videtur autem singulari consilio scriptura sancta hos annos abscondisse propter diem extremum, cuius horam aut annum Deus incognitum esse voluit. Fieri enim potest, ut praevertat cogitationes aut expectationem piorum annis 100, 160, aut amplius.

Altera quaestio de Sara sive Iisca et Milca supra tractata est. Fuerunt tres fratres, Haran primogenitus, qui moritur in UR Chaldaeorum, et relinquit duas filias: Milcam et Iiscam, quas Thare recipit in fidem et tutelam suam. Medius frater est Nahor. Tertius Abraham.

Hi duo duxerunt duas sorores, neptes sive filias fratris sui Haran, quia tunc temporis eiusmodi nuptiae adhuc fuerunt liberae.

Caeterum inter illos duodecim patres dicit Moses Kemuel esse patrem Syrorum. Sed hoc nomen prorsus exolevit et periit, neque ulla alia eius mentio fit in sacris literis.

UZ nomen habet a ligno, vel ab arbore: faciunt vero et hunc patrem Syrorum, et hoc nomine appellatur terra *UZ*, in qua Hiob natus est, ut Hiob 1, 1
S. Hieronymus dicit. Multi adfirmant Hiob ex stirpe et posteritate Esau fuisse, in qua opinione et ego aliquando fui. Sed mutavi sententiam, et magis credo eum ex Mesopotamia in Syria oriundum esse. Inde enim recitatur in historia eius vicinos Chaldaeos depopulatos agros diripuisse domum, et abegisse pecora Hiob. Existimo igitur fuisse Hiob potentem et opulentum dominum, qui aliquam partem Mesopotamiae occupavit, vicinam Chaldaeis et Babiloniis.

Buz etiam princeps aliquis fuit, et tenuit patrem Mesopotamiae. Hinc *Elihu* Buzites dicitur, filius Baracheel, qui tam odiose disputat adversus afflictum Hiob, et multis convitiis eum onerat. Apparet igitur Nahor habuisse Ecclesiam satis magnam et celebrem, in qua fuerunt multi magni viri, quales non habuit Abraham in sua Ecclesia.

Hieronymus autem scribit doctissimos scripturarum adfirmare, hunc Elihu esse Bileam. Numeri 23., qui fuit insignis Propheta et Doctor in Mesopotamia, qui revelata eloquia Dei, sicut ipse se iactat, et multae illustres Prophetiae creditae sunt a Deo. Quando igitur dicit: 'rex Moab 4. Mose 23, 7
vocavit me Bileam de Haran', id est, de Syria, significat se ex aliqua parte vocatum, ubi hi patres habitaverunt, qui hic recensentur, et apparet sane fuisse praestantes viros, et tenuisse regnum aut imperium florens et bene constitutum.

2. Petri 2, 15 Moses scribit: Bileam fuisse filium Beor, quem Petrus Boser appellat[1], et habitasse super flumen filiorum Ammon, hoc est, super fluvium Tigrim vel Euphraten.

Fuit magnus Vir, sed horribiliter lapsus est, ut testatur eius historia. Habuit maximas Prophetias similes Danielis vaticiniis de Alexandro magno, de Romano imperio vastaturo regnum Israel et Iuda. Hunc igitur Bileam ortum esse dicunt a Buz, filio Nachor, et attigit tempora Mose, qui duo fuerunt summi Prophetae illius aetatis. Bileam ex Mesopotamia accersitus est contra Mosen, qui venit ex Aegypto: et Bileam revera habuit verbum Dei, et benedixit Israel.

Caput vigesimum tertium.
Caput XXIII.

23, 1. 2 Porro vita Sarae fuit centum annorum et viginti annorum atque septem annorum: Hi anni vitae Sarae. Et mortua est Sara in Kiriat Arba, ipsa est Hebron in terra Chanaan. Venitque Abraham, ut plangeret Saram, et fleret eam.

Primum ne videamur ignorare, aut non legisse Iudaeorum cogitationes, Paucis eas recensebimus. Comminiscuntur enim hoc loco mysteria annorum aetatis Sarae: quia Moses non simpliciter dicit centum viginti septem annos, sicut usitate loquimur: sed singulis numeris singulos annos addit: Centum anni, viginti anni, septem anni. Hoc ideo fieri dicunt, ut significetur Saram tam fuisse formosam anno centesimo, quam fuit vigesimo: ac non minus pudicam et castam fuisse vigesimo anno, quam fuerat anno septimo.

Concedamus sane illis haec figmenta, pietatis adfectu excogitata, ut commendetur insignis pudicitia et forma honesta sanctissimae Patriarchae, et talibus laudibus dignissimae. Id enim et nos solemus post mortem amicorum et propinquorum, laudes et virtutes eorum recitamus, vitia tegimus, et quae digna sunt commendatione, proferimus, ut hac ratione luctum et desiderium nostrum leniamus.

Sed ridiculum fuerit, si velis hinc generalem regulam aut Canonem facere, et accomodare ad omnes annorum numeros. Sicut supra cum Patriarcharum anni numerantur, si similis collatio annorum vitae in singulis institueretur, absurdum plane foret.

Miror autem eos hoc non perpendisse potius, cur Moses dicat in plurali numero: vitae Sarae, quasi dicat. Sara habuit vitas, illa utilior esset consideratio. De annis vitarum Sarae.

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 307; neue Glosse (1541) zu 4. Mose 22, 5.*

Significatur enim ingens et infinita diversitas mutationum, casuum, periculorum, et diversissima genera vitae, quae Sara vidit et tulit. Nata est et nupsit in Babilone, mox educta cum marito habitavit in Haran, postea in terra Chanaan: ibi peregrinatus est Abraham: tandem in Aegyptum et Gerar venit. Has mutationes et migrationes molestissimas sanctissima mater magno animo pertulit, et in omnem eventum omnium malorum fuit tolerantissima.

Ac talis revera vita humana in universum est, ut recte vitae possint dici propter mirabilem omnium rerum vicissitudinem. Toties enim morimur, quoties nova tentatio oritur, et vicissim vivificamur, quando erigimur et consolationem accipimus.

Vide, quaeso, quanta varietas et differentia est in singulorum vita, prima aetas est pueri septennis, ea exacta succedit aliud septennium. Sicut id Philosophi et Medici quoque monent, quando disputant de annis climactericis, quibus contingunt insignes mutationes. Et Paulus de se dicit .2. [sic!] Cor[inthiorum 13.: ‘Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, 1. Kor. 13, 11
sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, abolevi ea, quae erant parvuli.’ Tales mutationes sunt vitarum humani generis. Ideo tota illa successio aetatum in singulis hominibus merito vitae vocantur, quia quolibet septennio mutamur in alium habitum, adfectum, sensum. Summa, morimur et vivificamur.

Tertio septenario subeunt cogitationes de coniugio, cum fueris coniunx, succedunt curae domesticae aut Reipublicae, quando legeris in senatum, adhiberis ad deliberationes et consilia principum, ibi novos mores et novam cutem induas oportet. Plurimae enim ferendae erunt molestiae, onera, difficultates, odia vicinorum et sociorum. Saepe etiam dignitatis et existimationis diminutio. Hae tam variae innovationes et mutationes faciunt varias vitas.

Id Moses significare voluit, quando dicit vitae Sarae, quasi diceret, saepe pro diversitate locorum et hominum, animum et mores diversos induit Sara: ubi venit in aliquem locum, quo putavit se suaviter et tranquille victuram, coacta est mutare locum, et cum loco consilia et adfectus. Ideo illa sancta mulier multas habuit vitas. Haec digniora fuissent observatione. Quanquam facile crediderim centesimo anno eam aeque formosam fuisse, ac vigesimo anno fuit.

Deinde multo magis illud considerandum est, quomodo Abraham pulchram orationem funebrem fecerit de Sara. Nulla enim alia matrona tam celebris est in sacris literis: describuntur anni, vitae, mores eius et sepulchrum. Ideo Sara fuit unica illa gemma in oculis Dei unice dilecta: et merito inducitur a Petro exemplar omnium sanctarum mulierum, ‘quae 1. Petri 3, 6
appellavit, inquit, Abraham Dominum, eius filiae factae estis vos’, proponit eam tanquam matrem omnibus matronis Christianis.

Aliarum Patriarcharum ne mortem quidem annotavit scriptura: ut de Eua nihil meminit, quot annis vixerit, ubi mortua sit. Rachel scribitur laboribus partus extincta esse. Reliquas omnes praeterit et involvit silentio, adeo ut nec Mariae, matris Christi, mortem cognitam habeamus. Sola Sara hanc gloriam habet, quod annorum numerus certus, tempus mortis et locus sepulchri describitur. Magna igitur laus est, et certissimum argumentum fuisse eam preciosam in oculis Dei.

Pertinent autem haec non tam ad Saram, quae iam defuncta est, quam ad nos, qui sumus adhuc superstites. Maxima enim consolatio est audire exitum et mortem istius sanctissimae Patriarchae et omnium patrum, quorum collatione nos nihil sumus, nihil differre a nostra morte. Sed aeque deformem et ignominiosam fuisse, ac nostra est. Corpora eorum sunt sepulta, corrosa a vermibus, defossa in terram propter foetorem, non aliter ac si non fuissent sanctorum exuviae, cum tamen fuerint sanctissimi homines, et quamvis defuncti, tamen vere in Christo vivunt.

Propter nos igitur haec scribuntur, ut sciamus sanctissimos patres et matres eadem passos, quae nos pati solemus, de quibus tamen certum est, quod in oculis Dei vivant, et quos ego credo resurrexisse cum Christo, Abraham, Isaac, Iacob, Adam etc.

Atque haec videtur fuisse causa Abrahamo, cur tantopere laboraverit de sepultura, ne mortua sua Sara sepeliretur in aliena terra. Sicut idem de Isaac postea audiemus, Iacob item et Ioseph noluerunt in aegypto sepeliri, sed in terra Chanaan.

Haec cupiditas argumento est indidisse eis Deum hunc animum, ut cuperent et vellent sepeliri in hac terra sibi promissa, certa spe, resuscitandos se esse cum Christo. Ideo ibi locum sepulchri esse voluerunt, ut non procul a venturo semine quiescerent. Hebron enim distat duobus aut tribus milliaribus ab Hierosolyma. Igitur haud dubie cum Christo resurrexerunt nobis in consolationem, ne timeamus mortem, quando videmus illam horribilem figuram corporum nostrorum post mortem.

1. Thess. 4, 18 Hi, qui nullam spem habent resurrectionis futurae .1. Thessalonicensium 4., nihil curant, nec cogitant de futura vita. Nobis vero haec scripta sunt, ut recordemur, quomodo ab initio mundi omnes sancti extincti sint, et redacti in eosdem foetores et cineres, sicut 1. Corinthiorum 15. Paulus

1. Kor. 15, 43 ait: 'Seminatur in ignominia', eandem corruptionem et ignominiam passi sunt, non obstante eo, quod fuerunt sancti carne et spiritu.

Sic enim visum est Deo ex vermibus, ex putredine, ex terra corruptissima et plena foetoris excitare corpus pulcherrimum supra omnem florem, balsamum, solem ipsum et stellas.

Haec ideo moneo, ut adficiant nos exempla istorum sanctorum. Nam qui infirmi fide sunt, magis moventur, et dulcius quasi trahuntur ad consolationem hisce exemplis inferioribus, quam exemplo Christi. Quia enim

Abraham, Isaac, Iacob, Sara sic moriuntur, cogitat pius animus, quamvis infirmus adhuc. Cur ego recusem, aut abhorream a communi omnium sanctorum sorte?

Infirmis enim incurrit in oculos non tam imbecillitas propria, quam horribilis illa species cadaverum. Ideo cogitant: Si haberem tale corpus, quale Christus habuit, quod mors non potuit corrumpere, nec vermes arrodere, maiore animo summum diem expectarem. Mors Christi quando in exemplum proponitur, videtur quodammodo non esse mors, quia tertia die resurrexit. Magis igitur adficiuntur et confirmantur infirmi, quando vident corruptionem corporum Patriarcharum similem esse nostrae corruptioni.

Sed qui sunt fortiores in fide, contemnunt simpliciter mortem, et ei superbe illudunt et insultant. Quid est mors? inquiunt, quid infernus? Christus, filius Dei, mortuus est, et sub legem factus, is moriendo mortem devicit, et vitam nobis restituit.

Si sic firmi essemus, et indubitanter credere possemus Christum pro nostris peccatis esse mortuum, et resurrexisse ad nostram iustitiam et vitam, nihil terroris aut pavoris in nobis haereret. Est enim mors Christi Sacramentum quoddam certificans nos, mortem nostram nihil esse. Sed infirmi magis exemplis moventur, quam Sacramento. Magnitudo enim personae Christi facit, ut non tam facile penetret animos, et persuadeat contemptum mortis.

Haeremus igitur in similitudine exemplorum, sicut ipse ego aliquando plus delector exemplo Sarae, quam Christi. Causa est infirmitas fidei: Dulcius arridet et magis consolatur me mors Sarae, cum sciam fuisse sanctissimam foeminam, et tamen audio tam turpiter mori, sepeliri, oblivioni tradi, tanquam raptam a conspectu non tantum hominum, sed et Dei et Angelorum. Id si ipsi contigit, non movebor, etsi mihi idem accidat.

Sed quibus plus roboris animi et fidei est, amplectuntur Sacramentum, et quia credunt pro se filium Dei esse mortuum, insultant morti, et ludibrio habent Satanam et infernum .1. Cor[inthiorum 5. [!]: 'Mors, ubi stimulus tuus?' Col[ossensium 2.: 'expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans de illis in semetipso.' Ibi Paulus admodum ridicule et contemptim de morte loquitur. 1. Kor. 15, 55 Kol. 2, 15

Quia Christus illi non solum est exemplum, sed etiam Sacramentum, quod plenius et multo sublimius est exemplo. Quicquid enim deest in exemplo, multipliciter et in infinitum supplet sacramentum. Sara non est pro me mortua, nec potest mihi vitam conferre. Haec autem maiestas et pondus est Sacramenti, quod habet vim vivificativam, quae mihi redditura est vitam in resurrectione mortuorum.

---

23 delector *I. K. Erl.*] dilector G. H.

Sarae exemplum est quasi Rhetorica trahens, alliciens et suadens contemptum mortis. Sacramentum vero id facit et operatur in meo corpore, quod in Abrahamo et multis sanctis resuscitatis factum est.

Ideo exempla non sunt reiicienda: quia suaviter rhetoricantur. Sed Christi exemplum, quia simul est sacramentum, est in nobis efficax, non tantum docet sicut patrum exempla. Sed efficit id, quod docet, dat vitam et resurrectionem et liberationem a morte.

Sanctorum exempla docent moriendum esse, et persuadent, ut mortem aequo animo feramus. Christi autem exemplum ultra hoc dicit: Surge, sis vivus in morte, putredo tua fiet clarior et speciosior sole. Quia est Sacramentum, quod testatur et certos nos facit, non tantum docet aut suadet, sed necessario probat et concludit Christi mortem nobis largiri vitam.

Qui sunt igitur infirmi, et habent pavidas conscientias, recte faciunt, quando proponunt sibi exempla sanctorum, quibus alant, et paulatim magis ac magis fidem exuscitent. Deinde vero meminerint et hoc, quod in exemplo Christi deest, quo ad corporalem ignominiam, non enim ignominiose corruptus et corrosus est, id abunde pensatum et impletum esse in cruce et in horto, si quis vidisset horribiles illas angustias et poenas spiritus et animae, quas sensit in horto, dixisset: O quam gloriosa mors fuit Abrahae et Sarae prae illa cruce Christi. Quod igitur defuit in corpore, impletum est in spiritu.

De loci appellatione variae sunt disputationes, Abrahae enim tempore
1. Mose 18, 1 nondum dictus est Hebron, Sed Kiriath Arbe.[1] Supra .18. Vallis Mamre vocatur, cur id fiat, grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est. Noster interpres vertit, in civitate Arbeae, ut sit nomen proprium Arbea. Sicut nos germanice quaedam oppida vocamus Halberstad, Carlstad.

Si Etymologiam spectes, Kiriath Arbe idem est, quod civitas quatuor sive tetrapolis.[2] Hanc sequitur Hieronymus et appellationis hanc causam assignat, quod sint ibi sepulti quatuor Patriarchae cum uxoribus suis. Adam, Abraham, Isaac et Iacob. De tribus posterioribus quidem non est dubium: Sed de Adam et Eua nemo facile probaverit.

Jos. 14, 15; 20, 7 Ex Iosua autem colligere licet Hebron ante vocatam esse Cariath Arbe, et civitati nomen inditum esse a principe quodam Arba, qui fuit magnus inter Enakin, id est, inter illos gigantes. Fuit vir praestans sive virtute et sapientia, sive viciis infamis, aut quacunque de causa magnus et celebris.

Sic nobis Carlstad vocatur a Carolo, qui fuit magnus inter Reges. Halberstad a quodam Alberto, qui praestantissimus fuit nobilium. Nomen autem habuit Arba a numero, sicut Latini Quintium, Octavium, Nonium dicunt.

[1]) *Vulg.:* mortua est in civitate Arbee, quae est Hebron. [2]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 189, 35.*

Non igitur probo illam opinionem Hieronymi, quod eo loco conditum esse ait Adamum. Quia per diluvium totius orbis tanta dissipatio et confusio facta est, ut priorum monumentorum nulla extiterint vestigia. Sicut totus mundus incomparabiliter deterior est factus priore illo, tum in fructibus, tum in hominibus. Paradisus laceratus et vastatus est, neque quisquam novit, ubi Adam aut Eua, aut alii patres sint sepulti. Ideo nec sepulchra, nec vestigia eorum ulla apparuerunt.

Comminiscuntur et aliam fabellam, dicunt Adam sepultum esse in monte Calvariae, ubi postea Christus crucifixus est: quo volunt significare Christum mortuum in sepulchro Adae, vel ubi stetit arbor scientiae. Pia figmenta sunt, sed mihi verisimile videtur locum paradisi fuisse circa Hierosolimam.

Mira vero res est et observatu digna propter varias migrationes, quarum toties meminimus, quod Moses dicit Saram mortuam in Hebron, cum paulo ante narraverit habitasse Abraham, Saram et Isaac in Gerar, tutos benevolentia et defensione Regis Abimelech.

Cum nasceretur Isaac, fuit Sara nonagenaria, hoc autem tempore Isaac est .37. annorum, cum quibus simul et animi et corporis vires accrevisse necesse est. 20. annos habuit, cum esset immolandus, ab eo tempore reliqui fuere 17. anni ad mortem matris Sarae. Interim mortuus est Abimelech, et successit alius, ut fit, dissimilis priori. Mutato autem rege, populi etiam animus mutatus est, et cum in aula, tum in populo recruduit odium et invidia erga Abraham, quem viderant hactenus crescere, et magnas opes acquirere. Itaque iniustis odiis et iniuriis exagitatus et pulsus cessit, rediitque in vetus hospitium Hebron, alioqui nullam causam migrandi habuisset.

Abest autem forte Abraham peregre eo ipso tempore, quo moritur Sara, occupatus negotiis domesticis, vendendis fundis et possessionibus, quas tenuerat in Gerar, aut similibus. Deus id ei non revelat, nec domi detinet, sed sinit, ut exspacietur. Misit autem haud dubie Sara nuncium, dum decumberet, qui maritum revocaret, sed mors ipsam occupat, antequam redeat. Cum igitur revertitur in Hebron, invenit domi coniugem mortuam.

Ista propter nos scribuntur, si quando eadem et nobis accidant, ne quid inusitatum aut novum evenire cogitemus prae illis sanctissimis et Deo carissimis hominibus. Plena enim luctus et doloris res est amittere suavissimam coniugem, et quidem te absente.

Venit autem, ut Moses inquit, ad plangendum Saram: Non potest eam revocare in vitam, nec vocat eam amplius uxorem suam, ut sequitur, sed mortuum suum, quod admodum patheticum est. Obversata est haud dubie oculis et animo ipsius virtus, pietas, consuetudo totius vitae, mores placidi et suaves, ingenium mite, reverens et amans mariti, quae omnia insignia in eo fuisse toties dictum est.

Sed quid hoc? Moses dicit venisse Abrahamum ad plangendum et flendum. Tantusne vir ploravit, luxit, induit vestem lugubrem, incessit tristi et demisso vultu? ubi ille victor et triumphator tot exiliorum et peregrinationum per Syriam, Aegiptum et per totam terram Canaan? qui profligavit quatuor reges, et Loth liberavit, filium dilectissimum obtulit, cuius nihil simile in ulla historia extat, voluit fieri mactator eius filii, qui erat spes futurae posteritatis et promissionis, atque ita illum summum adfectum fortiter vicit et occidit.

Quare ergo flet? Quare hic non virum se praebet? Non aliter se gerit, ac si absque illo tanto spiritu et motibus heroicis esset, non exercitatus ullis unquam periculis aut adversitatibus.

Respondeo. Probat hoc exemplo scriptura sancta, Deo non displicere, plangere aut flere mortuos parentes, coniugem aut amicos. Imo vitium est non flere. Sicut mundus, qui totus est leprosus, *ἀστοργίαν,* quae est non moveri adfectu et amore coniugis, liberorum aut propinquorum, appellat fortitudinem. Sed insania est et furor, non virtus.

Sancti patres fuerunt tenerrimi homines, et natura puriores, ideoque *στοργάς* excellentiores habuerunt, quam alii insensati. Quo enim sanctior quis est, et quo propius Deum cognoscit, hoc magis intelligit et adficitur creaturis.

Ad luctum autem pertinet, ut ex animo doleas et tristeris, adeo ut tristis vultus, lachrymae, gemitus, ploratus dolorem ostendant. Ideo clare scribit Moses et commendat in Abrahamo planctum et fletum. Ac vide quomodo ploret Iacob propter Ioseph. Moti igitur sunt sancti patres humanae naturae casibus et calamitatibus, fleverunt cum flentibus, non fuerunt stipites et trunci, sed habuerunt motus et adfectus tenerrimos. Quia habuerunt agnitionem Dei. Qui autem cognoscit Deum, etiam creaturam novit, intelligit et amat. Quia divinitatis vestigia sunt in creatura.

Cum in principio crearet Deus coelum et terram, primum vestigium patris erat substantia rerum, postea accessit forma. Tertio bonitas. Istam differentiam in creaturis observant soli pii, impii non agnoscunt, neque enim Deum nec creaturas norunt: multo minus usum earum.

Pertinet autem ad usum rei spiritus sanctus. Qui usum rei videt, spiritum sanctum videt, qui formam rei sive pulchritudinem cernit, filium videt. Qui substantiam et durationem rerum considerat, videt patrem. Haec tria non possunt separari, substantia, forma et bonitas.

Avarus vero tantum videt in pecunia substantiam, figuram, pondus: non autem, quod sit vestigium filii, animadvertit, nec usum rei, hoc est, ad quid prosit, cogitat, nimirum ad gloriam Dei principaliter, deinde ad utilitatem proximi. Impii non cernunt bonitatem rerum, tametsi substantiam et formam aliquo modo aspiciunt. Sic *ἄστοργος* non videt usum coniugis aut liberorum.

Abraham autem intellexit, in quem usum data sit ipsi Sara, non ad libidinem, sed in adiutorium regendae familiae, generationis et educationis liberorum. Impii quia hoc non intelligunt, non adficiuntur, sed tantum saxa sunt. Ac sane stupor et *ἀστοργία* talis signum est leprosae naturae.

Scribuntur ergo haec in commendationem Abrahae, et ut discamus laudabile esse, plorare pro amicis. Sicut supra capite 19. ploravit pro Sodomitis, quamvis frustra. Quia cum simus homines, sentire nos oportet inclinationem conditam a creatore, et inditam cordi nostro, ne simus bestiis similes. 1. Moſe 19, 27

Diligenter igitur notanda est haec descriptio patriarcharum, quos ita ob oculos nobis posuit scriptura sancta, quod sint similes nobis, moveantur humanis adfectibus, loquantur sicut homines: Quia humana loquela, adfectus, cor et anima sunt creaturae Dei, licet per peccatum originale viciata.

Spiritus sanctus laudat naturales adfectus, et quidem in summis viris, qui fuerunt clari virtute, pietate et rebus gestis: Non fuerunt stipites, aut trunci, aut *τετυφωμένοι*, quales non moventur ulla re sive laeta, sive tristi. Piorum est adfici calamitatibus, gaudiis, fortuna bonorum, et dolere etiam de adversariorum periculis, et hosce adfectus gubernat in piis spiritus sanctus.

Sicut ergo quilibet alius dolet de amissa uxore, sic et sancti luxerunt suorum interitum. Et est honestus et pius luctus. Alii non lugentes gloriantur de quadam fortitudine et constantia animi. Sed *ἄστοργοι* sunt et imperiti et negligentes rerum, hoc est creaturarum Dei.

Luget igitur Abraham, quia amisit Saram coniugem suam, piam et honestam matronam, quae rexit familiam et totam domum satis magnam et amplam, amisit lucernam domus suae, quae domesticis praeluxit omni genere virtutum, fuitque regina reginarum et mater matrumfamilias. Haec de adfectibus humanis et luctu de defunctis praesens exemplum Abrahae docet.

Surgens itaque Abraham a conspectu funeris sui, locutus est ad filios Heth dicens: Peregrinus et advena ego sum apud vos, date mihi possessionem sepulturae apud vos, ut sepeliam mortuum meum a facie mea. 23, 3. 4

Lugendi sunt defuncti, sed ita ut sit modus in rebus.[1] 'Super mortuum plora', inquit Syrach .22. 'Sed modicum plora', hoc est, moderare dolorem tuum: 'quoniam requievit.' Si amittis fratrem, patrem, uxorem, Sir. 22, 10 f.

---

29 et luctu de defunctis praesens *G. H.*] et luctu ex interitu eorum, qui chari nobis fuerunt praesens *I. K.*

[1]) *Vgl. Horaz, Satiren I, 1, 106:* Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

propinquum, est quod doleas, nec sis stipes et caudex, qui rideas in funere carissimorum: Non enim tempus ridendi est, et Deo displicet ferreus ille et saxeus animus. Sed tamen moderandus est luctus, ne nimio dolore conficiaris.

Dolet quidem avulsio illa a suavissimis parentibus, coniuge aut liberis, quia lux eorum deficit iam, inquit Syrach, hoc est, non fruuntur amplius hac luce et consuetudine nostra. Sed contra luctum opponendum est id, quod sequitur: ‘Transivit in requiem suam.’ Causa luctus est lucis extinctio, causa solatii requies. Requiescat ergo in pace, cogitabis, scio enim, quod bene habet, non est in tristitia aut calamitate, sed in quiete: ibi dormit et expectat meliorem vitam, sicut nos, qui vivimus adhuc. Consolatio igitur nostra est, quod coniunx, filius, parentes dormiunt, non haerent in poenis et cruciatibus, sed in pace suaviter acquiescunt.

Quando vero horribiles illi et tragici casus accidunt, ut quando David amittit filium Absolon, morientem in peccato mortali et damnatum, is omnium acerbissimus luctus et dolor est, et tamen quid agas aliud, quam ut Deo rem permittas? sed ubi pacificus et placidus transitus est, ibi morientes in pace dormiunt. Atque hoc vult Moses, quando dicit: ‘Abraham surrexit’: sensit dolorem et tristitiam ex obitu carissimae coniugis, sed vicit naturalem illum adfectum, et porro de sepultura cogitat.

Mirum vero et hoc est, quod superstite Sara, se et filio non unquam de possessione et proprio acquirendo fuit solicitus, nisi iam defuncta Sara. Supervacanea cura videtur esse de loco, ubi dormias, cum eum possidere non possis, et tamen Moses singulari studio et praeter solitum copiosius hoc commemorat: Abraham emisse locum non pro viva, sed pro mortua.

Hactenus fuit peregrinus, nec potuit hanc conditionem vitae satis duram mutare. Postquam uxor mortua est, cogitat de loco proprio sepulturae. Antea quidem, dum in Canaan fuit annis plus minus .70. plures haud dubie mortui fuere ex familia, servi aut servae: sed de nullo alio tam fuit solicitus, quam de Sara: alios in Gerar, alios in aegipto sepelivit. Hic possessionem certam et propriam sepulturae quaerit.

Ps. 39, 13 Vocabulum *Ger* Hebraeis peregrinum significat. Psalmo 39.: ‘Peregrinus sum ego apud te et inquilinus, sicut omnes patres mei.’ Sic Paulus Eph. 2, 19 ad Ephesios 2. loquitur: ‘Iam non estis hospites et advenae.’ Significat externum et ex alieno loco advenientem. Sic Abraham erat advena, quia non in Chanaan natus, sed ex chaldaea oriundus erat.

(*Toschaf*) inquilinus est, qui non est Dominus, sed hospes in terra, in qua habitat, nihil habens proprii. Christiani sunt advenae et hospites in hoc mundo, quorum patria et possessio alio loco est. Quia secundum nativitatem carnis veniunt in mundum ex nihilo. Igitur sunt advenae, nec manent in mundo, sed relinquunt mundum. Ita etiam *Gerim* sumus, renati

---

32 Ger] גֵּר *37* (*Toschaf*)] תּוֹשָׁב *41 Gerim*] גֵּרִים

ex spiritu sancto per baptismum et verbum, et versamur in terra, tanquam peregrini et advenae.

Abraham igitur dicit, venio ex aliena terra, et hic nihil proprium teneo, duplici ratione sum advena, ideo non habeo locum, ubi mortuum meum sepeliam. Haec verba David in Psalmo 39. diligenter perpendit: et digna res est accurata consideratione. Tantus enim vir cum tam numerosa familia, viris plus minus .400. praeter mulieres et pueros, erravit et vagatus est tam diu. Fuerunt ei, si recte numeres, circiter mille homines, ubi enim sunt quadringenti viri, illi totidem mulieres et liberos secum trahunt.

Mirabilis igitur fuit gubernatio huius patriarchae, quae, si nostra tempora consideres, hodie plane impossibilis esset. Est enim miraculum miraculorum, quod Deus in aliena terra cum tanta familia eum aluit, et Sara ista omnia administravit. Igitur politia sive oeconomia Abrahae non minus mirabilis est, quam fuit Ecclesia, peregrinus est et advena cum omni familia. Sed promissione haud dubie se erexit et sustentavit.

Oritur autem ex hoc loco de possessione sepulturae amplum mare quaestionum et opinionum apud doctores et magistrum sententiarum. Hinc enim in Theologia scholastica sumpta est materia disputandi de Simonia, quam adeo perplexe et confuse tractant, ut indigna sit luce et memoria. Ac fuit ante annos ducentos horribile crimen Simonia, sed pontifices vix umbram vocabuli retinuerunt, sicut gloriatur Iulius in dialogo Erasmi.

Est autem Simonia emptio vel venditio rei spiritualis pro pecunia, quando accipit quis pecuniam et dat donum vel rem spiritualem. Ut Simon Magus cum videret, per impositionem manuum APOSTOLORUM, Apg. 8, 17 ff. dari spiritum sanctum, offert eis pecuniam, dicens: date et mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Cupiebat spiritum sanctum redemptum pecunia in sua potestate esse, et facere, quod ipsi liberet. Ibi Petrus duriter eum increpat: ‘pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti, donum Dei pecunia parari.’

Ab illo Simone crimen dicitur Simonia, quae est, quando quis exemplo Simonis putat pecunia dona Dei emenda esse aut vendenda. Christus enim non vendit sua dona et gratiam, sed redemit nos gratis.

Haec vera definitio est, quam Canonistae mirabiliter postea crucifixerunt. Illam enim partem definitionis, donum Dei pro pecunia: applicant ad omne id, quod homines dant Deo. Ita nunc vocant reditus Ecclesiasticos bona spiritualia, quia sunt dona DEI, non quae DEUS dedit, sed quae homines DEO obtulerunt. Nonne ingens haec est caecitas et amentia?

Rapiunt autem huc textum ex Mose, Levitici 27.: ‘Quicquid semel 3. Mose 27, 9 fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.’ Talia volunt esse dona oblata Ecclesiae, beneficia, clinodia et alia initio ad alendos ministros

collata. Quod si quaeritur, an liceat ea vendere vel emere? Respondent, quod non: quia sunt bona spiritualia.

Atqui Petrus dona a Deo data intelligit passive, et non active. Est igitur fallacia compositionis et divisionis, ut dialectici loquuntur, quando haec confundunt et miscent. Sed quomodo dextre de hac re docerent, cum dona spiritus sancti non curent, et submersi sint in Simonia et donis Deo datis, hoc est, iis, quae vulgo spiritualia bona appellantur.

Ac saepe deploravi abusum horum vocabulorum geiſtliche guter, geiſtlich perſon, spiritualia bona, spirituales personae, quo nomine appellant suos sacrificos. Libenter ea retinuissem in vero et proprio usu, sed perierunt nobis abusu: et iam spiritualia bona Papistis dicuntur reditus, census, aedes, oppida, regiones quae sunt maxime politica. Spiritualis homo is est, qui credit et baptisatus est, sive sit laicus, sive in offitio Ecclesiastico: non significat sacrificum unctum, rasum et ordinatum ad sacrificia pro defunctis.

Haec ideo moneo, ut sciatis in iure Canonico esse perversissimum abusum et horribilem caecitatem in disputationibus de Simonia. Emptio, venditio non donorum spiritus sancti active, sed donorum hominum, quae dederunt Deo vel Ecclesiae, ut sunt praebendae, civitates et similia, Canonistis simonia dicitur. Quemadmodum si quis vendat beneficium aliquod, ut vocant, spirituale, parochiam, beneficium altaris et missae. Item si Episcopus acciperet pecuniam, et ordinaret sacerdotem. Postea disputant, an Simoniacus ordinatus a Simoniaco vere sit ordinatus, an non? De his quaestionibus plaustra, imo maria librorum extant.

Sed si manet haec eorum definitio vera, tum omnes Episcopi et Canonici Papistici sunt simpliciter Simoniaci, omnes damnati ad infernum et diabolum: non Euangelico iure, sed ipsorum iure Canonico semetipsos condemnant. Moguntinus Episcopus vicies mille aureos pontifici pro pallio numerat. Vuirtzburgensis decies mille. Canonici centenos aureos. An non omnes sunt Simoniaci? Igitur totus Papatus est submersus et damnatus in infernum, quia omnes sunt Simoniaci, non nostro, sed ipsorum iure.

De hac re tacent Canonistae, nec nostram reprehensionem ferunt. Sed si nostri ministri et pastores Ecclesiarum ducunt uxores, illos damnant et occidunt. Hoc quid aliud est, quam iniquitas iniquitatum?

Ante quadringentos annos si Episcopus aliquem hoc crimine notasset, omnes eius consuetudinem defugissent: quin de facto esset excommunicatus. Sed iam omnia sunt venalia: interim nobis imperant, ut servemus Canones et decreta, a quibus ipsi sunt liberrimi. Oblatrant nobis negligi decreta pontificum, contemni et dissipari ordinem Ecclesiasticum, cur ipsimet non servant haec? Nemo apud eos peccat, nisi filius DEI, nemo iustus est, nisi diabolus.

Sed si saperet, vel hoc beneficium agnosceret pontifex, quod nostra

doctrina liberat eum a suis libris et decretis, et absolvit eum a crimine Simoniae, quia temporalia tantum rapit, aurum et argentum, quae non sunt spiritualia, qualis est Baptismus, Euangelium, ministerium verbi, nihil eorum quaerit aut rapit, quae sunt vera dona spiritus sancti. Sunt quidem illa Dei dona, sed politica, oeconomica et corporalia.

Igitur absolvimus Papam ab hoc crimine iuxta veram definitionem, quo ipso suo iure se implicuit: Quia non vendit spiritualia, quae vere sic dicuntur, non enim habet, sed vendit quasdam dignitates, et rapit ad se opes mundi. Non vendit ministerium, imo non curat ministerium Dei et Ecclesiae. Ideo non est ei impingendum Simoniae crimen, sed Verris aut Dionysii, et appellandus est raptor omnium raptorum, fur furum, latro latronum, est enim inexplebili et insatiabili ingluvie et cupiditate hauriendi et absorbendi bona corporalia.

Simonia vero est Ecclesiasticum vicium, sicut Petrus definit, ubi accipimus pecuniam pro donis spiritus sancti, non pro donis corporalibus. Haec duo confundunt Canonistae, puri puti asini. Simonia enim non habet locum in bonis oeconomicis aut politicis, sed donis spiritus sancti.

Quod si obiicitur, bona illa corporalia esse annexa spiritualibus. Recte sane, oeconomia et politia est annexa Ecclesiae. Haec vita non potest sustentari sine cibo et potu, num ideo sunt spiritualia omnia, quibus credentes utuntur?

Simonia est, quando precio vendo rem spiritualem, quam gratis dari oportuit. Templum autem, sepulchrum et universa dona oblata sanctis non sunt spiritualia, sed simpliciter corporalia, ea possunt rapi, distrahi, vendi, Sed spiritualia dona non possumus furari, vendere aut emere, quia non nostra sunt, sed spiritus sancti.

Quod si minister aut pastor Ecclesiae non vellet te docere de remissione peccatorum et beneficiis Euangelii, negaret tibi absolutionem, nisi centum aureis ab eo redimeres, illud Simoniacum esset.

Atque hoc modo Papa est Simoniacus, offert enim omnibus gratiam et remissionem peccatorum a Deo, si numerent ipsi certam summam pecuniae: illud est vendere spiritualem et gratiam spiritus sancti: quanquam ipsa vendi non potest, si vel mille aureos aut amplius numeres pro una absolutione. Primum enim non habet ea pontifex, Deinde impossibile est vendere res spirituales: Nisi quod potest fucus fieri imperitis, et simulatio quaedam venditionis.

Sed beneficia spiritus sancti et sanguis Christi non sunt venalia, nec est possibilis venditio, nisi fuco et specie quadam secundum electionem et voluntatem hominum. Quando Papa profitetur eum, qui attulerit quinque grossos, redempturum animam ex purgatorio: Ibi est Simonia propria, sed non vera, quia non sequitur liberatio animae ex purgatorio, tametsi adsit precium, emptio et venditio.

Sic finxit se habere potestatem remittendi peccata, rapuit ad se claves, vendidit remissionem peccatorum, promisit liberationem ab inferno et purgatorio. Sed tantum abstulit pecuniam, relictis miseris animabus sub potestate peccati, inferni et diaboli.

Haec proprie Simonia est, scilicet vendere donum spiritus sancti, quod non potest contingere, nisi gratis: potest quidem venale exponi, sed Deus non emitur. Res non sequitur contractum Simoniacum. Itaque secundum res Simonia est impossibilis, sed secundum fucum usitatissima. Quia prostituitur et venditur nomen DOMINI. Sed ea ipsa nihil aliud est, quam inanis simulatio.

Ideo Papa in rebus spiritualibus est Simoniacus, vendit remissionem peccatorum et iustitiam: in temporalibus est sacrilegus et raptor, qui Christum ipsum venderet, si haberet in manibus, sicut Iudaei habuerunt, voluntas omnino non deest.

Similis in Caenobiis simonia fuit tam ex parte ementis, quam vendentis. Qui enim pendebat centum aureos, illi quatuor anniversaria celebrabantur. Totus igitur Papatus Satanica Ecclesia est, plena rapinis, sacrilegiis et infandis abominationibus et blasphemiis.

Sed hinc nascitur quaestio, num liceat ministro verbi petere aut accipere victum pro offitio. Respondeo: Licet omnino, sicut pauper accipere potest donum aliquod. Si illam potestatem haberem, quod nemo posset absolvi a peccatis, nisi numerasset mihi aliquot aureos, una die omnes mundi opes corraderem. Sed hoc non licet, et Papa Satanico ausu hunc quaestum instituit. Nobis mandatum est, ut doceamus, consolemur, absolvamus omnes, quicunque recipiunt et credunt, et illi omnes gratis
Matth. 10, 8 a nobis accipiunt, iuxta sententiam: 'gratis accepistis, gratis date.'

Sed ut Christiani gratis ministerio verbi fruuntur, ita vicissim pro offitio debent gratis alere et defendere ministros, praebere victum et
Gal. 6, 6 amictum, Gal[atarum 6.: 'Communicet autem is, qui catechisatur verbo ei,
1. Tim. 5, 17 qui catechisat, in omnibus bonis.' 1. Timoth[ei 5.: 'Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo
Matth. 10, 10 et doctrina', et Christus ipse inquit: 'Dignus est mercenarius mercede sua.'
Jes. 49, 22 Item: Dominus apud Esaiam ait: Principes et reges daturos dona Ecclesiae. Sed haec dona non sunt praecia emptiones aut venditiones. Necessarius est nobis victus quotidianus, cibus et potus. Sed his non persolvitur absolutio. Quis enim posset solvere? Quid sunt centum aut mille aurei collati ad illud inaestimabile donum remissionis peccatorum?

Quando igitur accipimus alimoniam ab Ecclesia, non est precium acquivalens huic dono, quod tanti est, ut totius mundi opibus non possit persolvi. Sed quia hoc ingens et inaestimabile donum non potest administrari, nisi per homines, qui indigent victu et amictu, ali eos et sustentari necesse est. Illud vero non est remunerare donum, sed operam et laborem.

Apud Canonistas alia quaestio est: Si minister Ecclesiae comparserit de labore suo ducentos aureos, liceatne ei emere fundum aut possessionem pro illa pecunia. Ipsi negant, propterea quod sit bonum Ecclesiasticum. Ego vero adfirmo id licere. Quia non est spiritualis res, etiamsi persona administret spiritualia.

Turpissime ergo errant Canonistae, nec sciunt, quid sit Simonia. Sed confundunt bona spiritualia et carnalia, et ipsimet suo iure et sua conscientia sunt insignes Simoniaci, rapiunt et devorant bona pastorum et Ecclesiarum, peiores Verre et Dionysio, et distribuunt res vere spirituales tanquam spolia pro pecunia. Illi ipsi tamen sumunt sibi gubernationem orbis terrarum iuditium de nostra doctrina et verbo Dei, imperant nobis obedientiam Papae, cum sua ipsorum statuta et decreta nec intelligant, nec curent.

Lyra paucis attingit hanc disputationem, et vult simpliciter elabi, quod emerit Abraham non sepulchrum, sed locum, in quo est sepulchrum. Sed Sophisticum est secundum ipsos etiam loquendo: Non emit quidem sepulchrum, quia nullum ibi fuit, sed licuit ei facere, ubi vellet.

Docet praeterea hoc exemplum mortuos singulari honore et reverentia sepeliendos esse propter fidem et spem resurrectionis futurae. Ante tempora martyrum in singulis agris, hortis, domibus sepulchra habuerunt, postea autem maior reverentia fuit, cum peculiaria loca et *κοιμητήρια* sepulturae destinata sunt. Sicut apud ethnicos etiam fuerunt ceremoniae funerum honestae, multo magis ergo apud Christianos reverentia quaedam accedat propter articulum fidei de resurrectione carnis, ne videamur extingui et sepeliri, sicut equi et muli.

Quae sequuntur, sunt fere moralia praeter unum illum locum (‘Date mihi possessionem vel proprietatem’,) quod enim interpres noster vertit ius sepulturae, in Hebraeo non est. Quasi diceret Abraham, non peterem vel passum pedis in hac terra et vita mea, sed tantum locum requiro, ubi effodiam sepulchrum et ponam monumentum mortuae meae Sarae.

Tota terra fuit Abrahae promissa, et pertinuit ad ipsum omni iure tanquam donum proprium, et tamen ne passum quidem pedis occupat. Sed exulat, et moritur cum Sara peregrinus in propria terra.

Haec Prophetae et Apostoli spiritualibus oculis, et paulo altius introspexerunt, quam alii. Quod enim Abraham, qui est Dominus huius terrae, authoritate divina exulat in ipsa cum Sara et filio Isaac, significatur in spiritu nos esse hospites in terris, ac vivere tanquam in exilio.

Sic enim Paulus loquitur .2. Cor[inthiorum 5.: ‘Quandiu peregrinamur 2. Kor. 5, 6
in corpore.’ Quod si exules sumus in corpore, quod est propriissime nostrum, et nostra vita in corpore nihil aliud est, nisi peregrinatio: Quanto magis res, quas possidemus, propter corpus, ager, domus, pecunia aliud nihil sunt quam exilia et peregrinationes. Corpus est quasi carcer tenebricosus,

in quo anima inclusa tenetur, tanquam in carcere et inferno. Media igitur pars nostri quasi nihilum et cadaver est foetens in sepulchro.

Satis igitur apparet Patriarchas in promissionibus ipsum nucleum explicuisse, et inspexisse, non corticem tantum attrectasse. Sic Abraham intellexit promissionem datam continere veram [patriam, veram vitam, futuram scilicet et meliorem hac, quae non est servitus et captivitas animae.

Ps. 39, 13 Sic David quando peregrinum se dicit, Psalmo 39. mirari aliquis possit, cur hoc dicat, cum fuerit Rex potentissimus Israel, et tenuerit terram promissam? Sed haec ipse vilipendit, et animo eius alia et longe melior habitatio obversata est, quam non curant, qui in hac vita, quasi aeterna non futura esset, rapinis et usuris student.

Quam inanis autem et evanida gloria est et superbia de bonis et opibus huius mundi, cum nemo hominum unicum momentum de sua vita certus esse queat? sicut singuli sentimus, cernimus et intelligimus, circumferre nos corpus dimidia parte cadaverosum et emortuum, et tamen plurimi persuadent sibi, hanc vitam optimam et perpetuam fore, quod ex improbo illo studio et insatiabili cupiditate rapiendi per fas et nefas [1] apparet. Cur hoc faciunt? nimirum, quia sunt in exilio diaboli, errantes et impliciti curis et solicitudinibus huius vitae.

Commendatur igitur fides et pacientia Abrahae, qui ultra hanc terram promissam expectat aliam et aeternam possessionem. Saram in hac sepeliri vult, ut cum Christo resurgente a mortuis excitetur. Interim ipse in terra propria tanquam in aliena peregrinatur. Deus non concedit ei vestigium pedis nec sepulchrum: Sed precio locum emit ab incolis. Non igitur laboravit turpi illa cupiditate cumulandarum opum, ac si perpetuo in hac vita haerendum esset. Sed toto pectore in Christum promissum intentus fuit, illum spectavit in promissione, et cum gaudio venturum in hanc terram expectavit. Sequuntur moralia, sed egregia admodum et utilia.

23, 5. 6 Et responderunt filii Heth Abraham, dicentes ad eum: Audi nos, Domine, Princeps Dei tu es in medio nostri, in electioribus sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, et vir ullus ex nobis non prohibebit sepulchrum suum, quin in eo sepelias mortuum tuum.

Moses in descriptione huius contractus admodum verbosus est. Facit autem id spiritus sanctus, primum in honorem istium nobilissimae matronae Sarae, quae mater est omnium Patriarcharum, Prophetarum, praestantissimorum Ducum et Regum, cuius similem nullae historiae habent. Ideo nullum funus in sacris literis tam magnifice describitur, quam Sarae.

---

11 aeterna non futura esset *I. K. Erl.*] aeterna futura esset *G. H.*

[1]) *Vgl. Otto a. a. O. S. 132 s. v. fas.*

Christus nimirum voluit aviam suam honorifice sepeliri, sicut merebantur ipsius virtutes: gubernavit enim familiam in disciplina et pietate, fuit Abbatissa longe praestantior, quam nostrae sunt, in rebus externis et oeconomicis, ad quam Monacharum Abbatissae non modo non comparandae sunt, sed penitus obscurandae. Quid enim sunt collatae ad Saram, matrem clarissimorum Principum et Regum, et quae in sua vita tanta laude rem familiarem administravit? Abbatissarum autem opera quid aliud sunt, quam horribilis idolatria, quaecunque faciunt?

Quia autem totus hic locus moralis est, primum notandum est exemplum civilitatis et reverentiae in hoc populo. Lucet enim in eorum sermone, moribus et gestibus mira humanitas, qualem sane nostra aetate vix invenias, neque apud senes et grandevos, neque in prima aetate. Ita enim compellant Abrahamum? 'Domine mi, es princeps Dei.' Haec insignis reverentia est, quam exhibent Abrahae illi ipsi, qui sunt Domini terrae, et eam iure divino possident.

Deinde singularis modestia in petitione Abrahae consideretur. Existimo enim Ephron, de quo postea, principem fuisse in Hebron, ad illum non accedit statim, sed initio inferiores eo compellat, et insinuat se valde humiliter.

Haec spiritus sanctus noluit praeterire, ut significaret se requirere et magnifacere istas virtutes. Ideo enim exempla magnorum virorum proponit, ut discamus necessariam et Deo gratam esse reverentiam mutuam inter homines, ut alii aliis cedamus, et, sicut docet Paulus. 'Honore invicem praeveniamus', Roman[orum 12. et Philip[pensium 2., 'per humiliationem alii alios existiment se ipsis excellentiores'. Röm. 12, 10 Phil. 2, 3

Ita haec descriptio tam copiosa nequaquam otiosa est. Non enim sumus nati porci, muli, trunci, stipites, sed erecto vultu ad sydera, et indidit Deus homini animam rationalem, intelligentem discrimen honestorum et turpium, ut, quae in aliis bona sunt, agnoscat, et ipsis honorem deferat. Ideo non decet Christianos agrestis illa et beluina vita, quae in moribus feris et barbaris nostrorum hominum apparet.

Ac praecipue illud nostrum solum tulit homines sine omni cultura, disciplina et civilitate, ut porcis similiores dicas rusticos, cives, nobiles harum regionum, quam hominibus, adeo ab omni humanitate alieni sunt. Saepe igitur mirari soleo, cur Deus hominibus tam incultis et feris lucem Euangelii primum patefecerit.

Poëtae fabulantur Ulissem aliquando socios suos amisisse, et omnes in porcos transformatos esse. Eadem Metamorphosis nostris quoque accidisse videtur. Quanquam apud crassos istos minus periculi est. Sed si malum hoc latius serpit ad Doctores Ecclesiae, qui propter dona singularia omnia sibi arrogant, et inepto quodam et rustico fastu reliquos prae se contemnunt, quos humaniter complecti et amare debebant, ea magna pestis est Ecclesiarum.

Disce igitur ex hoc exemplo mores tuos ita regere, ut ad humanitatem, modestiam et reverentiam erga omnes adsuescas. Ideo enim tam diligenter et copiose Moses exemplum Abrahae ob oculos ponit, qui summa modestia et humilitate petit sibi vendi partem terrae, nulla improbitate aut importunitate urget: quod etsi ratione necessitatis fācere videtur, cum sit peregrinus, tamen tantis virtutibus et donis cumulatus causam, cur se efferret, habuit. Sed hōrum omnium oblitus reverenter et humaniter Hebronitas alloquitur.

Ipsi vicissim quamvis peregrinum Dominum salutant, et prae se ferunt sermone et gestibus singularem humanitatem et beneficentiam, obliti et ipsi sui iuris et dominii in terra erga peregrinum et advenam.

Haec vere bona opera sunt, licet civilia, opponenda tamen omnibus portentis Monachorum, qui unum id studio habent, ut adolescentes adscitos suo ordini adsuefaciant ad ineptam quandam et deformem humilitatem, alienam a moribus honestorum et sanctorum hominum. Hinc potius humilitatem, urbanitatem et reverentiam adolescentes discant.

Quamvis hypocritae, ut Vuicelius apostata[1], qui nimis civilia nos docere aiebat, haec aspernantur tanquam vulgaria, et si quaeras, quid aliud faciendum sit eundum in templum, boandum in choro et murmurandas preces aiunt. Sed hoc exemplum et similia clare arguunt eorum hypocrysin, quia spiritus sanctus non dedignatur haec civilia tam accurate commemorare et ornare.

Apparet autem Deum ornasse Abrahamum et Ecclesiam ipsius singulari autoritate et magnificentia apud gentes. Sicut supra apud Abimelech regem, qui concedit ei usum terrae, et magni facit Abrahamum, licet nihil proprii habuerit, et defuncto rege cedere coactus sit.

Ita Hebronitae, gentilis populus, honorat eum, et vocat principem Dei, ac significatur audivisse eos conciones Abrahae, et credidisse in Deum Abrahae. Ubicunque enim locorum fuit sanctissimus Patriarcha, plurimum fructum attulit verbo et spiritu, docendo, exhortando, arguendo, et gentes per praedicationem eius audiverunt et viderunt magnalia Dei, ideoque crediderunt et salvatae sunt. Merito igitur coluerunt eum tanquam dominum, sicut Sara eum Dominum appellabat, et vocarunt principem Dei.

Magna autem foelicitas est, quando principes eiusmodi hospites secum habent, et in iis Deum et Christum agnoscunt, et reverenter tractant: et vicissim hospes et sacerdos suum offitium facit pie et fideliter docendo. Rarissimum hoc beneficium est, ut pii sacerdotes habeant locum tutum et tranquillum, ubi doceant: est singulare Dei donum, quod Diabolus, hostis infensissimus verbi et salutis humanae, frequenter impedit et turbat.

---

[1]) *Georg Witzel brach seit 1529 wieder mit Luther, dessen Freund er bis dahin gewesen war.*

Ubi vero talis concordia est, ut principes terrae pro seminatione spiritualium ministros honorent, tueantur et alant, ibi vere dixeris esse paradisum mundi.

Quod si ministri contemnuntur, ridentur, conculcantur, ut Esaiae et aliis Prophetis accidit. Esaiae 57.: 'super quem dilatastis os, et eiecistis linguam': cum quidem optime et fidelissime docerent, certissimum argumentum est irae divinae et impendentium calamitatum. Non enim unquam impune abivit contemptus tanti beneficii, quod exhibetur hominibus per pios ministros. Jes. 57, 4

Econtra impiorum et sceleratorum sacerdotum plerunque melior conditio est, habent enim principes obsequentissimos et paratissimos ad omnia offitia. Sicut Papa omnes reges et principes mundi sibi habuit obnoxios et profusissimos, non tantum rerum et bonorum, verum etiam corporum. Sed pro tantis beneficiis seduxit et lucrifecit eos Diabolo.

Hodie ministerium ab omni errore et idolatria repurgatum est foeliciter: sed quomodo accipitur et tractatur in mundo? blasphematur, eiicitur, conculcatur, et ministri interficiuntur.

Nobis Deus immenso beneficio concessit hospitium sub Illustrissimis Principibus Saxoniae, Duce Ioanne Friderico, principe Electore, et fratre Ernesto. Quantum vero in principibus est clementiae, favoris et benevolentiae, tantum immanissimi odii, malevolentiae et contemptus est in nobilibus, praefectis, civibus et rusticis, qui si possent, quod optant, iam diu nos hisce sedibus eiecissent.

Mira ergo pietas, reverentia et humanitas fuit hebronitarum erga Abraham, qui agnoverunt esse hospitem locupletantem omnes incolas et cives eius loci, non opibus, auro et argento, sed donis coelestibus et spiritualibus, monstrantem viam salutis, et liberantem per verbum animas a peccato et inferno, denique plenum esse beneficiorum omnium, Vicissim igitur eum complectuntur, amant eum, et libenter ei auscultant, sicut similem benevolentiam supra apud regem Abimelech invenit.

Honestus autem et splendidus titulus est princeps Dei, quo appellant Hebronitae Abraham, non quod ipsos gubernaverit civiliter, sed quia domi magnam familiam habuit supra mille viros, propterea vocant principem Dei, qui gubernet optimos et sanctissimos viros in domo sua, quasi dicant. Nos non habemus tam fidelem populum, tam sanctos, obedientes, humiles servos, sicut tu. Tuus principatus est divinus, qui reddit homines sanctos.

Ac sane singulare donum Dei est, quando principes gubernant subditos sapienter et foeliciter, et vicissim subditi obediunt. Utrunque enim facit Deus, oculum videntem, hoc est, verum doctorem, Episcopum aut Magistratum, et aurem audientem, hoc est, subditos et auditores morigeros,

---

34 quasi dicant *I. K. Erl.*] quasi dicat *G. H.*

ubi alterutrum deest, *ἀναρχία* est et pessimus status. Non enim satis est, si sis auris audiens tantum, sine oculo vidente, et econtra.

Apud Hebronitas docendo et familiam suam regendo Abraham fuit oculus videns, et illi auris audiens, ibi verbum copiosum fructum attulit.

Si autem oculus non videt, quemadmodum Papa est oculus excaecatus et maledictus, et tamen auris audit, sicut hactenus avidissime eius traditiones audivimus et amplexi sumus, ibi certissima via est ad interitum.

Nos hodie oculum videntem habemus, hoc est, sinceram verbi doctrinam. Sed aurem audientem non invenimus, quia contemnitur doctrina nostra, imo horribiliter blasphematur. Sicubi vero utrunque adest, id vero Deus fecit, et divinum miraculum est, quo gaudet Deus et Angeli in coelis,

Alterum argumentum benevolentiae et humanitatis erga Abrahamum est in monstratione loci. Vade, inquiunt, quocunque libet, in hortum principis, aut consiliarii alicuius: fuit enim eis usitatum, ut quilibet loco sibi placito conderet suos defunctos. Non ergo vulgare tantum sepulchrum concedimus, sed unum ex selectioribus.

Insignis certe reverentia est, quam haud dubie didicerunt in Ecclesia Abrahae, qui eos instituit et erudiit in spiritu, et reddidit bene moratos in carne. Et addunt amplius: 'Nemo erit, qui possit prohibere', tibi liberum erit, quicquid voles, deligere.

23, 7–9 Et surgens Abraham adoravit populum terrae, filios videlicet Heth, locutusque est cum eis dicens. Si placet animae vestrae, ut condam mortuum meum a facie mea, audite me, et intercedite pro me apud Ephron, filium Zohar, ut det mihi speluncam duplicem, quam ipse habet, et quae est in extremitate agri sui: tradat autem eam mihi pro plena pecunia, idque in medio vestri, in possessionem sepulchri.

Abraham primum assurgit Hebronitis tanquam senioribus et dignioribus, duxit enim honore adficiendos esse tanquam dominos terrae, idque iustum et pium est. Non enim creavit nos Deus, ut simus fastuosi, duri, insensati et agrestes. Sed ut alii aliis honorem deferant.

Sic si Magistratui Reipublicae vel Ecclesiae pastori honorem exhibeo, non ipsum tanquam fratrem de medio fratrum, sed velut ordinationem divinam honore adficio.

Ad eundem modum honestae matronae, virgines, imprimis autem parentes et praeceptores honore prosequendi sunt, non tam propter ipsos, quam quia sunt creatura Dei, et Deus ipse in iis honore adficitur. Sicut Augustinus ait: Deum in vobis invicem honorate.

Deinde adorat Abraham populum terrae. Hic distinguenda sunt genera adorationis. Primum adoratio fit prostrato vultu aut corpore in terram, et appraehendendo pedes eorum, quos adoramus, hic summus

gradus est regibus et principibus conveniens. Sic mulier Sunamitis apprae-
hendit pedes Elisei. 4. Regum 4. Petrus procidit ad genua Iesu. Secun- 2. Kön. 4, 27
dum genus est incurvare genua, sive procidere in genua. Tertius est Luk. 5, 8
inclinare caput, et apprehendere utranque manum.

Significat igitur hic adorare proprie illum gestum corporis, qui fit sive inclinato capite, sive procidendo in genua, aut prostrato vultu, pro more singularum nationum et hominum, aut dignitate eius, qui adoratur. Non autem est adorare illud in spiritu, de quo concionatur Christus, Ioannis 4. Joh. 4, 24

Surrexit autem Abraham, non quod prostratus fuisset aut flexisset genua, sed inclinavit caput, et forte praehendit manus illorum, et simul osculatus est, quod illi populo fuit usitatum. Hi sunt honesti mores humilitatis, reverentiae et civilitatis, praedicandi in primis et proponendi primae aetati, ut ad eas adsuescat, et exuat barbariem usitatam.

Habuit autem Abraham procul dubio alias quoque causas huius reverentiae, non tam quia populus terrae, hoc est, domini et incolae erant, quam ob pietatem et omnis generis virtutes, quas in iis animadvertit.

Sed quamdiu manserint sui similes, non liquet, illud constat fere omnes populos omnium regionum non ultra viginti annos retinere disciplinam et virtutem, et honestatem colere. Testantur id omnes historiae profanae et sacrae.

Quando homines semel deducti sunt ad agnitionem Dei et honestatem morum, ad summum 20. annos studia pietatis et bonorum morum retinent, paulatim enim magis ac magis corrumpuntur negligentia et fastidio rerum praesentium, donec in flagitia et scelera horribilia prolabantur: lege historiam Davidis, Salomonis, regum omnium et Augustini quoque. Quin nostram aetatem vide, an non docet experientia, principia restauratae doctrinae coelestis fuisse gratissima? Sed nunc subinde magis ac magis oboritur fastidium et nausea super cibo isto levissimo.

Sic Hebronitae tempore Abrahae fuerunt satis pii et boni. Sed postea temporibus Mose et Iosuae deleti sunt, post amissam videlicet doctrinam de Deo et solutam disciplinam.

Supra de Sodomitis eadem narravit Moses, quos cum liberasset ingenti periculo Abraham, repulsis hostibus, frugi fuere aliquandiu, sed post septem annos tanta flagitia invaluerunt, ut igni et suplhure coelitus exusti et consumpti sint.

Nostra Germania quoque post tantam lucem Euangelii tantum non obsessa videtur a Diabolo. Iuventus indomita et effrenis est et impatiens disciplinae, senes avaritia, usuris et multis sceleribus infandis impliciti tenentur. Sic scilicet referimus gratias Deo pro verbo gratiae et filio unigenito. Sicut de Iudaeis Moses queritur Deuteronomii 32.: 'Populo 5. Mose 32, 6
stulte et insipiens, haeccine reddis Domino?'

Nihil mirum igitur est sequi poenas et calamitates omnis generis. Sed cursus saeculi et casus mundi hi sunt. 'Nos igitur, dum tempus
Gal. 6, 10 habemus, operemur bonum', Galath[arum 2. [!], quisque suo loco, discendis sacris et excolendis moribus, florente et fulgente doctrina Euangelii, sicut
Joh. 12, 36 Christus monet: 'dum lucem habetis, in lucem credite.' Diabolus enim contrarium agit, et suas artes et tenebras omnibus aetatibus obtrudit incautis.

23, 10–18 Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth: Responditque Ephron ille Hetheus Abraham in auribus filiorum Heth coram omnibus, qui ingrediebantur portam civitatis suae, dicens: Non, mi Domine, sed audi me. Agrum trado tibi et speluncam quoque, quae in eo est, tibi do: in oculis filiorum populi mei trado tibi eam, sepeli mortuum tuum. Adoravit itaque Abraham coram populo terrae: Et loquutus est ad Ephron in auribus populi terrae, dicens: Verum si tu vis, audi, quaeso, me: ego dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, et sepeliam mortuum meum ibi. Respondit vero Ephron ipsi Abraham, dicens: Mi Domine, audi me: terra valet quadringentos siclos argenti, inter me et inter te quid hoc est? mortuum igitur tuum sepeli. Audivit itaque Abraham Ephron, et appendit ipse Abraham Ephron pecuniam, quam taxaverat in auribus filiorum Heth, quadringentos scilicet siclos argenteos ad mercatorem transeuntes. Et confirmatus est ager Ephronis una cum spelunca duplici, qui scilicet erat e regione Mamre, ager inquam et spelunca, quae in illo erat, et omnes arbores, quae erant in agro, quaeque erant in omnibus per circuitum terminis eius. Ipsi Abraham (confirmatus est) in possessionem in oculis filiorum Heth, coram omnibus ingredientibus portam civitatis illius.

Conatur Ephron persuadere Abrahae, ut dono accipiat agrum absque pecunia. 'Quid inter me et te', inquit: 'Tu princeps Dei es, ego dives sum, quid est, etiamsi 400. siclis vendam? pia et laudabilis reverentia est erga Prophetam et doctorem. Sed modeste recusat Abraham, et vult habere proprium et pretio emptum.

Cogitavit enim, aut dixit: Novi vos esse bonos et candidos, sed alibi aliorum inconstantiam expertus didici cautius mercari, in Aegypto, in Gerar multorum benevolentiam et observantiam sensi, tamen tandem eiectus sum. Sodomitae a me magno beneficio adfecti parum memores et grati tandem fuerunt. Ita si hunc agrum acciperem gratis, forsan post mortem vestram posteri obliti vestrae erga me benevolentiae et doni iterum eriperent, et Saram meam effosam eiicerent. Cum enim simus peregrini et in aliena
1. Mose 13, 9 terra, dicerent, sicut Sodomitae ad Loth, capite decimonono: 'Ingressus es

ut advena, nunquid iudicabis nos?' emam ergo, ut nullo iure possit repeti a posteris vestris.

Vide, quaeso, quam prudenter spirituales viri negocientur etiam in civilibus et secularibus negotiis, non ut Monachi, qui tantum spiritualia studia fingunt, cum quidem carnalissima sint omnia eorum opera: Sed veri sancti vivunt in mundo et tractant civilia, et mira quidem prudentia: sunt reverentes, humani, circunspecti, cauti atque omnium civilium offitiorum intelligentes.

Emit autem agrum in conspectu et praesentibus omnibus civibus, omnibus ingredientibus portam civitatis, inquit Mose: illi omnes adfuerunt testes, hunc agrum proprium esse Abrahae et omnium posterorum ipsius perpetuo. Nondum fuerunt in usu Singraphae et sigilla.

Haec alia virtus est Abrahae, prudentia videlicet, qua agit cum hominibus, quorum posteri solent esse varii et mutabiles. Sicut plerunque in omnibus familiis cernitur, Davidis, Salomonis et aliorum praestantium virorum, raro admodum proles sequitur ingenium et virtutem paternam.

Fuit quoque verecunda admodum petitio Abrahae, voluit esse contentus parte aliqua in angulo extremo, qui non sit commodissimo loco, sed ad alios usus parum aptus. Ephron autem totum agrum concedit, non tantum angulum. Deinde et speluncam, quae in agro est, ipse cedit in aliud predium aut agrum alium, quos habuit haud dubie plures.

Abraham vero appendit 400. argenteos siclos, transeuntes ad mercatorem, ita enim Hebraei loquuntur. Monetam transeuntem ad mercatorem appeliant, ut nos vertimus germanice, geng und geb, das auff dem marckt gilt.[1] et aliquoties repetitur in textu illa particula, (in auribus populi) hoc est, audiente populo, testante et confirmante contractum.

Quod exemplum nos monet prudenter et caute agendum esse cum hominibus propter posteros, qui sunt mutabiles, cum praesentibus vero civiliter, honeste et humiliter vivendum.

Quae fuerit forma et situs speluncae istius duplicis, non constat, duas speluncas fuisse existimo, easque satis amplas, propterea quod Isaac et Iacob cum uxoribus suis eodem loco sepulti sunt.

Post haec sepelivit Abraham Saram, uxorem suam, intra spe- 23, 19. 20
luncam agri duplicem e regione Mamre, haec est, Hebron in
terra Canaan. Confirmatus est itaque ager et spelunca, quae
in eo erat, ipsi Abraham in possessionem sepulchri a filiis
Heth.

Hactenus mortem et sepulturam Sarae Moses pluribus verbis descripsit, quae continent egregiam doctrinam et morum exempla insignia. Quia praeter

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 190:* 400 sicli, das sind hundert alte Schock. Moneta currens.

illas virtutes heroicas Abrahae, fidei, spei, caritatis etiam politicas virtutes in eo commendat spiritus sanctus, reverentiam, humilitatem, modestiam, temperantiam, aequitatem. In uno igitur Abrahamo magnus numerus et chorus omnium virtutum est, sive Ecclesiasticas et spirituales, sive civiles aut oeconomicas requiras: fide eius nihil est excellentius: Quanta autem caritas erga Sodomitas? quanta patientia exilii? denique quanta reverentia erga dominos terrae, aequitas et munificentia, quia non vult gratis accipere agrum, et incolis gravis esse. Tota ethicorum doctrina hinc colligi posset melius, quam Aristoteles et Iuristae et canonistae tradiderunt. Non igitur sunt supervacanea aut inutilia verba huius tam copiosae descriptionis.

Caput XXIIII.

24, 1—4 Erat Abraham senex dierumque multorum, et Dominus in cunctis benedixerat ei. Dixitque ad servum seniorem domus suae, qui praeerat omnibus, quae habebat. Pone manum tuam subter foemur meum, et adiurabo te per Dominum Deum coeli et terrae, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananaeorum, inter quos habito, sed ad patriam meam et cognationem meam proficiscaris, et accipias uxorem filio meo Isaac.

Hactenus deduxit Moses historiam et vitam Abrahae ad eum actum, qui in vita solet extremus esse, videlicet Testamentum, quod iam conditurus est Abraham. Atque unica illa cura et solicitudo restat patri de filii coniugio et posteritate promissa. Itaque hoc totum caput pertinet ad Isaac, cuius nuptiae describuntur.

Primus autem et clarus admodum locus est de offitio parentum erga liberos, et vicissim liberorum erga parentes pietate et reverentia in contrahendo matrimonio. Quae disputatio hoc tempore, ut usitata, ita odiosa maxime est, cum offitia illa mutua, divino et humano iure mandata, hominum improbitate pene abolita sint. Nos igitur dum ea revocare, et hominibus docendo persuadere conamur, sponsalia citra consensum ac voluntatem parentum contracta nec licita esse, nec rata haberi posse, multorum odia et calumnias incurrimus.

Adversantur enim nobis Canonistae pontificii acerrime. Iuris civilis professores egregie consentiunt, illos vero adversarios habemus implacabiles et capitales toto orbe terrarum. Etsi igitur ingrata haec sunt, tamen veritatis defensio et professio deserenda aut abiicienda propterea non est. Habemus enim hic illustre exemplum nostrae sententiae, tametsi nulla Lex santiatur. Nam alias quidem legum authoritas non deest, non divinarum tantum, sed earum etiam, quae bona consequentia ex fontibus iuris

naturae eliciuntur, quales sunt leges et iura civilia. Stant pro nobis exempla scripturae, leges scriptae et iura. Cur igitur insectantur nos iuristae et rabulae?

Muniamus ergo nos contra eorum obstinatam malitiam scriptura sancta. Id enim solent iactare apud suos auditores, se non posse a canonibus recedere, et pronunciare ex nostris scriptis, quae contemptim et ignominiose Catonichen vocant, quasi vero nos aliquid novi et ex nostro capite comminiscamur, aut sanciamus. Voluntatem divinam habemus, rationem naturalem, exempla patrum et ius civile pro nobis.

Atque hoc norunt ipsi, sed moneri et repraehendi nolunt. Verum ferendum non est, ut corrumpant et inficiant animos adolescentum suis flagitiosis opinionibus. Nec unquam feremus canones impios, nefarios, sceleratos, pugnantes cum verbo Dei, nobis quicquam praescribere. Et propterea haec moneo, ut muniant se pii contra calumnias et blasphemias eorum.

Quae enim est malitia nosse veritatem, et tamen dicere: in meo libro aliter scriptum invenio: ergo aliter pronunciandum est, non habita ratione legum, iuris civilis et verbi Dei, quae diversum decernunt. Itane ludendi et naso suspendendi sunt homines, ut, quicquid ipsi pronunciant impie secundum canones, ratum habere cogantur?

Scelerata haec amentia est, aliena a ratione et sensu communi, fatentur se scire hanc nostram sententiam esse piam et honestam, et tamen contra conscientiam et agnitam veritatem aliter pronunciant, quia scilicet libri ipsorum aliter praescribant.

Eadem ratione mihi quoque dicere liceret. Sum Doctor promotus in Theologia scholastica, sed in Bibliis invenio plurima, quae cum illa pugnant. tamen sequar Cardinalem Cammeracensem, ut maxime sacrae literae diversum doceant. Quis haec ferat, et non execretur tales Doctores? Significant autem se alere intus ingens odium spiritus sancti, quia spiritum Papae animo infixum gerunt, et vergit haec improbitas eorum ad manifestam Blasphemiam.

Contra illam impudentiam et maliciam non humanam simus obfirmati spiritu sancto, et eos contemnamus securissime. Qui erravit hactenus cum illis, discat sapere rectius, et sequatur meliora dicentes. Quando vides erroneos canones, dicas, cede, ius canonicum, veritati spiritus sancti.

Ideo tractamus hunc locum quamvis odiosum: Quod Isaac non ducit uxorem, ubi ipsi libet, sed prohibetur a patre ducere Cananeam, et pater ipse solicite providet filio de uxore, filius summa voluntate obtemperat parenti.

---

7 Catonichen *G. H. Erl.*] Catonichen *I. K.*] *Vielleicht ist* Canonichen *gemeint; so bei Walch.*

Experientia enim quotidiana testatur clandestina illa et furtiva sponsalia materiam esse summorum malorum, assiduarum rixarum, contentionum, periuriorum et caedium, adeoque foedissimam pestem et turbationem Ecclesiae et rerum civilium.

Ita nihil aliud agunt canonistae, quam ut lacerent Ecclesiam, et turbent orbem terrarum propter stultos et indoctos Canones. Tot vero mala in nostras Ecclesias et respub[l]icas invehere eos sinemus? Diabolus hoc ferat, nemo alius: quin potius excommunicabo ego omnes illos Doctores, quam feramus in Ecclesia nostra eorum sententias impias.

Vide enim, quam nihili eorum argumentum sit, quod iactant: non possum aliter pronunciare, quia non est aliter scriptum in Canonibus. Simili ratione argumentari posset Turca aut Mahometista aliquis, non possum suscipere Euangelium, quia non extat in Alcorano. Sic Iudaeus non convertetur ad fidem Christianam, quia non docetur ea in lege Mosi. Romani et Ethnici nunquam amplexi essent Euangelium, cum in ipsorum libris nihil simile doceretur. Si omnia vera sunt, quae in Canonistarum libris continentur, et ea quidem sola, econtra vero falsa sunt omnia, quae in iis non traduntur, alios libros abiiciamus oportet.

Movere autem nos imprimis dignitas coniugii debet, ut sobrie et pie de coniugio doceamus. Non enim levis res est, sed gravissima et maxima in toto mundo, quia fons est rerum humanarum et generis humani. Tota vita nihil habet eo praestantius aut dignius. Tractandum igitur est cum summa pietate gravissimis argumentis et rationibus. Alias enim satis deformatum est concupiscentia carnis et libidine.

Proinde ante omnia respicienda est voluntas Dei. Deus sic voluit, sic ordinavit et instituit, non licet inde nostram gloriam quaerere, multo minus contumelia adficere ordinationem Dei, Ac experientia ipsa ostendit non esse ludum aut iocum contrahere matrimonium: primo anno omnia quidem laeta et iucunda sunt, teritur tempus illud risu et blanditiis. Sed postea, quando sequitur illud comici[1]: quam ibi non vidi miseriam? ibi necessaria est consolatio ex certitudine voluntatis et coniunctionis divinae, ut certo statuas. Haec puella est mea uxor, quam duxi, Deo ipso approbante et ridente et assentientibus angelis. Deinde accedat imploratio auxilii divini et praesidii de coelo, atque ita gravissima quaeque pericula et molestias superabis.

Canonistae frigidissime definiunt coniugium. Est coniunctio masculi et foeminae secundum ius naturae. Haec tenuis admodum et infirma definitio est, ideo ad diiudicandam hanc controversiam sunt inepti, quia non considerant magnitudinem rei.

Theologia aliter definit. Coniugium est coniunctio unius maris et unius foeminae inseparabilis, non tantum iuris naturae, sed etiam volun-

[1]) *Terentius, Adelphi 5, 2, 13.*

tatis et voluptatis, ut sic dicam, divinae. Voluntas enim et approbatio ac beneplacitum illud Dei tegit miseram turpitudinem libidinis, et removet iram Dei imminentem illi concupiscentiae et peccatis. Ad hunc modum coniugium cum reverentia tractatur.

Papa nihil aliud intelligit, quam si duo concurrant, et dicant, ego sum tuus, tu mea, illud esse matrimonium: non cogitat de beneplacito divino, de consolatione coniugum, et quomodo doceantur masculus et foemella de temperando ardore libidinis, de gubernatione familiae, de benedictione divina, deinde de ferendis infirmitatibus in uxore, de tolerantia periculorum a liberis et iniuriarum a vicinis. Tantum respicit in turpem illam coniunctionem carnis, quam copulam vocant, promissionem et ordinationem Dei negligit.

Admonendi igitur et muniendi sunt pii adversus illas viperas, qui iactant suos canones contra veritatem divinam. Et explodendum illud argumentum vere Papale de praescripto et decretis Canonum.

Quanquam perpetua haec eorum ratio est iudicandi nostram doctrinam, fatentur se scire esse purum et verum Euangelium, et tamen non curant. Albertus, Episcopus Moguntinus, solitus est dicere, esse nostram doctrinam fundatam in scriptura sancta, et esse ipsissimam veritatem, se nolle tamen, nec posse amplecti. Similes prorsus sunt canonistae, veram esse aiunt sententiam damnantem clancularia coniugia, sed diversum statuentibus canonibus esse repudiandam.

Horrendae voces sunt, nec putavi unquam me vivente talia me auditurum, aut quenquam fore, qui horribiles istas blasphemias loqueretur: se audire quidem et intelligere veritatem. Et tamen negare eandem propter opinionem incertam hominum. Idne est viri boni et integri? imo ne Turci quidem aut ethnici cuiusquam. Vir bonus decipi et labi potest seductus aliorum erroribus, sed si admonetur, agnoscit errorem, et resipiscit, abiicit et damnat opinionem erroneam. Ego igitur non approbabo unquam, nec defendam errorem et stultitiam canonistarum, sed percacabo canones et Papam: siquidem ipsum ius civile diversum et honestius statuit de hac ordinatione Dei.

Memorabilis igitur haec historia est, Abraham mortua gubernatrice suae domus amisit dextrum oculum, et cogitat de oeconomia aliter disponenda. Talis enim familia tali Sara opus habet, aut aliter eam disponi oportet, Commendat itaque totam familiam servo seniori, et constituit eum *Moschel*, id est, dominum Psal⌊mo 8. Pius senex antea totum onus gubernationis suavissimae uxori suae Sarae imposuerat, ea defuncta cum ipse sustinere cogeretur, reclinat in servum, donec prospiciat de matre familias, scilicet uxore filii.

---

37 Moschel] מֹשֵׁל

Deponit igitur omnem administrationem mortua Sara, noluit sibi tantum oneris imponi in extrema senectute, quanquam postea uxorem duxit: ideoque cogitat de persona idonea ad regendam familiam, interea vero senioris servi opera utitur, qui triennium familiae praefuit.

Nam trigesimo septimo anno aetatis Isaac moritur Sara, quadragesimo anno duxit Rebeccam, illud triennium uterque, pater et filius, transegerunt in luctu et moerore. Non enim saxeis animis fuerunt, recordatio dulcissimae consuetudinis et pulcherrimarum virtutum in suavissima coniuge saepe renovavit dolorem Abrahae. Isaac autem charissimae matris non potuit subito oblivisci: fuerunt enim homines *φιλόστοργοι*. Ideo pater, ut consolaretur Isaac, quaerit ei sociam vitae.

Doctrina igitur huius loci est, quod parentes debeant providere filiis et filiabus de honesto coniugio. Quanquam non praetereundum illud est, quod in vita saepe usu venit, ut parentes quandoque iure et autoritate sua abutantur, et velint liberos cogere, ut cum iis contrahant, quos non amant, quod in magnis familiis nobilium saepe accidit, illi repraehendendi sunt, quia nihil paterni animi aut adfectus habent, sed sunt trunci et stipites, non habent illam *στοργήν* erga prolem. Ibi interponat suam autoritatem pastor Ecclesiae, aut magistratus civilis. Quia haec non est patria potestas, sed tyrannis.

Nos ideo tam diligenter urgemus autoritatem parentum, primum propter mandatum et ordinationem Dei, exempla scripturae et leges civiles. Deinde propter insignem illam improbitatem, quae omnibus aetatibus in mundo grassata est, piis et honestis parentibus admodum gravis: quando liberos pie et honeste educarunt, ut essent haeredes paternorum bonorum, postea ipsis insciis et invitis inventi sunt, qui virgines aut adolescentes honestos fraudibus et dolis circumvenirent, ut coniungerent se furtim cum iis, qui et parum honesti, et ipsis indigni, et parentibus ingratissimi erant.

Hisce flagitiis Papa fenestram et ianuam patefecit, et aditum fecit lenonibus, ut possent furari mihi, tibi et singulis nobis filios et filias. Haeccine ferenda aut defendenda putabimus? Atqui custodiendos liberos et curam eorum diligenter gerendam aiunt. Quomodo potest id fieri in tanta malitia et perversitate hominum? quam facile corrumpitur, et in fraudem illicitur simplex animus?

Meminerint igitur parentes, ius et autoritatem elocandi liberos sibi divinitus attributum esse: nec rata esse sponsalia sine ipsorum consensu facta, nec divino, nec humano iure.

Deinde liberi sciant se hanc reverentiam debere piis parentibus, ut eorum consilium requirant, et voluntatem explorent: adolescens, cuius aetas idonea est coniugio, non vereatur, animum suum aperire parentibus: amare se honestam puellam, et rogare, ut dent sibi eam in uxorem. Quanquam

enim videtur significatio esse libidinis parum verecunda, sciant tamen divinam clementiam tegere eam in coniugio, et addidisse remedium huic morbo.

Humilient igitur sese coram parentibus, et ingenue dicant: mi pater, mea mater, da mihi illum adolescentem, aut virginem: quam amo. Quod si digna est coniunctione aut affinitate tua aut parentum, non denegabunt honesti parentes, etiamsi dos aut opes non respondeant.

Talia coniugia non possunt non esse foelicia et fortunata, ac Deus immensa bonitate benedicit, indulget et tegit tanquam operculo coniugii ardorem libidinis. Quin etiam scriptura sancta approbat, et adducit pro exemplo amorem et vocem sponsi et sponsae. Ita turpitudinem, in qua nati sumus, et miseram libidinem condonat Deus, quin et ornat et cohonestat licitis nuptiis.

Caveant vero adolescentes ab illa usitata contumacia et contemptu parentum, quo prorsus insaniunt quidam, et caeco impetu contrahunt inhonestas nuptias, se et suis maioribus et parentibus indignas. Hic enim exemplum contrarium et longe honestius imitandum proponit scriptura sancta, cum Isaac de patris sententia, voluntate et consilio Rebeccam ducit.

Sic Papa et Canonistae non docent, nec iubent ducere, sed rapere uxores, quasi liberi suae potestatis sint, aut coniunctio tam sancta sine ordinatione Dei legitima fieri debeat. Scriptura sancta inquit: 'Prudens Spr. 19, 14
uxor a Domino.' Ergo praecedat imploratio auxilii divini: Domine Deus, vides me non posse carere coniugio absque peccato, Consule tu mihi, et da piam et honestam uxorem.

Sicut hic servus, qui mittitur ab Abrahamo, oravit, et Abraham haud dubie docuit eum orare, Isaac quoque oravit. Postea accedat consilium, voluntas et consensus parentum, neque quicquam iis invitis aut repugnantibus suscipias. Cogita enim quantis beneficiis cumulatus sis, quantum iis debeas, quam indignum sit eorum animum turbare aut offendere, qui te benigne foverunt, educarunt et ardentissime amant.

Haec adolescentes sibi proponant, et assiduo memoria repetant: ita enim assuescent ad honorandos parentes. Idque non modo honestum et pium est: verum etiam praeceptis et exemplis scripturae consentaneum, et per omnem vitam imprimis utile.

Pontificii Canones detestandi sunt, qui haec officia non docent, sed contra haec omnia simplices animos involvunt furtivis et clancularis contractibus, iubent dare mutuam coniugii fidem invicem, insciis, invitis et repugnantibus parentibus, seducente lena aut lenone, et rapiente inimico aut nebulone.

Quid potest homini accidere tristius et indignius? ac si filius aut filia, sancte et pudice educta, optimis moribus imbuta, collocanda sit homini impuro, facinoroso, insidianti bonis et possessionibus tuis, cum illo scilicet

contrahenda est affinitas, habendus loco filii et haeredis omnium bonorum. An non id morte ipsa est tristius?

Non frustra igitur toties inculco et moneo, qua via ad rem tantam et tam sanctam aggrediendum sit, ut conservetur autoritas parentum, et reverentia erga eos liberorum. Filius aut filia ab iis consilium petat, qui et consilio valent, et divina institutione et benedictione Dei consulere possunt, parentes vicissim non sint duri et asperi, non urgeant liberos, ut contrahant cum iis, quos non amant, nec temere ab amore honestorum abstrahant, nisi elegerint se indignos: meminerint στοργῆς et inclinationis divinitus inditae, nec repugnent honesto amori.

Sic parentes Simson cum filium mulierem Philistinam amare intelligerent, et ipse peteret eam sibi uxorem dari, permittunt, ut ducat eam quamvis gentilem.

Rursus autem moneo, ante omnia ad ineundum coniugii foedus necessariam esse invocationem Dei, ut is uxorem aut maritum deligat ac donet: id si fit, sequitur benedictio Dei, et omnia secunda in coniugio, dat Dominus marito hanc gratiam, ut patientiam habeat, et boni consulat infirmitatem uxoris, et ipsa vicissim se possit accommodare moribus mariti. Econtra ubi non accedit timor Dei et invocatio, facilime incidunt offensiones, unde oriuntur odia, rixae, inimicitiae et simultates perpetuae, cuiusmodi connubia admodum infaelicia ego saepe vidi, et contingunt plerunque iis, qui sequuntur Papam et canones.

Qui vero legitime et sancte contrahunt matrimonium secundum ordinationem et institutum Dei, et certi sunt de Dei et parentum voluntate, ibi saepe summae offensiones et pericula sine omni negotio et difficultate superantur auxilio Dei et bona conscientia, quae certa est, si quid mali accidat, non id casu fieri, sed bona Dei voluntate, cuius iussu id genus vitae ingressi sunt. Nihil horum vident Papistae, non spectant neque causam materialem, nec efficientem, nec finalem coniugii, sed talem copulationem esse ducunt, qualis in scortatione est.

In lege Mosi adeo severe fuerunt interdicta et damnata clandestina sponsalia, ut licuerit ea parentibus rescindere et dirimere, etiamsi accessisset copula. Illud ius tametsi nos sequi nec possumus, nec debemus, non enim ligant nos forensia et iudicia legis Mosaicae, tamen est ius scriptum et promulgatum divinitus, cuius exemplo et testimonio nostra sententia potenter confirmatur. Deinde pro nobis est ius civile, cui ex aequo parere canonistae, et omnes huic imperio subditi debebant.

Moses cum in textu dicit Dominum benedixisse Abrahamum in cunctis, intelligit omnia bona coniugii, ea dicuntur benedictiones: quicquid possidet paterfamilias, id omne scriptura sancta solet appellare benedictionem: quod si scirent et crederent homines, non tantum esset rapinarum et illicitorum quaestuum in mundo. Sed maxima pars vivit sine invocatione, ideo etiam

absque benedictione, et hac securitate ingrediuntur coniugium, quaerunt et cumulant opes sine benedictione, de qua ne semel quidem in vita cogitant. Quam pauci rustici et cives sunt, qui habent benedictionem Dei, et sine iniuriis aliorum possessiones suas tenent? plena sunt omnia usuris, avaritia et *πλεονεξία*.

Si vis autem divina benedictione contrahere matrimonium, primum omnium require consilium Domini, et ora: Domine Deus, da uxorem et panem quotidianum, illis precibus favet Deus, et respondet, feci te masculum et foemellam, cur non te alerem? tu tantum ab iniustis rapinis et furtis abstineto.

Coniugium igitur est, ubi masculus et foemella coniunguntur divinitus, et certa Dei voluntate, et coniuges, qui haec norunt, facilime ferunt et vincunt, quicquid incommodorum obiicitur. Ita prima et summa benedictio est, si noveris divina voluntate te ingressum coniugium, et necessitate coactum ad vitandum peccatum duxisse uxorem.

Deinde quicquid Deus largitur, illis bonis omnibus verum nomen indas, et dicas, hunc filium aut filiam dedit mihi Dominus, hunc agrum, pratum, vaccam, capram Deus dedit, est benedictio divina.

Id sane pulcherrimum et foelicissimum coniugium est, in quo et mensae et thoro inscriptum est: Favor, voluntas, beneplacitum Dei. Hae verae et immensae opes sunt, tales benedictiones in canonibus non invenies. Sic Patriarcha Iacob infra dicit: 'isti sunt filii, quos dedit mihi Deus', 1. Mose 33, 5 singulari nimirum favore et benedictione. Hi enim intelligunt, et agnoscunt creatorem et creaturam eius, norunt, unde ipsi orti, et unde omnia accipiant.

Haec vero non docentur in iure nec canonico, nec civili, nec in medicorum arte, sed in scriptura sancta. Audiunt omnes Abraham habuisse multas facultates et fortunas, acquisivisse magnas opes. Unde autem illae fortunae et opes? respondet scriptura, divina benedicente clementia, qui creavit ipsum masculum, dedit ei opes.

Haec si nos quoque cogitare et credere possemus, etiam tenui fortuna essemus beatissimi, et in re lautissima non aliter adfecti, ac si nihil possideremus. Quia non est differentia inter parvas et magnas opes, quod ad benedicentem Deum attinet, qui unam vaccam, vel unam prolem habet, eundem Dominum benedicentem habet, quem habet rex potentissimus.

Ad hunc modum si possemus Deo acceptum referre fructum omnis boni, tum quisque contentus esset sua sorte. Qui id non potest, vertitur ad turpes quaestus, et per fas et nefas corradit, ut habeat omnia, quae si etiam adeptus est, tamen nunquam acquiescit animus eius, sed perpetuo luctatur cum insatiabili cupiditate opum et possessionem.

---

14 coniugium, et necessitate *I. K. Erl.*] coniugium, necessitate *G H.*

Quod si sic adfectus esset: Domine Deus, quicquid dederis mihi, accipiam laeto et grato animo, quod non dederis, eo libenter carebo, ero contentus modicis facultatibus iuxta ac magnis opibus, longe esset beatior.

Sed nemo hanc doctrinam sequitur, sed sensum et sapientiam carnis, ideo ratione omnia gubernare et expedire volumus, interim sumus ingrati, non agnoscimus benedictionem divinam, cuius hic scriptura sancta meminit, cum loquitur Moses de facultatibus, argento, auro, gregibus et armentis Abrahae, quae habuit etiam peregrinus, et appellat haec omnia benedictionem DEI.

Sequitur porro instructio servi. Atque hinc apparet Abrahamum constituisse servum hunc patremfamilias loco suo. Si vere pius fuit, qui agnovit et credidit in Deum, miraculi instar est, et magnum beneficium, quod talem servum habuit, cui potuit credere domum et familiam suam, atque ita ut constitueret eum dominum, qualis Ioseph apud regem aegypti fuit.

Est excellentissimum donum in oeconomia habere fidelem servum aut ancillam: usitata quaerela est in toto mundo de improbitate et malitia familiae, et est maledictio Dei, quae in dies augetur, quia sumus securi, contemnimus verbum Dei, et non oramus. Ideo hoc malo puniuntur mali et impii. Boni autem exercentur et vexantur, sicut aliis adflictionibus.

Qui vere sunt benedicti, illi omnia possident: et habent aliquem *Moschel* Elieser, qui fideliter et recte rem familiarem curat. Syrach
Sir. 33, 31 inquit .33.: 'Si habes servum fidelem, sit ipse apud conservos, quasi ipse adsis. Nam indiges eo, ut propria vita tua.' Talis fuit Eliezer ille, cui tantus patriarcha credidit domus suae administrationem: oportuit sane esse sanctissimum, plenum spiritu sancto, ac forsan postea manumissus est, sed hic vocatur adhuc servus. Incredibili igitur benedictione benedixit DEUS hanc domum. Primum rebus et opibus. Secundo servis et famulis fidelibus. Tertia benedictio iam sequitur sponsi et sponsae.

Quaeri autem hoc loco potest, quare Abraham deferens iuramentum servo, iubeat eum ponere manum subter faemur suum, vel in loco sui faemoris. Scriptura nihil dicit, fueritne ritus a patribus servatus et per manus traditus, an recens ab Abrahamo institutus, ut iuraret servus ponendo manum vel digitos in faemur. Si fuit vetus consuetudo ita iurandi, secutus est Abraham usitatum et patrium morem, et servus huius moris peritus iuravit.

Admirabilis autem et magnifica significatio est, quod ponit manum non super pectus, caput aut manum Abrahae, sed in illum locum, cui tri-
1. Mose 46, 26 buitur in scriptura sancta generatio. Infra .46.: 'cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in aegiptum, egressae sunt de foemore illius', Item: 'Levi fuit in lumbis Abrahae.' David egressus est ex foemore Abrahae, hoc est, Abraham fuit quasi fons et origo prolis.

Iudaei hoc factum dicunt propter circumcisionem, quae fit circa illam partem corporis, sed magis credo ortum esse ex illo intellectu patrum, qui a principio statim intellexerunt salvatorem venturum et nascendum esse ex humano genere.

Iuramentum autem est una de rebus maxime sacris, quia includit nomen, cultum, invocationem Dei et omnia divina: cum igitur res tam sacra et praecipuus cultus Dei ad hunc locum transferatur, sequitur eum pro sacrosancto et tanquam divino habitum.

Haec cogitare licet, si fuisset is mos a patribus traditus et acceptus, sed quia scriptura sancta prorsus tacet, nostrum non est quicquam asserere aut negare. Quod scriptura sancta docet, negat aut affirmat, id tuto imitari et docere possumus. Sicut de Sem tacet, non describit generationem, nec mortem, nec parentes, ideo de iis nihil scire aut tradere possumus, et studiose hoc factum est, ut proponeretur figura Christi.

Verisimile tamen est Abrahamum primum hunc ritum instituisse, et iussisse, ut poneret servus manum subter faemur, tanquam rem sacratissimam: potuisset enim invenire montem Moriia, altare, coelum, terram, solem, lunam vel aliam creaturam, ad quam levaret digitos, sicut hodie iurant super Euangelium, in Papatu iurant super reliquiis sanctorum. Semper enim iuramentum fit super sanctius et religiosius, quam nos sumus. Sed cum faemur attingere iubeat, habuit haud dubie pro re sacra.

Quod si verum est Abraham primum authorem fuisse huius ritus, ut ponerentur digiti in femur, intellexit promissionem: 'in semine tuo' non simpliciter, sed iuxta Paulinam explicationem, quod ex femore suo salvator mundi venturus esset.

Sicut Paulus hunc locum tractat, Galatarum 3.: 'Non dicit, Et semi- Gal. 3, 16
nibus, quasi in multis, sed quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus.' Illam sententiam promissionis intellexit Abraham, praesertim cum iam natus esset filius et haeres istius terrae, Isaac: ideo foemur suum habuit pro re sacra, in quam iubet servum iuraturum digitos ponere.

Quia erat fons et origo, unde oriturum erat semen, quod vivificaret et iustificaret universum genus humanum.

Haec cum scriptura sancta conveniunt, quae celebrat saepius, ut antea dixi, lumbos et foemur. Apparet quidem res foeda propter libidinem et horribilem concupiscentiam, quae in corpore humano sedem habet in renibus et foemore, et tamen Deus reputat pro re sanctissima, quae sua natura est foeda et turpis et peccato inquinata.

Sic mandat circumcisionem in loco turpissimo, de quo vix cogitari, nedum dici salvo pudore potest. Sed significat nos miseros peccatores non solum conceptos et natos in concupiscentia, sed etiam venturum semen Abrahae promissum, quod non solum benedictum et absque peccato et concupiscentia sit, sed etiam benedicturum omnes gentes.

Curat igitur Deus res turpissimas, et scriptura sancta hoc loco copiosior et uberior est in descriptione nuptiarum, quam si de summis rebus loquitur. Promissionem de benedictione spirituali supra .22. cap|ite paucissimis verbis
1. Mose 22, 16 absolvit: 'per memetipsum iuravi. In semine tuo benedicentur omnes gentes.' Hoc totum caput nihil aliud continet, quam descriptionem coniugii Isaac, quomodo mittatur servus, et adducatur sponsa.

Cur hoc fit? Quia ipse fecit nos, sumus creatura et opus ipsius, ideo curat suum opus etiam in mediis peccatis, morte, inferno, turpitudine et ignominia. Divina salus, vita et auxilia omnia sunt in mediis contrariis, salvat in morte, dat iustitiam in peccato, pacem et securitatem in summis periculis.

Haec sunt opera divina, quae homines carnales, qui sunt sine spiritu sancto, non intelligunt. Ideo oculos tantum deflectunt ad libidinem et turpitudinem in coniugio. In concupiscentia non vident illam sanctissimam benedictionem generationis: quia nihil nisi flammas turpissimae concupiscentiae sentiunt. Sic in morte nihil nisi mortem, in inferno nullum coelum
1. Mose 1, 27 cernunt: Sicut sentiunt, ita iudicant. Sed quia nos non fecimus nos: Masculum enim et foeminam creavit eos, ideo nos DEO curae esse statuamus, tanquam creaturam ipsius.

Haec igitur causa est, cur scriptura sancta de hac re tam abiecta in speciem tam multis agit. Nihil novum aut inusitatum est coniugium, et ab ethnicis quoque iuditio rationis approbatum et laudatum. Sed quis unquam ita aspexit aut consideravit, quod sit creatura divina, benedictio in maledictione et castitas in libidine? Si secundum rationem et speciem externam iudices, nihil differt concubitus maritalis a meretricio, et tamen ille pudicus et honestus est sub remissione peccatorum, sub benedictione, et Deo placens: hic flagiciosus et damnatus sub ira Dei. Quia in coniugio servat Deus in media libidine et turpitudine institutionem suam et ordinationem.

Ideo Abraham praeclare hunc locum intellexit: 'In semine tuo benedicentur omnes gentes', quod Christum includit: et propter Christi ortum ex lumbis Abrahae, ex quibus lumbis venit universum genus humanum, omnia pura, munda et sancta reputentur. Quia est idem semen et eadem caro, quae nos sumus. Sed ipse vere sanctus est, et per miraculum conceptus, non sicut nos, sed sine patris ardore, libidine, impudicitia, turpitudine, foeditate, etiam sine dolore matris natus, et tamen est semen Abrahae.

Hoc significatum est, quando Abraham iubet servum ponere manus in foemur, quia Christus est in foemore. Ideoque coniugium propter Christum sanctum et purum, concubitum pudicum et honestum esse necesse est, qui per se est foedissimus. Et Abraham statuit suum foemur esse sacrum, non propter se, sed propter promissionem divinam, quia promissio

---

3 .22. cap. *G.*] .XXII. capite *H.*] .22. [XXII.] *K. I. Erl.*

comprehendit suum foemur, et promissio illa est sanctissima, ideo sanctificat foemur Abrahae, ut etiam illi, qui egrediuntur per libidinem et concubitum carnis, non reputentur immundi, sed pudici, thorus immaculatus et coniugium honorabile habeatur, tantum propter semen venturum.

Si Paulus non ita tractasset hunc locum, non intellexissem ego. David, Esaias, Ieremias eadem viderunt, sed vulgus Prophetarum et Iudaei, sicut nos, obiter tantum aspexerunt. Nos in mulieribus quaerimus voluptatem illam foedam, et nihil aliud, quam quod sentimus, et quod carnaliter et suaviter nos adficit et oblectat. Sed hoc discendum et studiose notandum est, quod Deus in media morte vitam, in turpitudine honorem perspicit.

Theologi veteres faciunt triplicem castitatem, virginalem, vidualem, coniugalem. Sed estne haec castitas, quando maritus generat? mira certe deformitate tecta latet, ut nemo agnoscat castitatem esse, quia nihil differt ipso sensu et specie a scortatione. Sic nulla virgo tam casta est et pura, quae non sentiat ardorem erga masculum: idem adolescentes experiuntur: et quod magis est, sequuntur turpia somnia et pollutiones. Ibi sane non est vera castitas, sed tantum externa, quia intus in sanguine et medullis ardet concupiscentia: adeo est depravata natura. Frustra igitur Papistae castitatem et virginitatem iactant.

Aegre autem admittunt, coniugalem castitatem esse aut dici, nisi veterum autoritate cogerentur, alioqui enim immundiciem dicunt, sicut exponunt sententiam Prophetae: ‘mundamini, qui fertis vasa Domini’, id Jes. 52, 11
est, abstinete a coniugio, si vultis servire Deo, et administrare sacra.

Est quidem pulcherrimum donum castitas, et honestissimum est habitare cum legitima coniuge, et vitare fornicationes, quanquam vidualis et virginalis castitas excellentior est, sed nusquam est pura, nec virginem, nec viduam ullam invenies, in qua omnis sensus et appetitus prorsus extinctus sit et emortuus. Quando igitur ad Dei iuditium perventum est, pronunciat Deus: tu fuisti purissima virgo, adolescens pudicus, forte etiam non pollutus, sed non fuisti sine ardore et concupiscentia, ideo damnat te lex: ‘non concupisces.’

Sic castitas in solo CHRISTO manebit, qui natus est ex foemore Abrahae sine libidine et peccato: per eius castitatem nos quoque casti erimus et salvi.

Atque hoc non ipse Abraham tantum intellexit, et suo pectore conclusum habuit, sed praedicavit etiam multis et assiduis concionibus, ex hoc uno dicto: ‘In semine tuo’, etc. Siquidem illum novum ritum in suam Ecclesiam voluit invehere: diligenter inculcavit promissionem, ut persuaderet populum de certitudine seminis futuri. Sicut nos assiduo urgemus doctrinam de liberatione et resuscitatione corporum nostrorum in extremo iudicio: ‘seminatur in infirmitate, in corruptione, in ignominia’, .1. Cor[in- 1. Kor. 15, 42

thiorum 15. Monendi igitur sunt pii, ut fidem opponant sensui oculorum, et in media corruptione et ignominia spectent claritatem supra solis et stellarum fulgorem: in corruptione foedissima, arrosione vermium et gravissimo foetore balsamum et gloriam aeternam. Ita fides cum videt hominem extinctum condi in terram, non videt cadaver aut corruptionem, sed integritatem corporis, gloriam immortalem et spiritualem vitam.

Sic Abraham praedicavit, in illa libidine et concupiscentia, quae sensibus nostris apparet, respiciendum esse ad semen futurum sine libidine et benedictum, quod totum mundum salvaturum sit, et ad hoc electum se dixit patrem. Haec pii et servi praecipue in domo eius crediderunt, ideoque coluerunt foemur pro re sacra, verum non in gloriam Abrahae, ut nos quondam soliti sumus cultum et honorem Deo debitum creaturis praestare, sed propter fidem et expectationem futuri seminis.

Si Papa istam gloriam haberet, quod qui oscularetur pedes eius, rem sacram oscularetur, bone Deus, quam superbiret, et tamen meris mendaciis hoc apud reges et monarchas obtinuit.

Abraham habuit promissionem complectentem foemur suum, tanquam originem seminis, ideo pro re sacra habuit, non tamen in suam, sed Dei gloriam et honorem. Sicut iustificatus est non ex seminibus, sanguinibus, voluntate viri aut carnis, sed a Deo, hoc est, semine futuro, quod tamen ex foemore eius egressurum erat, atque ita in media ignominia gloriam, in media libidine summam castitatem et pudicitiam invenit.

Vereor autem, ne aliquanto post subsecuta sit horribilis illa turpitudo Ismaelitarum ethnicorum: Humana enim natura non potest servare modum, aut sobrie et pie custodire ea, quae a maioribus tradita sunt recte et syncere: statim vel ad dextram, vel ad sinistram deflectit: ubi audiverunt Midianitae istas magnificas promissiones, quod foemur sive generatio Abrahae in tanta esset gloria, mox in turpissimam idolatriam prolapsi sunt, ac non solum libidinis turpitudine se polluerunt, tanquam singulari sanctitate et iustitia: sed etiam singulare idolum erexerunt et coluerunt, Priapum. Sic enim solent idolatrae: tantum ceremoniarum opera arripiunt, relicto verbo et spiritu.

Sic neglecto illo, quod Abraham peculiare mandatum habuit de immolando filio, alii quoque in obsequium Dei suos filios mactarunt sine fide et mandato Dei: illud est ab exemplo raciocinari, non a fide patrum. Idem sane opus fecerunt, sed fides et animus diversus fuit. In Abrahamo est divinum mandatum, ipsi vero non habuerunt mandatum, promissionem et verbum: Sed fuerunt idolatrae.

Sic ex Adae traditionibus haud dubie adoratio et cultus Solis natus est: is enim docuit familiam suam et filios, ut exorto sole flecterent genua,

24 Ismaelitarum ethnicorum *G. H. I. K.*] Ismaelitarum ethnicorumque *Erl.*

et laudarent Dominum coeli et terrae, et agnoscerent beneficia infinita, quae praestat Deus mundo per pulcherrimum illud luminare. Posteri retinuerunt quidem ritum illum et ceremoniam, flectendo genua erga solem, sed obliti sunt gratiarum actionem pro beneficio Dei, qui creavit lucem et solem, et postea idolum fecerunt ex sole.

Haec omnia ex patrum piis traditionibus orta sunt. Solet enim Satan perpetuo, ubicunque Christus templum aedificat et Ecclesiam colligit, tanquam simia eum imitari[1], et idolatricos cultus et traditiones effingere, ad similitudinem verae doctrinae et verorum cultuum: Sed promissionem et spiritum patrum detrahit, ac interim splendidas pompas et magnificos apparatus instituit, ut specie religionis et sanctitatis etiam verum cultum et Ecclesiam superet et obscuret.

Sic pontifex coenam Domini ad horribilem idolatriam transtulit, quam instituit Christus, ut ederemus et biberemus corpus et sanguinem ipsius ad erigendas conscientias et fidem confirmandam, sicut inquit: 'hoc facite in mei commemorationem', hoc est, praedicate me, gratias agite mihi, et fidem vestram exuscitate. 1. Kor. 11, 24 f. Sed pontifex opus operatum retinuit, et prorsus abolevit verum usum in commemorationem Christi: Imo interdicto cavit, ne verba institutionis quisquam palam legeret. Id testatur liber editus de secretis sacerdotum. Nemini licuit legere canonem, nisi sacerdotibus, ac flagitium fuisset et piaculum, verba coenae clara voce pronunciare.

Postea alteram speciem ex Ecclesia abstulit, et commentus est esse in Missa oblationem et sacrificium pro peccatis totius mundi. Is quaestus longe fuit uberrimus: inde enim tot templa, altaria, coenobia et totus ille cultus cum infinitis ceremoniis, ad stabiliendum videlicet infandam illam prophanationem.

Ita semper mundus mores et ritus patrum imitatur. Sed caput eis praecidit, hoc est, fidem, promissionem et mandatum Dei tollit, et retinet ipsum factum sive opus operatum, postea fucus fit imperitis, et illiciuntur in fraudem miserae conscientiae magnifico apparatu et splendore operum et ceremoniarum externarum.

Sic supra de Ur Chaldaeorum dictum est, ubi coluerunt Orimasda, hoc est, sacrum ignem, is cultus inde extitit, quod viderant ignem coelitus demissum oblatas hostias haurire, id signum erat promissionis et voluntatis divinae, quae approbaret sacrificia patrum. Rapuerunt igitur haec ad idolatriam et similia sacrificia, et lucem sive ignem sanctum coluerunt, ex quo *Chasidim*, hoc est, sanctos se appellarunt.

Quia Canon Diaboli est extruere sacellum iuxta Ecclesiam et templum Christi, hoc est, arripere opera et exempla patrum, ea deformare et in opus operatum convertere relicta fide.

---

36 Chasidim] חֲסִידִים

[1]) *Vgl. Thiele Nr. 262; Grimm, Deutsche Mythologie, 4. Aufl., Berlin 1875: 823 f. Nachtr. 294.*

Sic Iudaei parum foeliciter ceremonias patrum imitantur, et ex circumcisione faciunt opus, et miserabiliter cruciant infantes, fidem et promissionem abiecerunt, ac existimant plurimum momenti esse in opere et ceremonia, non in verbo et promissione Dei.

Ad hunc modum Ismaelitae cum scirent se esse filios Abrahae, et ex lumbis eius egressos, lumbos autem habere benedictionem propter benedictum semen ex eis nascendum, opus operatum et libidinem arripuerunt sine promissione et fide, donec tandem membrum virile adorarent, quod Graeci et Romani postea secuti sunt. Quin et Baalpeor (quamvis horream haec proferre) nihil aliud est, quam turpitudo virilis membri cum sua tentigine.

Generatio est benedictio, et est opus Dei, ideo lumbi et foemur Abrahae est benedictum, Verum non ex opere operato: sed quia Christus, divinum semen, est in foemore, ibi tum in media libidine et concupiscentia est benedictio, et libido per remissionem divinam tegitur et toleratur.

Abraham non negavit concupiscentiam peccatum, et faemur corruptum esse morbo originis, sed addidit sanctitatem et medicinam coniugii et ordinationis divinae. Sicut nos non negamus corpus sepeliri in summa ignominia, sed habemus emplastrum, quo tegitur et sanatur: quia scimus ignominiam vertendam in maximam gloriam.

Ignominia per se nihil est, nisi summa impuritas: quod autem vertitur in gloriam, fit ex mera gratia Dei. Quod si rem et opus ipsum tantum amplecti velim pro gloria, nihil retinerem nisi ignominiam. Sed oportet opus fieri ex spiritu, fide, promissione, tum opus non est amplius ignominiosum, sed illustratur gloriosissima luce, quae est clarior sole, et suaviorem odorem de se praebet quovis balsamo aut incenso: verum hoc non ex ignominia nascitur, sed ex gratia spiritus sancti.

Sic membrum virile aut muliebre est turpissimum et foedissimi operis, sed quia promissum semen ex foemore Abrahae egressum est, tegit id turpitudinem illam, et facit rem sacram. Ismaelitae vero puritatem, pudicitiam, iustitiam et sanctitatem tribuerunt operi per se. Quid enim peccaret, dixerunt, membrum mulieris aut viri, siquidem scriptura sancta dicit foemur Abrahae esse benedictum?

Dolendum certe est et deplorandum, naturam humanam tam horribiliter corruptam esse, Igitur omni studio frenandae erant libidines, concupiscentia reprimenda ac detestanda, et sectanda pudicitia et castitas. Ac si non posset prorsus emendari et vitari malum illud vicio originis naturae
1. Kor. 9, 27 insitum, gemendum tamen erat et dolendum, sicut Paulus queritur: ‘Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, et tamen non invenio in carne mea
Röm. 7, 18 bonum.’ Rom[anorum .7.: postea vero apprehendendum est semen et invocandum, propter quod benedixit nobis Deus, ut reliquiae peccati non imputentur.

'Nihil enim damnationis his, qui sunt in Christo Iesu', Rom[ano- Röm. 8, 1
rum 7 [!]. Non dicit nihil peccati, sed nihil damnationis, alioqui opus carnis, fornicationem et adulteria sectabimur, et laxabimus frenum libidini, atque ita apprehendemus materiam exclusa benedictione. Sicut accidit in omni superstitione et idolatria, quae initium plaerunque sumit et pulcherrimam originem habet ex patribus. Sed male componunt et dividunt idolatrae, ut dialecticorum formulis utar, dividunt opus a fide, materiam a finali causa: ex opere componunt iustitiam. Ea est diabolica dialectica.

Abraham autem, qui haec recte potuit distinguere, fuit praestantissimus vir, non indulgens licentiae carnis, et tamen asserens, subesse libidini et peccato occultam benedictionem propter futurum semen ex lumbis ipsius, cuius tanta sanctitas et castitas est, ut totum orbem benedicturum sit, et Deus propter benedictionem illam toleraturus libidinem coniugalem. Alioqui enim omnes damnati essemus, quia concupiscentia haeret infixa ossibus et medullis, nec potest a quoquam superari et extingui iuxta illud: 'In Ps. 51, 7
peccatis concepit me mater mea.'

Sit igitur haec explicatio et causa illius ritus, quem Abraham introduxit in Ecclesiam suam, significatam scilicet esse excellenti spiritu mysterium illud incarnationis Christi admirabile, quam voluit inculcare familiae suae, non tantum verbo, sed etiam facto et signo externo.

Deinde meminerit lector ex religione patrum perpetuo sequi solere horribiles superstitiones. Sicut Ismaelitas de foemore Abrahae gloriatos esse certum est, natos se esse ex illa carne, quae digna habita sit, ut supra eam invocaretur DEUS: atque inde in miserabilem caecitatem prolapsi ipsam turpitudinem adoraverunt, arripientes carnem materialiter, non spiritualiter.

Hic morbus in humana natura omnibus aetatibus grassatus est, quo efficimur Simiae, ita ut sequamur factum et exempla patrum, et relinquamus spiritum ipsorum. Id inprimis memorabile, et dignum est hoc loco observatu.

Sic Papa habuit clarissima testimonia scripturae et expressa gratiae signa, quae si quis considerat, vix sequi potuisse credet tantam abominationem. Quid clarius sacramento Baptismi? Eucharistia, clavium usu, voce Euangelii, passione Christi praedicata, depicta et variis modis tractata? verum in tanta copia sacramentorum, signorum, verborum, exemplorum tamen Antichristus regnavit potentissime tot saeculis.

Nos divina gratia repurgavimus illam doctrinam. Sed nihil dubito paulo post secuturos, qui abiecta doctrina pietatis, et relicto fonte iustificationis opera iterum apprehensuri sint et traditiones hominum. Si Munzerus et Sacramentarii, cum audirent nos docere spiritum, et reiicere opera, hac doctrina abuti potuerunt, et neglecto verbo et sacramentis nihil

aliud nisi spiritum sonare, idque nobis viventibus, docentibus et repugnantibus, quid futurum est, ubi conticuerit nostra doctrina?

Sentiunt et praedicant nobiscum Papae opera non iustificare, requiri aliam iustitiam spiritus. Sed hunc spiritum intelligunt enthusiasmos, revelationes, cogitationes suas.

Hos consecuti sunt Antinomi, qui docent simpliciter omnia peccata sublata, nec arguenda esse, nec homines terrendos lege, sicut Ismaelitae imaginati sunt: Quia foemur patris Abrahae sanctum esset, ideo omnia esse sancta. Dissimulant quidem hoc sedulo Antinomi, et fucos dogmati suo quaerunt, sed hoc monstri occulte alunt: peccatum est remissum, nihil est damnationis: igitur peccatum est nihil, aut prorsus est sublatum,
Röm. 8, 1 Romanorum 8.

Hic error nascitur ex pulcherrima doctrina in Apostolorum scriptis:
1. Joh. 3, 9 'Qui natus est ex Deo, non peccat', Item credo remissionem peccatorum: non enim intelligunt iustitiam et remissionem peccatorum in mediis peccatis esse. Sed sentiunt penitus esse sublata.

Sic Iudaei raciocinantur. Si sumus semen et filii Abrahae, sumus sancti, benedicti, et soli Deo placemus, nec potuit hactenus tot saeculorum calamitatibus haec eis persuasio eximi. Quod autem foemur Abrahae sanctum est, et semen eius sanctificatur, non propter foemur eius in carne,
Joh. 1, 13 nec propter ipsum Abraham hoc fit, iuxta sententiam Iohannis 1.: 'Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri', etc. Sed quia semen sanctum inclusum est in illo foemore. Id semen ipsi abiiciunt et blasphemant, et putant se esse semen benedictum. Ideo arripiunt et intelligunt foemur secundum carnem tantum, sine spiritu, et fiunt Ismaelitae, epicurei, Antinomi, qui negant restare ullum peccatum propter remissionem peccatorum.

Röm. 7, 19 Sed Paulus aliter definit remissionem peccatorum, cum inquit: 'servio legi peccati.' Item 'quod volo bonum, hoc non facio', hoc est, haerent in me multi viciosi adfectus et motus, securitas, dubitatio, impacientia in adversis. Ideo remissio peccatorum sic docenda et credenda est, quod peccatum nos quidem non damnabit, quia est remissum: non per iustitiam carnis, sed per filium Dei, qui induit nostram carnem: sed si separaveris illum a carne, iam es damnatus.

Itaque iustificati et habentes remissionem peccatorum, sunt peccatores, quia conqueruntur se non posse hoc agere, quod volunt, pugnant, resistunt concupiscentiae et inhaerenti morbo, crucifigunt carnem, et tamen non
Röm. 7, 24 possunt penitus liberari, sicut exclamat Paulus: 'Infoelix homo, quis liberabit me de corpore mortis huius?'

Hanc doctrinam obscurabunt Antinomi, et ita amplificabunt gratiam, ut extinguant eam, et homines irae Dei subiiciant: quia reddent homines

prorsus securos de ira et iuditio Dei, quasi nullum peccatum restaret, nullus pavor mortis et inferni.

Haeret igitur in sanctis peccatum, contra quod gratia acerrime pugnat, et manet certamen inter spiritum et carnem, inter serpentem et semen, quandiu haec vita durat. Semen conterit caput serpentis, sed serpens insidiatur semini, et mordet calcaneum.

Ismaelitae semen abiiciunt, et gloriantur se filios carnis, benedictionem materialiter et carnaliter accipiendo, ideo sunt damnati peccatores, etiamsi ex Abraham nati sunt.

Sic coniugium supra diximus esse sanctum: et Paulus inquit .1. Timothei 2.: 'mulieres parientes esse sanctas, sed si manserint in fide', hoc est, si crediderint in Christum, et pugnaverint cum serpente, hoc est, castae fuerint, vel repugnaverint viciosis motibus carnis. Alias mulier secundum carnalem generationem absque fide et sine semine damnabitur. 1. Tim. 2, 15

Necessario igitur retinenda est sanctitas et benedictio foemoris, vel potius seminis, quod ex illo foemore natum est, et benedixit omnes gentes, et illam castitatem pollutam in coniugio sanctificavit, ne damnet nos immundicies et pollutio carnis: id si non fit, statim in Ismaelitarum errorem et similem damnationem incidimus: Neque quicquam aliud, quam nomen et opinio sanctitatis reliqua erit.

Sic Papa sanctitatem docuit, abiecto verbo et spiritu: ut videlicet Christiani post baptismum, cum adolevissent, ingrederentur monasteria, affligerent corpus, satisfacerent pro peccatis. Non aliter atque Turci varia opera et exercitia habent, propter quae sanctos se gloriantur: Sed species et nomen sanctitatis est, sub qua horrenda vicia latent. Sublata igitur doctrina de semine, nulla salus restat: quia vicia fiunt virtutes, et abeunt in mores, sicut Seneca[1] ait. id quod reprehendendum erat tanquam vicium, pro iustitia, sapientia et salute traditur: sicut peregrinationes, cucullus, discrimen ciborum et vestitus habita sunt pro iustitia summa, imo pro perfectione.

Quod si vicia, hoc est, idolatria et error proponuntur pro iustitia, quid et qualia peccata sunt palam manifesta? ibi impletur Christi verbum: 'Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt', hoc est, si error et mendacium tua lux est, vita, salus et perfecta iustitia: 'quantae sunt ipsae tenebrae?' id est, ipsa caro, quae absconditur et ornatur, et septuplex iniquitas fit. Matth. 6, 23

Hortor itaque vos, ut diligenter discatis, et meditatum habeatis locum iustificationis. Damnant falsi fratres nobiscum opera Papae, et tamen pugnant contra nos, quia tendunt ad nova opera inusitata, idque nobis viventibus et repugnantibus.

---

[1]) *Seneca, Epistolae 39.*

Iustificatio Christianorum in hoc consistit, quod peccatum debilitatum est, et non dominatur nobis. Si duxeris uxorem, senties libidinem, sed poteris cum ea vivere caste et pie, quia credis in CHRISTUM, tum enim peccatum debilitatum est. Econtra si ingrederis coniugium magno ardore et expectatione variarum voluptatum, mox uno aut altero mense exacto, saepe etiam ante nuptias orietur fastidium, incident offensiones inter te et coniugem, et odium maius, quam initio amor fuit, ita ut maiore studio cupias separari, quam coniungi cum ea volueris: optabis mortem coniugis, et quaevis alia videbitur formosior, commodioribus moribus et ingenio, quam tua. Quia tunc regnat peccatum.

Proponitur ergo hoc loco exemplum coniugii, ubi regnat gratia, et debilitatur peccatum. Quod si non simili ratione tantam rem aggressus fueris: videlicet humili oratione et fide, habebis tristissimum coniugium, plenum rixis, contentionibus et perpetuis dissensionibus, sicut extant querelae communes: Nec tecum possum vivere, nec sine te. Item, malum necessarium est mulier. Haec contingunt plaerunque iis, qui nihil aliud spectant, quam miseram carnem et libidinem, et fingunt sibi omnis generis voluptates. Quare non invocant creatorem utriusque sexus? qui et author et optimus consiliarius coniugii est? Tantum sequuntur definitionem in iure civili positam: coniugium est coniunctio maris et foeminae, individuam consuetudinem retinens. Ibi verae differentiae et partes omissae sunt, quia rem non intelligunt, quomodo igitur recte definire possent? est tantum materialis definitio.

Vera autem definitio haec est: Coniugium est divina et legitima coniunctio maris et foeminae spe prolis, vel saltem vitandae fornicationis et peccati causa ad gloriam Dei. Finis ultimus est obedire Deo, et mederi peccato, invocare Deum, quaerere, amare, educare prolem ad gloriam Dei, habitare cum uxore in timore Domini, et ferre crucem: Quod si non sequitur proles, tamen tua uxore contentus vivas, et vites vagas libidines.

Hactenus ritum illum iurandi tractavimus, quem Abraham instituit. Videamus porro formam iuramenti: Ritus plane novus fuit, cum servus iuraturus posuit digitum vel manus sub foemur Abrahae. Nos duos digitos sustollimus: quia in omni causa duo testes requiruntur: duo igitur digiti loco sunt duorum testium, erecti ad Deum, et monstrantes verum Deum.

Forma iuramenti haec est, Iurare te faciam, id est, accipiam a te iuramentum, vel iurabis mihi per Dominum, Deos coelorum et Deos terrae, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananeorum, inter quos habito. Hic clare testatur scriptura patribus non ignotum fuisse mysterium divinitatis, praecipue Abrahae, qui non passus esset fieri iuramentum in haec verba, si non intellexisset semen plus esse quam hominem.

Quia filius Dei miscet se in carnem, et est quasi divinum fermentum, quod absconditum est in massam, quae est plena peccatis et corruptione. Ideo loquitur de una essentia, et tamen addit pluralitatem per Dominum, Deos coelorum et Deos terrae. Ergo Deus est una simplicissima essentia, et tamen plures in personis vel hypostasibus.

Semper autem, quando iuramus duo complectimur, implorationem auxilii et defensionis divinae, et imprecationem poenae. Quasi dicas, Ita me Deus adiuvet, aut puniat fallentem, als mir Got helff oder nicht. Si servo iusiurandum, sit mihi propitius, si fallo, puniat.

Pulcherrimus cultus et invocatio Dei est: qui enim iurat, fatetur se implorare clementiam et favorem Dei, et expectare ab eo beneficia defensionis et auxilii, et sibi imprecari ultionem divinam, si fallat. Ideo secundo praecepto annexa est comminatio, quae minatur periuris: 'Non enim habebit Deus insontem eum, qui usurpaverit nomen Domini vane.'

Quia est abnegatio et contemptus Dei. Quod si servas iuramentum, maximum cultum Deo praestas, quia iurare est confiteri Deum protectorem et salvatorem. Si peieras, iam abnegasti Deum, repudiasti eius gratiam, et provocasti in tuum caput eius indignationem et iram.

Supra cum Abimelech iurat Abrahae, non usi sunt hac forma, nec ritu illo. Sed hic novus modus iurandi est, quia vult Abraham Christum in iuramento complecti, iuxta illud Psalm[o 62[!].: 'laudabuntur omnes, qui iurant in eo.' Ps. 63, 12 Qui enim vere iurat, colit et honorat Deum, et nomen eius invocat, qui falso iurat, blasphemat et maledicit divinae maiestati, eamque contumelia adficit: contemnit eam et nihili facit. Postremo peccat, qui sine necessitate iurat, quando scilicet magistratus et lex charitatis non postulat.

Sed cur prohibet Abraham, ne servus ambiat unam ex filiabus Chananeorum? Respondeo: Abraham vicinus morti multarum rerum experientiam habuit in hac terra, ubi vixit apud homines ethnicos, quorum mores et vitam diligentius inspicere oportuit, conversari, colloqui et communicare de variis rebus. Siquidem universae eius opes et victus in re pecuaria et agris fuit, propemodum ut pastorum, unde non suam tantum familiam aluit et sustentavit, verum etiam carnes, butyrum, lac, caseos et similia vendidit: quod non potuit fieri sine familiari conversatione cum incolis et civibus. Itaque ex illa consuetudine et familiaritate forsan moti sunt quidam, ut Isaac tam honestum et formosum adolescentem generum aut affinem sibi exoptarent, fortassis ex praecipuis familiis Ephron aut aliorum. Et supra dictum est Abraham in re lauta fuisse benedictione divina, quam ob rem vel solam coniunctionem eius expetiverunt.

Variae autem causae fuerunt Abrahamo, cur id recusaret: aut enim oeconomiae, aut Ecclesiae pericula veritus est: fortassis ingenia et mores

24 eam *I. K. Erl.*] eum *G. H.*

puellarum displicuerunt, quod aut opibus, aut forma, aut genere praestantes nimium superbirent. Durum enim inprimis est, esse generum in domo potentis et divitis, et foemina divite et imperiosa nihil est intolerabilius: cogitur enim maritus sequi imperium et autoritatem uxoris: aut vincunt saltem et emolliunt blanditiis viros captos amore.

Pericula igitur haec oeconomiae in mentem venerunt: ne requireret formosam aut divitem, sed simplicem et honestam, quae in re domestica sedula et laboriosa esset: Servire enim uxoribus dominabus non solum molestum, sed etiam turpe est: neque enim dominari in maritos debent, sed in boves, oves et asinos.

Sed praeter hanc potior fuit causa Ecclesiastica. Quia terra haec fuit damnata divinitus, sicut supra dixit Deus ad Abraham: Terram hanc tibi dabo. Item nondum completae sunt iniquitates Amorrhaeorum. Habuit igitur eam pro terra abiecta et invisa Deo, cui Deus interitum minatus sit: interim tamen familiariter et amice cum eis conversatus est in contractibus et omnibus negociis, et miraculum fuit, quod invenit ibi reliquias sanctas, de quibus supra.

Haec omnia intellexit Abraham, fuit enim spiritualis et prudens vir, ideo noluit miscere semen suum cum Chananeorum sanguine, ne filius fieret idolatra, et cum seminis commixtione simul cultus sancti et idolatrici fieret confusio. Sanctorum cultus simplex apparet, et est sine spetie et splendore: Econtra impii tument iustitia, et illa sua specie facilime decipiunt infirmos. Vidit igitur filium, etsi non seduceretur, versaturum tamen in gravi periculo.

Itaque solicitus est pro filio, et pro sponsa et familia filii. Et hoc iuris divini est, et pertinet ad definitionem coniugii contra Papam, qui facit ex coniugio prostibulum, nec discernit inter copulam bestiarum et hominum.

Non dubito Isaaco complures puellas, et inter eas formosas, divites et generosas oblatas esse. Sed Abraham claudit oculos, et prohibet filio, ne quam ducat, non quod resistat honestae voluntati filii per aetatem iam ad coniugium idonei: vult omnino ei honestam puellam collocare, sed non eam, quae filio sit exitio, et toti Ecclesiae scandalo.

Isaac autem non adversatur patri, sed summa voluntate consilium eius amplectitur.

Meminerint igitur huius exempli omnes adolescentes, et discant revereri autoritatem parentum et divinae ordinationis sanctitatem: non cogitent esse coniunctionem bestialem, qualem Papa intelligit. Sed ante omnia verum parentem et authorem omnium rerum fide invocent, ut incipiant sine peccato. Domine Deus, tu creasti me masculum, vides me non posse continere, te invoco, guberna et fortuna conatum meum, da consilium et auxilium, delige mihi aliquam, cum qua possim honeste vivere et tibi

servire, et vincere fide et precibus incommoda et difficultates coniugii. Qui haec monita aspernantur, caeco impetu feruntur sine fide et oratione, illi sentient tandem et opprimentur omnis generis malis.

Quid optabilius autem est foelici et tranquillo coniugio, ubi est mutuus amor, et animorum suavissima coniunctio? Illud ubique praedicatur tanquam miraculum. Adolescens ego cum eiusmodi laudes audirem, et praedicationem alicuius honesti et foelicis matrimonii: Item, quando legebam in Paulo: 'Viri, diligite uxores vestras', mirabar, cur hoc fieret, Eph. 5, 25 et quorsum attineret monere et praecipere de amore coniugum, inter quos saepe non amorem tantum, sed et furorem invenire liceret.

Sed experientia me docuit, ex multis vix unum coniugium laudabile esse: unde vituperationes illae usitatae: Semper habet rixas, alternaque iurgia lectus, in quo nupta iacet[1]: quam ob rem multi vehementissime abhorrent a coniugio.

Verum non oportet de hoc genere vitae ethnicorum more sentire aut iudicare, sed agnoscere Deum conditorem, et cum humilitate genu flectere et fide invocare, ut det sociam et consortem thori, quando is spiritus adest et fides in invocatione, tum licebit reliqua ratione administrare, agere cum parentibus et audire eorum consilium. Postea si non cedunt omnia ex animi sententia, tamen hanc consolationem habes. Ego oravi, consului Deum, parentes et propinquos, si quid adversum accidit, feram aequo animo. Magna enim consolatio est habere Deum testem et authorem: parentes et propinquos conscios et consiliarios.

Econtra si proprio ausu insciis parentibus contraxisti, perpetuo id mordebit et excruciabit animum: En poenam ob stultitiam et contumaciam fero, offendi parentes: vicissim omnis generis offensionibus premor. Illa intolerabilis crux est.

Pulcherrimum igitur hoc caput est non solum ad cohonestandum coniugium, verum etiam ad consolandas conscientias eorum, qui sentiunt incommoda coniugii.

Adolescentes imperiti rerum non prospiciunt molestias et onera matrimonii, non cogitant habere se hostem Diabolum, qui odit generationem, reverentiam, amorem mutuum et concordiam coniugum. Sponsus et sponsa de his rebus non anguntur. Ideo docendi sunt, ut hanc fidutiam secum adferant. Domine Deus, autoritate et invocatione tui auxilii ingressus sum hoc vitae genus, tu dabis gratiam et benedictionem, ut ferre possim onera futura. His precibus annuit haud dubie Deus, et respondet: fiat, quod petitur.

Impii vero proponunt sibi vituperationes et incommoda matrimonii, ideoque fugiunt et incidunt in opera carnis, immunditiem, scortationes,

[1]) *Juvenal 6, 267.*

Gal. 5, 21 adulteria, de quibus inquit Paulus, Galatos 5 [sic!]: 'qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.'

Haec ideo accuratius et copiosius tracto, quia video spiritum sanctum non dedignatum esse istud suum opus tam prolixe describere. Impii et prophani homines, qui existimant omnia casu ferri, nihil intelligunt in sacris literis et creaturis Dei. Nostrum autem est legere, et alios erudire, ut ex scriptura sancta agnoscamus creaturas, et ex creaturis creatorem.

Subindicat enim scriptura creaturam Dei obscuratam esse et deformatam, ideo dignitatem coniugii tam multis ornat, ut discamus, et aliis tradamus, coniugium non vilipendendum esse, sicut caro et mundus solet, qui non considerat, quid sit coniugium: tantum spectat concupiscentiam, libidinem, voluptates, et sectatur ocium et opulentiam, quae sunt peccatum ipsum originis, quo misera natura horribiliter contaminata est. Ideoque pro voluptate et gaudio sperato molestiam, dolorem et crucem tandem invenit.

Rarissimum igitur est coniugium foelix et laetum, quia homines non discernunt opus Dei a peccato originali. Sed scriptura sancta veris et amplissimis laudibus coniugium ornat, et monstrat, quomodo fons sit et origo oeconomiae, politiae et Ecclesiae, quae inde enascuntur et exaedificantur, quod ad materiam attinet. In Ecclesia quaeritur gloria Dei, in politia pax, in oeconomia educatio prolis. Deinde complectitur immensam copiam bonorum operum et fructuum.

Longe aliter igitur Deus et Abraham et vere pii de coniugio iudicant, quam Papa, qui tantum libidinem et voluptatem, hoc est, peccatum originis, deinde etiam crucem et adflictiones in coniugio colligit.

Interim autem usitata clementia fert Deus vitia et poenas originalis mali, quia latent tecta benedictione et mirabili copia bonorum operum. Hos fructus ipsi non vident, sed vocant civilia, saecularia et carnalia opera, ergo aspiciunt, sicut equus et mulus: non iudicant secundum scripturam, quae monstrat fructus et bona opera coniugii. Quin et Ethnici coniugium approbarunt, et ad id iuventutem cogi voluerunt, ut conservaretur societas humani generis. Qui autem defugerunt labores et molestias usitatas, sicut Papistae et Monachi: singularia studia, opera et ordines excogitarunt, qui sibi et Deo placerent, atque ita videntes non viderunt ista.

Utut ergo haec vulgo negligantur, tamen Episcopi et Doctores Ecclesiarum discant, et aliis tradant. Non enim patefecit Deus verbum suum, ut contemnatur, sed ut audiamus et tractemus, et ea, quae nobis natura ignota sunt, discamus.

Aliae artes medicorum, iurisconsultorum et philosophiae plures habent auditores. Sed quia hanc doctrinam negligimus, merito poenae et miserabilis coecitas consequuntur. Habemus enim scripturam et creaturam Dei, quam si non scrutamur, nostra culpa beneficiis, quae ibi exhibentur, ac merito privamur.

Postremo iubet Abraham servum proficisci in patriam suam, et inde adducere sponsam. Nati autem sunt Abraham et Sara in Babilone, fuerunt cives Babylonii, hoc est Chaldaei, sicut supra recitavit Moses, Genesis XI., quod Thare tulerit Abraham, filium suum, et Sarai, nurum suum, et eduxerit eos de Ur Chaldaeorum. Non natus est in Haran, ut quidam volunt, et ex hoc loco conantur probare. 1. Mose 11, 31

Dixit vero servus ille ad eum: Si noluerit mulier illa venire mecum in terram hanc: nunquid reducere debeo filium tuum ad terram, unde tu egressus es? Dixitque Abraham, cave, ne forte reducas meum filium illuc; Dominus Deus caeli, qui tulit me de domo patris mei et de terra nativitatis meae, et qui loquutus est ad me, quique iuravit mihi dicens, semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet Angelum suum ante te, et accipies inde uxorem filio meo. 24, 5–7

Describuntur ista omnia non propter Abraham, Isaac et servum, sed propter nos et omnes homines usque ad finem mundi. Voluit enim Deus proponere fidei exemplum illustre in Abrahamo, quae in tota vita ipsius lucet et regnat. Totus enim vivit et pendet ex verbo promittentis Dei, et ad illud omnia consilia et actiones omnes dirigit, non sua sapientia aut prudentia rationis confidit.

Deinde quae officii ipsius sunt, diligenter exequitur, non otiosus expectat Angelum, qui de coelo delapsus sponsam filio adducat, neque quicquam eorum omittit, quae ad curam paternam spectant, ne videatur tentare Deum. Requiritur ergo studium et solicitudo parentum, qua liberis de honesto et pio coniugio prospiciant, quaerant et ambiant sponsam: non existiment casu aut novo et inusitato modo alicunde obventuram.

Nec est peccatum, si iuvenis aut puella de sponsa aut sponso futuro cogitet. Quin hoc fine apparantur convivia, congressus honesti et Choreae, quae neutiquam damnandae sunt, si sint verecundae et modestae.

Quia enim sumus conditi non ad scortationem, sed ad coniugium, non modo concessum, sed et pium et honestum est quaerere et appetere coniugem. Sed fiat hoc ratione supra tradita in fide et invocatione, et de consilio parentum, aut quicunque eorum loco sunt.

Sic Abraham ablegat servum cum argento et donis sponsalibus. Quia haec pertinent ad contrahendum coniugium: nec sentiamus ea Deo displicere, sed probari maxime, si modo in timore et reverentia Dei fiant.

Mandata autem, quibus instruit servum, plena sunt fide. Cave, quaeso, inquit, ne ducas filium meum in terram illam, unde egressus sum ego: id enim prohibuit Deus, ne redirem. Sum eductus per Dominum, Deum coeli, qui plures habitationes et hospitia habet, quam illam regionem et patriam meam. Est Dominus coelorum, aliud ergo regnum mihi destinavit, quam

patriam. Nec volo te ex hac terra, in qua nunc habito, ullam ambire, quia delendi sunt Cananaei propter idolatriam, qua contaminati sunt: et idem infra in historia Dinae significatur.

Ut autem confirmet servum, addit Deum non solum locutum esse, verum etiam iurasse sibi. Ita nihil aliud vivit aut loquitur Abraham, quam Deum: credit promissioni divinae, et hac fide omnia foeliciter gerit, politice et oeconomice: non solum sublimia illa opera, ut immolationem filii, victoriam adversus Reges plena et firma fide perfecit, sed etiam vulgaria et quotidiana. Quia, inquit: Deus mihi locutus est, promisit et iuravit: Hanc terram tibi dabo: ideo ne ducas filium illuc, quia esset contra promissionem et Biblia, sive scripturam meam et fidem.

Sic totus vivit in fide, etiam in istis minutissimis rebus, quae Papa carnalia, saecularia et mundana vocat. Carnale autem vere est, quod
Gal. 5, 19 secundum carnem fit, 'concupiscentia, libido et similia', Gala[tarum 5. Sed quaerere uxorem non est carnale, sed quicquid de carne restat, absorbetur per fidem, ut sit spirituale: Spiritus enim liberat a corruptione et vitio originalis peccati.

Nititur ergo Abraham promissione, et docet omnia gerenda esse in πληροφορίᾳ fidei, sive magnum, sive exile appareat. Sic nos quoque discamus Deo reddenda et committenda esse omnia, sive singularia, sive usitata, summa et infima, ut laetemur, et fortes simus in Domino, omnem solicitudinem in eum proiicientes. Videtur res sordida et obscoena propemodum apparare filio nuptias. Sed in quanto pretio et honore est in oculis Abrahae? adeo ut non dubitet de Angelorum praesentia, cura et praesidio.

Amplificat autem suam Bibliam, hoc est, promissionem, quae ipsi fuit Bibliae loco, quam nos habemus: 'Deus coeli, qui locutus est ad me, inquit: mittet Angelum suum ante te.' Sic enim colligit. Cuicunque loquitur Deus, huic ministrant Angeli et omnes creaturae: Mihi locutus est Deus. Igitur ministrabunt mihi Angeli.

Haec pulcherrima conclusio est ex promissionibus divinis, qua certo statuit Angelos adfore servo: Ego enim habeo Deum, qui habet Angelos, is dabit Angelum, qui te comitetur et adiuvet. Mirabilis omnino vox et fiducia est, qua credit Angelis iam hoc opus mandatum, ut praesto sint servo. Ego quod meum est, faciam, Cogitavit, dabo servo dona, quae ferat sponsae, et arrhas: Deus adiunget Angelum, qui reliqua curet.

Sic plena et perfecta fide committit causam Deo et Angelis: illo vili, carnali et stulto, ut apparet, opere sentit occupatos coelestes illos spiritus et Principes. Et tam certus est de eorum ministerio, ut non solum sciat et credat se domi Angelos habere, sed etiam praesto adesse, quocunque miserit servum. Quia habemus Deum coeli et terrae, ergo Angeli sunt defensores, curatores, imo ministri, ubicunque fuerimus.

Hinc in Psalmis manarunt dulcissimae voces: ‘Castra metatur Angelus circa timentes eum’ 34. ‘Angelis suis mandavit de te’ 91. David enim paulo altius hasce historias introspexit: quam Papa et nos solemus, qui putamus Angelos nos non curare, sed ludere ociosos in coelo. Sic natura omnes iudicamus, et accessit ad vitium illud peccati originalis ipsa consuetudo ita docendi et cogitandi, quod longissime a nobis absint: cum videamus defensione et ministerio eorum servari et tegi, quicquid habemus, et saepe horribiliter perire homines, quando eorum ministerio destituuntur. Abraham longe aliter et rectius iudicat: Angelus Dei, qui me creavit, promisit et iuravit, curabit et adducet sponsam: non dicit patrueles et cognati mei cogitabunt, quomodo filius habeat uxorem, sed Angelus erit orator et legatus, qui persuadebit, ut sequatur sponsa. Ps. 34, 8 Ps. 91, 11

Quis unquam similem fidem audivit aut habuit, qui tam certo sibi persuaderet hoc, quod Abraham sibi promittit? Nihil ad hunc Ambrosius, aut Augustinus: aut similes. Et quae sint eius opera, vides, Est oeconomus et pastor, vivit inter homines usitata et vulgari ratione vitae, facit id, quod omnibus parentibus in more est, ut prospiciant et curent nuptias liberorum, nihil hic spirituale apparet, non cucullus, non rasura, aut similes nugae.

Pertinent igitur haec ad excitandam fidem nostram et invocationem, ut coniugium ingressurus Deum invocet, et credat eum daturum, quam petit uxorem, moribus suis aptam. Itaque cum fidutia sic statuas: Scio Domine additurum te mihi Angelum, qui gubernet omnia, ego addam manum, linguam, et quae mearum partium sunt, faciam: reliqua tibi curae erunt.

Sic et Ecclesiasticas aut politicas functiones subituri cogitemus. Quia vocor ad munus pastoris aut doctoris, faciam, quod possum: Angelus aderit, qui gubernabit omnia. Ad hanc fidem sequitur pax, securitas et gaudium spiritus in qualibet tentatione. Quia certus sum, etsi multa mala me premunt, tamen Angelos esse inspectores et Episcopos: ipsi ergo viderint de foelici eventu et liberatione.

Hoc qui credit, eum vere beatum pronunciabimus. Sed turpissimum vitium est incredulitas et caecitas, quae tanta beneficia nec agnoscit nec credit: ideo etiam tam ingrati sumus, inhumani et ferrei, ut ea offitia, quae Angeli hominibus praestant, inter nos prorsus frigeant, neque alter alterius commodis eodem studio inserviat, quo coelestes illi spiritus quotidie et singulis momentis ministerium suum diligentissime peragunt. Ideo dabimus tandem poenas huius ingratitudinis.

Et tamen certa res est de praesentia Angelorum, de qua ne semel quidem ambigendum erat. Certum est eos non solum adventum nostrum in futuram patriam expectare, sed vere nobiscum versari in hac vita, curantes et gubernantes nostra negotia, si modo firma fide id credimus.

Quod si adversi aliquid in vita accidit: Cogita, Deus coeli promisit et iuravit se velle esse Deum meum: ergo non desperabo de auxilio et defensione, quia audio magnos illos principes in coelis nihil aliud, quod agant, habere, quam ut sint paranimphi in nuptiis, coniungant sponsum et sponsam, curent nuptias, custodiant liberos et rem familiarem.

Haec cura eis demandata est, et si crediderimus, eandem experiemur singuli. Sic enim videmus Abrahamum certo persuasum habere, adesse sibi Angelos et ministrare, non secus ac si ante oculos adstarent, cum tamen sint invisibiles. Tanta est eius fides: et qui eandem fidutiam habet, versari inter nos Angelos, et administrare omnia, is certissime videt Angelos: sed oculis spiritualibus, non carnalibus.

Est autem haec insignis commendatio coelestium spirituum, quod adhiberi se patiuntur ad tam humilia ministeria, ipsis, ut videntur, indigna. Ac sane quae nostra superbia est, merito gratias Deo agimus, quod non creati sumus Angeli: non enim ferre potuissemus ministerium tam abiectum, ac luciferum omnes secuti essemus. An non enim abiecta et sordida res est, adducere mulierem sponsam Isaac? Praeterquam enim, quod humana natura corrupta et horribiliter deformata est peccatis et poenis, hic sexus prae viris singulares calamitates et crucem sustinet. Num igitur tam sanctus Angelus patietur se mitti ad mulierem? indignum omnino est maiestate Angelica.

Sic nos solemus, qui nihil aliud, quam lutum, putredo et vermes sumus: si qui antecellunt alios donis eloquentiae, sapientiae, ingenii, imo opum aut formae, quanto fastu super eos, qui hisce carent, se efferunt, quibus tamen pares sunt peccatis et calamitatibus.

Sic Diabolus existimavit indignum esse maiestate Angelica, servire Rebeccae, non ad petitionem Abrahae, sed ad votum tantum, cum dicit. Vade, Angelus Domini tecum erit: iustissima causa videtur superbiendi et irascendi.

Caeterum hinc apparet, quae sit natura bonorum Angelorum, quam sit humilis, suavis et benigna natura, quae non dedignatur servire peccatoribus miserrimis, viris et foeminis: quia ardent luce et sapientia divinae bonitatis: quicquid Deus iubet, id eximium et optimum esse intelligunt, quia placet Deo.

Sic Gabriel non recusat mitti ad virginem longe se inferiorem, et adferre nuncium mandatum a Deo. Quia scit Deo placere, sive singulare, sive vulgare mandatum sit, nihil moratur. Mali spiritus contemnunt non ministeria tantum, sed ipsum etiam Dominum et Deum.

Nos igitur cum intelligamus Angelorum consuetudine, custodia et amicitia nos frui, agamus Deo gratias, et imitemur eorum virtutes et offitia caritatis et benevolentiae mutuae. Nemo hominum tam benignus, et ad omnia obsequia et beneficentiam paratus est, quam Angeli: sed non

credimus nec tribuimus eis has virtutes. Sed certum est Rebeccam et Isaac fideliorem amicum et custodem Angelum habuisse, quam servum et cognatos. Servi fides ipsis fuit satis perspecta, sed nihil fuit ad Angeli fidem et benevolentiam.

Discamus ergo optimos et constantissimos amicos nostros esse invisibiles, Angelos videlicet, qui fide et benevolentia et omnibus offitiis amicitiae longe superant visibiles amicos. Sicut mali Angeli et Diaboli invisibiles infensiores hostes sunt, quam visibiles: quicquid mali fit, ab illis oritur potius, quam ab iis, quos oculis cernimus: econtra, si quid boni accidit, id totum per bonos Angelos administratur.

Si credimus igitur et sumus pii, Angeli boni nobis sunt amicissimi. Sicut Isaac et Rebeccae fuerunt, qui et ipsi peccatores et indigni erant tanto praesidio, sed quia credebant, habebant adiunctos Angelos ministros. Sic nos quoque consuetudine coelestium spirituum frui statuamus, quantumvis deformatos peccatis, et indignos tam excellentis creaturae ministerio.

Extat Bernardi dictum de lapsu malorum Angelorum, qui fingit, sicut Poëtae figmenta habent, illam fuisse occasionem lapsus Sathanae de coelo: quia viderit filium Dei incarnandum esse, et assumpturum hanc miseram massam humani generis, deinde Angelis demandari ministerium et curam naturae humanae, quae ipsis longe erat miserior: indignitate igitur rei motum contempsisse filium Dei, ideoque coelo excidisse.

Satis pulchra et pia cogitatio est: et videmus id malum a Satana quoque per peccatum omnibus hominibus inditum: quo quis est locupletior, doctior, formosior, hoc insolescit magis: Sicut Poeta ethnicus testatur: Nec servare modum rebus sublata secundis.[1]

Homines igitur monendi sunt, ut fugiant hunc Diabolicum fastum, et agnoscant suam miseriam. Si enim Angeli lapsi sunt propter illam superbiam ex magnitudine et praestantia donorum, etiam hominibus ea exitio erit, et praesertim iis, qui de rebus divinis sibi iuditium temere sumunt, et cum vix unciam sapientiae habeant, centenarium se possidere putant.

Deus ista cura et familiaritate Angelorum voluit significare, quanti faciat nos, qui credimus in ipsum, et quam vehementer nos diligat, utinam per nostram corruptionem et horribilem illam depravationem possemus agnoscere et redamare Deum, qui se tam benignum et propitium exhibet, ut nobiscum habitet et conversetur, licet invisibiliter, non tamen insensibiliter, ut sic dicam: et huius amoris et familiaris conversationis pignus nobis dedit filium suum. Ioannis 3. Sed homines securi et prophani aures habent, et non audiunt. Cor eorum excaecatum est, aures aggravatae. Joh. 3, 16 Jes. 6, 10

Quod si crederemus, essemus beati et in ipso coelo, quia fides est

[1]) *Annaeus Lucanus († 65 a. Chr.); Pharsalia 2, 38.*

restitutio omnium rerum. Habemus consuetudinem Angelorum, et spirituum coelestium, quibus voluptati est curare vitam et res nostras. Diabolus autem in Paradyso aperuit nobis oculos, ut videamur nobis sapientiores et maiores Deo et Angelis. Sed agnoscamus imbecillitatem nostram, et fidem exerceamus in meditatione ex expectatione tantorum beneficiorum, quibus fruimur propter Angelorum custodiam, praesente ipso filio Dei.

Pertinet autem hoc quoque ad confirmandam nostram doctrinam de matrimonio, quod Deo curae sit. Contra Sathanicas blasphemias Papae, qui immunditiem vocat. Scimus ex novo Testamento Christum venisse ad nuptias, hic Angeli dicuntur esse *παράνυμφοι*, quos Deus adiungat suis sanctis. Parentes igitur hanc consolationem teneant, orent, credant, et faciant suum offitium, mittant servum, quaerant sponsam, ambiant, et aderit Angelus Domini, et Deus ipse, qui gubernabit et perficiet omnia.

24, 8. 9 Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento: tantum filium meum ne reducas illuc. Posuit ergo servus manum sub femore Abraham, domini sui, et iuravit illi super sermone hoc.

Mira solicitudo Abrahae describitur, ne filius reducatur a servo in patriam suam, in Chaldaeam: iubet enim simpliciter reverti servum, si nullam inveniat, quae eum sequatur. Ac fecit ipse suum offitium, misit servum, ut quaerat et ambiat puellam, et addidit. Angelus Domini providebit uxorem, si est illic aliqua, quae divinitus ei attributa est, si nulla sequetur, certum est indignas esse, et quae nec Deo, nec Angelis placeant. Quanquam sperat Deum parentibus et puellae hunc animum inditurum, ut sequatur, Sin aliter acciderit, liberat servum a iuramento.

Haec omnia proficiscuntur ex mira firmitudine et *πληροφορίᾳ* fidei. Fuit enim certus, si non inveniret nurum inter cognatos, vel ex lapidibus, aut ex gleba vel costa excitaturum Deum sponsam: quia parat nuptias filio, etiamsi incertum sit: an sit servus adducturus sponsam. Sed auxerunt fiduciam et spem priora beneficia et miracula, ut liberatio filii, cum iam mactandus esset in sacrificio.

Cogitavit igitur, si nec in Syria, nec in Babilone, nec in toto terrarum orbe invenero, quae nubat filio, tamen curabit Deus filio uxorem.

Discamus ergo ex hoc exemplo credere promissis, et expectare divina beneficia, ac tolerare, si quid ferendum erit adversi. Tali enim animo praeditus fuit Abraham ad omnem eventum paratissimo, versatus est in rebus etiam externis, et, ut apparet, ludicris vera obedientia et firma fide, qua et bona speravit a Deo, et incommoda oblata aequo animo tulit. Talis animus vere Christianus est et liberrimus. Si inveneris sponsam,

23 placeant *I. K. Erl.*] placeat *G. H.* 25 a iuramento *G. H.*] iuramento *I. K. Erl.*

inquit: adduc, Sin minus certum est non fuisse dignam aliquam, quae te sequeretur, aut quae filio meo divinitus destinata sit.

De ritu illo iurandi supra dictum est, honorari ibi non simpliciter posteritatem, sed filium Dei, qui ex lumbis Abrahae eggressurus erat, et per hunc licet iurare, alias per neminem, hoc ipso autem, quod iubet Abraham iurantem ponere manus sub suo femore, significat scriptura sancta, illum fructum lumborum esse verum Deum.

Quaestio autem: an liceat Christianis iurare, alias satis tractata et explicata est, quod concessum sit petere et dare iusiurandum.

Et accipiens servus decem Camelos ex Camelis domini sui in manu sua: et surgens abiit in Mesopotamiam ad civitatem Nahor. Porro Camelos fecit accumbere extra civitatem iuxta fontem aquae, Vespere, eo tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam. 24, 10. 11

Videtur haec res ociosa et nullius momenti, aut, ut Papistae iudicant, secularis et carnalis. Num enim spiritus sanctus nihil aliud habet, quod tradat aut scribat, quam de Camelis? Respondeo. Deus testatur curae sibi esse pios et fideles, etiam in rebus leviculis et infimis, et, quicquid agunt, probari sibi ostendit.

Deinde pompam et apparatum ad nuptias describere Moses voluit, cum narrat servum accepisse et duxisse decem Camelos: non fuit admodum splendida pompa, quia non adfuerunt equites: et fortassis usus Camelorum fuit, ut mundum muliebrem et ornamenta apportarent, vult enim sponsam honorifice adduci.

Igitur non repraehendendus est in hac re apparatus, si sit mediocris et sine immodico sumptu, ut habeatur ratio honestatis et decori in nuptiis, et fiant omnia in timore et reverentia Dei. Monachi haec omnia damnant, ipsas etiam nuptias, quae tamen non tam propter consuetudinem aut voluptatem celebrantur, quam propter finem et usum, videlicit oeconomiam, politiam et Ecclesiam, quae inde existunt, suntque eorum quasi antepraedicamenta nuptiae. Ideo addit Abraham Camelos et alia dona sponsae et parentibus offerenda.

Quod additur servum omne bonum habuisse in manu sua, Iudaei, sicut Lyra recitat, interpraetantur de tabulis, in quibus facultates et opes Abrahae descriptae fuerint, et servo traditae, ut exhiberet eas sponsae et cognatis ad conciliandum animum eorum et benevolentiam.

Sed verior haec sententia est, ut intelligatur de variis donis, quae ex omnibus bonis Abrahae sumpsit servus, atque in manu, hoc est, potestate sua habuit: qui mos omnium gentium est, ut muneribus invicem missis mutuam benevolentiam et amicitiam concilient. Ita servus tulit aurum, argentum, aromata et similia: quae dono offerret parentibus, sororibus et

fratribus puellae. Sicut nos hodie sponso aut sponsae vocati ad nuptias dona dare solemus: Id neutiquam repraehendendum est, sicut Monachi peccatum dixerunt. Scriptura enim adfirmat, idem a principibus viris et sanctis servatum esse.

Postremo etiam circumstantias addit Moses loci, temporis, civitatis et personarum, tam accuratus est in hac descriptione: idque eo fit, ut sine ulla haesitatione sentiamus Deum singula negotia et actiones nostras gubernare et curare quam diligentissime. Angelus, qui procus est, additus servo divinitus, dirigit iter et consilia omnia: servus non habuit mandatum praecipue ad civitatem Nahor eundi: tantum dixit ei Abraham, vade in terram, sive patriam meam: sed consilio et impulsu Angeli ad civitatem Nahor applicat: ibi quia incertus est, ubi divertendum sit, instituit orationem ad Deum.

24, 12—14 Dixitque: Domine, Deus domini mei Abraham, obsecro, fac occurrere mihi hodie, et fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego sto iuxta fontem aquae, et filiae hominum civitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam, ut bibam, et illa responderit: Bibe, quin et Camelis tuis dabo potum, ea sit, quam praeparasti servo tuo Isaac, et per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum Domino meo.

Ex hac precatione nascitur quaestio: An liceat Deo praefinire tempus, locum, personam et modum rei, quam petimus. Quia enim Deus est liberrimus, ita orandum est, ne Deum ulli circumstantiae alligemus, sed simpli-
Matth. 6, 10 citer dicendum: fiat voluntas tua.

Judith 7, 22 Sic in historia Iudith, cum dixisset Osias, hos quinque dies expecte-
Judith 8, 11f. mus a Domino misericordiam: graviter id repraehendit Iudith: 'Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet: sed potius, qui iram excitet, et furorem accendat.

Quaeritur igitur: an servus iste peccaverit praescribendo Deo modum rei gerendae? an sit tentatio? Similis petitio est Ezechiae requirentis signum sanitatis futurae, et quod ascensurus esset in templum. Item Gideonis, cum peteret signum victoriae in vellere.

Respondeo breviter. Secundum legem non licet Deo quicquam praescribere: sed secundum Euangelium piis licet, qui sine lege sunt: impiis non item. Ideo conceditur servo huic petitio ista, quia habet mandatum a Deo. Sic breviter responderi posset, sed nolumus uti hac libertate Euangelica.

Secundum legem potius explicemus quaestionem. Ac primum illud notandum est, exempla sanctorum et filiorum Dei non esse trahenda in consequentiam et regulam, nisi quando sequuntur praescriptam regulam in verbo.

Secundo responderi potest servum locutum non indicative, sed optative: et verisimile est eum haec verba non aperte et clare prolocutum, sed fuisse genitum et votum cordis. Scriptura autem solet ea etiam, quae quis cogitat, dicta appellare, ut in Psalmo 14.: 'Dixit insipiens in corde suo.' Item mulier, quae fluxum sanguinis patiebatur Matthaei 9. dicebat intra se, hoc est, cogitabat: 'si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salva ero.' Ps. 14,1 Matth. 9,21

Sic servus cogitavit: En veni in Mesopotamiam, quid nunc agam, incertus sum, non habeo in mandatis, ubi divertendum sit, et qui adeundi sint ex cognatis. Domine Deus, fer opem: et addit votum, utinam veniret virgo, quae futura est sponsa filio domini mei: Nihil praescribit Deo, in indicativo aut imperativo modo, quod in historia Iudith fit, sed optat tantum, perinde ac si ego tacitus exoptarem principis aut amici cuiusdam adventum praeter omnium spem et opinionem.

Pertinet autem hoc ad consolationem et confirmationem fidei nostrae in invocatione, quia significat scriptura sancta hoc loco, Deum tam prope adesse piis, ut non solum exaudiat preces indicativas, ut sic dicam, sed et optativas. Sicut quilibet, si totam suam vitam exploret, hoc expertus est: et testabitur saepe numero praeter spem optanti tantum multa contigisse.

Quare non est necesse hanc quaestionem per libertatem Euangelicam explicare: non enim alius sensus est, quam quod servus tacitus optat: O si veniret iam puella illa destinata Isaaco in matrimonium ad fontem, et ferret hydriam ad hauriendam aquam.

Iudaei meras nugas adferunt. Sed simplex haec sententia est servi optantis adventum puellae, et ubi eam videt iisdem signis oblatam ad se accedere, expavescit, quod tam subito et insperato optatis eius respondet eventus. Ideo non est tentatio, sed significatio desiderii cuiusdam, perinde ac si adolescens veniret ad Choreas puellarum, et cogitaret, utinam conspicerem eam, quae mihi futura est uxor: aut[1] casu aliquam conspicaretur, quae postea ei collocaretur.

Huiusmodi exempla innumera sunt etiam apud impios, qui interdum voti compotes fiunt praeter opinionem. Sed piorum haec magna consolatio est, quod etiam optando orant et invocant. Praeterea huius servi is animus fuit, ut etiam non oblata Rebecca acquievisset Dei voluntate: alioqui recte diceretur tentatio. Sed praedicta ratione non est tentatio aut petitio signi.

Caeterum si homini contentioso haec non satisfaciunt: respondendum est eodem modo, quo ad Ezechiae et Gideonis exemplum respondemus. Illi enim humiliter veniam precantur, et petunt sibi ignosci, quod signum

[1]) *Für* aut *vielleicht* et *zu lesen.*

signum petant. Nec petunt diffidentia aliqua moti: sed magnitudo rei promissae tanta est, ut vix possint capere: et quasi laetitia et admiratione obstupefacti coguntur signum tantae rei postulare.

Gideon non dubitabat se missum et vocatum divinitus ad suam militiam, sed laetitia quadam et stupore spirituali signum petit; ut etiam alii, qui hanc promissionem audituri erant, signo confirmarentur. Sic servus tacitus requirere signum potuit non sua causa, sed ad confirmandum animum et amorem puellae. Haec non incommoda responsio est: sed magis placet, quae de optativo modo diximus, quia convenit cum experientia communi tam piorum, quam impiorum.

Videamus et verba precationis: Fac occurrere, inquit, hoc est, fac contingere, contingat, quaeso, lieber, laſs mirs widerfaren, begegnen. EA SIT, QUAM PRAEPARASTI. Hebraeum verbum *Jachah*, significat deprachendisti, vel redarguisti. Ac digni odio sunt Iudaei, qui vocabulorum propriam emphasin obscurant, et quasi hebetant, et faciunt vocabula aequivoca, Sed discamus ea intelligere et interpretari in sua propria significa-
1. Mose 2, 21 tione. Ut cum dicit scriptura: 'aedificavit mulierem e costa viri', Iudaei exponunt, formavit, et non est aliena interpretatio, sed significatio et proprietas vocabuli non penitus redditur.

Ita cum verisimile sit servum hanc sententiam non protulisse hisce verbis, sed mente aut cogitatione tantum: Videtur Moses singularibus et significantibus verbis dignis Mosaico spiritu eam efferre voluisse. Et respexit haud dubie ad varia impedimenta, quae Diabolus hominibus in omnibus rebus suscipiendis et gerendis obiicit. Ideoque necessaria est invocatio: ut repellat ea Deus, et largiatur secundos exitus. Nisi enim ipse aedificaverit et custodierit civitatem, domum et Ecclesiam, irritus erit omnis conatus humanus.

Haec servus cogitavit, habuit enim eruditum praeceptorem, quem audivit saepius monentem, omnia nostra negotia et consilia habere infensissimum et acerrimum adversarium, Diabolum. Ideo precatur insidias et impedimenta Diaboli removeri, et concedi foelicem successum et exitum laetum. Id vult, cum dicit fac occurrere, hoc est, da tu, ut obsequantur meae petitioni parentes et filia.

Habuit quidem mandatum certum, et non dubitavit de praesentia Angeli, quamvis eum oculis non videret: sed scivit, tanquam discipulus in Ecclesia Abrahae, Satanam non quiescere, sed omnem movere lapidem ad turbandos pios conatus. Quid si non intromittar in civitatem, aut saltem in aedes laban? Quid si puella non consentiet? cogitavit: adiuva igitur, ut omnia foeliciter succedant et conficiantur.

---

13 Jachah] יָכַח *15* propriam emphasin *G. H.*] proprietatem et emphasin *I. K. Erl.*

Similis phrasis est Esaiae 64.: 'Occurristi laetanti', id est, praesto fuisti tuis, eosque liberasti, sed cui? facienti iustitiam, hoc est, utut opponerent se Diabolus et hostes, tamen liberasti populum tuum. Jes. 64, 5

Moses igitur admodum significanti verbo usus est, et ostendit servum fuisse optimum Theologum, qui insidias Diaboli praeclare intellexerit, quod soleat intentus esse in omnes occasiones ad turbandum et resistendum omnibus bonis operibus. Sic in Daniele dicitur: 'Princeps regni Persarum restitit mihi, et ecce, Michael, unus de principibus primis, venit in adiutorium meum.' Et Zach[ariae 3.: 'Sathan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei.' Dan. 10, 13 Sach. 3, 1

Haec tanta pericula et tam varia excutiant nobis securitatem, et exuscitent ad invocationem, ut occurrat nobis Deus, et det facilem successum omnibus nostris negociis. Coniugii infinita impedimenta et pericula sunt. Sed oratio et Angelus discutiunt, et facilime perrumpunt. Similiter in omnibus functionibus, sive Magistratum geras, sive munus docendi in Ecclesia sustineas, discas orare et petere a Deo exemplo servi huius: fac occurrere: da, ut sponte se offerant omnia. Nec servus id optare aut petere unquam potuisset, nisi fuisset bene edoctus in cognitione et experientia rerum spiritualium et insidiarum Sathanae. Principium ergo omnium negotiorum sit invocatio Dei. Deinde cogitatio de cura Angelorum.

Huc pertinet alterius quoque vocabuli proprietas: praeparasti eam: Iudaci interpretantur, disposuisti, depugnasti: non male quidem, sed non exprimunt vim vocis Hebreae, et sensum spiritualem. Idem verbum extat Psal[mo 6. et 50. et supra cap[ite 20.: 'Et fuit repraehensa Sara.' Ideo mea explicatio haec est. Servus fuit in summa angustia, ut maxime adesset Angelus: quia non sensit, nec credidit tam firmiter praesentiam spiritus coelestis, quam certo ipse aderat: sic nos, etsi non ignoramus, habere nos custodes Angelos, tamen dubitamus saepe, ideoque pavemus et trepidamus. Quia maledictio et incredulitas causa sunt dubitationis, et impediunt fidem in nobis. Ps. 6, 1 Ps. 50, 4 1. Mose 20, 16

Intelligo igitur vocem *Hochachta*, id est, repraehendisti, referendam ad Diabolum, ut sit sententia. Domine Deus, Argue et convince Diabolum pro Rebecca, ut fiat uxor Isaac et mater Ecclesiae ac seminis promissi.

Significat autem Moses esse mirabilem dimicationem et certamen in omnibus divinis operibus, et quod Deus omnia efficiat per Angelos, tanquam disceptando cum Sathana, ut superius exemplum ex Daniel[e 10. declarat. Habemus enim Angelos adiunctos: sed sunt in perpetua disputatione et redargutione cum Diabolo, qui nititur impedire hoc opus, quod Angeli promovere cupiunt. Dan. 10, 3

Videbat Diabolus Rebeccam esse puellam piam, pudicam et honestissime educatam, eamque futuram coniugem Isaac et matrem benedicti

---

31 Hochachta] הוֹכַחְתָּ

seminis, ideo enim aderat servus cum mandatis, ut eam abduceret. Id conatus est impedire. Fuit igitur opus disputatione et redargutione boni Angeli, qui cum servo erat, et servus id unum optabat et precabatur, ut Dominus certando cum daemone per bonos Angelos tandem vinceret.

Haec significatio verbi propria, et genuina huius loci sententia est. Quod disputata sit puella, ut sic dicam, id est, disputando acquisita. Propterea quod inter angelos bonos et daemones perpetua disputatio est. Boni Angeli proponunt et promovent bonum: mali opponunt malum, et horum obiectiones impias solvunt pii, et repraehendunt adversariorum spirituum consilia et conatus. Ad hunc modum Moses quasi poetice et verbis figuratis precationem servi exprimere voluit.

24, 15 **Factumque est, priusquam ipse desiit loqui, ecce Rebecca egrediebatur, filia Bethuelis, filii Milchae, uxoris Nahor, fratris Abraham, eratque hydria sua in humero suo.**

Hinc sumi potest explicatio superioris quaestionis in precatione servi, quae omnes propemodum circumstantias inclusit, et praescripsit Deo: id quod pugnat cum doctrina Christianorum et verbo Dei, quod docet tempus, locum et modum rei gerendae Deo permittendum, et simpliciter rem ipsam petendam, hac fiducia, quod daturus sit eam suo tempore et loco.

Quod si differtur auxilium, non propterea cessandum est ab oratione. Et tamen cum conditione tempus aut similia proponi possunt: Domine Deus: si hoc tempore aut hoc loco fieri posse, quam vellem ego: te oro ne mihi nunc desis: Sicut iam oramus pro Philippo, qui abest a nobis, et Vuimariae graviter decumbit[1], ut restituat ei Deus vires et valetudinem, et servet eum Ecclesiae et communibus studiis diutius.

Deinde credibile est, servum non tantum hac hora sic peccatum esse, cum staret ad fontem: sed toto itinere: et cum iussus esset ad haec loca proficisci, et Abraham adfirmasset fore ei comitem Angelum, necessario locus et tempus definienda ei fuerunt, et secundum mandatum et promissionem domini sui: tamen quia Abraham eum liberaverat religione iuramenti, si non inveniret uxorem filio suo commodam, haud dubie totum negotium Deo curandum permisit. Si non ex hac terra, civitate aut domo vellet dare: aliunde, aut alio modo commodiorem multo daturum.

Porro illustre exemplum hic proponitur clementiae et benignitatis divinae in exaudiendis precibus piorum, quo et invitamur ad invocationem,

---

30 fuerunt, et secundum *G. H. Erl.*] fuerunt, secundum *I. K.*

[1]) *Köstlin-Kawerau II, 525ff. — Melanchthon an Luther: 14. Juni 1540*: Ego de meo itinere adhuc dubito. Crescit mihi imbellicitas Corporis et valetudinis. *Enders 13, 85; vgl. Kroker, Tischreden. — Über die Bedeutung dieser Notiz für die Datierung der Vorlesung siehe die Einleitung.*

et fides nostra mirifice confirmatur contra diffidentiam et dubitationem. Non enim propter servum, sed propter te et me haec scripta sunt: priusquam loqui desierat, ecce audita est oratio: Inter loquendum annuit Deus precibus eius.

Proinde sine ulla haesitatione nobis persuadeamus Deum facilimum et promptissimum esse ad audiendam orationem nostram, et largiendum, quod petimus: Sicut praedicat eum Psalm[us 65. [!]: 'Benedictus sit Deus, Ps. 66, 20 qui non reiicit orationem meam et misericordiam suam a me.' Ac verissimum et proprium nomen Dei est: Exauditor precum, et tam quidem proprium, quam illud est: Creator coeli et terrae.

Nec audit tantum preces sine circumstantiis oblatas, sed etiam illo ipso momento, quo oratio profertur, fieri, aut factum esse, quod petitur, statuamus. Sicut testantur plurimae et dulcissimae voces Psalmorum: Ps. 22, 6 'clamaverunt, et salvi facti sunt': simpliciter et absolute nulla circumstantia addita.

Hic ergo clamator: illic exauditor Deus: tantum tu clama: et exaudieris: quemadmodum hortatur Psalm[us 33 [!].: 'Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.' Ps. 34, 6 Atque inde mutuatus est Esaias pulcherrimam promissionem: 'Et erit, antequam clament, ego Isa. 65, 24 exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam.' Sic Bernhardus alicubi praeclare et pie dixit: Fratres, nolite contemnere orationes vestras, sed scitote, quam primum incipitis orare, mox oratio vestra recitata et scripta est coram maiestate divina.

Hanc rationem orandi omnes monachi ignorant, tantum enim demurmurant preces propter obedientiam Ecclesiae aut Regulae suae: Orandum igitur est hac fidutia et plerophoria, ut statuas tuam orationem exauditam esse, antequam per os erumpat. Quod si non tam cito datur, quod petis, non propterea irrita erit precatio, et dabitur suo tempore, et dabitur hoc, quod optas, aut longe melius et optabilius.

Absit igitur longissime omnis dubitatio de exauditione, Ego sane quando oro, ut Deus sanctificet nomen suum contra Papam, contra Turcam, illam orationem certo exauditam scio, priusquam ego adiiciam Amen: Quia, antequam coepi orare, vidit Deus motum et desiderium cordis, quem multo ante intuetur et audit, quam verba per labia sonent.

Sed multiplicia impedimenta obiiciuntur. Diabolus enim adversatur et turbat, quacunque ratione potest, fiduciam hanc: caro nostra et corda non ardent fide, nec excitantur assidua meditatione et tractatione eiusmodi sententiarum et exemplorum: quae colligi animo debebant, et saepe repeti, ut exuscitarent nos ad invocationem contra Papam et omnes potentatus persequentes sanam doctrinam. Quod si hoc anno non sequitur effectus aut eventus optatus: at altero anno sequetur.

16/17 exaudieris] *G. hat im* Kustos: exaudiero.

Inter omnia vero exempla precationum insignis et tanquam gemma est, quae Danielis nono describitur, quam omnibus piis diligenter com-
Dan. 9, 20 f. mendo: 'Cum adhuc loquerer et orarem etc., ecce vir Gabriel' etc. Haec omnia enim descripta sunt, non ut legamus semel tantum obiter, sicut prophana exempla cognoscere solemus, sed ut erudiamur, atque ita, ut ad nos pertinere statuamus. Nec dubitemus de exauditione: locum vero, tempus et circumstantias omnes arbitrio et consilio Dei relinquamus.

Hoc quicunque fecerit, re ipsa sentiet, quam miranda vis et efficatia
Röm. 8, 26 sit orationis. Similiter enim et 'spiritus adiuvat infirmitatem nostram, et postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus' Roma[norum 8. et Ephes[io-
Eph. 3, 20 rum 3.: 'Qui potens est omnia superabundanter, quam petimus aut intelligimus.' Nos petimus tantum bona ista externa, pacem, tranquillitatem, bonam valetudinem et necessaria ad hanc vitam. Sed potentia Dei superat omnem intellectum, spem et petitionem nostram. Multo plura igitur et maiora largitur Deus invocantibus, quam humanus animus possit capere, aut postulare: quia adoramus eum, cuius potentia et beneficentia est infinita. Quin et circumstantias omnes, locum, tempus, personam longe melius et rectius disponit, quam nos cogitando praescripserimus. Adsuefaciamus itaque animos nostros et exuscitemus ad invocationem, ut multi simul orent: quo enim plures orabunt, hoc citius et abundantius impetrabunt. Orandum autem est in nomine Christi: non Mariae, Petri aut sanctorum aliorum, sicut Papistae solent, de quo alias saepe.

Hactenus fidem et invocationem servi descripsit Moses. Fidem enim praecedere in omnibus operibus et actionibus nostris necesse est, etiam minimis: sive edamus, sive dormiamus, sive operas oeconomicas aut politisca exercemus, omnia ex fide, invocatione et gratiarum actione proficiscantur, siquidem piorum opera bona et Deo placentia esse oportet: quod non potest fieri, nisi adsit ardens fides et invocatio, quae faciat et gubernet
Kol. 3, 17 omnia. Monet idem Paulus, Collos[sensium 3.: 'Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere: omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo et patri per ipsum.'

Hanc commendationem fidei, quae omnia grata et accepta Deo facit, sequitur descriptio hospitalitatis, quae alias saepe in scriptura sancta praedicatur: Eius exemplum Moses hoc toto et tam prolixo capite recitat: quae rursus videbuntur prophanis mentibus aut hypocritis ociosa, rustica et vulgaria: et talia sunt, si, ut ipsi intuentur, sine Deo, fide et invocatione sint: sed cum Deo omnia sunt eximia et magnifica.

Erat autem puella illa valde pulchro aspectu, eratque virgo, et 24, 16–18
quam nullus vir cognoverat, et descendebat ad fontem, implevitque hydriam suam, et ascendit. Et currens servus in occursum eius dixit: pota me, quaeso, pauxillo aquae de hydria tua: Quae ait: Bibe, Domine: festinansque deposuit hydriam suam super manum suam, et dedit illi bibere.

Scriptura sancta etiam formam Rebeccae commendat: Quia forma est creatura Dei bona, et neutiquam contemnenda: Ac carni conceditur aliquantula gutta voluptatis externae: siquidem natura sic sive viciata, sive creata est, ut magis amemus formosas, praesertim honestas, bene moratas, praeditas bonis ingeniis, quae de se aliquam spem praebent, quod sint futurae bonae matresfamilias. Illa sunt dona Dei excellentissima.

Pertinent autem haec quoque ad nos erudiendos, cum tam accurate recitat Moses, fuisse Rebeccam forma bona, ingenio optimo et egregiis virtutibus ornatam, deinde bonis et honestis natam parentibus. Sed divitiarum nulla mentio, quia nihil sunt collatae ad illas dotes.

Hodie quidem fere tantum opes ambiuntur et quaeruntur. Sed scriptura sancta sponsam Isaac sic pingit, quod fuerit formosa virgo casta et pudica, bonis moribus praedita, ingeniosa, prudens, morigera parentibus. Talis sane non opus habet thesauris magnis, sed per illam dat Deus thesaurum amplissimum: Quae vero incultis moribus, stupida, imprudens et stolida est, deinde suspecta de pudicitia: quantumcunque locuples, cuncta vicia, calamitates et cruces secum feret. Summa: qui cupit habere bonam uxorem, invocet Deum, et ipse exaudiet vocantem, et dabit ornatam, si non omnibus virtutibus, qualis Rebecca fuit, tamen commodam et honestam.

Mores etiam et educatio pinguntur, cum narrat Moses egressam eam ad fontem, et tulisse hydriam ad hauriendam aquam. Unde apparet non fuisse eam virginem desidem, otio et luxu assuetam, sed mater eam instituit et adsuefecit ad operas usitatas in oeconomia, quantumvis sordidas aut molestas. Usa est ea tanquam ancilla aut famula, ideo mittit ad ferendam aquam. Ipsa servit matri in simplicitate et obedientia: nihil aliud curans, nisi ut offitium faciat in iis, quae domi mater imperat. Atque haec futura erat mater Prophetarum, Patriarcharum et Christi.

Nostrae aliud nihil norunt, quam ut splendide vestiant purpura et bisso, alium ornatum bonorum morum nesciunt. Sed hanc vides ita ornatam, ut sit idonea et utilis sancto viro, et digna, quae fiat tam gloriosa mater, cuius uterus producat divinum illum florem. Quanquam aliarum laudibus nihil detraho, sint sane aut fuerint unquam divites et formosae, sed ad Rebeccam comparandae non sunt.

Accedit autem ad reliquas virtutes hospitalitas quoque. Postquam enim ascendit rursus de fonte, quem apparet fuisse profundo loco, ut per gradus descendendum fuerit, ait ad eam servus, praebe mihi pauxillum aquae. Ac vide, qualis fuerit disciplina apud istas gentes. Servus observat Rebeccam redeuntem a fonte, occurrit ei, sed modeste et verecunde petit: quaeso, da mihi pauxillum aquae de hydria tua ad sorbendum. Sic Lucas
Apg. 20, 11 Actor[um 2. [!] de Paulo loquitur, quod fregerit panem et gustaverit, non dicit eum comedisse. Magna humilitas et verecundia apparet in servo: sicut in virgine mira humanitas et hospitalitas: statim enim offert potum festinans, et iubet eum non sorbere tantum, sed bibere, quantum satis est, et praebet ei potum.

Magna commendatio est huius populi ob singularem modestiam et humanitatem, quae orta est ex religione patrum et agnitione Dei. Honorifice admodum compellat servum, ac vocat dominum. Quam vocem valde
1. Petri 3, 6 exaggerat Petrus, cum dicit Saram honorasse Abraham, non ut aequalem aut maritum, sed ut dominum. Sic Rebecca hospitem et peregrinum reveretur, et vocat eum Dominum.

Haec disciplina a patribus orta est, qui iuventutem ad hospitalitatem adsuefecerunt, ut lavarent pedes hospitum, darent cibum et potum, ac si fuissent eis familiariter noti. Ita Paulus de viduis dicit .1. Timoth[ei 5.:
1. Tim. 5, 10 'Si filios educavit, si hospites recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit.'

Apud nos raro exempla sunt harum virtutum. Habitamus enim hic non cum hominibus, sed cum porcis: qui nihil intelligunt nec discunt, neque de fide neque moribus honestis. Nobis igitur patientia opus est propter gloriam Dei, qui in hunc locum nos collocavit. Didicit autem Rebecca humanitatem, civilitatem et suavitatem in moribus a parentibus, ideo cum reverentia servo potum offert: Bibe, domine: Apud alias gentes humaniores adhuc similem urbanitatem invenies: Itali dicunt: mi ser si, mein herr, ja. Germani cultiores paulo et civiliores: Lieber freund, lieber knab, Nihil simile in hoc barbarico solo audies. Fugiamus igitur vitia et feritatem istam morum, et ex his exemplis mores nostros excolere discamus.

24, 19. 20 Et ubi desiit potare illum, dixit: Camelis quoque tuis hauriam, donec cuncti bibant. Et festinans effudit hydriam suam in canale, currensque iterum ad puteum, ut hauriret, hausit pro omnibus Camelis illius.

Non satis est hospitii praebuisse potum, etiam Camelos et reliquos servos potat, tam officiosa est et pia: non dedignatur ancilla esse pere-

29 mi ser si *G. H. K.*] miser si *I.*] mi sere si *Erl.*

grini et camelorum, ideo ad tantam dignitatem postea evehitur, ut fiat matriarcha. Hi scilicet mores sunt antiquissimorum patrum, qui liberos suos adsuefecerunt ad communia offitia humanitatis et reverentiam erga quosvis, ut parati essent aliis inservire, suaviter et amice colloqui.

Has virtutes commendat hoc loco spiritus sanctus. Singulas etiam circumstantias et gestus exprimit, ut significet omnia piorum opera profecta ex corde puro et fideli ipsi esse gratissima. Et iterum addit Moses festinasse eam, quia agilitas et celeritas semper laudata est. Et Paulus eam requirit Rom[anorum 12.: 'Studio non pigri.' Quia tarda gratia non Röm. 12, 11 est gratia. Bis dat, qui cito dat.[1] Decet ergo nos promptos et expeditos esse ad officia mutua hospitalitatis et amicitiae praestanda: cum videamus ea tam copiose et diligenter hoc capite inculcari. Supra de Loth eadem audivimus, quomodo is hospitio exceperit angelos: verum non pigeat nos eadem saepius legere et audire, cum spiritus sanctus non dedignetur haec tam multis persequi et narrare.

Sunt pulcherrima moralia aspersa toti narrationi, quae etiam ad Deum referenda sunt, quia sunt dona Dei, non tantum quae spiritu, sed etiam quae foris et erga homines honeste fiunt, Deus enim etiam corporum Deus est. Ideo corporalia dona suppeditat, et vult nos iis cum gaudio frui.

Videntur secularia et prophana, de quibus Stoicus aut Pharisaeus quaestionem moveret, utrum essent licita: genus hominum odiosum valde, qui nihil suavitatis et laetitiae concedunt corpori: Quia religio ipsorum est, quam Paulus Collos[sensium 2. describit, non parcere corpori, adfligere id Kol. 2, 23 et mortificare, donec redigatur in nihilum. Sicut de Bernhardo dicunt excruciasse eum corpus, ut domaret libidinem, adeo ut tandem propter faetentem anhelitum non potuerint cum eo versari fratres. Deus creavit corpus et animam, et utrique suam recreationem concedi vult, sed certa mensura et modo.

Porro vir ille obstupuit in ea, tacens quidem, ut cognosceret, 24, 21
num Dominus prosperum fecisset iter suum an non.

Servus obstupescit ad celeritatem illam et festinentiam puellae, quae tam prompta et alacris est ad serviendum tam humaniter ipsi et camelis. Ac statim subiit animum eius fiducia exauditas esse preces suas: hinc illa admiratio et stupor: Num nam haec sponsa est? Cogitavit, quae non expectanti adhuc tam subito offertur, certe ea est.

Pertinent haec omnia ad superiorem consolationem de exauditione precum, quod Deus plus largitur, quam intelligimus et petimus. Sic ego nunquam cogitavi, nec speravi tam late propagatum iri Euangelium, tam

---

23 parcere *I. Erl.*] placere *G. H. K.*

[1]) *Vgl. Otto S. 55 s. v.* beneficium 1.

brevi tempore. Sicut factum est hactenus immensa Dei benignitate. Nihil tale Somniavi, cum inciperem docere, stupenda ergo sunt, et digna admiratione, et quae nos confirmare debent de immensa bonitate Dei. Sicut servus de puella non amplius dubitat: sed certus est eam fore sponsam, iamque de adeundis parentibus cogitat, et puellae animum et consilium itineris exponit.

24, 22 Postquam autem biberunt Cameli, protulit vir ille inaurem auream, cuius pondus erat dimidium sicli, et duas armillas super manus illius, quarum pondus erat decem Siclorum auri.

Plane carnalia et prophana apparent rationi, quae hoc loco recitantur, et ego ipse miror, cur de rebus tam exilibus tot verba faciat, cum supra in rebus longe sublimioribus fuerit brevissimus Moses. Non autem dubium est, quin voluerit ea scribi et extare spiritus sanctus in doctrinam nostram, nihil enim parvum, nihil ociosum in scriptura sancta proponitur. Sed 'quae-
Röm. 15, 4 cunque scripta sunt: ad nostram doctrinam scripta sunt', Romanorum 15. Vult agnosci Deus in omnibus rebus maximis et minimis.

Supra conflagrationem Sodomae et tentationem Abrahae de immolando filio paucis absolvit: quia sunt ardua, quae homo, nisi spiritualis sit, non facile intelligit. Sed quae extra sunt in corpore, aliquomodo facilius assequimur: ideo prolixe de his loquitur nobiscum Deus. Non pigeat itaque nos legere aut cogitare ea, quae prolixius hoc capite describuntur: quanquam non docetur articulus fidei et iustificationis: tamen tractantur pulchra moralia: sicut sequentur exempla humanitatis et beneficentiae erga peregrinos. Sumus per hoc caput invitati ad nuptias Rebeccae, audiamus ergo epithalamium pro exemplo iuventutis, ut discat honorifice sentire de nuptiis et utroque sexu, quae apud Ethnicos, ut in Poetis Graecis et Latinis videre est, vituperantur: quia tantum inspiciunt carnem, et ita Deum creatorem contumelia adficiunt. Illis opponamus textum scripturae sanctae.

Vocabulum (*Nezem*) saepe occurrit in sacris literis, et puto me diligenti observatione propriam eius significationem invenisse. Noster interpres vertit, inaurem, quae est gemma pensilis in auribus, ut de Aethiopibus et Cleopatra historiae referunt, quibus id ornamentum in usu fuit. Verum haec non est propria vis vocabuli, sed proprie significat, sicut Hieronymus quoque sentit, lunulam sive frontale, ab una aure ad alteram semicirculum quendam. Nostrae virgines loco istius ornamenti utuntur berlin und gulden borten. Illud vero solidum aurum fuit.

Spr. 11, 22 Sic Proverbiorum 11. dicitur: 'Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua': idem est, ac si nostro proverbio dicas: perinde esse for-

30 (*Nezem*)] נֶזֶם

mam in muliere stolida, ac coronam in capite porci.[1] Sic Aaron ex inauribus fecit vitulum. Et non solum fuit mulierbre ornamentum, sed virorum, virginum et matronarum. Exod 23 [!]. Wie die Weyber yr guldem porten unter den schleiren tragen.[2] 2. Mose 32, 2

Inde lamina summi sacerdotis in fronte, quae fuit semicirculus quidam: habuit mitram bissinam, et in fronte semicirculum de auro. Hinc Regum quoque diadema ortum est, qui usi sunt mitris, orientales quidem candidis, sicut hodie Turca: Romani vero purpureis. Ein rot schon baret, et illi ornatus aureus circundatus. Posterior aetas coronis ex solido auro usa est, sicut Papa triplicem coronam gerit. Turcicus imperator, ut audio, sextuplicem: sed degeneratione a simplicitate antiquitatis.

Eiusmodi ornamentum aureum, coronulam sive lunulam auream, donat servus Rebeccae, ein guldem harband, oder borten umb die har, et duas *Tzmidim*, armillas: nostrum vocabulum cum Hebraeo convenit, geschmeid, armgeschmeid. Matronae praecipue alterum brachium ornarunt auro aut gemmis. Utrunque brachium ornat servus. Sed, ut antea dixi, prophanum hoc prorsus et luxui simile videtur, quod haud dubie franciscanus aliquis damnaverit: religio enim iis est non attrectare manibus aurum et argentum, licet intus in pectore infinitam *βουλιμίαν* alant, quae appetunt et devorant opes totius mundi. Proponuntur ergo haec contra hypocritas, ut teneamus mediam viam. Deus enim non vult damnari ista, sed nuptias honestas esse ad invitandam iuventutem ad honestum coniugium, contra omnis generis pollutiones et libidines vagas. Ideo commendat et scribi voluit moderatam hanc et honestam pompam, quae in oculis monachorum luxus apparet, ut testaretur sibi probari ornatum, convivia, hilaritatem nuptialem: propter causam finalem coniugii, quae est generatio et educatio prolis, gubernatio rei familiaris, politiae et Ecclesiae.

Haec opponenda sunt tetricis hypocritis, qui collocant religionem et sanctitatem in abstinentiam ab auro, argento, cibo, veste aut similibus. Ea Deo non placet: imo posuit nos dominos et gubernatores omnium rerum, super oves et boves et universam terram Psalmo 8. et Genesis 1. Ps. 8, 7 f. 1. Mose 1, 29 Attribuit non solum possessionem et dominium rerum, sed etiam usum. Vult nos corpus conservare, non occidere: ideo dedit escam, potum, vestes, solem, lunam, et ad hunc modum concedit apparatum et ornatum in nuptiis.

Qui exempti sunt communi lege hominum, sint sane, et fruantur dono suo castitatis, verum reliqui ideo non peccant, quando contrahunt

---

11 sed degeneratione *G. H. K. Erl.*] Hi degenerarunt *I.* *14 Tzmidim*] צְמִידִים

[1]) *Nicht bei Thiele; zu Sprüche 11, 22 sagt das Bibelprotokoll (Bos. q. 24°), vgl. Unsre Ausg. Bibel 4:* Borten: sol sein ein rund ding, ein halben gulden mond auff der stirn. Saw hat kein stirn, setzt man irs auff die Nasen, so stosset sie es in treck. [2]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 191f. 207f.*

matrimonium, et exhilarantur usitato modo nuptiarum. Imo Deus laudat, et de coniugibus tam multa verba facit. Spiritus sanctus mirifice hic ornat sponsam, quasi aliud nihil, quod curaret aut doceret, restaret.

Sed hac ratione non patrocinabimur impiis, epicureis et antinomis, qui si ista audiunt, nihil quaerunt, quam luxum immodicum et helluationes, quibus prorsus excedunt modum, et transiliunt leges pietatis et honestatis. Sicut et in nostris moribus videre est horribilem licentiam in vestitu, ornatu et conviviis: quilibet sibi quod libet licere putat, nec dignitatis suae, nec honestatis ratione habita: cives volunt superare nobiles sumptibus et splendore: nobiles aequare principes et reges. Hoc est nimium declinare ad dextram.

Stoicos et Monachos damnamus, qui putant, haec, ut vocant secularia a Deo damnata, et sua opera tanquam coelestia et spiritualia praedicant, et abstinent ab his licitis gaudiis pessimo fine: quasi Deo cultum singularem praestent, qui mereatur sibi et aliis remissionem peccatorum. Igitur qui potest, ornet se, et induat vel auream vestem, ut illorum superstitionem redarguat et conculcet. Ideo enim dedit Deus corporalia dona, ut utamur iis, sed cum gratiarum actione.

Econtra eorum quoque licentiam et luxum damnamus, qui ornare, vestire et helluari immodice volunt sine timore Dei. Isti homines, Rebecca et parentes: Abraham item et Isaac vixerunt in magna humilitate et pietate, et utuntur hac pompa primum ad honorem coniugii: secundo propter futuram generationem, Ecclesiam et politiam, idque in timore Dei, fide et gratiarum actione.

Hoc Hypocritae non faciunt, qui putant se Deo obsequium praestare, si abstineant: Nec helluones modum servant, qui pium et licitum putant se ingurgitare, et abuti creaturis Dei. Ita neutri scripturam recte intelligunt. Est tempus convivandi, ieiunandi, lugendi et laetandi: convenit lugere
Jes. 66, 2 cum lugentibus: et dicit Deus, se habitaturum cum humili et contrito corde, tremente sermones suos. Sed vicissim non prohibet, imo laudat cor rectum et credens, quando laetatur in Domino. Vivendum est spirituali vita, sed ita, ut corporalis etiam suam recreationem habeat: praesertim apud illos, qui versantur in magnis laboribus aut tentationibus, et vexantur insomnia:
Ps. 104, 15 illi largius bibant ad conciliandum somnum. Ideo enim scriptura sancta conditum vinum dicit, ut laetificet cor hominis triste et adflictum, Edat et bibat, das leib und seel wider zusammen kumme.

Ita in regia via incedendum est, ne fiamus aut epicurei et dissoluti, aut hypocritae et monachi tristes. Nuptiis non adimendi sunt honesti apparatus et gaudia honesta, sed helluationes diurnae et nocturnae, luxuries in vestitu aut turpi ludo nequaquam ferenda sunt: quia sunt damnata in scriptura sancta.

---

34 somnum *K. Erl.*] somnium *G. H. K.*

Caeterum odit Deus tristitiam et amat cor hilare et rectum, quia satis alioqui est molestiarum et tristitiae, quas infligit diabolus: tribuendus est suus honor et cura corpori, sed non ut luxuriet, et indulgeat omnis generis turpitudini. Itaque pius aliquis maritus, qui magnos labores sustinet in politia, Ecclesia aut oeconomia, quaerat recreationem animi: Sin otiosus est, et tantum crapulam et luxum sectatur, peccat graviter.

Et addidit dicens, etiam palea et pabulum multum est nobiscum, et locus spaciosus est ad manendum. 24, 25

Spiritus sanctus delectatur hoc exemplo hospitalitatis, ideo pluribus et magnifice praedicat. Promittit autem puella, quod non est in sua potestate: invitat servum in domum paternam, cum ipsa tantum sit ancilla matris. Inde apparet, quae fuerit consuetudo et disciplina in familiis sanctorum. Sicut supra de Abrahamo et Loth dictum est fuisse eos paratos semper, sedisse in portis et expectasse hospites. Ideo non dubitat Rebecca, quin summa voluntate servum excepturi sint parentes. Haec sunt elogia beneficentiae, caritatis et hospitalitatis, ad quas virtutes educarunt sancti liberos suos, ut essent benefici et hospitales: praesertim erga Patriarchas, Prophetas et eos, qui verbum et doctrinam coelestem circumferebant. Ea nos quoque sequi et imitari studeamus.

Inclinavit verticem vir ille, et adoravit Dominum. Dixitque: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non deseruit misericordiam suam et veritatem suam a domino meo: ego existens in itinere, deduxit me dominus usque ad domum fratrum domini mei. Et currens puella nunciavit domui matris suae iuxta haec verba. 24, 26–28

Servus iam voti compos factus, ac laetus de oblata sponsa memor est divinae benevolentiae et benignitatis et gratitudinis suae. Hic igitur praescribitur modus laetitiae et pomparum, ut tales sint, quae non offendant conscientiam, aut onerent eam peccatis, sed in quibus retineatur timor Dei, fides, invocatio et gratiarum actio.

Inclinat se servus, et agit gratias de itinere foeliciter confecto: de illa re tam levi et prophana, tamen laudat Deum. Adeo nihil tam vile et parvum est, quin possit verti in sacrificium et cultum Dei. Et in omnibus dictis et factis perpetuo respiciendus est Deus, ut intelligant homines dona a Deo data, et sint grati. Levicula res est, aspicere puellam, dare inaures: Omnia tamen sunt dona DEI: quanquam non magna, tamen parva, quia idem DEUS largitur utrunque. Ideo debetur DEO vicissim cultus, gratiarum actio et gratitudo in minimis pariter ac magnis: Ne unquam excidat animis piorum reverentia et memoria Dei authoris et conservatoris omnium rerum.

1. Tim. 3, 17 'Sic homo perfectus erit, et instructus ad omne opus bonum' 2. Timothei 3., quia ita institutus est, ut statuat omnia bona, minima et maxima, Deum benigne largiri, et dicit cum servo hoc: Benedictus Dominus Deus coeli et terrae. Talium vita vere sancta et Deo gratis est in omnibus actionibus, sive edant, sive bibant, sive dormiant, sive vigilent.

Moses hoc loco, ut alias saepe, subindicat trinitatem in divinis: cum
5. Mose 6, 4 ait: Dominus Dii. Ita Deuteronomii 6.: 'Audi, Israel, Dominus Deus noster Dii unus est.' In omnibus rebus Deus unus Deus est, et ita a nobis est colendus, si verbum sequimur: sed quando alius modus invocandi aut colendi Deum sine verbo suscipitur, tum non est Dii unus. Eiusmodi testimonia observanda sunt, quia testantur sanctos patres mysterium trinitatis intellexisse, quod nobis clare et manifeste praedicatur.

Repetit vero servus, et colligit animo beneficia, quae praestitit Deus domino suo, iuxta promissionem sibi factam ab Abraha, quod Dominus missurus esset Angelum suum, eam sentit iam impletam esse, quasi dicat: Multa beneficia exhibuit Deus domino meo, et servat ei promissa, est verax, Sic per manum Angeli me huc deduxit: ego fui in itinere, sed eram ignarus viae, non poteram mihi ipsi dux esse, Sed Dominus Deus
Joh. 10, 4 duxit me, sicut pastor gregem praecedit et ducit. Ioannis 10. Angelus eius praecessit secundum promissionem et veritatem suam, et deduxit me usque ad domum fratrum domini mei.

Hanc gratiarum actionem audivit puella, et simul nomen Abrahae, consanguinei sui, sed nihil adhuc de nuptiis actum est a servo, tantum munuscula oblata. Iam properat domum, et nuntiat matri secundum verba haec, id est, quod Abraham, avunculus maior, hunc misisset servum. Ac rursus in textu ponitur eam cucurrisse, sicut supra ad significandam sedulitatem et diligentiam puellae.

Currit autem ad domum matris suae, non quod fuerint duae aut diversae domus, sed habitationes fuerunt distinctae virorum et mulierum, Materfamilias seorsum habitavit cum filiabus et puellis, ubi operas muliebres exercuerunt. Viri suum locum habuerunt idoneum operibus virilibus. Sicut hodie quibusdam coniugibus mos est habere separata cubicula. Properat igitur ad domum matris, cum qua habitabat in eodem conclavi. Caeterum eadem domus erat Milchae et Laban.

Disputant Iudaei, num Bethuel fuerit mortuus, et varia nugantur relicta scriptura: sequens textus habet, quod fuerint fratres Laban et Bethuel. Ille primogenitus, hic secundo genitus.

Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban: et is cucurrit 24, 29–33a
ad virum foras ad fontem: Cumque vidisset inaures et armillas
in manibus sororis suae: et cum audisset verba Rebeccae
sororis suae dicentis. Sic ad me loquutus est vir ille, venit ad
virum, et ecce is stabat apud fontem iuxta camelos. Et dixit:
veni, benedicte Domini, cur stas foris? ego quidem praeparavi
domum, et locum pro Camelis. Et introduxit eum ad domum,
et solvit camelos, et dedit paleam et pabulum Camelis, atque
aquam, ut lavaret pedes suos et pedes virorum, qui cum illo
erant. Apposuit quoque coram eo, ut comederet.

Aliud exemplum et commendatio hospitalitatis non minus copiosa. Nihil scit Laban de viro, nisi quod audit ex sorore: et statim cum intelligit foris stare peregrinum, approperat ad eum, ut invitet in suam dodum. Haec didicerunt a summis illis Patriarchis Sem, Nahor, Thare, prompto et alacri animo excipiendos esse hospites, praesertim fratres pios. Sic supra Loth cogit Angelos, ut apud se divertant. Abraham occurrit tribus viris. Et Paulus praecipit, ut simus hospitales, idque sine murmuratione ac animo 1. Petri 4, 9
prompto et hilari fiat.

Quanquam hoc nostro tam infoelici et corrupto saeculo non temere quivis admittendus est, nisi adferat testimonia bonorum virorum. Abundat hoc tempore germania compluribus nebulonibus et incendiariis, qui multa oppida et vicos immaniter perdiderunt: quia in imperiis iudiciorum et disciplinae leges prorsus negliguntur. Itaque saepe magnis beneficiis a nobis adfecti, postea iniuriis et contumeliis nos onerant.

Si qui tamen honestis testimoniis ornati veniunt, eos invitare, benigne et liberaliter curare ac cogere ad nos debemus: sumus enim edocti Patriarcharum exemplo et doctrina Christi, quod non homines hospitio excipimus, sed Angelos: imo Christum filium et aeternum patrem, iuxta sententiam: ‘qui vos recipit, me recipit.’ Atque ita domus tua fiet templum, imo Matth. 10, 40
paradisus et regnum coelorum, ubi enim Deus habitat, ibi templum eius est.

His promissionibus et exemplis moti patres sanctos et pios hospites receperunt certi, quod Deum ipsum exciperent: et hac ratione fecerunt ex domibus suis coelum et sedem Dei. Idque etiam liberos suos docuerunt, et assuefecerunt ad hospitalitatem. Fuit autem tunc temporis melior disciplina, et regimina severiora, quam nostro saeculo. Nunc periculum est ab ignotis, ne inficiant cibum aut pascua veneno: quia incidimus in tempora postrema, et omnium scelerum feracissima.

---

17 Paulus *G. H. I. K.*] Petrus *Erl.*

Si quid tamen mali cuiquam eveniret bono animo hospitium prebenti improbo hospiti: nihilominus hanc consolationem retineat, quod fecerit in honorem Dei, et animo benefaciendi. Sed cauti sint patresfamilias, ne imprudenter sibi pericula accersant.

Laban admodum humaniter et honorifice compellat hospitem, vocat eum benedictum domini. Excipit igitur tanquam sanctum, sive ut Pro-
Matth. 10, 40 phetam aliquem, et pulchrum exemplum est sententiae eius: 'Qui vos recipit, me recipit' Matthaei 10.

Et addit: 'praeparavi domum et locum pro camelis.' In Hebraeo verbum est valde significans: omnes angulos repurgavi, ich hab ausgeraumpt aufs allen winckeln, non est angulus, qui tibi non pateat: videtur spiritus sanctus delectatus hac narratione, ideo verbis tam disertis usus est, voluit significare animum promptum et hilarem in hospitalitate.

Quin et servilia officia exhibet, solvit Camelos, lavat pedes, quod fuit illi populo usitatum, et est laudata consuetudo, quam commendat Paulus
1. Tim. 5, 10 1. Timothei 5. Nostri Episcopi et Papistae imitantur in die Coenae: sed tantum ludunt simulatione humilitatis, postea lavant manus in sanguine Sanctorum et professorum sanae doctrinae.

24, 33b At ille ait: non commedam, donec loquutus fuero sermones meos: respondit ei: Loquere.

Proponitur exemplum servi fidelis, ac legati pii et sancti in hoc toto capite: fuit plenus fide, sanctitate et omnis generis virtutibus: nihil in eo desideratur eorum, quae in servo fideli requiruntur. Nactus est splendidum hospitium, hospitem liberalem et benignum, apparatum lautissimum. Sed haec omnia non remorantur eum, quominus ante omnia mandata expediat.

Est ergo hic Eliezer exemplum omnibus, qui sunt in offitio et conditione servili, cuius simile nostra aetas nullum habet: sed communes omnium querelae sunt de malitia et inusitata contumatia familiae, quae non servit, sed imperat dominis. Tales non probantur a spiritu sancto, sed sunt abominabiles in oculis Dei, et mancipia Diaboli, cui serviunt et
Kol. 3, 22 obsequuntur. Extat praeceptum Pauli. Collossensium 3.: 'Servi, obedite per omnia dominis secundum carnem, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.' Sed qui hoc servet ex millibus vix unum reperias: docenda tamen et inculcanda haec sunt, et damnanda contumacia familiae.

Ideo enim praedicatur hic servus pius et sanctus: qui ante omnia vult exequi mandatum heri, quantumvis vile de quaerenda muliere, quia magnifacit domini mandatum, et scit se servire Deo in quolibet offitio. Ideo plenus fuit fide et spiritu sancto. Ita Ioseph quoque in Aegypto domino fideliter ministravit, et huius fidelitatis egregium premium tulit, ut ad

regiam dignitatem eveheretur: nec dubito huius servi fortunam et dignitatem postea auctam esse.

Praeclare enim praeceptum Pauli servavit: 'non ad oculum servientes', inspectante Domino: sed eo absente aut praesente iuxta fidelis est et diligens. Ac sane usitata proverbia, quantum in ipso fuit, abolevit. Oculus domini impinguat equum[1], item: optimus fimus est, qui de planta domini cadit in agrum[2], item: frons occipitio prior est, quae omnia fraudes et ignaviam servorum vituperant et accusant.[3] Sicut et in comediis passim usitatissimae querelae sunt de improbitate servorum. Experientia enim docti coguntur id fateri, quod in Graeco proverbio dicitur: *Εἷς ἐστι δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης.* In quaque servus unus est herus domo. Illa omnia sua fide et diligentia obruit Eliezer. Is enim est oculus Abrahae, de eius planta cadit fimus.

Haec exempla pietatis celebrantur voce et scriptis spiritus sancti, quae vilia quidem sunt et oeconomica: nihil enim aliud agit servus, quam quod vadit cum Camelis, portat aurum, quae omnia sunt humana, mundana et carnalia, sed optima et sanctissima, quia proficiscuntur ex summa pietate et fide erga Deum: obedientia vero et fidelitate erga herum.

Ista proponenda erant servis et familiae, imo opponenda Monasticis illis monstris. Haec enim opera oeconomica, scilicet servilia et politica, scriptura sancta laudat, et amplissimis laudibus vehit, quia valent ad generationem et conservationem oeconomiae et politiae, quin etiam pietatis et religionis.

Et ait: Servus sum Abraham. 24, 34

Pulchra et pia haec superbia est servi: Iactat enim dominum suum, et magnifice se effert, propterea quod est servus tanti viri Abrahae, quasi diceret: Ego sum legatus Regis, principis, aut alicuius Monarchae. Nobis hoc leve videtur et parvum, quod gloriatur se esse servum Abrahae, sed ipse maximi facit. Ita captat benevolentiam, imo extorquet a Syris. An unquam pervenit ad vos nomen Abrahae? Ego sum illius legatus.

Sed cum hac superbia summa humanitas et modestia coniuncta est: nihil enim de se ipso aliud dicit, quam servum se esse, et tamen est princeps in domo Abrahae, cui administratio rei familiaris commissa erat.

Hoc igitur est honorare dominum, ut Paulus monet: 'Quodcunque facitis, Kol. 3, 23 ex animo facite tanquam Domino, et non hominibus.' Is legit et implevit Pauli Epistolas, antequam natus esset Paulus: et rectissime iudicat, quod serviat Abrahae non tanquam homini, sed prophetae et Patriarchae Dei.

Non frustra ergo dicit: 'Ego sum servus Abrahae', de hoc me iacto, quanquam indignus sim hac gloria: sed libenter et ex animo ei servio, quia scio eum esse filium et virum Dei. Tali viro quis non libenter

---

10 coguntur *G. H. K.*] cogimur *I. Erl.*

[1]) *Sprichw., vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 70, 31.* [2]) *Sprichw., vgl. Unsre Ausg. Bd. 45, 613, 35.* [3]) *Sprichw., s. Wander, Stirne 10 ohne Beleg.*

serviat? Sic enim persuasum habet, herum suum tantae existimationis esse apud Deum, ut mittat propter ipsum servo Angelum comitem.

Insigne ergo hoc exemplum morale est, confirmans praeceptum divi Pauli, et docens, quod servi libenter debeant servire, quia certi sunt, quando fideliter serviunt dominis, sive absentibus, sive praesentibus, servire se maiestati divinae. Ac si non tam ceci et furiosi essemus, gratias ageremus Deo pro hac notitia, quod certi sumus nos Deo, non hominibus servire, et quod tam opulenter bonis operibus et ministeriis suis nos obruit Deus. Quicquid enim servus in domo operarum domesticarum obit, etiam si domum scopis purgat, certus sit, se Deo hoc offitium praestare.

Verum ea nostra est stultitia, ut cogitemus: Si domino Deo in coelis possem servire, tunc velim gloriari, vilia haec sunt et vulgaria. Ibi prodit se caro nostra, quae non credit verum esse, quod servus obediens hero Deo serviat, similiter et filius, filia, ancilla aut discipulus obediens praeceptori. Id enim si crederemus, tum omnia nostra opera fierent cum gloria, laetitia et gratitudine. Sed quia non habemus spiritum sanctum, nec credimus divinam ordinationem esse dominum, dominam, pastorem, preceptorem et similes, friget prorsus omnis obedientia: alioqui obsequeremur cum gaudio.

Si Deus novo et singulari mandato iuberet te ire ad salutandum amicum aliquem aut principem: summa alacritate id esses facturus, sine omni contactione. Cur non idem facis mandante hero aut parentibus? Idem enim Deus iubet et imperat tibi per herum aut parentes. Sicut
Kol. 3, 24 testatur Paulus: 'Domino Christo servitis.'

Hoc autem quis agnoscit aut credit. Quantum hodie est querelarum magistratuum, herorum, parentum, praeceptorum? Videntur homines plane obsessi esse, et furiis agitari, imo pleni parricidiis. Liberi enim occidunt parentes, non gladio, sed moerore animi et tristitia exhauriunt vires parentum, qui *στοργῇ* et affectu erga prolem consumuntur, cum exhilarari et refici illa obedientia deberent. Familia dominos facit tabescere, tantum moestitia ex eorum contumatia. Atque ita omnes ordines inferiores contristant spiritum sanctum, id quod pessimum est, sicut in Epistola ad
Hebr. 13, 17 Hebr[aeos dicitur: 'ut cum gaudio hoc faciant, non gementes: hoc enim non expedit vobis.'

Diligenter ergo eiusmodi exempla notanda sunt, ut discamus, quanta res sit servire fideliter dominis, qui praesunt, utcunque enim contemptum et vile ministerium aut obedientia appareat, tamen praesunt ordinatione divina, sive in oeconomia, sive in politia. Quod si praestas obedientiam debitam, habes propitium Deum, cor quietum et dominum benedicentem. Sin minus: offenditur Deus, et propter contumaciam non potes habere quietam conscientiam: amisisti Dominum Deum ex corde, bonam conscientiam et omnem benedictionem.

Et quidem Deus benedixit Dominum meum valde, et magnifi- 24, 35–44
catus est, deditque illi oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas, Camelos quoque et Asinos. Sed et Sara, uxor domini mei, peperit filium domino meo, postquam ipsa consenuit: et dedit illi omnia, quae habet. Adiuravitque me dominus meus dicens: non accipies uxorem filio meo de filiabus Cananaei, in cuius terra ego habito. Sed ad domum patris mei perges, et ad cognationem meam, et accipias uxorem filio meo. Dixitque ad dominum meum: fortassis non ibit mulier post me. Et ille respondit mihi: dominus, in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum, et prosperum faciet iter tuum, accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea et de domo patris mei. Tunc solutus eris a iuramento meo, cum veneris ad cognationem meam: et si non dederint tibi, eris solutus a iuramento meo. Veni ergo hodie ad fontem, et dixi: Domine, Deus domini mei Abraham, si tu nunc prosperum facis iter meum, in quo ego ambulo. Ecce ego sto iuxta fontem aquae: et erit, ut puella, quae egreditur ad hauriendam aquam, dixeroque ad eam, da mihi, quaeso, pauxillum aquae de hydria tua, ut bibam. Et illa dixerit mihi, et tu bibe, et Camelis tuis hauriam: illa sit mulier, quam praeparavit Dominus filio domini mei.

Longa repetitio est superiorum et confirmatio fidei et diligentiae in servo. Iam vero dominum suum praedicat. Huic hero meo non solum ego servio, verum etiam Angeli. Caeterum magnus vir est, qui valde et opulenter benedictus est a Deo, atque adeo celebris non tantum sapientia, religione et pietate in Ecclesia et politia, etiam apud reges, ut supra in historia eius recitatum est. Verum etiam in oeconomia corporali benedictione, auro, argento, servis etc.

Hoc exaggerat in primis servus, quod tot et tanta bona possideat tam opulenter benedictione Dei: quia intuetur ea omnia in fide: Ipsa quidem dona minoris aestimat, illud multo maximum est, quod, quicquid habet, est divinum donum, quicquid est in ipsius administratione, est divinum. Ego vero positus sum in horum custodiam et gubernationem domus eius. Ideo non vulgarem hospitem habetis, sed legatum Dei.

Qui hoc intelligit, non immerito sane et ipse optaverit huius domini servus esse, prae aliis omnibus dignitatibus huius vitae. Sed nemo haec considerat, nec refert ad Deum authorem et largitorem, sicut servus iste, praesertim avari et illicitis quaestibus dediti non agnoscunt dona Dei.

Deinde addit amplius: non solum illa magna et praestantia dona Dei, sed etiam mirabilia narrabo, quae argumenta sunt, Deum esse cum domino meo Abraham. Sara, uxor eius, fuit sterilis et per aetatem effoeta, et ad

generandum impotens, ea peperit domino meo filium Isaac: illam nativitatem Isaac ex vetula et sterili matre haud dubie pluribus verbis exaggeravit, et narravit copiosius, quae hic paucis descripta sunt.

Atque haec est commendatio servitutis piae et Christianae: Quicunque sunt in ordine inferiori, sciant se eandem gloriam et superbiam habere de sua vocatione, quam habent domini aut alii ordines superiores, quicquid enim dignitatis et praeeminentiae est in superioribus, hoc commune est servis cum ipsis, et fiunt servi participes gloriae, qua caelebrant heros suos.

Sed quorsum, inquies, prolixa ista repetitio? Primum ad ornanda et commendanda sponsalia, quae non debent esse clandestina. Civile est prorsus, quod praedicat servus opes domini sui et filii: sed id eo recitatur, ut sciamus, non solum non esse peccatum aut damnatum a Deo laudare procum, sed etiam honestum et laudabile coram Deo. Neque enim tantum ad Abraham aut servum haec longa commemoratio pertinet, sed proci commendatio est, quem decet ornare verbis et commendare puellae ab honestate, forma, divitiis, parentibus: Sicut vicissim puellae laudes requiruntur, quod pudica sit, bene educata et bonis prognata: haec omnia pertinent ad matrimonium et nuptias conficiendas, et placent Deo. Ideo servus inter reliqua mandata de ambienda sponsa laudat Isaacum a virtute et opibus, quas pater ei dedit.

Deinde haec valent ad confirmandam sententiam nostram, non admittenda esse sponsalia clancularia, quibus nebulo aliquis honestis parentibus filium aut filiam surripit. Ideo totis viribus pugnamus contra fraudes illas Diabolicas: Siquidem hic tam diligenter parentum, sponsi item et sponsae voluntatem et consensum spiritus sanctus exprimit.

Ac propterea praedicatio haec Isaac instituta est, et omnes circumstantiae colliguntur: ut animus puellae exploretur, ne videatur coacta nubere ei, quem aversetur: narrat servus esse eum honestum et probum adolescentem, pios parentes: religionem et doctrinam suam in tota familia.

Papa in suis decretis dicit errorem et conditionem solvere matrimonium, non solum contractum data invicem fide coniugii, sed ratum prorsus et confirmatum. Quindecim impedimenta enumerat matrimonii contrahendi: Sed illa duo dirimere contractum et consummatum ait: ut Iacob et Lea secundum iura ipsius possunt separari: quia Iacob non elegerat Leam, sed errore quodam et fraude deceptus est in persona.

An non ergo hic quoque fraudes dirimant sponsalia clancularia, quando impostor aliquis mihi eam filiam, me invito aut inscio, furtim abripit? Accedat ergo ad praecavendas technas et errores consensus mutuus parentum ab utraque parte, mutua noticia personarum, sponsi et sponsae: ut vere ratum esse et confirmari matrimonium possit, et non necesse sit ob qualemcunque conditionem aut errorem dirimere.

Proinde damnanda sunt furtiva sponsalia, tanquam lerna infinitorum malorum, quae mala omnia ut possimus cavere, pulcherrimum ordinem monstravit Deus, videlicet, ut iungantur connubia de consilio et consensu parentum, ac sponsi et sponsae. Porro ne iure suo abutantur parentes, et tyrannidem in liberos exerceant, supra monuimus.

Deinde quia tota haec repetitio ad descriptionem pompae nuptiarum et sponsalium pertinet: referenda est ad locum communem supra etiam tractatum de dignitate coniugii: Quod hoc genus vitae Deo placeat: quia totus mundus excaecatus est peccato originali, ut non possit aspicere opera divina, nec gloriam Dei in eis agnoscere. Vituperant passim coniugium Latinorum et Graecorum authorum scripta: et quod mali est excerpunt, quod boni inest, obscurant.

Sunt autem duplicia mala in coniugio, quae inflixit peccatum et diabolus. Unum est peccatum et vicium: alterum mors est. Illa dua mala adeo deformarunt totam naturam et corruperunt, ut ratio in sexu muliebri nihil possit videre, quam infirmitatem et molestias. Huc accedunt poenae et morbi et calamitates infinitae: quae offendunt homines, et magnos viros etiam iniquiores faciunt huic ordini: quasi ista duo in solis mulieribus haererent: cum quidem nos masculi multo turpiores naevos habeamus, superbiam, avariciam et similes, quibus turbamus politias et Ecclesias: adde et poenas et morbos omnis generis.

Si itaque conferenda haec inter se essent, et referenda in catalogum aut librum, longe maiora mala in masculis, quam in muliebrius deprehenderentur. Sed haec nostra miseria et stultitia est, ut nihil boni deprehendere et videre queamus, tantum illa cernimus, quae intulit diabolus sensibus et viribus animae et corporis. Inde orta sunt tot convicia in sexum muliebrem magis, quam virilem.

Danda igitur est opera, ut, quantum diabolus ordinationem divinam obscuravit, tantum nos illustremus, et ornemus opus Dei et gloriam divinam in illa.

Hoc enim necessario fatebuntur omnes, esse hunc sexum creaturam Dei: dicit autem scriptura: ‘vidit Deus, et erant valde bona.’ Illa bona 1. Mose 1, 31
obruit diabolus conviciis, et mala proferre et ostendere solet, nos econtra usum et bona colligamus. Tanto enim haec bona superant vicia et mala, quanto maior est bonitas Dei diaboli malitia. Quod si possemus perspicere bonitatem naturae, sicut est creata, tum essemus beati, sicut in aeterna vita perfecte intelligemus.

Sunt quidem, ut antea dixi, huius sexus vicia certa: Mors, hoc est, omnes poenae, morbi et molestiae, quae ad mortem pertinent, tam in matre, quam in prole, ipsa morosa, liberi contumaces et dissoluti, vicini

---

2 malorum, quae mala omnia *G. H. Erl.*] Malorum. Ea enim *I. K.*

improbi et malevoli. Loquimur autem de his viciis, quae intra fines coniugii sunt, ac coniuges non dirimunt, quale est adulterium.

Haec vero omnia obruenda sunt bonis et commodis contra prolatis. Tametsi enim muliebris sexus est infirmior, circumferens cum animo, tum corpore plurima vicia: tamen unum illud bonum tegit et obruit omnia, videlicet matrix et partus. Hoc dialecticum argumentum et demonstratio firmissima est, quae penetrat et vincit. Nihil est, quod tam potenter concludat ac persuadeat, atque illud: Non forma, non mores, non opes aut quaecunque dotes aliae in mulieribus.

Hoc beneficio Adam quoque texit omnia vitia et incommoda, cum indit uxori suae nomen Heua, id est, vita, quae vincit omnes alias res, sive malas, sive bonas, et a muliere initium sumit. Nihil enim vivit sine matrice, partu, lacte, uberibus. Omnia regna, imperia, Prophetae et patres hinc orti sunt.

Posuit igitur Deus in muliere creationem suam omnium hominum: et usum creationis, hoc est, concipere, parere, alere, educare prolem, servire marito et administrare domum. Sic inter pessima quaeque vitia et mala hoc inenarrabile bonum elucet. Hoc brevissimum encomion est, quod omnia complectitur, et quod Adam uno vocabulo compraehendit appellando uxorem, Heua.

Est ergo mulier mater omnium hominum, quae gestat homines in utero, edit in hunc mundum, alit lacte, fovet balneis et aliis officiis. Quid essent Reges, Principes, Prophetae et omnes sancti, nisi fuisset Heua? Non enim facit Deus homines ex lapidibus, sed ex masculo et foemella.

Hoc argumentum opponatur Papistis Theomachis et omnibus, qui contemnunt muliebrem sexum. Et simul producantur exempla patrum et sanctorum, qui fuerunt in coniugio. His ornatur coniugium, quod totus mundus vilipendit et vituperat. Sicut in Poetis Iuvenali et Martiali videre est.

Sed quid est, quod de incommodis tantum querulantur, et non etiam vitam in morte et poenis considerant, quod generantur, aluntur et conservantur homines in hanc et aeternam vitam? Id bonum inaestimabile, incompraehensibile et vere divinum removere ex oculis nequaquam debebant, et rectius de hoc sexu iudicarent.

In Gellio[1] extant verba memorabilia ex oratione Metelli, qui fuerat hortatus cives Romanos ad ducendas uxores: et cum sciret defugere omnes molestias communes peccati et mortis, ita instituit exhortationem. Si sine uxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus, sed quoniam natura ita tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit: saluti perpetuae potius, quam brevi voluptati consulendum.

[1]) *Gellius I, 6.*

His verbis sapientes tum offensi sunt, qui putabant dissimulandas fuisse molestias, et tegendas: ac sane suadendo dissuasisse eum non immerito dixeris. Sed est idem argumentum, quod Adam habuit. Non negat molestiam, sed opponit bonum. Si non ducitis, magna molestia carebitis: Sed si vultis imperare orbi terrarum, bella gerere et propagare fines imperii, oportet esse homines, qui vivant. Primum omnium igitur de vita cogitandum est: Quia non viventes non regnabunt, non debellabunt alias nationes.

Vita igitur est summum bonum sexus foeminei, quae sola illa convicia Iuvenalis et aliorum explodit et refutat. Ad replendam civitatem liberis et civibus opus erit, ut contrahant matrimonia. Haec cum illa una appellatione primi parentis pulchre congruunt: qua appellat Heuam matrem viventium, quae pariat liberos, qui postea gubernent Rempublicam, Ecclesiam et domum, qui agnoscant Deum, et salvi fiant in aeterna vita.

Etiam Patriarchae senserunt molestias et difficultates coniugii. Abraham, Loth et alii fuerunt peregrini in terra, iactati multis magnis aerumnis et calamitatibus: sed haec omnia tulerunt aequo animo et devorarunt, memores solatii illius summi, quod Haeua est mater viventium, quae parit et educat prolem.

Luctandum igitur est cum hisce molestiis, quia praesentia mala magis incurrunt in oculos et sensus nostros. Nondum enim sumus in beata illa vita, quam expectamus, sed in qua luctamur et conflictamur multis malis: ea vero obruere discamus agnitione Dei, creationis et ordinationis bonae et divinae. Et prima aetas assuescat ad veras et pias opiniones de sexu muliebri et coniugio.

Sed, inquies, totus mundus et multi sapientes detestantur hoc genus vitae? Respondeo, illo ipso produnt suam stultitiam: quia tantum vicia attendunt, non aperiunt oculos, ut aspicerent maternitatem, quae redigit in nihilum omnia mala. Praeterea Deus ipse praedicat et ornat quarto praecepto: Honora patrem et matrem. Quicquid autem condidit et ordinavit praeceptis suis, id neutiquam vituperandum aut blasphemandum est. Qui potest continere, contineat, nihilo minus tamen honorifice de coniugio et maternitate sentiat et loquatur, quae est benedictio et ordinatio divina, qua Deus conservat totum genus humanum in vita. Haec de laudibus coniugii repetere volui: quia Rebecca occasionem praebet, ut spiritus sanctus tam multus sit de coniugio et sponsalibus: nobis scilicet in doctrinam et exemplum.

24, 45—48 Et ego antequam consummassem loqui in corde meo, ecce Rebecca egrediebatur, et hydria eius in humeris eius, descenditque ad fontem, et hausit aquam: et dixi ad eam: Da mihi bibere. Illa vero festinans deposuit hydriam suam de humero suo, et dixit: Bibe, quin et Camelis tuis potum dabo, et ego bibi: et Camelis quoque ipsa potum tribuit. Interrogans autem eam dixi: Cuius filia es tu? quae respondit: Filia Bethuelis, filii Nahor, quem illi peperit Milca: et posui inaurem super faciem eius, et armillas super manus eius. Incurvatoque vertice adoravi dominum, et benedixi Domino, Deo domini mei Abraham, qui deduxit me per iter rectum, ut sumerem filiam fratris domini mei filio eius.

Hic servus se ipsum explicat, quod verba precationis suae non claris verbis pronunciaverit, sed tacitus secum volverit, ac rursus testatur ipse, quod Deus exaudiverit invocantem, antequam finiret precationem. Tota autem oratio, quae repetit singulas circumstantias, quomodo ad puellam venerit, et petierit ab ea potum et alia, supra tractata sunt.

24, 49 Et nunc si consentitis facere misericordiam et veritatem cum domino meo, indicate mihi: Sin autem aliud placet, et hoc dicite mihi, ut vertam me ad dextram vel sinistram.

Haec est petitio: Finita narratione subiicit servus: si estis vos tales, qui digni sunt hero meo praestare pietatem, benevolentiam et fidem: Hic enim sensus in Hebraeo est, Germanice sic: Seid yr solch leut, die yr werdt seid, das yr meinem herrn freundschafft und treu beweyset. Misericordia hoc loco est beneficium, vel benevolentia: veritas significat satisfacere expectationi et spei alicuius. Rursus vero insignibus verbis utitur spiritus sanctus, servus appellat misericordiam et veritatem, collocare filiam herili suo filio. Omnia eo spectant, ut pestilentes illae opiniones de coniugio ex animis hominum evellantur, quas indidit carni Sathan et hostes coniugii. Scriptura hoc loco maximum donum et beneficium iudicat, tradere puellam in uxorem Isaac, propterea ut removeantur ex oculis mala et molestiae coniugii, et proponatur animis hominum Heua, matrix, partus et maternitas. Ac hactenus quidem servus ambivit Rebeccam: iam sequitur responsum.

Et respondit Laban atque Bethuel dicentes: a Domino egressum est verbum istud, et idcirco non poterimus loqui ad te malum vel bonum: En Rebecca coram te est, accipe et vade, ut sit in uxorem filio Domini tui, sicut locutus est Deus. Cum audisset servus Abraham verba illorum, adoravit pronus in terram dominum. 24, 50—52

Sic facile et foeliciter hoc totum negotium succedit, quia adest Deus et Angeli, qui id adiuvant et provehunt. Ac verbum Dei invenit locum apud Laban et Bethuel, ideo respondent. Quod servus Abrahae sis, et quod ipse Abraham sit servus Dei, ex verbis tuis colligimus: intelligunt enim et accipiunt illa verba non aliter ac ab ipso Deo prolata. Foelices sane nos, si eandem persuasionem haberemus, quando audimus aliquem ex fratribus aut ministris sonantem Dei verbum, nos Deum ipsum audire: Si id crederemus, vere beati essemus, et plurimum valeret ad fidem augendam et confirmandam, et spem et omnes alias virtutes excitandas.

Profecto hoc debebat a nobis fieri. Verbum vocale hominis, tanquam vox Dei de coelo sonans, amplectendum erat. Servi verbum hoc etiam vocale est, sicut in ministerio: et tamen iudicant et testantur hi sancti viri esse id a Deo. Pulcherrimum igitur et insigne hoc responsum est: quod nos quoque docet et confirmat. Quandocunque parochum aut ministrum Ecclesiae aut servum audimus, quod verbum Dei audiamus.

Atque hoc diligenter observandum est propter usitatam illam tentationem. In toto enim mundo non est subiectior discipulus, qui plures patiatur magistros et doctores, quam sapientia Dei. Sicut inquit Christus Matth⌊aei XI: 'Et iustificatur sapientia a filiis suis.' Quicquid Deus loquitur aut agit, illud infinitos iudices, correctores et censores invenit. Cum potius dicendum esset cum hisce viris: A Deo egressus est sermo iste. Is ergo, quod mutandum, addendum aut detrahendum videbitur, mutet et corrigat, mihi id neutiquam licet. Peccant autem in hoc genere Papistae, Turci, Iudaei, Sacramentarii et omnes Rottenses. Faxit Deus, ut retineamus nos verum et sincerum verbi ipsius intellectum. Matth. 11, 19

Iam vero coniugium hoc contractum et confirmatum est a Domino, qui adduxit Rebeccam ad Isaac, sicut Euam ad Adam. Id propterea spiritus sanctus descripsit, ut sciamus coniunctionem maris et foeminae a Domino esse. Praesertim vero, si fiat de consensu parentum et puellae, sicut hic factum est. Addit igitur servus gratiarum actionem pro data sponsa divinitus. Adeo plena pietatis sunt omnia. In parvis enim iuxta ac magnis rebus gratiae Deo sunt agendae.

---

28 corrigat *I. K. Erl.*] corriget *G. H.*

24, 53–54a Et protulit servus ille vasa argentea et aurea atque vestimenta, et dedit Rebeccae: munera quoque obtulit fratri eius et matri. Et comederunt atque biberunt ipse et viri, qui cum ipso erant, et pernoctaverunt.

Utrunque hic describitur, munera donata esse sponsae et amicis eius: et apparatum convivium. Ne putemus haec illicita esse, aut damnata a Deo, sed sunt honesta et Deo probata: ita tamen, ut fiant moderate. Aurea vasa non fuerunt pocula aurea, sed ornamenta et vestes muliebres: Hartband, rocklein, bruſtlein, ſchleier, hauben. Munuscula, quae offert fratri eius et matri, sunt fructus nobiliores et preciosi, qualia sunt mala granata, aromata, myrrha, balsamum et similia, sicut enumerantur in benedictione
5. Mose 33, 13 ff. Ioseph. Deuteronomii 33.: 'Fructus coeli ex rore atque abysso subiacente, de pomis fructuum solis ac lunae, de frugibus terrae' etc.[1] Non habet pecuniam, sed ornamenta sponsae apta adfert: matri et amicis dona, quae ipsis visa sunt convenire. Haec ad mores et consuetudinem communis vitae necessaria sunt, neque negligenda Christianis, neque prohibita, sed laudata in scriptura sancta.

24, 54b–61 Surgens autem mane, dixit ille, dimittite me: ut vadam ad dominum meum. Respondit frater eius atque mater. Maneat puella nobiscum per dies saltem decem, et postea ibit: Ait illis, nolite impedire me, en dominus prosperam fecit viam meam, demittite igitur me, ut vadam ad dominum meum. Et illi dixerunt: vocabimus puellam, et quaeremus ipsius voluntatem. Vocaverunt igitur Rebeccam, et dixerunt ad eam: Vis ire cum viro illo? et respondit, ibo. Dimiserunt itaque Rebeccam, sororem suam atque nutricem eius, et servum Abraham atque viros eius. Et benedixerunt Rebeccae, dixeruntque ad eam: soror nostra tu es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum[2] suorum. Surrexit itque Rebecca et puellae eius, et conscendentes camelos secutae sunt virum: et tulit servus ille Rebeccam, atque abiit.

Memorabile hoc exemplum est servi properantis sponsam ad dominum suum deducere: quo monemur in operibus Dei nunquam esse cunctandum aut tardandum, sed removenda omnia impedimenta, et quicquid nos remorari

21/22 demittite *G.*] dimittite *H.*] dimitte *I. K.*

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 192.* [2]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 193:* Portas inimicorum: Wird proverbialis precatio ſein geweſt.

in suscepto opere potest. Monuerunt idem gentilium literae, deliberata re festinandum esse ad executionem. Sicut Salustii[1] dictum extat, cum consulueris, mature opus facto est: item fronte capillata, post est occasio calva.[2] Et Bonaventurae egregia vox est: Qui deserit occasionem, deseretur ab occasione.

Multo minus ergo in via Dei procrastinatio locum habeat, quia vehementer nocet. Sicut queritur sponsa in canticis: dum promitteret se aperturam, tantum expectaret paululum, interim declinasse et transisse sponsum: cur non statim ad aperiendum progrediebatur audita voce sine deliberatione aut mora? Hohel. 3, 2—6

Qui non assurgit spiritui sancto vocanti ea hora aut momento: nunquam apprehendet eum. Non enim redit, cum semel discesserit. Sicut igitur experientia quotidiana docet, cunctatores haud unquam divitias et opes acquirere: ita nunquam docti aut magni erunt in Ecclesia. Ubique enim locum habet, quamvis poetica sententia. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Ego hoc mea experientia didici, quoties orandum, legendum aut utendum erat coena domini: quo diutius differebam, eo magis abhorrere me et minime idoneum sensi.

Clancularium malum est procrastinatio, sed horribiliter noxium: spiritus sanctus largitur dona sua, non procrastinatoribus, sed promptis, paratis, expeditis. Sicut Psalmo 118. dicitur: ‘paratus sum, sive festinavi, et non tardavi, non distuli, custodire mandata tua’: sic in Rebecca commendavit spiritus sanctus festinationem, festinans deposuit amphoram, cucurrit ad nunciandum domui matris suae. Ps. 119, 60

Moveat igitur nos exemplum servi, ut vitium istud cavere et odisse discamus: saepe una horula plus momenti habet ad rem praeclare gerendam, quam alias mensis aut annus: idem bellatores sentiunt: et Diabolus in omnes occasiones intentus est, ideoque vincit.

Postremus locus est de consensu puellae. Antequam enim discedat, vocant eam, et interrogant, vis ire cum viro illo. Sic igitur fiat coniugium, ut habemus Deum praesentem, qui condidit id ad infinitos usus bonos, et coniungit ipse coniuges: neque tantum est copulator, sed etiam benedictor. Requirit autem consensum cum parentum, tum puellae, ut sit legitima et vere divina coniunctio.

---

[1]) *Salust, Catilina I.* [2]) *Cato, dist. 1, 2.*

24, 62–67 Et Isaac veniebat a puteo, cuius nomen erat viventis et videntis me: habitabat enim in terra Australi. Et egressus erat ad meditandum in campo tempore vespertino: et levans oculos suos vidit Camelos venientes. Rebecca quoque levavit oculos suos, et viso Isaac lapsa est de Camelo, et dixit ad servum: quis est vir ille, qui ambulat in campo in occursum nostrum? respondit servus, ipse est dominus meus: At illa tulit peplum, et operuit se. Et narravit servus ipsi Isaac omnes res, quas gesserat. Introduxitque eam Isaac in tabernaculum Sarae, matris suae, et accepit Rebeccam, factaque est ei in uxorem, et dilexit eam, et consolationem accepit post matrem suam.

Mesopotamia, unde adduxit servus sponsam, versus aquilonem est, Isaac autem habitavit in terra Australi. Et apparet Abrahamum Isaac tradidisse peculiarem domum et familiam, cui praeesset, eo loco, ubi fuit puteus viventis et videntis. Abraham mansit in Hebron. Isaac ergo expaciatus est, sive ad patrem in Hebron, sive in aliquem alium locum.

Textus habet egressum eum ad meditandum, quod Hebraei reddunt: ad orandum: sed alterum mihi magis placet. Duplex enim significatio est
1. Mose 2, 5; 21, 15 vocabuli (*Suah*) alias virgultum sive arbustum sonat, et supra capite 2 alias usurpat scriptura sancta pro eloquio, quando quis vel secum, vel cum
Ps. 102, 1 altero colloquitur. Sicut Psalmo 102.: 'Cum effunderet eloquium suum.' Significat privatum et arcanum colloquium, cum duo una deambulantes sermones conferunt. Isaac tum non cogitavit de sponsa, sed expaciatus est cum amico, cum quo inter deambulandum contulit sive de promissionibus divinis, sive de coniugio, sive de oeconomia: gessit se, ut patremfamilias decet, locutus est de Deo et benedictione Dei, de gubernatione familiae aut de cultura agri.

Postremo ostendit Moses Isaac cum gaudio sponsam adductam excepisse, et dilexisse eam. Mortua matre totum triennium, ut supra dictum est, consumpsit moerore et luctu: sed adducta sponsa mitigatur luctus. Ac placet Deo haec *στοργή*, qua amamus coniuges: quanquam id vitiosae naturae difficile est: quia spectat tantum malum peccati et poenae, ac molestias intrinsecas et extrinsecas. Verum id potius considerandum est, quod hic sexus habet maternitatem, ea spectanda est. Multi vero non quaerunt liberos, sed tantum voluptatem carnis, ideo postea cum coepit eos satietas, incipiunt fastidire, odisse et detestari illam coniunctionem. Sed differunt amare uxorem et concupiscere. Amare coniugem non est corruptae naturae, sed renovatae et instauratae.

Deinde verecundia Rebeccae commendatur, quod velat se peplo,

19 (*Suah*)] שִׂיחַ [שׂוּחַ] = *Rede und Strauch*

conspecto Isaac. Illi sunt mores pulcherrimae educationis, et verecunde et pudice educatae virginis, quae veretur aspicere masculos, imo sponsum suum.

Caput vigesimum quintum.

Caput XXV.

Adiecit vero Abraham, et accepit uxorem nomine Ketura, quae peperit illi Zimran et Iaksan et Medan atque Midian: Iisbak quoque et Suah. Iaksan vero genuit Seba et Dedan: et filii Dedan fuerunt Assurim, Letusim et Leumim. Porro filii Midian Epha et Epher, Haenoch et Abida atque Eldaah: omnes hi fuerunt filii Ketura. 25, 1—4

Sepeliamus sanctissimum Patriarcham Abraham, cuius exemplum dignissimum est, quod in Ecclesia Dei perpetuo retineatur. In hoc autem capite offert se locus et exemplum, ut videtur, pessimum, quod omnes vehementer offendit. Abraham enim senex, decrepitus, capularis et totus silicernium, cui nihil aliud oculis atque animo obversari potest, quam mors, is ducit iuvenculam, et generat plures liberos.

Superiori capite conclusit tempus vitae suae, condidit testamentum et instituit omnium bonorum haeredem Isaac. Iam vero post filii nuptias ducit et ipse uxorem. Quid respondendum sit, non satis constat, sitne *ὕστερον πρότερον*, an econtra *πρότερον ὕστερον*, prorsus incertus sum. Quod si sequimur ordinem textus, mirabilis quaestio nascitur. Paulus ipse Roman[orum 4. definit, 'Abraham fuisse corpore emortuo, et inepto ad generandum, cum esset iam centum annos natus': unde quodammodo videtur, hanc partem capitis priore loco ponendam fuisse, et Abraham duxisse illam Keturam, antequam gigneret Isaac. Sic fortassis responderi posset ad illam violentam quaestionem, sed nihil adfirmo. Röm. 4, 19

Tametsi enim ponamus, quod duxerit Keturam eiecta Hagar, tamen non multum abfuit tum a centum annis. Quia Hagar peperit Ismaelem 86. anno Abrahae: Sara centesimo. Itaque haec responsio nondum satis facit. Sed relinquitur quaestio adhuc in dubio.

Sequamur vero tritam et communem viam iuxta descriptionem in textu. Paulus dicit emortuum fuisse corpus Abrahae, postquam genuit Isaac. Et cum ducit Isaac Rebeccam, est annorum 140. quibus accessit forsan unus aut alter annus inter nuptias ipsius et filii. Quid igitur respondendum est: quidam dicunt Keturam esse ipsam Hagar, quam post mortem uxoris Sarae receperit iterum in gratiam, et duxerit postea uxorem, cum iam humiliasset se, et poenitentiam egisset. Satis pulchra et plena

2 pudice *H. I. K. Erl.*] pudicae *G.*

humanitatis cogitatio, cui libenter crederem et assentirer, quod recepisset Hagar cum filio in domum, atque ita providisset ei. Sed nihil certi est.

Sanctus Hieronimus valde offenditur, et libenter blasphemaret tantum virum, si auderet: sed reprimit stomachum, et dicit: Videtur decrepiti iam Abrahae excusari aetas: ne senex post mortem uxoris suae vetulae arguatur nuptiis lascivisse. Sed communissima sententia est, quae etiam Lyrae probatur: quod sit Hagar: quanquam videt contra hoc, textum habere, filiis Concubinarum data esse munera: quarum unam Hagar, alteram Keturam esse necesse est.

Mea sententia haec est, quod non fuerit Hagar Ketura illa, et hac potissimum ratione moveor, quia non convenit supputatio annorum cum illa opinione. Hagar enim peperit Ismaelem anno Abrahae .86. cui collocata est suae aetatis .30. anno circiter: fuit educata a Sara ab anno decimoquinto, quo primum in domum eam recepit usque ad annum trigesimum, cum fit mater Ismaelis. Isaac autem nascitur decimoquarto anno post natum Ismaelem, hi anni iuncti faciunt .44. annos, vel ad minimum .40. His porro addantur .40. anni Isaac, qui aetatis suae quadragesimo Rebeccam ducit: Colligitur igitur aetas Hagar plus minus .84. annorum, qua naturaliter etiam effoetam eam fuisse necesse est, et sequitur impossibile, quod illa aetate sex filios genuerit.

Proinde iudico Hagar non posse Keturam esse: nisi per *ὕστερον πρότερον* Kethura ducta esse scribatur, quando supra Hagar adiuncta est Abrahae. Deinde textus plurali numero concubinas nominat: Ergo alia mulier est Ketura, quam Hagar, et duas concubinas habuit Abraham, unam cum uxore, quae pellex vocatur, alteram uxore defuncta. Ita manet adhuc gravissimum illud offendiculum: Quod Abraham .140. annos natus, cum iam haberet emortuum corpus, duxit iuvenculam, et generavit sex filios, cum antea ex Sara praeter Isaac nullam sobolem susceperit.

Primum igitur quaestio est de impossibilitate propter Abrahae corpus emortuum. Secundo de causa scandali. Ad primum respondeo, quod senes possint et soleant interdum generare. Fuit igitur etiam naturaliter possibile, ut generaret Abraham anno aetatis .140. quia fuit in senectute bona, ac minime gravi et molesta. Neque similis fuit nostris hominibus, quorum maxima pars, cum vix quinquagesimum annum attigere, plane exhausti sunt, sed fuit haud dubie firmo et vegeto corpore, sicut hodie quorundam senectus tam firma et valida est, ut possint sustinere ingentia onera in administratione Reipublicae aut oeconomiae.

Deinde verisimile est Deum supra naturam Abraham confirmasse, et accessisse multum roboris et animo et corpori post natum Isaac, filium et haeredem promissionis.

Altera quaestio est de scandalo, quod ducit iuvenculam. Lyra hanc causam adfert, quod puellae ex senibus facilius concipiant, quam foeminae

provectioris aetatis: Sed hac ratione rectius removebitur scandalum, si distinguamus tempora et mores patrum a praesentibus temporibus et moribus. Multi eo offenduntur, quod tam multa de generatione patrum hoc primo libro tradit Moses: sed illi non perpendunt diversitatem morum diversis saeculis. Tum temporis regnabat fides in patribus, et istius etiam articuli fides: Crescite et multiplicamini. Nostro saeculo praesertim post monstra illa papistica celibatus, coniugium dignitate et honore debito privatum, et vera cognitio verbi et ordinationis divinae extincta est, quae apud patres fuit syncera et recta, ideoque plurimi fecerunt generationem prolis. 1. Mose 1, 28

Non ergo sentiendum est Abrahamum lascivia impulsum duxisse Keturam: nam antea quidem vivente sterili Sara satis diu expectavit benedictionem divinam, neque ulla fuit suspitio libidinis unquam in eo. Ideo amore prolis acquirendae hoc fecit. Praesertim cum audivisset in promissione: ‘constitui te patrem multorum’: non solum Isaac, sed multarum gentium: quibus multiplicaturus eum esset Deus non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter. 1. Mose 17, 14

Deinde superstites adhuc fuerunt Sem, Eber, Salah. Abraham vixit cum Noah 58. annis, qui ante et post diluvium audivit Sem. Sem autem vixit ultra Abraham 31. annis. Fuit ergo praeclarum saeculum, et ferax praestantissimorum virorum, qui omnes non permisissent Abraham aliquid turpe designare, imo videtur hoc eorum iussu et consilio fecisse. Eiusmodi autores et gubernatores alii homines impuri non habent, qui porcis similiores sunt, quam Abrahae, ideoque alium finem coniugii sectantur, quam ipse. Sed non ita irruendum est, sicut tales et Papistae quoque faciunt, qui tantum libidines, turpitudinem et voluptatem carnis quaerunt, in qua non submersi tantum, sed prope consumpti sunt.

Considerandum itaque hoc loco est tempus illud sanctissimorum Patriarcharum, quos audivit haud dubie: sicut postea sequitur, quomodo Rebecca Patriarcham Sem consuluerit. Ideo honestae nuptiae sunt: et huc pertinet dictum Malachiae 2.: ‘Et quid unus fecit? quaesivit semen Dei.’ Non fuit senex libidinosus, sed quicquid fecit, amore et desiderio prolis, ac divinitus iussus, autoribus denique et suasoribus sanctissimis patribus fecit: qui dixerunt: duc secundam, ut Ecclesia tua dilatetur et spargatur per orbem terrarum. Mal. 2, 15

Hieronimus easdem cogitationes habuit, quas ego Monachus adhuc habui. Sed aliter iudicandum est de tantis viris, qui fuerunt sanctissimi, pleni spiritu sancto et fide, et gubernati a summis Patriarchis: Sem et aliis. Haec dico ad excusandum sanctissimum virum Abraham, ne quis temeritatem, lasciviam aut turpitudinem hoc factum interpretetur: sed obedientia et amore prolis adductum sentiat ad ducendam Kethuram.

35/36 quas ego Monachus adhuc habui *G. H. Erl.*] quas ego olim, cum Monachus essem, habui. *I. K.*

Deinde singulare Dei consilium hoc loco apparet. Spiritus sanctus enim, qui longe ante prospicit et praevidet futuros errores, studet eos praecavere et refutare: Ut scilicet haeretici pudore suffunderentur, qui aliquando damnaturi erant secundas nuptias, quorum unus est Hieronymus, qui secundas nuptias adeo vituperat, ut pro adulterio habeat.

Proposuit igitur hoc loco exemplum et testimonium insigne suae voluntatis Deus, quod non damnet secundas nuptias, quae fiunt mortua prima coniuge, quin potius iusserit per Patriarcham suum Sem, ut senex decrepitus duceret uxorem.

Et videtur hoc voluisse docere et testari Deus, sibi mirabiliter gratam esse generationem prolis, ut sentiamus eum tueri et defendere verbum suum, CRESCITE. Non est inimicus proli, sicut nos, quorum multi non quaerunt prolem. Sed Deus adeo urget suum verbum, ut aliquando det prolem etiam iis, qui non expetunt, imo oderunt: nisi quod aliquibus interdum vehementer expetentibus tentandi causa non dat. Et quod magis est, ita videtur urgere generationem, ut etiam adulteris et scortatoribus nascantur filii contra voluntatem ipsorum.

Quanta ergo malitia est humanae naturae? quam multae puellae sunt, quae impediunt conceptionem, et necant atque expellunt teneros foetus? cum generatio sit opus Dei. Ac coniuges quidem, qui honeste contrahunt et cohabitant, diversos fines, sed raro prolem spectant.

Primus gradus coniugum eorum est, qui quaerunt prolem, et ideo hoc vitae genus appetunt, ut fiant parentes: quanquam etiam peccatum originis accedit, tamen illa est principalis causa. Hi quidem sunt Angeli collatione aliorum, quia cupiunt uti coniugio ad generationem, eorum exiguus admodum numerus est: ac simpliciter inter Angelos eos refero, non inter homines. Magnum enim donum Dei est, si spectem et petam tantum prolem ex muliere, praecipue si intelligam molestias coniugii: morsus et tela Diaboli. Talis fuit Abraham, quam numero inter Ange-
Mal. 2, 15 licos maritos, 'qui quaerunt semen Dei', ut Malachias inquit.

Secundus gradus eorum est, qui ducunt uxores vitandae fornicationis causa, non aversantur aut oderunt prolem, sed principalis eorum finis est, ut caste et pudice vivant. Hi quoque boni sunt, sed non sunt pares primis: Si dat Deus prolem, delectantur, et diligunt uxorem et prolem, et faciunt offitia vocationis sedulo.

Tertius gradus est eorum, qui appetunt uxores tantum voluptatis causa, quibus non est curae proles, sed molliter et suaviter vivere volunt, et habere pulchram puellam, qua se oblectent.

Quartus gradus est eorum, qui ducunt vetulas et dominas propter opes aut gloriam. Illis det Deus calicem passionis, ut Bernhardus loquitur: quia simpliciter quaerunt opes et gloriam, non generationem prolis, et tamen non sunt reprobandi propter reverentiam et gloriam nuptiarum.

Sed monendi sunt homines diligenter, eiusmodi exempla patrum non trahenda in exemplum et imitationem, quia magnum discrimen est inter libidinem Abrahae, et vetulae, quae nubit adolescenti: quanquam enim est sub peccato libidinis aeque ac alii, tamen est dominus, non servus libidinis: imo puritas in eo est, et sincera dilectio prolis. Vincit enim amor prolis et seminis, sicut inter gentiles pariter et Christianos multi saepe ob varias causas valde desiderarunt sobolem.

Primum igitur sentio Keturam non esse Hagar. Deinde neutiquam repraehendendum duco Abraham, sed honestissime tractandam castitatem coniugii et laudandum eius amorem, quem habet erga prolem, propter multiplicationem: oeconomiae, politiae et Ecclesiae, quod si quae aliae infirmitates concurrunt: tamen non sunt principalia.

Keturam puto fuisse filiam alicuius boni et fidelis servi, qualis Eliezer fuit, non Aegyptia aut Cananaea fuit. Id enim sonat vocabulum, quasi dicas, colligatam, coniunctam, sociatam, fuit ei iuncta affinitate, sive a servis, sive a Lothi familia.

Sed cur Kethura hoc loco uxor dicitur, cum sequatur postea, dedisse Abrahamum munera concubinis? Si concubina fuit, quomodo dicitur uxor? Supra similis locutio est: Sara dedit Hagar marito Abrahae in uxorem. Ego relinquo lites grammaticas ipsis grammaticis. Latini vocant pellicem mulierem, quae iungitur viro habenti uxorem, ipsi habuerunt multas pellices. Concubina est, quam habet, qui celebs et extra coniugium vivit, cum qua habet consuetudinem, quae neque pellex est, nec uxor. Augustinus talem concubinam habuit.

Caeterum tempora mutant leges et mores, ideo observandum est, quomodo hoc loco et ante legem Mosi hae appellationes discernendae sint, differunt enim uxor et uxor. Abraham nunquam habuit duas uxores. Lamech primus duas duxit, Abraham vero dicitur tantum unam habuisse, 1. Mose 4, 19
et tamen duae fuerunt.

Uxor univoce et uno modo dicitur, quae libera est, et quae gignit haeredem omnium bonorum, talis est Sara. Alio modo improprie uxor dicitur serva, quae generat prolem, non haeredem. Moses postea omnia mutavit. Iacob habuit quatuor uxores, et duae servae seu ancillae etiam generabant haeredes.

Uxor hic proprie dicitur, quae libera est, et parit liberos. Uxor serva, quae prolem generat, sed non haeredes. Ketura est uxor, et tamen pellex, sicut postea sequitur in textu, et 1. Paral[ipomenorum 1. numerantur 1. Chron. 1, 32
filii Keturae *pilegesch* Abrahae, hoc est, concubinae sive pellicis Abrahae. Latina vox ex Hebraea nata est. Videtur igitur mulier illa Kethura fuisse serva, quia numeratur inter concubinas, non habetur pro domina aut pro

38 pilegesch] פִּילֶגֶשׁ

haerede, sed tantum est adsumta ad maternitatem prolis et generationem: tales non sunt uxores liberae, seu dominae.

Nomina filiorum Kethurae magna ex parte interciderunt. Midian postea celebratus est in sacris literis, reliqui sunt mortui, nec ulla eorum mentio fit, significante scriptura, quod filii ancillae sunt servi, qui non
Jes. 60, 6 manent in domo. Isaiae 60. mentio fit Midian et Epha, qui habitaverunt in Arabia petrea versus Aegyptum, et magnam partem Arabiae foelicis tenuerunt. Midian est versus mare rubrum. Epha est pars Arabiae foelicis, et habuit nomen ab illo patre.

Hae igitur novae et secundae nuptiae sunt sanctissimi viri Abrahae, de quibus illud notandum inprimis est, quod commendat Deus opus generationis, et occurrit scandalo haereticorum, qui damnant secundas nuptias. Omnia enim scribuntur in honorem et reverentiam coniugii, in quo Deus respicit ad prolem, deinde etiam ad castitatem, quae duo ornant coniugium: Ubi enim generatio est, ibi summa est benedictio: si vero non sequitur proles, tamen laudanda est castitas coniugalis. Haec utilis et necessaria doctrina est contra haereticos, qui tantum primas nuptias approbant, vel semper foecundas, item pares cum paribus iungi volunt, ut vetulum cum vetula. Nos haec duo, quae dixi, attendamus, et num maritus contentus sit sua uxore qualicunque, et cum ea honeste et caste vivat.

25, 5. 6 Deditque Abraham cuncta, quae possederat, Isaac: Filiis autem concubinarum dedit munera, et dimisit eos ab Isaac, filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad orientem, ad terram Kaedam.

Iam valedicit sanctus Pater mundo, et condit Testamentum bono et tranquillo animo: quia mortem iuxta ac vitam habet. Docemur autem hoc exemplo diligenter id curandum esse, ut transitus noster ex hac vita sit tranquillus et in pace: ne relinquantur occasiones et semina contentionum, rixarum et dissensionum de fortunis et possessionibus nostris: sed vivente adhuc patre liberi aut haeredes certiores fiant: quantum ad quemlibet sive voluntate testatoris, sive legibus rediturum sit.

Sic dimittit Abraham filios concubinarum cum suis donis, et ablegat eos in terram orientalem: pars in Indiam devenere. Sed nomina, quae hic ponuntur, sunt Arabiae petreae et foelicis nomina. In illum locum desertum et incultum adhuc mittit eos, postquam cuilibet suum munus largitus est. Isaac autem solum instituit haeredem.

Haec quoque propter haereticos notanda sunt, qui haec officia communis vitae aut turbant, aut damnant. Vivens haec ordinavit Abraham bono consilio, ne post mortem ulla restaret occasio litigandi.

Plurima autem et summa beneficia nobis quoque praestitit Abraham. Ab eo enim habemus totam scripturam sanctam. Initio quidem Adam viva voce patriarchae Noah, Noah vero Abrahamo quasi per manus tradidit

doctrinam de Deo et veris cultibus. Sed existimo Abraham libellum quendam aut historiolam composuisse ab Adam usque ad sua tempora. Tandem ubi reliquit post se semen Isaac, ex quo Christus nasceretur, deinde Ecclesiam et oeconomiam bene constitutam, discedit ex hac vita, et dicit vale mundo.

Et isti sunt dies annorum vitae Abraham, quibus vixit: centum anni, septuaginta anni et quinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, senex et satur dierum, collectusque est ad populos suos. Et sepelierunt eum Isaac et Ismael, filii eius, in spelunca duplici, in agro Ephron, filii Zohar Hethaei, e regione Mamre: Quem agrum emerat Abraham a filiis Heth: ibi sepultus est Abraham et Sara, uxor eius. 25, 7–10

Centum annis peregrinatus est Abraham in terra Chanaan, postquam anno aetatis suae .75. exivit ex Ur Chaldaeorum. Quod autem supra cap[ite 15. dictum est a Domino ad Abraham: 'Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona', id hoc loco impletum esse scribitur. Expiravit, defecit, et tamen mortuus est. Haec ad consolationem nostram pertinent: non enim propter boves aut alia bruta animantia scripta sunt. Defecit sicut alius homo, et mortuus est, inquit Moses: Tantus vir, plenus omnibus virtutibus, pater promissionis, fidei, filiorum Dei et omnium gentium, is moritur sicut nos. Sed moritur in senectute suavi, dulci, senex et satur dierum. 1. Mose 15, 15

Hic igitur primus locus est in tota scriptura sancta, qui testatur sanctorum mortem esse placidam et preciosam in conspectu Dei: non gustare eos mortem, sed suavissime obdormire. Hunc locum et legit Esaias, et diligenter evolvit, inde enim natae sunt sententiae illae insignes, cap[ite 56[!].: 'propter malitiam colligitur iustus, viri misericordiae intrant in pacem, et quiescunt in cubilibus suis', et 26.: 'vade populus meus intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec transeat indignatio mea.' Jes. 57, 1 Jes. 26, 20

Iusti coram mundo contempti sunt, spreti et abiecti, et mors eorum tristissima videtur, sed dormiunt suavissimum somnum. Quando decumbunt in lecto, et agunt animam, moriuntur, non aliter ac si somnus paulatim membris ac sensibus illaberetur. Prius enim variis tentationibus humiliati ac placidi, et tranquilli facti sunt, ut dicant Domine Deus, libens moriar, si sic tibi visum fuerit: non exhorrescunt mortem, sicut impii, qui trepidant et anguntur horribiliter. Haec ad nos excitandos faciunt, ut discamus Deo evocanti nos ex his miseriis parere, et possimus dicere: non optarim unam horam vitae meae addi, Domine Iesu Christe, veni, quando vis: sicut moritur Abraham satur dierum, da er wol zufrieden war.

32 somnum *I. K. Erl.*] somnium *G. H.*

Sed quo transivit Abraham? Collectus est, inquit Moses, ad populos suos. An ergo restant adhuc populi post hanc vitam? Sic enim sonant verba, quasi migrasset de populo ad populum, de una civitate in aliam. Id vero insigne et memorabile testimonium est resurrectionis et vitae futurae, quod proponendum est in consolationem omnibus, qui credunt in Deum. Quanquam enim nobis in novo testamento proponuntur excellentiora et illustriora testimonia, tamen operae precium est videre, quid sancti patres in veteri testamento habuerint et crediderint.

Nos habemus gratiam et donum, ac manifestam et multiplicem scientiam de morte et vita. Siquidem certi sumus salvatorem nostrum Christum Iesum sedere ad dexteram Dei patris, et expectare nos decedentes ex hac vita. Quandocunque igitur excedimus e vivis, ad Episcopum animarum nostrarum egredimur, qui recipit nos in manus suas. Is noster Abraham est, cuius complexu fruimur, is vivit, imo regnat perpetuo.

De patribus aliter dicendum est, et nostra consolatio longe gloriosior est et amplior, quanquam illud ipsum testimonium et solatium de vita aeterna et resurrectione mortuorum habuerunt, sicut hic testatur Moses,
1. Mose 15, 15 quod collectus est Abraham ad populos suos: et supra audivit in promissione, quod iturus esset ad patres suos. Atque isti duo primi loci sunt in tota scriptura sancta, qui loquuntur de mortuis post hanc vitam. Supra
1. Mose 5, 24 capite 5. de omnibus dicitur: 'mortuus est', praeterquam de uno Henoch, qui translatus est a Domino. De Abraham dicitur iturum eum ad patres suos, et collectum esse ad suum populum.

Haec verba spiritus sancti neutiquam ociosa sunt, nec dicuntur bestiis, quae non eunt ad patres et populos suos. Sed hominibus, et testantur restare post hanc vitam aliam et meliorem: quin etiam ante Christi adventum fuisse populum viventium, qui habitavit in terra viventium, et ad quos emigrarunt pii. Inde ergo patres intellexerunt resurrectionem et vitam aeternam. Et proprie et significanter verba utriusque loci posita sunt: Colligeris ad reliquos sanctos, qui ante te sunt mortui: patres ergo vivunt, et populi sunt. De impiis hoc non dicitur, sed est sermo de iustis et sanctis.

1. Kön. 2, 2 In libris Regum loquitur alia figura David: 'Ecce ego ingredior viam universae terrae.' Sed postea eandem formam retinet Moses de Ismaele, Isaac et Iacob, defecit et collectus est ad populos suos. Collegerunt itaque patres ex his locis, restare aliam vitam, et sanctos non interire sicut pecudes, sed congregari ad populos in terram viventium. Atque haec causa est, cur tam reverenter et honorifice sepeliuntur a filiis suis, quod bestiis non solet fieri, nimirum propter expectationem certam alterius vitae.

Pertinent igitur haec ad nostram consolationem, ne terreamur, aut exhorrescamus mortem, sicut alii, qui non habent spem. In Christo enim

mors non est acerba, sicut impiis est, sed est commutatio huius miserae et calamitosae vitae in quietam et beatam. Hic articulus nobis sit persuasissimus, quod non transeamus a suavi vita ad calamitosam, sed ex adflictionibus ad quietem. Eam enim consolationem cum habuerint patres multo ante Christum ex paucis istis locis, quanto aequius est nos eandem et longe ampliorem tueri et conservare.

Christus postea in Euangelio appellavit sinum Abrahae, in quem congregati sunt Lazarus et omnes alii sancti, de cuius explicatione aut definitione cuilibet suum relinquo iudicium pro singulorum captu, neque quicquam asseram, cum et Augustinus dicat se nescire. Sed non recte facimus, si servamus sinum Abrahae in novo testamento. Sicut enim ante mortem Abrahae non fuit sinus Abrahae, ita nullus amplius est post Christi adventum. Non facio igitur hoc tempore sinum Abrahae, nec sentio ullum locum esse, in quo tanquam gremio nos amplectatur Abraham. Sed sinus Abrahae, quo fovet et amplexus est omnes sanctos morientes usque ad mortem Christi, est promissio facta Abrahae: 'In semine tuo benedicentur 1. Mose 12, 3 omnes gentes.' Sic sinus Adae fuit promissio edita in paradiso: 'Semen 1. Mose 3, 15 mulieris conteret caput serpentis', et qui in fide illius promissionis decesserunt, servati sunt: quia verbum Dei spaciosius et amplius est coelo et terra.

Sinus igitur Abrahae est promissio de venturo Christo, cuius promissionis pater est Abraham. Sed hodie versa est in verbum de Christo manifestato in carne, et qui diversum crederet, esset Iudaeus et damnatus: quia Abrahae sinus post resurrectionem Christi destructus est, et successit melior sinus, scilicet Christi: quando enim emigramus ex hac vita, rapimur in Christi sinum. Et sicut patres mortui sunt in fide venturi Christi, atque ita collecti in sinum Abrahae, hoc est, in expectatione futuri salvatoris: ita mori nos oportet in fide Christi salvatoris exhibiti, et post hanc vitam in sinum Christi nati, passi, crucifixi et resuscitati pro nobis colligimur, nihil solliciti amplius de sinu Abrahae.

Porro hoc loco quaestio agitari potest de statu animarum post hanc vitam. Corpus consumitur putredine et vermibus, sed quid de anima fiat ante diem illum iudicii, quaeritur. Ego quidem propterea eam disputationem attingo, ut praecidam et removeam curiosas aliorum quaestiones et disputationes. Simplex autem responsio est, quam Christus praescribit, cum inquit, Math[aei 22.: 'Deus non est mortuorum Deus, sed viventium.' Matth. 22, 32 Inde certi sumus vivere animas, et dormire in pace, nec torqueri ullis cruciatibus.

Idque multi loci scripturae sanctae comprobant, quod post mortem non morimur, sed vivimus simpliciter, sicut sententiae admodum clarae ex Esaia testantur: 'Viri misericordiae colliguntur, et nemo attendit, nec curat. Jes. 57, 1 f. Iustus sublatus est ante calamitatem, et antequam veniant aerumnae, intrat

in pacem suam, requiescit in cubiculo suo.' Haec admodum insignia verba sunt, et clare significantia mortuorum post hanc vitam statum et conditionem. Ingrediuntur, inquit, non in mortem, purgatorium aut infernum, sed in pacem: et ingens consolatio est, quod dicit iustos evocari ante calamitatem. Sic nos moriemur in pace, antequam veniat malum et calamitas super Germaniam.

Congruunt ergo testimonia Prophetae cum isto loco Genesis, ubi dicit Moses, collectum esse Abraham ad populos suos: nec de horum autoritate ambigamus: non enim mentitur aut fallit scriptura sancta. Quiescunt sancti molliter et tranquille, sicut in Apocalypsi idem testatur
Off. 14, 13 vox de coelo: 'A modo iam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.'

Haec requies dicta est illo tempore sinus Abrahae, et ab initio ante Abraham, Adae. Sancti enim, qui credebant promissioni de Christo, sic moriebantur, ut ex aerumnis et laboribus huius vitae evocati intrarent in cubiculum suum, ibi dormirent et in pace quiescerent. Haec vera et plana sunt, consentanea scripturae et dicto Christi, quod sit Deus non mortuorum
Matth. 22, 32 Deus, sed viventium.

Iam vero alia quaestio nascitur, cum certum sit vivere et esse in pace animas: qualis illa vita aut quies sit. Haec vero sublimior et difficilior est, quam ut a nobis possit definiri. Deus enim noluit id a nobis cognocsi in hac vita. Sufficit igitur nobis haec cognitio, non egredi animas ex corporibus in periculum cruciatum et paenarum inferni, sed esse eis paratum cubiculum, in quo dormiant in pace.

Differunt tamen somnus sive quies huius vitae et futurae. Homo enim in hac vita defatigatus diurno labore, sub noctem intrat in cubiculum suum, tanquam in pace, ut ibi dormiat, et ea nocte fruitur quiete, neque quicquam scit de ullo malo sive incendii, sive caedis. Anima autem non sic dormit, sed vigilat, et patitur visiones, loquelas Angelorum et Dei. Ideo somnus in futura vita profundior est, quam in hac vita, et tamen anima coram Deo vivit. Hac similitudine, quam habeo a somno viventis hominis, contentus sum: In illo enim pax est et quies, putat se dormivisse vix unam aut alteram horam, et tamen videt animam ita dormire, ut etiam vigilet.

Sic anima post mortem intrat suum cubiculum et pacem, et dormiens non sentit suum somnum, et tamen servat Deus vigilantem animam. Ita potest Deus excitare Heliam, Mosen etc. et sic regere, ut vivant. Sed quomodo? Nescimus, sufficit similitudo somni corporalis, et quod Deus affirmat esse somnum, quietem et pacem. Qui somnum naturalem dormit, nihil eorum scit, quae geruntur in domo vicini, et tamen vivit, licet contra naturam vitae nihil sentiat in somno, idem in illa vita fiet, sed alia et meliore ratione.

Proinde sicut mater defert infantem in cubiculum, ponit in cunas,

non ut moriatur, sed ut dormiat et quiescat suaviter, ita ante Christum et multo magis post Christum ingressae sunt et ingrediuntur omnes animae credentium in sinum Christi.

Disputarunt quoque de receptaculis animarum, Augustinus abdita esse dicit in Enchiridio ad Laurentium, ubi inquit, Tempus autem, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est vel requie vel aerumna pro eo, quod sortita est in carne, cum viveret.

Deprehenditur ibi imbecillitas humani intellectus. Sed respiciendum est ad verbum et omnipotentiam Dei. Si enim tribus digitis ponderat coelum et terram Deus, ut Esaiae 40. dicitur, certe verbum eius longe Jes. 40, 12 maius et amplius est. Verbum est spacium infinitae amplitudinis. Ideo receptacula animarum sunt verbum Dei sive promissiones, in quibus obdormimus. Leve quidem et exile apparet, quando per os hominis pronunciatur: Sed quando fide id apprehendimus, et in verbo obdormimus, venit anima in spacium infinitum.

Haec dixi ad compescendas cogitationes inutiles et supervacaneas de hisce quaestionibus. Abunde enim satis est scire, nos securos et quietos emigrare in sinum Christi, hoc est, verbo et promissione nitentes effugere adflictiones et aerumnas, et frui perpetua, pace et securitate, iuxta sententiam Christi, Io[annis 8.: 'Amen, Amen, dico vobis, si quis sermonem Joh. 8, 51 meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.' Igitur vivet in aeterna vita.

Verum hic Papistarum quoque stultitia taxanda est, qui post mortem fecerunt quinque loca, Primum, infernum damnatorum. Secundum, infantium non baptisatorum. Tertium, purgatorium. Quartum, limbum patrum. In novo testamento addiderunt paradisum propter dictum Christi: 'Hodie Luk. 23, 43 mecum eris in paradiso.' Quintum, coelum apertum.

Primum locum dicunt esse damnatorum, qui est cruciatus ignis aeterni. Verum an animae impiorum torqueantur statim post obitum, non possum adfirmare. Quanquam exemplum divitis epulonis huc facit. Sed contrarius locus est. 2. Petri secundo de malis Angelis, qui servantur ad iudi- 2. Petri 2, 4 tium, et verba Pauli .2. Corinth[iorum 5.: 'Omnes enim nos manifestari 2. Kor. 5, 10 oportet ante tribunal Christi: ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit sive bonum, sive malum.' Apparet eos etiam dormire et quiescere, sed nihil adsero.

Secundus locus est non baptisatorum infantium, illos dicunt quidem damnatos esse, sed non pati poenam ignis aut vermium, sed tantum carere visione Dei. Illam lucem non habent, qua Deum et Angelos viderent, et tamen non cruciantur.

Tertius circulus est purgatorii, in quod nec damnati, nec infantes ingrediuntur, sed qui credunt quidem: et tamen non satisfecerunt pro

peccatis, horum animae redimuntur indulgentiis. Hinc illa colluvies indulgentiarum, et tota religio papistica.

Quartus est limbus patrum, ad quem descendisse Christum dicunt et effregisse, et patres liberasse non ex inferno, sed ex limbo, qui adfligebantur desiderio et expectatione Christi, non poenas aut cruciatus sustinebant ullos.

Hisce nugis repleverunt Ecclesiam et orbem terrarum. Nos radicitus ista omnia evertimus. Et dicimus infantes non baptizatos non habere talem circulum, in quo statu sint, aut quid de iis fiat, commendamus divinae bonitati: non habent fidem, nec baptismum, num vero singulari modo eos recipiat Deus, et det fidem, non extat in verbo, nec nos statuere audemus: privari visione divina est ipse infernus. concedunt, quod habeant voluntatem et intellectum, praesertim de visione divina et vita. Sed fabulae sunt. Ac purgatorium maxime est fabulosum, quia innititur impietate et incredulitate. Negant enim fidem salvare, et statuunt causam salutis satisfactiones pro peccatis. Qui igitur in purgatorio est, in ipso inferno est. Sic enim cogitat: Ego sum peccator, et debeo satisfacere pro peccatis meis, ideo condam testamentum, legabo certam pecuniam ad aedifitia templorum, ad redimendas preces et sacrificia Monachorum et sacrificorum pro defunctis: tales moriuntur in fide operum, et ignorant, imo oderunt Christum. Nos in fide Christi morimur, qui mortuus est propter peccata nostra, et satisfecit pro nobis: is meus sinus, paradisus meus, consolatio et spes mea est.

De limbo patrum improprie locuti sunt: rectius sinum Abrahae dixissent, quia mortui ante Christum servati sunt in promissione verbi, in quo vixerunt in hac vita, et morientes quoque ingressi sunt vitam, et vere vivi fuerunt.

Luk. 23, 43 Verborum Christi ad latronem haec sententia est: Hodie mecum eris in paradiso, id est, in meo sinu, ubi ego sum, similiter et tu eris, ibi coelum et paradisus idem sunt: nisi quod adhuc apud sanctos quies et pax est, non regnum. Christus est in coelo vel paradiso, ut gubernet, iudicet, regat Ecclesiam, mittat Angelos ad ministerium Ecclesiae, distribuat dona hominibus, exaltet humiles, etc. Semper enim operatur, non quiescit: sicut Jes. 64, 16 sancti dormientes, de quibus Esaiae 63[!]. dicitur: 'Abraham nescit nos, et Israel ignorat nos.'

Magnum itaque discrimen est inter sanctos dormientes et Christum regnantem: illi dormiunt, et nesciunt, quid agatur, et tamen quiescunt: Impii vero quando moriuntur, sive olim ante Christum adventum decesserint, sive hodie post exhibitum Christum, simpliciter vadunt ad damnationem. An vero statim incipiat damnatio post mortem, nescimus, quia Röm. 14, 10 scriptum est, sistendos esse omnes ad tribunal iudicis, et, Io|annis 5. Joh. 5, 29 'prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.'

Meminerimus igitur post Christum cessasse sinum Abrahae, et impletas esse promissiones omnes de venturo semine. Nos alias promissiones et longe ampliores habemus editas a filio Dei incarnato, passo et resuscitato, quibus qui non credunt, in aeternum damnantur. In quo autem statu sint, qui damnantur in novo testamento, nihil possum adserere, in medio relinquo. De piis certissimum est, quod vivant et ingrediantur in pacem, cuius rei nos quidem multo plura et illustriora exempla et testimonia habemus in novo testamento ex concionibus Christi et Apostolorum, quam patres, qui paucos quosdam locos habuerunt aperte significantes resurrectionem et vitam aeternam. Locus sapientiae tertio ex Esaia desumptus est: 'Iusto- Sef. 3, 1
rum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis', etc.

Sed haec et patrum et nostra una et eadem fides est, quod restet alia et melior vita post hanc, de qua quidem Christianos dubitare in tanta luce turpissimum fuerit, Amplectamur igitur et conservemus firma animi adsensione hanc doctrinam immenso Dei beneficio multis illustribus testimoniis nobis patefactam. Insurgit enim nunc saeculum pestilentissimum, et multiplicantur Epicurei, quod est argumentum certissimum confusionis omnium rerum et appropinquantis iudicii. Si enim non credo futuram vitam et resurrectionem, quorsum opus habeo Deo et agnitione Christi? aut quomodo possum statuere esse Deum punientem malos, et benefacientem bonis? Negatio enim futurae vitae tollit simpliciter Deum: sic similes erimus prorsus equis et mulis, qui nihil curant, nec mortem, nec vitam. Et id sane in Epicureis animadvertere est, quibus iam ridiculum est et inanis fabula, quicquid de Deo vel promittente, vel comminante audiunt. Verum nos Christiani horribilem illam securitatem fugiamus, et retineamus firmiter testimonia vitae aeternae et resurrectionis ab initio mundi tradita.

Moses duobus verbis obitum Abrahae describit, quorum utrunque significat mori: expirans vel deficiens mortuus est, inquit. Supra capite 7. 1. Mose 7, 21
de diluvio: defecit, sive mortua est omnis caro, sive in aquis degeret, sive in terra, ibi priore (*Gaua*) usus est. Infra de Iacob alterum tantum ponitur: defecit et collectus est ad populos suos. Hic duo coniungit, et puto hanc esse differentiam: priore vocabulo voluit significare illum actum sive agonem morientis, quasi dicat, aegrotavit, decubuit, egit animam, ita ut nulla spes vitae reliqua esset, et tamen nondum erat mortuus. Expono igitur, tanquam prius sit praeteriti imperfecti: alterum vero perfecti, Abraham moriebatur et mortuus est, hoc est, laborabat in extremis, et agebat animam, post ea mortuus est, et transivit in aeternam vitam.

Haec in consolationem nostram tam diligenter commemorantur a Mose, ut sciamus Abraham more aliorum hominum e vivis excessisse, nec

31 (*Gaua*)] גָּוַע *35* nondum erat mortuus *I. K. Erl.*] nondum mortuus *G. H.* *38* post ea *G.*] postea *H. I. K. Erl.*

ullam singularem praerogativam habuisse prae aliis, sed omnibus hominibus communem mortem sustinuisse. Id cum de summis illis et sanctissimis viris dicatur, nos quoque aequo animo feramus communem mortalium sortem, et eadem pacientia, fide et spe melioris vitae ad exitum ex aerumnis praesentis vitae, et ad futuram immortalitatem nos praeparemus.

Nunc igitur sepelivimus sanctum Patriarcham Abraham, cuius memoriam vigere et extare in Ecclesia plurimum prodest propter promissionem de venturo semine repetitam et explicatam ac ipsius Abrahae fidem et plurimarum virtutum varia et pulcherrima exempla: quae omnia ut memores et grati conservare, sequi et imitari queamus, faxit Christus, filius Dei, qui sedet ad dexteram patris, dat dona hominibus ad colligendam et servandam sibi Ecclesiam, cui laus et honor cum patre et spiritu sancto in aeternum.

Amen.

Impressum Norimbergae in officina Ioannis Montani, et Ulrici Neuber, Anno Domini M. D. L.

Psalmus LXXXIX.
Beatus populus: qui scit iubilationem.

In Genesin Enarrationum

Reverendi Patris, Domini Doctoris Martini Lutheri,

bona fide et diligenter collectarum per Hieronymum Besoldum Noribergensem.

Tomus Tertius continens historiam duorum Patriarcharum Isaac et Iacob:

Nunc primum in lucem aeditus.

Cum Praefatione Philippi Melanthonis.

Romanorum IX.

> Non solum autem hoc, sed et Rebecca, quae ex uno conceperat Isaac, patre nostro. Nondum enim natis pueris, quum neque boni quippiam fecissent, neque mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est illi: 'Maior serviet Minori.' Sicut scriptum est: 'Iacob dilexi, Esau vero odio habui.'

Norimbergae.

Tertius Tomus Enarrationum in Genesin, qui continet historiam duorum Patriarcharum Isaac et Iacob. Per Reverendum patrem Dominum Doctorem Martinum Lutherum in Schola Wittenbergensi.

Hactenus tres libros Genesis enarravimus, sicut supra eam partiti sumus. Primum enim primi parentis Adae historiam explicat. Secundus praeconem iusticiae Noah, et horribilem poenam diluvii, qua originalis mundus, unico Noah cum familia sua servato, deletus est, celebrat. Tertius Abrahae tribuitur, cuius historia propter repetitam promissionem de semine benedicturo omnes gentes, et propter varia exempla fidei et aliarum virtutum in primis memorabilis est. Ac sane si quis diligenter haec evolverit, intelliget ingens et inenarrabile beneficium Dei

esse, quod tantorum virorum historiae sacris literis et monumentis traditae, et in hunc usque diem conservatae sunt. Nam gentilium literae has ignorant prorsus. Sola ecclesia hoc beneficio fruitur, et habet certam cognitionem ac testimonia divina de veris initiis et mirabili propagatione doctrinae, quam et retinet ipsa, et initio tradidit Deus sua voce primis parentibus, ac voluit eius professionem et testimonia extare in toto illo ordine et serie patrum.

Itaque subinde repetitur et renovatur voce divina promissio, quae initio in paradiso sonuit, et postea Abrahae repetita est et illustrata. Quanquam rarius cum Isaac et Iacob loquitur Deus, quam cum Abrahamo loquutus est. Norant enim ad eius promissionem et fidem sibi respiciendum. Et tamen in tentationibus quoties laborat fides sanctissimorum Patriarcharum, rursus eos erigit et confirmat Deus, ne succumbant in periculis et difficultatibus, quae ipsis obiiciuntur. Videbimus enim mirabilia certamina et aerumnas gravissimas in vita utriusque Patriarchae, et in his certaminibus lucebit miranda gubernatio Sanctorum, quibus reguntur et servantur divinitus sine humanis praesidiis.

Homines prophani nihil horum intelligunt, et cum legunt, Isaac aut Iacob tanquam errones vagatos esse sine certis sedibus, fuisse homines privatos, occupatos actionibus domesticis et servilibus, egregie rident et contemnunt ista. Nihil enim eximium aut heroicum secundum rationis iudicium, prudentiam aut industriam gestum cernunt, qualia multa in Ethnicorum historiis cum admiratione legunt. Verum ideo haec aspernantur, quia vera ornamenta harum historiarum non perspiciunt. Non vident illud insigne donum verbi Dei, non fidem, non invocationem, non tolerantiam in adversis, quibus vicerunt Sancti mundum et Sathanae insidias: quae certamina et victoriae omnes res gestas, et triumphos omnium heroum longissime superant.

Qui igitur non frustra in hac lectione versari volet, statuat Scripturam sanctam non esse humanam sapientiam: sed divinam, et sentiet accendi animum mirabili amore et desiderio harum rerum, quas continet. Talis enim fons est, qui, quo magis hauritur et bibitur, hoc magis sititur. Sicut inquit
Sir. 24, 27—29 Sapientia: 'Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Spiritus enim meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel et
1. Petri 1, 12 favum.' Quia ea tractantur in isto libro, 'in quae desiderant angeli prospicere', Sicut dicitur 1. Petri 1. Sed sunt abscondita ab oculis carnaliter sapientium, et patent tantum spiritui.

Hoc loco autem initium Quarti libri faciemus. Etsi enim Hebraei particulam hanc de Ismaele et Isaac adiiciunt historiae Abrahae, tamen facile apparet Mosen tum novum librum de patriarcha Isaac inchoare voluisse, postquam Ismael et Isaac patrem suum Abraham sepeliverunt.

Altera Pars
Vigesimi Quinti Capitis.

Et post obitum Abrahae benedixit Deus Isaac, filio eius, habitavitque Isaac iuxta puteum Viventis et Videntis. 25, 11

Moses brevem narrationem instituit de Isaac, quod mortuo Parente Deus ei benedixerit: Sed mox eam abrumpit, et paucis absolvit ea, quae restant de Ismaele. Benedictionem autem intermittit usque ad suum locum. Fuit enim dilata viginti annos, quibus vixit Isaac cum Rebecca coniuge sine sobole. Nec potuit fieri parens viribus naturalibus, sed impetravit prolem a Deo precibus et oratione humili.

Mira autem res est, si cum praecedentibus conferas. Magna enim pompa servus ambivit Isaaco puellam, ac divina dispositione cum ea coniuncta est tanta spe et expectatione, ut videretur futura mater filiorum infinitorum. Quid enim non speraret Isaac, cui adducebatur uxor praedestinatione divina, patre sanctissimo, ministro fidelissimo, denique ministerio angeli? Tamen habet Rebeccam viginti annis sterilem. Fuit autem adhuc superstes parens, et haud dubie uterque anxiis votis et gemitibus suspiraverunt, et petiverunt prolem. Atque haud scio, an non haec causa fuerit Abrahae ducendae Keturae, cum videret in Isaac differri semen. Sed nihil adfirmabo: Illi enim viri tam sancti et variis tentationibus exercitati longo usu consueverunt expectare manum Domini, nobisque a Deo propositi sunt in exemplum veri cultus Dei, qui principaliter et vere consistit non in externis sacrificiis aut operibus, Sed in fide, spe et dilectione Dei.

Ratio somniat colendum et placandum esse Deum sacrificiis corporalibus, aut aliis exercitiis ab hominibus excogitatis. Sed exempla patrum monstrant, praecipuum et summum cultum esse, expectare Deum, Atque is verus usus et propriissimum exercitium fidei est. Fides enim primum rapit nos in invisibilia, quando proponit ea amplectenda, quae non apparent oculis: idque aliquo modo ferre et sustinere possumus. Sed animus non solum ducitur in invisibile, sed etiam suspenditur, et differtur in longum. Sicut Abraham supra viginti quinque annos expectavit, antequam nasceretur ei filius. Isaac viginti annos sobole caret. Tertium vero et longe gravissimum illud est, quando moram et dilationem temporis sequitur etiam dispositio in contrarium: ibi tum, qui perdurare et expectare potest, sperare dilata, amare contraria, is tandem experietur Deum veracem esse et servare promissa.

Verum haec nec carnis, nec rationis humanae opera sunt, neque Monachorum et hypocritarum, quibus omnis mora nimis longa et molesta est. Statim enim, quod petunt, auferre cupiunt, nec fidunt Deo, nisi de praesentibus, non de iis, quorum expectatio adhuc suspensa est. Sed vult

Deus invisibilia et contraria esse, quae promittit, ut tentemur et exerceamur, ac discamus verum et Deo gratissimum cultum esse Expectationem.
Ps. 27, 14 Hinc in Psalmis tam frequentes sunt admonitiones illae: 'Expecta Dominum, viriliter age' etc. Et prophetae idem assiduo inculcant: Expectate,
Jes. 28, 13 credite. Sed ridentur haec a prophanis, Sicut recitantur eorum subsannationes, Isaiae 28.: 'Manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum hic, modicum ibi.' Sic enim deridebant doctrinam et consolationes de fide et patientia tanquam vanas et incertas. Atqui certum est, vere et praesenter iam tum id paratum et in promptu esse, quod petitur aut promittitur,
Jes. 65, 24 cum incipimus orare et confidere, iuxta sententiam: 'Et erit, antequam clament, aut vocem emittant, exaudiam, adhuc illis loquentibus adsum ego et audiam.'

Id profecto certissimum est et verissimum. Sed animus humanus quando est in tentatione et periculo, difficulter hac consolatione acquiescit. Sic enim perpetuo angi et queri solet: Quid fiet? Quando fiet? Ubi fiet? Respondeo igitur: Expecta, expecta. Quod si longius differtur, et rursus quaerit, quando tandem futurum sit, non habeo aliud, quod consulam, inquies, quam ut feras, et expectes amplius annum unum, duos, tres. Veniens veniet, et non tardabit.

Verum id enim est, et usitatum Deo, ut tardet, ut differat et protrahat auxilium in longum, sed ita, ut veniat in necessitate, et veniat subito. Sicut in miranda liberatione et eductione populi Israel ex Aegypto apparet. Expectaverat populus longo tempore gravi servitute oppressus, tardante Domino. Sed postquam in extremum discrimen vitae et mortis adductus est, ac utrinque praesentissimum exitium ostenditur, Ibi dicit ad Mosen
2. Mose 14, 15 Dominus: 'Quare sic clamas?' Et repente liberatio et magnalia Domini exhibentur. Sed quando non exigit necessitas summa et inextricabilis humanis consiliis difficultas, tum differt opus et auxilium suum.

Haec exempla nobilissima proponuntur nobis in sanctis viris, ut discamus cultum Dei principalem et spiritualem positum esse non in aedificandis templis, augendis ceremoniis, quae omnia sunt puerilia et ludicra, quibus allicit et invitat nos ad sese Deus, quemadmodum Iudaeos variis ritibus et quadam quasi paedagogia exercebat. Sed Patrum cultus est
1. Mose 32, 26 ff. expectatio. Sicut Iob inquit: 'Etiam si occiderit me, in eo sperabo.' Et Iacob infra quando pugnat cum angelo, firmiter et constanti animo retinet promissionem. Sed differtur illa, et varie fides eius concutitur. Attamen is eius animus est: Ego credo, quod vera sit promissio, Si non statim impletur, tamen spero, Si etiam luctatur mecum, tamen amabo eum. Huiusmodi sacrificia suavissimum de se odorem prebent in conspectu Dei, et animum hominis tandem perpetua foelicitate et laetitia exhilarant. Econtra qui franguntur desperatione et deficiunt, seipsos privant aeterni-
Sir. 2, 16 tate. Sicut inquit Syrach: 'Vae his, qui perdiderunt sustinentiam.' Qui

vero perdurat, et retinet fiduciam et expectationem, is vincit et triumphat. Sic Noah expectavit centum et viginti annos, et interim sannas et irrisiones impiorum tulit. Sed tandem totus mundus submersus est, ipse autem cum domo sua mirabiliter salvatus, et pater iustitiae factus est.

Igitur fide, spe et caritate colendus est Deus. Ceremoniae externae tantum exercitia sunt rudium, quibus ad officia pietatis longe sublimiora assuefiunt. Sicut infantes primum lacte et cibo tenuiore aluntur. Sed nos, qui gubernamus et docemus alios, discamus verum cultum Dei esse non offerre pecudem etc., sed tenere eius promissionem, et credere, quod sit vera et infallibilis. Hanc fiduciam sequitur spes, quae commonefacit me, ut expectem, et habeam Deum benignum, quod si perduro in necessitate, ibi tum Pharao cum copiis in profundum demergitur, atque ἔκβασις sperata contingit.

Abrumpit igitur Moses narrationem institutam de benedictione Isaac. Cum enim dicit Deum benedixisse Isaac, intelligendum est, in fide et spe. Siquidem contrarium adhuc apparebat, et totos viginti annos expectabat prolem. Non aetatis quidem, nec naturae, nec virium vigor deerat, ipsa Rebecca iuvencula, formosa, ad foecunditatem et partum per aetatem idonea erat, tamen differebatur promissio, et manebat invisibilis, donec fere sexagesimum aetatis annum attingerent, iamque certum sterilitatis periculum immineret. Ibi haud dubie Isaac animo collegit suorum parentum in eodem periculo sterilitatis sollicitudinem, et cogitavit: En eadem tentatio et calamitas me et Rebeccam meam excipit, quae ante parentes meos Abraham et Saram adflixit, Quia omnia adversari, et pugnare cum promissione videntur, Et tamen in ea firmiter haerendum ad patris exemplum statuit. Fit autem hoc ideo, ‘ut vocet Deus ea, quae non sunt, ut sint’, Röm. 4, 17
Rom[anorum 4. Sicut hodie Turca et pontifex immani odio et saevitia in nos grassantur, intus autem varie exercentur conscientiae, luctantur cum trepidatione, diffidentia, terroribus peccati. Ac habemus quidem contra haec omnia firmissimas consolationes, promissionem verbi, Baptismum, Eucharistiam, quae firma fide apprehendenda et retinenda sunt. Sed non video remissionem peccatorum, non salutem aeternam, non vitam: credo autem, et spe sustentor. Ac si fides concutitur et infirmatur, sive per tentationem, sive per lapsus et fragilitatem humanam, nihilominus tamen haereo in clavibus, maneo in promissione divina, si etiam coelum ruat. Hoc est colere Deum et implere primum praeceptum, cuius usus in tentationibus demum perspicitur, quando invisibilis est promissio, ego in longum differor, et tandem res in contrarium ponitur.

Diabolus operatur alia et contraria regula. Statim enim solet praesto esse suis sacerdotibus et prophetis, quando volunt, nec differt id, quod petunt. Sic subito saepe a veneficis tempestates et tonitrua concitantur, Qua ratione dementat ac capit homines, ut libenter ipsi serviant, quia mox

iuvat et exaudit: Et quod pessimum est, divinitus id fieri iudicatur. Diligenter igitur diversitas ista operationum Dei et Sathanae attendenda est. Ps. 130, 5 Deus vult nos expectare, ut Psalmo 130. dicitur: 'Sustinuit anima mea in verbo eius.' Si vis Deo servire, debes credere invisibilia, sperare dilata et amare Deum, etiamsi se ostendat inimicum et contrarium tibi, atque ita in finem usque perseverare. Hoc voluit Moses, quando vocat benedictionem, dare uxorem Isaac, et non dare liberos. Petivit Isaac uxorem ad propagandum semen, idque impetravit, sed viginti annos expectat sine prole, sicut pater ipsius Abraham expectavit totidem annos, donec nasceretur Ismael, quae tamen non erat proles promissa, et filius ex Sara longe diutius sperandus et expectandus erat.

De puteo Viventis et Videntis supra dictum est. Quando Hagar fugit a Sara domina sua, erravit in solitudine Bersabae versus Aegyptum, atque ibi puteo nomen dedit, ut celebraretur ad omnem posteritatem Hagar tanquam insignis domina et matrona, a qua Fons appellationem 1. Mose 16, 13 sortitus esset. Dicebat enim: 'Vere hic vidi posteriora videntis me.' Id Isaac gloriosum sibi duxit, quanquam esset noverca Hagar, ideoque habitavit iuxta puteum Viventis et Videntis. Sed iam Ismaelis historiam absolvet Moses.

25, 12–16 Hae sunt generationes Ismael, filii Abrahae, quem peperit ei Hagar, Aegyptia ancilla Sarae. Et haec sunt nomina filiorum Ismael in nominibus et generationibus suis. Primogenitus Ismael Nebaioth, et Kedar, Adbeel atque Mibsam, Misma quoque, Cuma et Massa: Itemque Haedar et Thema, Ietur, Naphis et Kedma. Hi sunt filii Ismael, et haec nomina eorum per villas et oppida eorum, duodecim Principes tribuum suarum.

Hunc alio et contrario modo describit Moses, quam Isaac, de quo dixit, quod benedixerit ei Deus, neque tamen benedictionem expressit. Supra autem tristissimam sententiam de Ismaele audivimus, quod dolente et invito patre eiectus est domo, non matris tantum, sed et divina autoritate, et semen carnis, non promissionis appellatus est. Haec valde dura et acerba sunt. Verum hoc loco celebratur non solum carnali benedictione, sed etiam spirituali, Ac in carnali quidem superior fratre Isaac. Quae res tentationem et sollicitudinem Isaac plurimum auxit. Is enim nondum habet prolem, et tot annos expectat benedictionem, donec octuagenario primum nascantur filii. Interea Ismaeli dantur duodecim Principes multo ante, quam generaret Isaac, et tamen nec ipse, nec Abraham tot Principes genuerunt. Ismael autem qui frater est ex serva natus, tanta et tam ampla benedictione ornatur, ut mox generet duodecim Principes, quos omnes viderunt vivere et florere uterque, Abraham et Isaac. Mortuus enim est Ismael post Abraham 48. annos, ac evaserunt filii Ismaelis

statim in magnos viros et duces, antequam benedictio Abrahae et Isaac promissa inchoaretur.

Haec sane gravis tentatio fuit fidei, spei et dilectionis. An non enim tentarent haec animum quantumvis pium et sanctum? In primis vero Isaac, qui credidit Deo, et audivit se praeponi cunctis gentibus et fratri Ismaeli? Dictum enim est: In Isaac, non in Ismael vocabitur semen, in quo totus mundus benedicetur. Ismaeli etiam benedixit, cum inquit: 'Erit in gentem magnam, et duodecim Principes generabit.' Sed nihil ad semen illud promissum. Verum hic omnia mutata et inversa videntur. Isaac, qui habet veram promissionem, postponitur Ismaeli. Hic cum tantum carnalem promissionem habeat, praecedit longissime, et fit dominus dominorum. Habet duodecim Principes, dum Isaac solus et sine prole quasi truncus et stipes in Berseba vivit. Cogitavit igitur: O Deus, estne haec promissio tua? veritas tua? Eiusmodi cogitationes fuerunt acerrimi stimuli ad dubitationem et diffidentiam. Sicut uxor Iob marito obiicit: 'Ubi nunc Hiob 2, 9 tua pietas? adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, et morere.' Idem sane ad Isaac quoque dici potuisset. Is enim, qui ante contemptus et domo eiectus est, acquirit benedictionem divinam longe ampliorem, quam vel Isaac, vel Iacob adepti sunt.

Hae itaque admirandae historiae sunt, et hominibus carnalibus maximorum scandalorum causa, pugnant enim omnia opera Dei cum promissione, quae tamen verissima et immota manet. Sed hoc offendit, quod est invisibilis, dilata et in contrarium posita.

Discenda igitur sunt mirabilia consilia Dei in gubernatione sanctorum, et animi piorum ad ea assuefaciendi sunt. Quando habes promissionem divinam, quo magis diligeris a Deo, hoc magis habebis absconditam, dilatam et in contrarium positam. Si enim non tam impense te diligeret, non ita tecum luderet, hoc est, non differret, neque in contrarium disponeret suam promissionem et auxilium. Signa enim haec sunt certissima animi paterni et ardentis amore tui. Sic pater carnalis, qui diligit filium, ludit cum eo, promittit munusculum, sed differt, et simulat se negaturum promissa. Id eo facit, qui nimium diligit filium, et vult opulenter dare, modo perseveret filius, et devoret ac vincat dilationem. Sic nobiscum quoque ludit Deus, sed nos fremimus et indignamur ob moram quantumvis brevem. Aut enim in praesentia auferre, aut alio modo et via, quacunque illa sit, acquirere, quod promittitur, cupimus. Ad hunc igitur modum docent exempla patrum, qui sint veri cultus, scilicet sincera fides, perfecta spes et immota charitas, quibus sentimus Deum praesentem et beneficum esse, utcunque videatur nobis adversari.

Caeterum apparet Ismaelem fuisse magnum Theologum, qui vim et dignitatem promissionum, quae certe ingentes et magnificae sunt, diligenter evolverit, idque imprimis, quod mater Hagar digna fuit audire angelum

revocantem ipsam ad Saram dominam. Haec omnia celebravit et magnifice praedicavit, Sicut quaelibet natio aut familia reliquis antecellere vult, et sola Imperatrix esse orbis terrarum: reliquas vero prae se contemnit. Ideo Ismael diligenter inculcavit promissiones sibi factas, et potuit dicere: Ego video, quod Dominus apud me est, et benedixit mihi etiam spiritualiter. Simul quoque cultum externum, quem vidit in domo patris, retinuit et auxit: Ac quidam ex familia et filiis ipsius per eiusmodi ceremonias pervenerunt ad cognitionem pietatis. Sicut multi ex familia et posteritate Cain ad Ecclesiam veram Adae congregati sunt, et hodie plurimi ad nostram Ecclesiolam aggregantur.

Ad eundem modum ex Ismaelis domo multi adiunxerunt se Ecclesiae, quae fuit in domo Abrahae, praesertim Ismael ipse, quem credo post poenitentiam reversum, et participem factum verae Ecclesiae non ex carne, sed spiritu. Quia secundum carnem reiectus est, sed in textu etiam spiritualiter laudatur. Item Moses narravit supra sepeliisse eum cum reverentia patrem suum Abraham, quod argumento est, non fuisse eum alienum ab Ecclesia, quae fuit in domo Isaac. Ideo iudico fuisse bonum et pium, quanquam fuit bellator. Nomina etiam insignia filiis indidit. *Kedar* enim significat tristem, tetricum, nigrum, quales Monachi sunt, ut in luctu moriturus, et forsan in luctu aliquo fuit vir sanctus, cum id nomen filio inderet. Simul etiam adorationem sive adoratum sonat.

Iudaeorum nugas de nominibus istis omitto. Mihi videtur colligi inde posse, quod diligenter docuerit Ismael Deum Abrahae, et familiam suam ad verum cultum, quem ipse antea viderat, adsuefecerit. Sed quod solet fieri, ut verus cultus semper pariat superstitionem, ita posteritas, veris cultibus amissis, externam quandam simulationem et hypocrisin tantum retinuit. Ablato enim primo praecepto relinquuntur paleae et siliquae inanes. Sic cum viderunt initio homines, Abraham hoc vel alio modo mactare hostias, benedicere, gratias agere, illum cultum externum amplexi sunt, sed sine primo praecepto. Ita homines fiunt Simiae Patrum, quia opera externa imitantur, et fidem negligunt.

Hinc sunt ortae omnes idolatriae. Viderunt gentes Abraham et alios patres versis vultibus ad orientem solem creatorem pulcherrimae lucis adorare, id imitati sunt, sed retinuerunt tantum putamen, nucleum amiserunt.[1] Sic Rottenses accipiunt a nobis verbum, sed non vere, quia ad vanam gloriam et plausum popularem abutuntur. Sic Ismaelitae dixerunt se filios Dei, et hodie non Hagareni, sed Saraceni vocari volunt, tantum propter imitationem et simulationem externi cultus et benedictionem carnalem, quam habent etiamnum Arabes, qui sunt Ismaelitae. Sicut supra

18 Kedar] קֵדָר

[1]) *Vgl. Plautus in der Komödie: Captivi 655:* Nucleum amisi, reliquit pignori putamina.

in promissione dictum est: 'Manus eius contra omnes.' Tenent enim 1. Mose 16, 12
Dominium orbis terrarum, et gloriantur sibi deberi spolia et rapinas, et vivunt ex rapto. Etsi enim Turci, qui scythae sunt, Arabiam occuparunt, et ibi dominantur, tamen Arabicam linguam retinent, ac eius potissimus usus est in aula Turcica. Antea vero nunquam neque a Romanis, neque Persis devicti sunt. Turca eos humiliavit, sed tamen simul sunt in regno. Sic igitur Ismael primum benedictus est carnaliter duodecim principibus ex se natis, iam sequetur benedictio spiritualis.

Hi vero sunt anni vitae Ismael centum anni, triginta anni, et 25, 17
septem anni. Et deficiens mortuus est, et collectus ad populum suum.

Ismael 137. annos vixit, natus 86. anno aetatis Abrahae 14., ante natum Isaac 48. anno post Abraham mortuus est. Isaac vero diu supervixit Ismaeli, et vidit tamen Ismael filios Isaac, Iacob et Esau. Clare autem hic textus ostendit benedictionem Ismaelis spiritualem, quia iisdem verbis utitur Moses, quibus supra usus est in descriptione mortis Abrahae, ne apex quidem mutatus est: Testatur igitur fuisse eum in vera fide et pietate, quia dicit collectum eum esse ad populos sanctorum.

(*Gaua*) est suaviter animam agere: quando quis decumbit, sicut supra Abraham, ei appropinquante hora mortis agit animam sine terroribus: sed ut solet dissolvi corpus, ut liberetur anima ex ergastulo corporis. Sic et Ismael mortuus est, Dominus dedit ei sanctum et placidum finem vitae, viribus destitutus est, et agendo animam tandem conclusit vitam, et assumptus est in sinum sanctorum Patrum, quo Abraham Paulo ante et alii patres transierunt. Haec est spiritualis benedictio. Pulchra autem et dulcis descriptio est immortalitatis, quando inquit Moses: 'collectus est ad 1. Mose 25, 8
populos suos.' Nos iam vivimus in populo mundi barbaro, alieno a Deo, et in regno Diaboli. Sed cum egrediemur ex hac misera vita, suaviter agonisabimus, et congregabimur ad populum nostrum, ubi non calamitas, non tribulatio, non adflictio, sed pax et quies et somnus placidus in Domino est. Quod si est alius populus praeter illum, cum quo nunc vivimus, oportet esse resurrectionem mortuorum, et certissimum argumentum est esse Deum, et mundum non esse temere creatum, quia vivere post mortem non est operis humani, sed Dei opus est.

Plinius et Epicurei rident ista, nec assentiuntur esse transitum a turbulento genere vitae ad quietem, ideo iactant Epicureas istas voces: Post mortem nulla voluptas. Pereat, qui crastina curat. Summum nec metuas diem, nec optes. Ita confortant se ad contemptum mortis, et tollunt simpliciter timorem, id est, spem immortalitatis. Quid timerem? quidve sperarem? inquiunt. Quia non est Deus, edamus, bibamus, ludamus etc.

19 *Gaua*] גוע

Sed si ratio hoc concederet, quod sit migratio a populo adflicto ad populum pacis, necessario et illud fateretur, esse vitam post hanc vitam: Quia ire ad populum non est ire ad nihilum, et praesertim ad suum populum, qui eandem fidem, spem et adflictionem habuerunt, et eandem loquelam, ad cives et conterraneos nostros, qui certe aliquid sunt. Non ad hostes migramus, nec ad daemones: imo recedimus ab eis, et ad patres nostros congregamur.

Haec sunt testimonia patrum de resurrectione, immortalitate et vita aeterna, quia scilicet illic sunt populi. Igitur necesse est nos vivere et resurgere. Huic verbo qui credunt, nunquam Epicuri deliramentis movebuntur. Ratio vero neque intelligit, neque amplectitur ista: imo, quod maius est, videt ob oculos, generationem fieri ex nihilo, et tamen non concludit esse divinum opus. Video ISAAK nasci ex sterili matre, matrice emortua et tam dura, quam sunt ossa in Cranio: Non video pilos, non corpus, non animam, et tamen ex lumbis Abrahae, ex matrice Sarae matris prodit filius habens ista omnia: an non ex nihilo haec oriuntur? Certe res mortua est semen et matrix, et magis mortua, quam granum in terram cadens. Ideo cogitare ratio debebat, non esse hanc operationem naturalem, sicut somniat. Sed caecitas et malum Diaboli est, quod ista non inspicimus aut consideramus: atque ita neutrum intelligimus, si rationem ducem sequimur, neque resurrectionem futuram, neque generationem. Qui enim non credit resurrectionem mortuorum, is etiam non credit aut cernit miraculum generationis, quod homo ex homine, bos ex bove nascitur.

Atqui plenus est totus mundus testimoniis de resurrectione. Ex arbore et ligno durissimo enascitur pulcherrimus flosculus, nascuntur folia, rami, fructus suavissimus. Quia vero frequens et usitata res est, ideo vilescit, et tantus stupor est humanarum mentium, ut, si Lazarus quotidie resuscitaretur, nihil tamen moverentur infideles. Inde tamen non sequitur, quod non sit sperandum aliud vitae genus melius et beatum. Sed differtur sensus et manifestatio illius aeternae laetitiae, donec cessabit populus hostilis, et manebit populus noster, qui nobiscum credidit resurrectionem mortuorum. Propter hoc igitur testimonium scripturae sanctae de Ismaele facimus cum Sanctum et Patriarcham magnum, quanquam nepotes degenerarunt, et non fuerunt similes patris.

25,18 Habitaverunt autem ab Haevilah usque ad Sur, quae respicit Aegytum introeuntibus Assyriam, coram cunctis fratribus suis corruit.

Hodie etiam aut saltem Hieronymi tempore haec loca tenuerunt filii Ismaelis. Primogenitus Nebaioth magnam partem Arabiae occupavit, sed

non totam, a quo et Regio Nabathea[1] denominata est, quae celebris est in Graecis et Latinis scriptoribus vel ob hanc unam causam, quod apud illius nationis incolas ingratitudo erga parentes et praeceptores capitalis fuit, quae insignis disciplina et Theologia fuit in ea regione, et quod hodie multis impune licet, id gentes illae tam severe puniverunt.

Altera pars Arabiae *Kedar* est, non minus celebris, et est nomen totius Arabiae petreae, Partem eius sibi vendicaverunt Edomitae. Psalmus 119 [!].: 'Hei mihi, quia habitavi cum habitantibus in Kedar', id est, Ps. 120, 5 sum peregrinus inter Moscovitas et Tartaros. Tractus iste ab Haevilah ad Sur est in Arabia, sive desertum inter Aegyptum et terram sanctam. Sur autem respicere Aegyptum dicitur; quia est ei contermina. Habitarunt igitur filii Ismaelis tractum illum a Mari rubro usque ad Euphraten. Totam pene Arabiam tenuerunt praeter eam partem, quam Idumaei occuparunt.

De postrema particula (coram cunctis fratribus suis corruit), varie disputant interpretes. Usitata expositio sic habet, quod Ismael sit mortuus in conspectu fratrum, hoc est, filiorum suorum, qui convocati a patre convenerunt ad audiendum et consolandum patrem, ita ut expiraverit spectantibus et praesentibus fratribus. Mea sententia haec est, quanquam nihil asseverabo. Non loquitur Moses de Ismaele personaliter, quia iam mortuus erat, Item: antea non dixit: habitavit, sed habitaverunt, scilicet duodecim filii, in illo tractu a Mari rubro versus Aegyptum. Aut si dicas Ismael mortuus habitavit: de posteris ipsius id intelligatur, ut infra similis phrasis est: Iacob descendit in Aegyptum, et ascendit in Aegypto. Et Psalmo 113.: 'Facta est Iuda sanctificatio eius', ibi nomina propria Ps. 114, 2 transeunt in appellativa et gentilia, quod in Scriptura sancta frequens est. Existimo igitur eandem sententiam cum superiore esse, capite 16.: 'in 1. Mose 16, 12 facie omnium fratrum suorum habitabit.' Id hic dicitur: corruit, vel cecidit, vel fixit tabernaculum. Hoc est, mortuo patre et relicto suo testamento, quo monuit filios et fratres, ut diligerent et colerent Deum, ipsi crudeliter ferarum in morem vi et ferro grassati sunt, et terram occuparunt, facti sunt *Niphlim*, ut alibi dicitur.

Haec vero sunt generationes Isaac, filii Abraham. Abraham 25, 19. 20
genuit Isaac. Fuit autem Isaac filius quadraginta annorum,
cum acciperet Rebeccam, filiam Bethuel Syri, de Mesopotamia,
sororem Laban Syri, sibi in uxorem.

Saepe hoc monui, et saepe inculcandum est: In historiis patrum iucundissimum est videre, quomodo describantur ut homines veri, fragiles

---

32 *Niphlim*] נְפִלִים

[1]) *Plinius 21, 18, 27. Ovid, Met. 1, 61.*

et per omnia nobis similes, et rursus tamen sub ista fragilitate humana angeli sanctissimi et filii Dei. Nam quod maxime mirabile est, in oeconomico vitae genere prorsus nullam inusitatam aut praecipuam speciem sanctitatis habent, quam infirmitatem cum videt caro, hoc est, sapientes huius mundi et Monachi, valde offenduntur, et ex alto despiciunt sanctos Patriarchas. Sicut Augustinus de se fatetur, quod adhuc Manicheus riserit Isaac et aliorum Patrum historias. Quia nihil aliud spectavit praeter communissimum illud genus vitae: habere uxorem, generare filios, habere pauculas oves et boves, versari cum civibus et vicinis. Quid inde eximium aut singulare possis discere? aut cur leguntur et proponuntur ista, ut videntur, levia et inutilia?

Est sane haec miseria carnis, et debeat ita haerere in communi infirmitate, qua Patres sunt similes aliis, et ideo offendi et vituperare communem vitam, et excogitare aliud singulare vitae genus, ut celibatum, monachatum, sacerdotium etc. Quia gloriam Dei non debet videre impius: sed tantum infirma, stulta (et ut sic dicam) nullitatem Dei: gloriam vero et maiestatem, potentiam et sapientiam Dei, non item, etiamsi ob oculos proponantur. Sicut hic Moses simplicissime narrat, Isaac, cum esset quadraginta annorum, duxisse uxorem mulierculam infirmam de Mesopotamia Syriae. Quid hoc est? An non et alii homines contrahunt coniugia, quae similia huic aut interdum splendidiora sunt? Cur igitur leguntur ista? Respondeo, humanitatem et infirmitatem licet carni videre in sanctis, sed divinitatem et sanctitatem angelorum minime, ut scandalisetur et causam invenisse videatur novos cultus excogitandi, in quibus sanctitatem collocet.

Non autem ociosum et praeter rem est, quando scriptura sancta dicit, Isaac quadragenarium duxisse Rebeccam. Significat enim eum non duxisse uxorem in primo illo ardore adolescentiae, Sed perstitisse aliquandiu in pugna et victoria contra carnem et Diabolum. Historiae enim et experientia singulorum testantur, quanta impatientia libidinis sit in prima aetate, ubi incipit vis et sensus carnis, et ardet sexus in sexum. Communis ea querela est totius generis humani, et qui non repugnant primis flammis, nec putant sibi aliquid ferendum esse, irruunt in scortationes, adulteria et horribiles libidines, aut si temere et inconsulto ducunt uxores, perpetuae carnificinae se implicant. Isaac igitur sustinuit pugnam illam, et acerrime conflictatus est cum flamma et carne sua, quia homo fuit verus et purus, aeque atque nos sumus. Natura autem sic condita est, ut circiter vigesimum annum sentiat fervores carnis, illos ferre et vincere ad quadragesimum annum usque profecto grave et difficile onus est. Hoc postremo seculo iuventus nostra id onus recusat, neque vult aliquantisper pacientiam habere. Ideo si in primis illis ardoribus ducunt uxores, DIABOLUS, qui prius inflammavit eos libidine, postea contrario anhelitu infrigidat usque

ad extremum odium mulieris. Illa sunt vere Diabolica. Ideo prius cor erudiendum erat exemplis Patrum, ut suscipere et sustinere primam illam pugnam contra carnem posset. Maturior et virilis aetas suas et maiores pugnas habet. In adolescentia tyrocinium est amor, sicut in adolescentibus apud Comicos describitur. Sed historiae sacrae eiusmodi exempla offerunt, in quibus victoria simul et pugnae contra carnem proponuntur. Sic etiam Isaac sensit flammas libidinis aeque ac alii adolescentes. Sed eruditus est a patre, quod luctandum sit contra eas, inprimis lectione scripturae sanctae et invocatione, deinde laboribus, temperantia et ieiuniis. Haec debebant esse exercitia adolescentum, saltem per unum aut alterum annum, si qui non possent continere diutius, ut discerent tamen, quid sit patientia libidinis. Nam et haec patientia est et Martyrium, sicut quidam plura genera Martyrii faciunt, et inter ea numerant Divitem, largum et iuvenem castum. Atque hic sane vere Martyr est, quia crucifigitur quotidie passionibus carnis suae.

Vitent igitur adolescentes vagas libidines, et, ut possint tueri pudicitiam, confirment animos lectione et meditatione Psalmorum et verbi Dei contra carnis furorem. Si sentis flammam, accipe Psalmum, aut unum atque alterum caput ex Bibliis, et lege: quando flamma sedata est, tum ora. Si non statim restringitur, feras pacienter et fortiter unum aut alterum aut plures annos, et insta orationi. Sin amplius carnis ardores ferre et superare non potes, ora, ut Dominus det coniugem, cum qua suaviter vivas et in vero amore. Ego ipse multos vidi, qui frenum laxarunt cupiditatibus, et in foedas libidines prolapsi sunt: sed tandem miserabiliter in poenis haeserunt, aut, si caeco impetu ad coniugium animum adiungebant, uxores invenerunt minime commodas et morigeras, et merito quidem.

Hoc enim scire omnes debebant, quod sint vocati ad bellum contra carnem, quae est una pugna. Altera est contra Diabolum. Tertia contra mundum. Ideo non statim cedendum est primis illis motibus, praesertim hoc seculo, ubi proposita est spes coniugii. Nos eam in Papatu non habuimus: qui enim voluit fieri sacerdos, coactus fuit vovere perpetuum celibatum. Illa tyrannis pontificia iam patefacta, et vera libertas restituta est. Discas igitur orare, et bellum gerere contra carnem, postea vero pete a Deo, ut det tibi Rebeccam, non Hagar vel peiorem: non enim fortuito et absque gubernatione divina contingit uxor bona, sed donum est, non nostri consilii aut arbitrii, ut ethnici opinantur.

Non ad hunc modum Isaac institutus fuit, qui vixit quadraginta annis, haud dubie sine vexatione et flamma suae carnis, quia caro luctatur contra spiritum non minus in oeconomia, quam in politia aut Ecclesia. Sed obedivit parenti Abrahae, qui instituit eum, ut meditaretur in praeceptis Dei, et armaret se studiis sacris ad primam pugnam. Ideo Deus

postea dedit ei Rebeccam, cum qua quietam et placidam vitam egit. Id scriptura sancta tecte significat, et in hac infirmitate Isaac proponit nobis exemplum excellentissimum castitatis iuvenilis, quae est res magna, quia est bellum iuvenile. Et in illa castitate Isaac compraehenditur educatio et institutio, qua didicit abstinere a pravis sodalitiis, et testatur in eo fuisse studium, meditationem, orationem et exercitia laboris. Illa omnia lucent hic occulte in quadraginta illis annis, quibus vixit celebs.

Videtur autem fuisse eo tempore usitatum, ut adolescentes non ducerent uxores ante quadragesimum annum, puellae vero decennio minores nuberent, ut supra in Sara vidimus. Rebeccam quoque iudico fuisse triginta annorum. Post Diluvium fere omnes patres circa annum trigesimum vel quadragesimum duxerunt uxores. Ante Diluvium tardius, expectaverunt usque ad 100. 80. 90. annos. Post Diluvium festinavit Deus ad multiplicationem generis humani, ideo abbreviatum est tempus, ita ut masculi quadragesimo anno, foemellae trigesimo coniugia inirent. Fuit igitur seculum illud longe melius et praestantius, quam nostrum. Non putamus hoc malum explendo libidinem mitigari, scortationibus et adulteriis. Sed ita prorsus in bestias degenerant homines, et fiunt ad omnia bona opera inepti. Si in coniugium irruunt temere, et sine certa ratione praescripta divinitus, non ducunt uxores, sed poenam et perpetuam molestiam, quia sine invocatione et timore Dei fuerunt, quod prohibet Deus, quando inquit:
2. Mose 20, 7 Ps. 50, 15 'Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum', Item: 'Invoca me in die tribulationis.'

Sed molesta admodum et intolerabilis est mora illa, inquies: Recte sane. Ideo supra dixi, aequari eam aliis exercitiis pacientiae sanctorum, qualis est inediae, carceris, frigoris, morborum, suppliciorum pacientia et molestia. Sic libido gravis morbus et onus est: sed resistendum est et pugnandum. Sicut postea cum ad politiam veneris, aliis difficultatibus exerceberis, furtis, rapinis et varia improbitate hominum. In Ecclesia dimicandum erit cum haereticis, cum Diabolo, qui impugnat fidem, spem, dilectionem Dei. Sed habes verbum, habes scripturam sanctam, studia, exercitia, labores, inde crescet et confirmabitur fides. Ita libido quoque victa oratione serviet ad augmentum fidei et orationis. In istis igitur, ut videntur, inutilibus verbis, proponit scriptura sancta magnum exemplum castitatis Isaac et disciplinae pulcherrimae, quae fuit in Ecclesia et domo Abrahae.

25, 21 Et oravit Isaac Dominum pro uxore sua, nam illa erat sterilis, et exoratus est ab eo Dominus, concepitque Rebecca, uxor eius.

Haec alia tentatio est. Postquam cessit flamma libidinis, et coniunx factus est Isaac, eamque viginti annos uxorem habuit (tam diu enim differt Deus promissionem, qua promisit patri Abrahae: In Isaac vocabitur tibi

semen) sequitur iam alia crux, et quidem longe gravior priore tentatione. Victor libidinis vicit castitate Diabolum usque ad coniugium. In coniugio desiderat prolem secundum promissionem: neque sane exiguam spem habet, cum sciat praeparatam sibi et adductam uxorem divino consilio. Sed Rebecca non parit, nec habet promissionem, quod sit futura mater, sicut nec Sara primum habebat. Id eius animum haud dubie adflixit, et accessit ad hanc tentationem moetus et solicitudo de perpetua sterilitate, quam ipsi senserunt esse maledictionem. Patres enim maxime urserunt hoc verbum: 'Crescite et multiplicamini', in quo singularem et divinam 1. Mose 1, 28 benedictionem positam sentiebant, et quia non multiplicarentur, maledictos et sub ira divina esse iudicabant.

Facile igitur coniici potest, quam graviter excruciata sit Rebecca, et quantus fuerit dolor Isaac, cum videret uxorem pene desperare de prole. Habuit enim tum circiter quinquaginta annos: ibi cogitavit, iam ero effoeta et inutilis ad pariendum. Isaac adhuc aliquam spem habuit, si Rebecca non pareret, se aliam ducturum uxorem, sicut Abraham pater fecerat.

Haec spes Rebeccae adempta fuit, et singulos annos et dies sollicite numeravit, qui elapsi essent ex eo tempore, quo nupserat Isaac. Si quid spei adhuc restaret per annos et per aetatem. Igitur longe molestior haec tentatio fuit, quam prior, quia misera Rebecca suspicatur se de numero earum mulierum esse, quae privatae sunt benedictione Dei. Quid igitur faciat, cum frustra tam anxie desiderasse se prolem videat? fuit sterilis viginti annis, et iam fit emortua mulier: instabat enim annus et tempus mortificandae matricis. Rogavit haud dubie maritum, ut pro se oraret, id unum et extremum praesidium invenit. Non vult ei aliam coniugem dare, nec maternitatis gloria privari, Sicut Sara supra ancillam Hagar marito dederat: ideo inquit Moses: 'ET ORAVIT ISAAC DOMINUM PRO UXORE SUA.'

Rursus vero offendetur caro, et contemnet ista tanquam vulgaria et levia. Quid enim hoc magni est, quod maritus orat pro coniuge sterili: tamen multae mulieres sunt, quae impraegnantur sine oratione, imo contra votum et voluntatem multarum, quae non cupiunt habere prolem. Sed vide mihi illam excellentissimam fidei constantiam, tolerantiam, expectationem, quae caro non cernit, et invenies, quod mireris. Non enim sine dolore et ingenti perturbatione potuit cogitare de promissione, quod posteritas ex Isaac nasci deberet, ac quidem aliae mulieres omnes benedictae essent, quae nec orabant, nec promissionem Dei habebant, ipsa autem sola sine ulla spe prolis vivebat, et tempus illud coniugii in multo merore et lachrymis transigebat. Tamen retinet fidem, et magna constantia hortatur maritum, ut pro se intercedat apud Dominum.

Si nostrum aliquis eodem genere crucis, aut aliis calamitatibus, morbis, exilio, carcere adfligetur tot annos, et non murmuraverit, non abiecerit tole-

rantiam, sed perseverarit firmiter in fide et spe, is videbit, quid passa sit Rebecca. Caro externa illa tantum et oeconomica aspicit, quod obit domesticas et quotidianas operas, dormit cum marito. Sed hoc non videt, quod fuit patiens, suspirans, flens istis totis viginti annis, quia illae excellentissimae virtutes absconditae sunt ab oculis mundi, quales sunt: patientia, fides, expectatio in dilatione promissionis divinae. Hoc considerat et miratur caro, quando videt monachum in glauca veste, cinctum fune, abstinentem ab esu carnium, nihil tamen fidei, tolerantiae, crucis et illorum, quae sunt in Rebecca, habentem. Quare? Quia mundus caecus est.

Nos vero assuescamus ad certamina illa, quae subinde alia post alia pios excipere solent, et discamus fidem et perseverantiam, ne vacillemus, neve deficiamus a promissione, sed simus fortes, et pugnemus contra impatientiam et tela ignita Diaboli, qui impellit animos ad fremitum, et ad indignationem adversus Deum, ut excutiat fidem et tolerantiam in adversis. Proponamus nobis exemplum Isaac et Rebeccae. Uterque expectavit viginti annos, et interim viderunt foelicitatem et foecunditatem impiorum, qui eos riserunt, et conviciis incesserunt. Cur istam duxit? dixerunt, ambivit peregrinam. Cur non ex nostris familiis puellam aliquam honestam duxit? Rebecca est perdita et repudiata a Deo. Eiusmodi contumelias haud dubie audivit non sine magno animi dolore et lachrymis. Sicut Sara supra
1. Sam. 1,11 sterilitatem suam deploravit, et Hanna 1. Regum 1. Ob eandem causam miserabiliter luget, et tamen vicit pacientia et robore fidei.

Istas virtutes debemus praedicare, et in historiis patrum diligenter aspicere exempla illa pacientiae. Difficillima enim haec pugna est contra promissionem divinam, qua vincitur odium, murmuratio et impatientia contra dilationem Dei. Hoc enim Dei proprium est, et rectissime appellatur Expectatus, Nos vero expectantes. Hae appellationes perpetuo oculis et animis nostris obversentur, ut discamus frangere primos motus, ne statim fremamus, si unum aut alterum aut plures annos detinet nostram expectationem. Sed meminerimus durandum esse, et fortiter vincenda omnia, quae tentant nostram patientiam. Sicut Rebecca aliarum mulierum et familiae propriae convicia didicit contemnere, donec tandem expugnavit Deum suis et mariti precibus.

Hebraeum verbum (*Athar*) magnam emphasin habet, quia est singulare verbum orandi, significat importune et improbe orare: Ita ut pulsando et odiose instando Deo molestiam exhibeamus. Nos exorare dicimus. Primum enim petendum est. Secundo: quaerendum. Tertio: pulsandum. Si clamaverimus, Domine Deus, adiuva me in hac calamitate, libera nos ab hoc vel alio malo, nec sequitur statim liberatio: tum quaerenda sunt omnia exempla patrum. Vide, o pater coelestis, ut praesto fueris populo

34 (*Athar*)] עָתַר

tuo omnibus temporibus. Si adhuc cessat, tu tamen ne cesses orare. Sed dicas, non discedam, nec desinam pulsare, sed clamabo et pulsabo usque ad finem vitae meae. Sic Rebecca maritum hortata est: Mi Isaac, ne defatigeris, ne cesses. Et Isaac ipsius lachrimas et gemitus vidit, et exoravit Dominum.

Hinc igitur discendum est, quando oramus, certissimum esse, quod exaudiamur, ut certe hactenus Ecclesia oratione pacem impetravit, et Turcam cum Pontifice repressit. Tantum illud caveamus, ne, postquam semel incaeperimus precari, statim defatigemur, sed quaeramus, et proiiciamus omnem curam, calamitatem et crucem in Deum, et exempla liberationum omnis generis proponamus. Denique cum fiducia et continuis ictibus pulsemus fores. Ibi tum experiemur id, quod Iacobus dicit: 'Multum valet deprecatio iusti', penetrat enim coelum et terram. Non potest amplius ferre clamores nostros, ut Lucae 18. de iudice iniquo et vidua dicitur. Verum non una tantum hora petendum est, sed clamandum et pulsandum, ibi coges eum, ut veniat. Sic ego plane confido, si serio et ardenter in oratione instabimus, exoraturos nos Deum, ut veniat extremus dies. Jak. 5, 16 Luk. 18, 5

Ad eundem modum confugit Rebecca ad intentam et perseverantem orationem, et anxie noctes et dies suspiravit. Isaac quoque pro ea deprecatus est, et Deo nihil aliud proposuit, quam unicam illam necessitatem, videlicet sterilitatem coniugis. Unde discamus Deo omnes necessitates etiam corporales proponendas esse, ante omnia autem spirituales. Isaac ita oravit: Si est nominis tui sanctificatio, si ad conservationem regni tui pertinet, da Rebeccae prolem. Ubi deest promissio, sicut Rebeccae deerat, suppleat id, et succurrat oratio. Sed est res ardua et magni laboris, et longe difficilior, quam praedicatio verbi aut alia officia Ecclesiastica. Quando docemus, patimur magis, quam agimus. Deus loquitur per nos, et est opus divinum. Sed orare est difficillimum opus, ideo etiam rarissimum.

Magnum igitur est, quod audet Isaac oculos et manus attollere ad divinam maiestatem, quod petit, quaerit et pulsat: Maxima enim res est, cum Deo loqui. Est et illud magnum, quando ipse nobiscum loquitur, sed hoc difficilius est. Accedit enim infirmitas et indignitas, quae retrahit nos, ut cogitemus: Quis ego sum, qui audeam attollere oculos, levare manus ad divinam maiestatem? Ubi Angeli sunt, et ad cuius nutum tremit totus mundus, ad eumne ego homuncio miser dicam: Hoc volo et peto, ut mihi des? Monachorum et sacrificorum vulgus hoc ignorat, nec sciunt, quid sit orare. Quanquam piorum aliqui facilius has cogitationes vincunt. Sed preces vere potentes et validae, quae nubes penetrare debent, profecto difficiles sunt. Ego enim, qui cinis, pulvis et plenus peccatis sum, alloquor vivum, aeternum et verum Deum. Non igitur mirum est, trepi-

dare et refugere precantem. Sicut ego olim cum adhuc essem Monachus, et primum in Canone Missae legerem haec verba: Te igitur, clementissime pater, Item: Offerimus tibi vivo, vero et aeterno, totus stupebam et cohorrescebam ad illas voces. Cogitabam enim: Quo ore alloquor ego tantam maiestatem, cum ad conspectum aut colloquium alicuius Principis aut Regis expavescere omnes oporteat?

Fides autem, quae nititur misericordia et verbo Dei, vincit et exuperat trepidationem istam, sicut in Isaac vicit, qui de omni humano auxilia desperavit. Nemo enim potest sterilem uxorem iuvare, sumit igitur animum, et instituit orationem ad Deum ardentem et validam. Illam excellentem audaciam et magnitudinem fidei non videt caro. Propter nos vero ista scribuntur, ut simus audaces et confidentes, et discamus orare. Non enim possunt esse irritae preces fidelium. Sicut nec Isaac frustra orat. Sed ut Moses inquit: ‘et exoratus est Dominus’: ita nec nostros gemitus et clamores negliget Dominus, tantum ad orandum excitemur.

Iudaei hoc loco quaestionem movent de vocabulo (*Nocha*) id Hebraeis
Jes. 57, 2 proprie significat recta, sive directe, ſtracks für ſich, ut in 57. Isaiae: Ambulans (*Nechoho*) id est, qui neque ad sinistram, neque ad dextram declinavit. Dicunt igitur Iudaei orasse Isaac in directum ipsius uxoris: qui si fuit publicus mos sic orandi, Rebecca ante ipsum recta stetit, aut in genua procubuit, cui ipse manus imposuit flenti et gementi, atque ita simul Dominum deprecati sunt. Si fuisset talis ritus orandi, posset retineri propria significatio vocabuli. Si autem non fuit receptus mos, exponendum est spiritualiter, quod toto pectore et intentus in calamitatem uxoris oraverit. Sicut quando oro pro aliquo, propono illum mihi in conspectu cordis mei, et nihil aliud video aut cogito, in eum solum animo intueor.

Sic Isaac oravit proposita uxore sua in conspectu. Quo vult significare Moses, fuisse orationem ardentem et intentam, in qua non haesitaverit, non vagatus sit animo et cogitationibus. Qualis oratio celebratur illius, qui cum Bernardo certaverat, se orationem dominicam sine ullis peregrinis cogitationibus dicturum. Cum autem deposuissent equum, et finita oratione ex pacto verum fateri cogeretur, fassus est se inter orandum fuisse sollicitum de ephippio et freno, num et illa equo addenda essent, an non. Talis non debet esse invocatio piorum, quia non fit in directo, sed animus nunc ad dextram, nunc ad sinistram evagatur. Vera autem et ardens oratio Deo proponit causam, et magno studio et ardore in illam unam intuetur, nec turbatur ulla vel praesumptione vel desperatione. Sed dicit: Domine Deus, Respice adflictam istam mulierculam et promissionem tuam: nihil praeterea cogitat aut curat. Atque haec est deprecatio illa
Jak. 5, 16 iusti assidua, id est intenta et directa, de qua in Epistola Iacobi dicitur.

16 (*Nocha*)] נֹכַח *18* (*Nechoho*)] נְכֹחוֹ

Et concepit Rebecca uxor eius. 25, 21b

Hic locus maxime insignis et memorabilis est, quem Paulus in Epistola ad Romanos egregie tractat: 'Non solum autem illa: Sed et Rebecca, Röm. 9, 10—13 quae ex uno conceperat patre nostro Isaac. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi: Esau autem odio habui.'

Hic vero libenter divo Paulo assurgemus, eique magisterium et honorem hunc deferemus, quod solus ipse pro dignitate hunc locum explicare potuerit. Neque enim aliam aut meliorem explicationem adferre possumus. Et tamen, quia dicendum aliquid est, sicut imperfecti discipuli sequi perfectissimum praeceptorem volumus. Ego sane nunquam sic inspexissem haec verba. Moses sic dicit: Rebecca concepit. Sed quomodo? non tantum carnaliter, vel viribus naturae, sed oratione impetravit sanctus Patriarcha Isaac istam conceptionem. Atque ea non vulgaris gloria est Isaac. Cum enim tot Patriarchae vixerint adhuc, et viderint parvulos istos, Abraham, Sem, Salah, Eber, horum omnium tamen oratio tacetur. Soli Isaac haec gloria tribuitur tanquam haeredi promissionis, quod oraverit, hoc est, functus sit sacerdotali officio, imponendo manus Rebeccae iuxta ritum sacerdotibus usitatum. Igitur ista conceptio non est carnis aut naturae. Sed Deus voluit eam fieri oratione sancti Patriarchae ex fide, spe et charitate.

Idem igitur hic locus docet, quod Paulus in Epistola ad Romanos, ubi distinguit nativitatem ex carne, id est, ex creatione, a nativitate spirituali. Illam enim conservavit Deus post lapsum Adae, etiamsi natura depravata esset per peccatum et Diabolum, qui iusserat Adam aequalem Deo fieri, eodem casu, quo Lucifer coelo excidit, tamen non privavit Deus naturam generatione. Sed permisit, ut generarent pariter pii et impii. Hoc tantum significare voluit, non satis esse nasci in hunc mundum ex carne, sed requiri ultra nativitatem relictam in natura etiam renascentiam et renovationem regenerationis per spiritum sanctum. Ae hoc demonstrandum usus est divus Paulus loco isto de Esau et Iacob, et superiore de Issac et Ismaele. Uterque enim natus est secundum carnem et nativitatem primam, sed neuter pervenisset ad regnum coelorum ex regno humano, nisi Isaac constitutus fuisset haeres per novam generationem. Similiter et Iacob.

Ac hisce tam illustribus personis usus est Deus, ut proponeret exempla insignia superbissimae genti, quae futura erat posteritas Abrahae: norat enim indomitam eorum superbiam, et cervices adamante duriores propter hanc gloriam, quod essent filii et posteri Abrahae, ideo voluit hanc cautionem in textu ponere, ut obstrueret os superbum Iudaeis, et argumentum eorum solveret de nativitate carnis. Ea enim neutiquam sufficit,

sed requiritur ultra illam nativitatem renascentia. Quantumcunque sancti sint Patres Abraham, Isaac etc., tamen non generant filios regni prima nativitate, quae primum condita a principio mundi, et viciata est per Diabolum. Sed ultra creationem addenda est vocatio. Ita enim inquit
Röm. 9, 11. 12 Paulus: 'Cum neuter aliquid boni egisset aut mali, ex vocante dictum est ei', non ex creante: quia uterque aequaliter concepti et creati sunt. Sed ut sciret orbis terrarum, et praesertim populus ille durae cervicis, quod ultra creationem requiritur vocatio, quae alias promissio dicitur: non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Quia maior serviet minori.

Hoc argumentum assiduo agitatum et tractatum est ab initio mundi. Sicut coepit contentio inter fratres in utero materno, nec dum finis est huius belli. Quia idem certamen est, quod fuit inter Cain et Abel et posteritatem serpentis et seminis mulieris. Nativitas prima superbit et effertur immodice, praesertim si accedat parentum autoritas, hoc est, quod sunt ex sanguine patrum orti: deinde opulentia, potentia, regnum mundi, sapientia, iustitia, religio, inde existit odium illud inter Cain et Abel: Ismael et Isaac, Esau et Iacob, Inter Ecclesiam Dei et Diaboli. Ac Diaboli Ecclesia perpetuo dominandi cupida est. Primum propter sanguinem et patres, tanquam ex iuxta causa. Deinde propter benedictionem temporalem: Nos sumus filii patrum, inquiunt, sumus aucti regno, religione, opibus, victoriis clarissimis et miraculis. Denique ita exaltati sumus, et omnes gentes sint tanquam cauda, nos vero tanquam caput. Hoc videtur argumentum invictum et insolubile. Sed Scriptura contrarium dicit. Non qui ex carne nati sunt, non qui patrum filii, ideo Dei
Joh. 1, 13 filii sunt, 'quia non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nascuntur filii DEI'.

Ideo firmissimum argumentum est, quod opponi potest superiori, quod Deus distinxit inter Isaac et Ismael, Iacob et Esau, qui aequaliter nati sunt ex Abraham et Isaac, et tamen Ismael, ut maxime velit, non potest esse haeres, sed semen promissionis, quod habet vocationem et ultra primam nativitatem secundum et regenerationem, praefertur.

Inde vero exortum est perpetuum bellum, a principio usque in finem mundi, non de lana caprina[1], sed de illo glorioso titulo: Ecclesia, populus Dei, regnum coelorum, vita aeterna. Sie hodie nos litigamus cum Ecclesia Pontificia, quae vult esse populus Dei, et tenere regnum et sacerdotium, gloriantur se solos esse Ecclesiam Dei, quae Deum vere agnoscat patrem, et vere colat. Nos tanquam haereticos et Ecclesiam Diaboli damnant et persequuntur. Hoc illud est, quod infantes colliduntur, antequam nati sunt: quia duplex est Ecclesia in mundo ab initio, sicut duplex est semen:

[1]) *Vgl. Horaz, Episteln 1, 18, 15:* Alter rixatus de lana saepe caprina Propugnat nugis armatus. *Im Italienischen:* disputatur della lana caprina. *Otto l. c. S. 63f.* — *Deutsche Analogien bei Luther (Unsre Ausg. Bd. 20, 133, 10):* groß geſchrei, wenig wol (= wolle) *vgl. Thiele S. 96f.*

serpentis semen et mulieris semen, quae inter se dimicant, seseque collidunt propter titulum Ecclesiae.

Paulus vero argutissimam et firmissimam Dialecticam tradidit, cum monstravit discrimen inter nativitatem et vocationem. Ubi sola nativitas est, ibi est perditio: 'Quia, quod natum est ex carne, caro est.' Item: 'non ex sanguinibus' etc. Aliud est, quod Paulus ait: 'Ex vocante dictum est', hoc est, requiritur verbum Dei et promissio. Ultra creaturam audire oportet eum, qui vult regnare et esse filius Dei, non ut creantem Deum, sed ut vocantem. Quod si prima nativitas sufficeret, quorsum indigeremus Deo? Turci sunt homines honestissimi, sapientissimi et religiosissimi, regnum magnis laboribus partum severissima disciplina retinent, Si itaque talis esset populus Dei, qualis Turcicus populus est, nihil amplius requirendum esset. Insuper a Deo ornantur opulentia, sapientia, gloria, ratione et clarissimis victoriis. Sed quid aliud est apud Turcos, quam prima nativitas? Ratio enim nata est ex muliere, et ad rationem pertinent sapientia, iura politica, disciplina, leges. De his omnibus dicit scriptura sancta, quod sint perdita et damnata coram Deo. Joh. 3, 6 Joh. 1, 13 Röm. 9, 12

Iudaei suo tempore simul etiam sanguinem cum gloria carnis habuerunt. Turca tantum carnis gloriam habet. Iudaei vero de sanguine gloriabantur, hoc est, quod nati essent ex patribus et Prophetis. Deinde carnis gloria accedebat, videlicet regnum, potentia, religio, hypocrisis. Ideo omnibus modis gloriosi erant, non solum propter causam, sed etiam propter effectum. Causa erat: quia ex sanctissimis parentibus nati sunt. Effectus: quia habebant regnum, gloriam et opes. Turca non habet gloriam sanguinis: non enim natus est ex patribus. Sed habet regnum, sapientiam, gloriam, et ex istis maximis effectibus conatur probare, quod suus populus sit populus Dei. Sed quaeritur: Ubi est vocatio? Non opus est ea, inquiunt, sufficit prima nativitas. Si facit homo, quod potest ex se, salvus erit. Minime. Sed requiritur vocatio, hoc est, verbum. Si prima nativitas satis esset, ad quid opus esset nobis verbo? Quare vocat Deus ab oriente ad occidentem? Nonne nos sumus iusti, sancti, rationales homines? At contra haec omnia dicit Deus: Hoc volo, 'quod omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri': ut nemo glorietur in carne et sanguine, sed attingat renovationem, quae fit vocante Deo, alioqui omnis gloria cum de causa, tum de effectu inanis et nihili fuerit, et populus, qui hac sola gloria confidit, in aeternum damnabitur. Jes. 40, 6

Cum vero hoc ita docetur, Iudaei fremunt, et pene in rabiem aguntur: quia insaniunt in prima nativitate, nec ascendunt ad cogitationem alterius nativitatis, et sic pereunt. Similiter et Turca superbit simpliciter in prima nativitate, et non curat vocationem. Papa in eadem prorsus absorptus est, adeo ut omnem pietatem et religionem ad eam accommodaverit, ut, quando docuit Sacramentum altaris esse opus operatum, quo

declararent pii suam obedientiam erga Ecclesiam, ibi nihil est nisi natura ex prima nativitate, quae potest intelligere opus operatum, id est, obedientiam Ecclesiae. Postea implevit orbem legibus, quae sunt fructus arboris malae, quanquam habeant honestissimam et pulcherrimam speciem. Sed non audio ibi vocantem et promittentem Deum, sed operantem hominem ex prima nativitate.

Collidimus igitur nos invicem, sicut in toto orbe terrarum a principio usque ad finem factum est. Nos negamus eos Ecclesiam esse, quia gloriantur tantum de prima nativitate. Ipsi econtra damnant nos, qui credimus vocanti et promittenti Deo, et inde salutem expectamus. Quis hic arbiter et iudex erit? Iste textus: 'Non qui ex carne, sed qui ex fide sunt.' Ad salutem consequendam requiritur vocatio et promissio. Si quaeritur, an Turca sit salvandus, respondetur: quod non. Tamen hic est sapientia, honestissima vita, multiplex cultus, reverentia et obedientia erga Magistratum, disciplina militaris insignis? Sunt sane. Sed quo pertinent ista omnia? ad primam nativitatem. Damnandus igitur est, nec potest esse filius regni. Quia deest vocatio et regeneratio, et vult salvari per primam nativitatem, quae corrupta est, nisi per regenerationem restituatur. Ideo certum est Turcam non esse Ecclesiam, nec Iudaeos, quia non habent vocationem, quanquam nec causa, nec effectus desint, ut supra dictum est. Sic Papistica Ecclesia non est vera Ecclesia, quia incedunt in prima nativitate, et praesumunt ex operibus consequi salutem. Sed ubi
Röm. 9, 12 Deus ultra primam nativitatem addit vocationem, ut Paulus ait: 'ex vocante dictum est', ibi invenies Ecclesiam. Romani condiderunt pulcherrima iura et leges, sicut celebrantur a Poëta[1]: Tu regere imperio populos, Romane, memento. Sed nihil aliud sunt, quam ratio, quae nata est ex carne, muliere et viro: haec inutilis prorsus et mortua est coram Deo. Nullus igitur sive Papista, sive Turca, sive Monachus, sive Iurisconsultus seu Medicus salvabitur. Quia, quicquid in toto orbe est pulcherrimarum et utilissimarum rerum, id omne uno nomine damnatur, 'quia caro est et gloria carnis',
Jes. 40, 6 Isaiae 40.

Ideo vera Ecclesia sic docet. Nos non solum creati et nati sumus ex carne, sed Deus verbum suum misit et vocat, id est, praedicat remissionem peccatorum, et adoptionem filiorum per Iesum Christum, si hoc credimus, sumus Ecclesia. Sicut Isaac est filius promissionis, nec habet illam filiationem ex Abraham et Sara, quia nativitas carnis est. Sed ex illa voce: 'Isaac erit semen.' Ad eundem modum Iacob, quod est pars Ecclesiae, non inde habet, quia natus est ex Isaac, sed quod vox clamantis dicit: Iacob est minor, et tamen debet esse Dominus. Sic Abraham in Babilone fuit sapientissimus et honestissimus, habuit unam et legitimam

[1]) *Virgil, Aeneis 6, 851. Vgl. Unsre Ausg. Bd. 8, 64, 3.*

coniugem, vixit caste cum ea, sed periisset cum istis omnibus, nisi vocasset eum Deus ex UR Chaldaeorum.

Sic igitur discernenda est vera Ecclesia a falsa, quae praesumit vel de sanguine, id est, causa generationis, vel de effectu. Ismael arguit a causa. Ego sum natus ex Abraham, et quidem primogenitus. Ergo ero populus Dei. Causa et sanguis adsunt. Sed nisi habuerit vocationem, frustra praesumet de sanguine et nativitate. Sic omnes Papistae et Turcae iactant se esse populum Dei, et quanquam non possint gloriari de sanguine patrum, tanquam de causa: tamen de effectu gloriantur, hoc est, de potentia, iusticia et religione, quae omnia sunt ex carne. Sed si quaeras, an habeant praeter haec aliam vocationem, quod sint populus Dei? Nihil respondent. Sed tantum magna illa et divina beneficia praedicant, quae est inanis gloria, et diffusa pariter super bonos et malos.

Ex Papa si quaeras, quare sit populus Dei, respondet: quia sedeo in sede Apostolorum Petri et Pauli, sum eorum successor. Deinde habeo causam in scriptura: 'Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Matth. 16, 18 Ecclesiam meam.' Atqui sedere in loco Sancti Petri etiam canis aut porcus potest. Sed habere vocationem, id est, Verbum, cui credas, supra illam successionem, id scilicet constituit Ecclesiam et filios Dei. Id non habet Papa, sed persequitur hostiliter, ideo non est filius, sed hostis Dei et adversarius Christi. Nos vero nihil dubitamus nos esse Ecclesiam, quia habemus Euangelium, Baptismum, Claves, Scripturam sanctam, quae docet hominem perditum et damnatum esse in peccato originali, et requiri, ut regeneretur per Christum.

Necessaria igitur haec doctrina est, discernens inter veram et falsam Ecclesiam, et Iudaeis primum a Deo est proposita, ut superbiam eorum de sanguinis gloria confunderet hisce tam insignibus exemplis in utraque domo Abrahae et Isaac. Uterque enim, Ismael et Isaac, ex eodem sanguine Abrahae nati sunt, et tamen Ismael non est haeres: quia vult prima, et ea sola nativitate salvus fieri. Isaac autem haeres est, propterea quod habet Verbum et promissionem. Sic Esau et Iacob non solum ex uno patre, sed etiam ex eadem matre prognati sunt, idque fortius argumentum est, quam prius. Idem enim pater est, eadem mater, idem sanguis. Sed quare Iacob praefertur Esau? Respondeo. Ad Iacob venit vocatio: Esau praesumit ex prima nativitate, redire ad se haereditatem regni, illam praesumptionem odit Deus, et vult, ut accedat renovatio naturae, extra quam nullum ius regni aut haereditatis reliquum est: Et ex his locis possumus etiam nostros Iudaeos, qui hodie adhuc illam gloriam sanguinis somniant, potenter et efficacissime refutare. Quia ex eodem sanguine duo generantur, alter haeres, alter non. Et discernuntur penes vocationem. Aequales sunt omni gloria carnis, sed alter verbum habet et audit, alter contemnit.

Simile exemplum prorsus est Pontificiae Ecclesiae et nostrae, eundem

enim Baptismum, idem Sacramentum altaris, claves eosdem, eandem Scripturam et verbum habemus. Denique ex iisdem Apostolis et Ecclesia eadem, quasi una matre Rebecca orti sumus. Quare igitur dissidemus? Nos apprae-hendimus verbum in Sacramento, sequimur vocationem, et tractamus secundum fidem. Ipsi secundum speciem visibilem. Nos dicimus verbum in usu Sacramenti spectandum et fide accipiendum esse: Ipsi opus operatum faciunt. Vera igitur Ecclesia est, quae heret in verbo et fide, non nititur operibus, sed audit et sequitur vocantem Deum. Vocatio autem est verbum, per quod regeneratur natura corrupta a Diabolo et peccato.

Haec non levis dissensio et pugna est, nec immerito adversarii nobis tam hostiliter irascuntur, quia de summis rebus in toto orbe terrarum disceptamus: Non de imperio, non de opibus, dignitate aut potentia, sed de aeterna damnatione et vita aeterna. Ideo odia tam acerba sunt, et nunquam alibi acerbiora, quam in dissidiis religionis, quia causa maxima et gravissima est. An simus filii Dei, an filii Diaboli? Ipsi nolunt esse filii Diaboli, sed rapiunt gloriam et nomen verae Ecclesiae, ideoque damnant et occidunt nos. Econtra nos ex verbo eos damnamus, et de nostra salute veris testimoniis certi sumus, et retinemus firmiter discrimen illud, quod constituit Deus inter Abraham et Babylonios, Ismael et Isaac, Iacob
1. Mose 12, 1 et Esau, videlicet vocationem, qua dictum est ad Abraham: 'Egredere' etc.
1. Mose 25, 23 Item: 'in Isaac tibi vocabitur semen.' Item: 'maior serviet minori.'

Absque hac ratione non Abrahae tantum, aut Isaac et Iacob, sed omnibus hominibus prima nativitas prorsus est inutilis, imo omnium malorum fons et origo. Quod in exemplo duodecim Patriarcharum, qui ex Iacob nati sunt, depraehendi potest, qui fiunt homicidae, imo parricidae, proditores et interfectores patris, quia ita contristant optimum senem, ut emori exoptet. Ac posset id eorum peccatum, si quis exaggerare vellet, rectissime parricidium dici. Hi scilicet fructus sunt et opera carnis et sanguinis, qui ostendunt hominem sua natura totum esse Cainicum et parricidialem. Potuisset vero etiam in filiis Iacob exemplum statui, sed Deus noluit eos reprobare, contentus istis duobus testimoniis, Ismaelis et Isaac, Esau et Iacob. Et iudico eos esse salvatos, sicut de Ismaele et Esau etiam cogito, poenituisse eos, et accessisse ad vocationen. Et tamen voluit Deus hoc argumentum extare, quod prima nativitas coram Deo nihil est, quod caro prorsus est damnata cum omnibus, quae habet et potest, quantumvis magnum et eximium sit, ut sunt imperia, leges, iustitia, quale Augusti regnum fuit longe pulcherrimum, ubi floruit sapientia, iusticia, opulentia, tranquillitas, victoriae praeclarae. Sed haec omnia nativitatis primae, sive rationis, creationis et carnis sunt, ideoque damnata.

Videndum igitur est an adsit aliquid supra illa dona naturalia, sive Ethnici, sive Turca, sive Papa ea possideat. Si deest vocatio, simpliciter perditum et damnatum statues. Sic enim Deus ipse iudicavit, et prae-

sertim huic populo in ipsorum patribus principalibus ostendit: quod extra et supra primam nativitatem vocari eos oportuit. Et quid nativitas prima sine vocatione posset, horribilia crimina summorum Patriarcharum, qui parricidio et incestu sese polluerunt, ostendunt. Testantur idem historiae Regum et Iudicum, ac tandem immane illud scelus, cum filium Dei et Messiam suum cruci adfixerunt. Haec de discrimine verae et falsae Ecclesiae docet exemplum hoc insigne et mirabile de conceptione duorum infantium collidentium se in utero matris.

Addamus porro aliquid nugarum Iudaicarum propter eos, qui aliquando sunt lecturi Rabinorum commentarios. Illi enim hoc loco quaestionem movent, Quare Isaac non duxerit aliam uxorem, postquam explorasset sterilitatem uxoris suae ferme viginti annis: cum in exemplo Sarae statuant decem annos tribuendos esse explorationi sterilitatis vel foecunditatis. Respondent vero, quod alia ratio sit in Isaac, quam in Abraham: quia Isaac fuerit immolatus Deo, et factus sacrificium de holocaustum autoritate divina, proinde non licuisse ei alteram uxorem ducere. Perinde ut Paulus Episcopum vult unius uxoris maritum esse. Quam sint haec absurda et 1. Tim. 3, 2
frivola, nemo non videt, et tamen attingenda sunt nonnunquam ad monendos eos, qui sunt studiosi Hebreae linguae, ut dicta et scripta Iudaeorum cum iudicio legant. Agnoscimus sane magnum beneficium esse, quod linguam ab eis accepimus: sed cavendum est a Rabbinorum stercoribus, qui ex scriptura sancta quasi latrinam quandam fecerunt, in quam suas turpitudines et stultissimas opiniones ingererent. Hoc ideo moneo, quia multi hodie ex nostris etiam Theologis nimium Rabinis tribuunt in sententia scripturae explicanda. In Grammatica facile eos patior, sed vero sensu et intellectu carent, iuxta illud Isaiae 29.: 'Peribit Jes. 29, 14
sapientia a sapientibus, et intellectus prudentium eius abscondetur.' Haec sententia testatur nullum fore intellectum scripturae apud Iudaeos. Sed liber iste scripturae sanctae clausus eis et obsignatus est, 'lingua alia Jes. 28, 11
loquitur ad populum istum'. Isaiae 28. Neque quicquam aliud norunt, quam meras blasphemias in religionem Christianam.

Non igitur cohaerent ista: Isaac fuit immolatus, igitur non potest ducere uxorem alteram. Abraham aeque fuit consecratus Deo ac Isaac, imo amplius. Fuit enim vocatus ex UR Chaldaeorum, et non semel, sed saepius mactatus: et tamen non impeditur illa sanctificatione, quin ducere possit aliam uxorem. Ita prorsus Isaac licuisset ducere alteram, si voluisset. Sed maluit omnia ferre, et extrema pati, ut de se exemplum pacientiae et expectationis praeberet. Magna enim et certa spes erat maternitatis, electa divinitus uxore, adducentibus et paranymphis angelis, patre disponente et mittente servum. Sed ideo differtur in vigesimum annum, quia Deus voluit tentare istum sanctum virum et sanctam mulierem pro omnium Ecclesiarum exemplo et eruditione.

25, 22a Sed collidebantur in utero eius parvuli: quae ait, Si sic, ad quid ego?

Loquuntur historiae istae sanctorum Patrum de generatione, de concubitu, de copula masculi et foeminae, quibus nihil in mundo levius aut ridiculum magis videtur. Et tamen in iis tam levibus rebus excellentissima exempla fidei et aliarum virtutum proponuntur. Bona et sancta mulier ista Rebecca, quae fuit caro et sanguis, non aliter ac nos sumus, gravissime per tot annos tentata est. Primum enim certissime erat mater illa electa divinitus, per Angelos quaesita, inventa et adducta ad sponsum, ideo ut fieret mater. Sed nihil prorsus fit, et tentatur a Deo longa cruce et passione. Ibi sane libidinem et voluptatem tristitia, amaritudo, lachrymae et miseria comitata sunt. Haec scilicet sunt gaudia illa coniugii. Orat igitur et optat unice et ardenter fieri mater istius seminis. Postea cum exauditur, et quasi per vim expugnatur Deus ad foecundandam sterilem Rebeccam, succedit alia difficultas. Durum erat amittere illam spem, quam habebat ex electione et vocatione divina, et fieri opprobrium vicinarum et familiae. Nunc foetum impetravit, et gravida facta est ultra et praeter naturam: superata est sterilitas, et concepit novo miraculo, sed restant longe duriora ferenda. Cum enim habet foetum in utero, et sibi gratulatur, quod tam ampla spe post tantam desperationem erigatur, ut fiat mater duplici prole, quae prius reproba et proiecta fuerat, et iam alteri gloriam maternitatis, ut supra Sara fecit, cessura erat, tum demum in tristissimam et extremam desperationem coniicitur. Colliduntur enim filii intra ipsam: neque tamen certo scit, sintne filii, an non. Ait igitur: 'SI SIC, AD QUID EGO?' Ecliptica oratio est trepidantis et poenitentis de priore voto, quo optaverat gravida esse. Utinam nunquam orassem, Cogitat: Quare non fui patiens, et alteri dedi ius maternitatis? Siquidem tristiora multo quam antea experiri et ferre cogor.

Haec duplex, imo septuplex tentatio est, iam enim sentit satius fuisse manere in perpetua sterilitate, quam adfligi tam misere, et simul etiam de maternitate in dubium venire, quam secundo iam resignare cogitur, propterea quod sentit nunc mortem, et de vita periclitari incipit. Nescit enim, quid mali sit, qualis sit motus in utero, tantum sentit collisionem: nec potest aliud, quam se ipsam accusare et damnare stultitiae, quod tantopere flagitarit a Deo prolem. Videt nunc sibi pereundem esse maiore ignominia, quam si mansisset sterilis. Ita submergitur iterum spes maternitatis: imo mater cum foetu extinguitur. Non enim potest ratio aliud sentire aut cogitare, quandocunque Deus infirmat spem et orationem nostram, quam ut dicat, quo diutius oro, hoc gravius adfligor et excrucior.

Num igitur non erit orandum, non fidendum, non sperandum? ut nunc Epicurei dicunt, se permittere omnia divino arbitrio et ordinationi:

necessario enim ea eventura, quae Deus decreverit. Nequaquam intermittenda est invocatio. Quia iussit Deus orare, credere, invocare, sanctificare nomen suum, sperare. Posset Ecclesiam congregare sine Verbo, gubernare politiam sine Magistratu, generare liberos sine parentibus, pisces creare sine aqua, sed mandat nobis, et vult, ut praedicemus, ut oremus, et quilibet suo loco officium faciat, quod si non semper respondet eventus, ut nos praefinivimus: manendum tamen est in vocatione, et ipsi successus et exitus permittendus.

Talis haec quoque tentatio Rebeccae est. Cogitavit enim: Ecce, tu orasti, ut daret Deus prolem: melius fuisset non orare, cum enim sentit collisionem, nondum cogitat filios, sed aliquid monstri se in utero ferre. Ideo inquit: 'Si sic, ad quid ego?' Vulgaris translatio habet: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit me concipere? Sed significat sanctissima mulier poenitentiam et repraehensionem prioris petitionis, quasi diceret: Si sic, melius fuisset non orare. Si sic, quare oravi? quare optavi maternitatem contra Dei voluntatem. Sunt verba poenitentis de oratione priore et iam desperantis: Homines enim in maxima desperatione loquuntur semiplena verba: plus est in eorum oratione interiectionum, quam nominum et verborum, et significant eclypses illae magnitudinem doloris in cordibus adflictis et pene desperantibus, qualis Rebeccae animus fuit. Praecipua enim cura et solicitudo istorum sanctorum fuit de promissione seminis. Ipsa ergo desperat, et cogitat, non ero mater in ista Ecclesia, sed alia dignior eligetur post meam mortem, atque ita resignat maternitatem, ut supra Sara et infra Rachel, quae vere uxor erat Iacob, et tamen igitur alteri maternitatem cedere. 'Vade, inquit Rachel ad Iacob, ad ancillam.'

Sed pauci haec perpendunt in hisce historiis. Sicut Papistae iudicant patres tantum explevisse voluptates et libidines suas, ut ipsi faciunt, qui sine tentationibus et laboribus vivunt. Sed fuerunt in sanctis hominibus maximi motus et adflictiones, quae facile omnem cogitationem et sensum voluptatum excusserunt. Fuit regenda magna familia, et interim ferendae tristes tentationes, quasi omni auxilio divino destituti essent.

Nobis autem proponuntur ista in exemplum et doctrinam, primum quod ista generatio carnalis, quantumcunque foeda et corrupta, tamen non est naturae propria, sed donum Dei. Hoc in patribus discendum est. Dispergit quidem id donum Deus in multitudinem pessimorum hominum. Sed pii intelligunt vere donum Dei esse. Sicut Psal[mo 128. dicitur: 'Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae. Ecce sic bene- Ps. 128, 3 f.
dicetur, qui timet Dominum.' Discat igitur pius, quod sit maximum donum et creatio divina gignere et parere filios aut filias. Inde enim vocamus Deum creatorem nostrum et patrem nostrum. Nec moveamur illa deformitate peccati et poenae, quo obruta est generatio, quominus sentiamus esse benedictionem Dei, et opus Deo acceptum et placens,

Impii non intelligunt, qui et reliquas creaturas, ut creatorem ipsum, sumunt in vanum, adeo ut non solum creatura, sed etiam creator subiectus sit vanitati. Sed discernenda est deformitas ista a creatura, quam vult Deus esse gloriosam, et magni fieri. Sicut sancti patres id didicerunt ex hisce tentationibus, esse generationem opus divinum et solius Dei. Ac sane verum est, si non tam foeda libidine et turpitudine infectum esset, non possemus non obstupescere ad dignitatem et miraculum tanti operis. Quid enim est mirabilius, quam quod homo ex homine nascitur? Sed obscuratum et oppressum est foeditate et vicio libidinis. Ideo talibus exemplis celebrari et expediri oportet, ut magnificentiam operis et benedictionis divinae agnoscant homines.

Secundo proponunt ista exemplа fidem, spem, charitatem, hoc est, modum, quo Deus solet nobiscum operari. Sic enim agit cum sanctis
Röm. 11, 33 Patriarchis, ut Romanorum 11. dicitur: 'Incompraehensibilia sunt iudicia eius, et impervestigabiles viae eius': non solum in operibus suis, sed etiam in verbis et promissionibus. Ideoque in mundo apparet nihil esse fallacius verbo Dei et fidei, nihil vanius spe promissionis. Denique nihil magis nihil esse videtur, quam Deus ipse. Haec igitur est scientia sanctorum et mysterium absconditum a sapientibus et revelatum parvulis. Papa et Turca facile credunt, quia apud illos tanti successus sunt, et tanta florent potentia, sapientia, specie sanctitatis, religione, ut nihil supra. Turca tam certo statuit se esse populum Dei, ut vitam et caput oppignerare non dubitet. Quia habet rem et Deum in manibus. Deus ornat eum pulcherrimis et summis donis, et contrarium agit cum Christianis, subiicit eos cruci et praebet adversariis mactandos, tanquam oves occisionis. Ideo Turca superbissime nobis insultat, Sicut in quadam clade Christianorum, cum viderent passim iacentia cadavera truncata naribus, riserunt miseriam trucidatorum, et virulentis Sarcasmis has voces ingeminarunt: Iesus Maria, quasi dicerent: Ubi nunc est DEUS eorum?

Ps. 7, 7
Ps. 10, 1 Hinc illae tam tristes querelae in Psalmis: 'Ne obdormias.' 'Quare longe stas?' et similes voces animorum dubitantium, Num habeamus Deum,
Ps. 42, 11 et quaerentium: 'ubi est Deus?' Num credendum in eum, qui se occultat et subtrahit a nobis? Sed Turca nescit, quid faciat ipse, aut quid de nobis futurum sit. Iudicat Christianos repulsos et reiectos a Deo, et praesumit de favore Dei et electione sui, induratus magis et obstinatus, quam Diabolus ipse. Verum dum tradimur in manus ipsius et succumbimus, repletur coelum martyribus, et excitantur gemitus et suspiria piorum pro extremo die. Ipse vero aeternum exitium sibi accelerat. Non aliter tempore Assyriorum et Babiloniorum agebat cum Israelitis: nullus successus, nec
Jes. 45, 15 victoria, nec Deus apparebat, 'ibi vero erat absconditus Deus, Deus Israel, salvator', ut in Isaia dicitur 45. Sicut hodie coelum et terra, Papa et Turca, et omnia nobis adversantur. Et Deus, in quem credimus, est plane

nihil, princeps mundi et Deus saeculi est Deus. Ideo multi ex Christianis deficiunt a nobis ad Turcam, qui non sunt recte instituti, et non habent verbum. Illic vident omnia florere, et ex eo praesentiam Dei aestimant, siquidem Deus illos vivificat: nos autem occidit, et tradit in manus crudelis hostis.

Nos vero nihil aliud habemus a Deo, nisi purum verbum, quod Dominus Iesus sedet ad dextram patris, et est iudex vivorum et mortuorum, per quem sumus reges et sacerdotes. Sed ubi possunt haec discerni? Non in indicativo: sed imperativo et optativo modo. Cur enim se ita abscondat, cernemus in illo die, cum fuerint inimici omnes subiecti pedibus ipsius. Interim credamus et speremus. Si enim iam oculis coram intueri liceret, nihil opus esset fide. Utut vero fides falsa, et spes vana esse videatur: tamen futurum scio, ut Turcam pedibus nostris proteramus, et qui nunc sepulti iacent, quorum sanguinem effudit, hi conculcabunt eum et deturbabunt in infernum. Idem facient et reliqui martyres omnes, qui a Caesare, Papa, Gallo et aliis exusti sunt. Quia haec est scientia sanctorum, credere contra mendacium in veritatem, contra veritatem manifestam in veritatem absconditam, contra spem in spem.

Haec scientia in isto exemplo Rebeccae proponitur. Ipsa enim exaudita est, et electa in matrem: sed nihil minus est, quam mater, etiam nunc cum impetrata est foecunditas, et data spes maternitatis satis ampla. Ita subito omnis spes et expectatio concidit. Haeccine ergo est impletio verbi Dei? Respondeo. Haerendum est simpliciter in illa scientia sanctorm et miranda eorum gubernatione. Sic enim Christus ipse, cum esset transiturus ad gloriam patris, moritur, et descendit ad inferos. Ibi evanescit omnis gloria. Dicit ad discipulos: ‘eo ad patrem’, et vadit ad sepulchrum. Joh. 14, 12
Talia exempla diligenter meditata et ob oculos posita habeamus. Cum enim occidimur a Turca magna contumelia et blasphemia, cum mactantur infantes, senes, puellae immani crudelitate, nos clamamus: Ubi Christus? ubi Deus noster? Ipsi quoque nobis insultant: Ite nunc, et credite in Iesum. Sed respondeamus illis etiam non audientibus cum fiducia: En infans iste, quem tu dissecuisti, aut palo affixisti, tanta claritate ornabitur in altera et meliore vita, ut sis optaturus haec foelicitatem, ut possis videre vulnera, quae ei inflixisti. Quia nihil aliud efficit, quam quod coelum replet martyribus. Quia occiduntur omnes nomine Christi: et rursus replet infernum suo et populi sui corporibus.

Sic Papa (quanquam deterior est Turca, quia nihil credit) quos occidit, hos putat prorsus extinctos esse, et sibi impune licere grassari in quoslibet, et ad similem crudelitatem instigat monarchas. Nos interim quaerimur nos occidi et opprimi, et clamamus: ‘Quare obdormis, Domine?’ Ps. 44, 24
Abscondit enim se ad tempus Deus, et, ut in Canticis dicitur: ‘stat post Hohel. 2, 9
parietem nostrum: sed respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.’

Ideo non procul abest. Sed praesens intuetur omnia, et uterque, Pontifex et Turca, eo ipso, quod occidunt nos, nolentes volentes nobis inservire
1. Petri 5, 4 coguntur, 'ut coronam iustitiae immarcessibilem accipiamus'. Quemadmodum et Herodes nunquam tantum gratificari infantibus potuisset benefaciendo, quantum occidendo benefecit. Sic nos quoque deseruisse videtur, quia ascendit ad coelos, sedet ad dextram patris, et tamen relinquit Verbum et Sacramenta. Sed quid hoc? Caro obiiciet: nihil ego video, est tantum verbum. Est sane verbum, sed in eo praecipua et divina virtus est, quam senties, si firma fide ei adhaeseris: Etiamsi vita in discrimen sit adducenda, parum id refert, parum enim abest, ut a mortuis resurgas, et vivi-
Röm. 11, 33 ficeris. 'Viae eius sunt impervestigabiles, et iudicia eius abscondita' erga sanctos suos, sicut testatur filius eius unigenitus, qui est exemplum perfectissimum omnium filiorum.

Sic igitur res maximas tractat Moses in generatione humana et carnali opere. Rebecca amittit suum honorem maternitatis, et Deum ipsum, qui eam exaudierat, et fecerat gravidam: is subtrahit manum, et abscondit faciem suam, ut non amplius divinum opus conceptionis, sed ludibrium aliquod Satanae videatur: nec aliter cogitat, quam se reiectam et reprobatam esse. Sed non cessat nec abest perpetuo. Ita quidem administrat omnia, ut verbum prorsus nullum et nihil esse videatur. Sed ex hoc nihilo et nullo facit omnia, maxima et miranda permutatione. Ita ut, quae prius videbantur esse OMNIA, pereant, et ad nihilum deducantur. Sic Papae interitus iam coepit, et quotidie magis ac magis spiritu oris Christi pessundabitur. Ac brevi fiet, ut et Turca exitium se dignum inveniat.

25, 22b Perrexitque Rebecca, ut consuleret Dominum.

Misera Rebecca sentit deplorata esse omnia et desperata. Quid igitur faciat? Vadit ad quaerendum Dominum. Hactenus visa est reiecta esse a facie Domini, et iam spes et fides in summo paroxysmo laborant. Sed ille ipse dies criticus est, cum reviviscit, et vadit ad consulendum Dominum, cum ad extremum laborare et periclitari videbatur. Tum enim facilime rumpitur nervus, cum intenditur vehementissime.

Iudaei disputant, quonam iverit Rebecca ad consulendum Dominum. Rabini nimium monachi sunt, cum dicunt secessisse eam in locum solum. Nos igitur eorum sententiam retinemus, qui dicunt profectam esse ad sanctum Patriarcham Sem, qui adhuc vixit, et cum eo Salah et Eber. Illi Patres gubernarunt Ecclesiam, et hinc inde verbum et veros cultus retinuerunt. Ivit autem haud dubie non sua sponte ad Sem in tanta necessitate: sed consilio et autoritate Isaac et Abrahae, quos eadem tentatio attingebat, ad eum missa est, tanquam in locum publicum et ad publicam personam, ubi sciebant esse Ecclesiam principalem. Quia fuit Sem sanctissimus vir, qui gubernavit Ecclesiam, Verbum et cultum tot centenariis

post Diluvium. Ideo sermones eius habiti sunt pro oraculis. Interrogavit autem Rebecca non tantum de foetu: sed etiam de salute: et num irae divinae hoc signum esset, an gratiae? Quaelibet enim calamitas etiam corporalis adfert secum desperationem aut dubitationem de Dei erga nos voluntate. Ac propterea in omni tentatione praemuniendus et confirmandus est animus, ne sentiat se adfligi ab irato Deo, qui velit nos in aeternum perditos. Ut, cum Turca et Pontifex tam immaniter in nos grassantur, merito angimur et trepidamus omnes. Sed si habes Verbum et Sacramenta, tum claude oculos, et secure contemne eorum saevitiam, adeo ut dicas: Saevite et insanite, quantumcunque libuerit, et vel frustillatim me discerpite, Scio tamen, quod Christus, liberator meus, vivit, et sedet ad dexteram patris. Ideo et ego vivam, et vicissim pedibus vos proculcabo.

Sed illa fiducia et superbia non ex re praesenti, sed futura oritur. Ratio tantum visibilia sequitur. Sed hic mortificanda est, ut verbum et fides locum habeant. Non potest autem occidi ratio, nisi per desperationem, diffidentiam, odium et murmurationem contra Deum: ut tandem animus remotis omnibus obiectis externis haereat tantum et acquiescat in verbo et Sacramentis: Quia Deus simpliciter incompraehensibilis, et nullus est in omnibus suis operibus et miraculis, propterea quod deserit in passionibus et afflictionibus, secundum nostrum sensum, et tantum dat verbum, quo nos, sicut piscis hamo trahitur, ita per mare illud periculorum et tentationum ad portum deducit.

Et dixit Dominus ad eam: Duae gentes sunt in utero tuo, et duo 25, 23
populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit,
et maior serviet minori.

Hactenus dictum est, quomodo Deus fuerit absconditus, imo amissus huic sanctissimae mulierculae, quin et ipsi Isaac et Abrahae, ac omnibus in illa Ecclesia: ita ut necesse habuerit recurrere ad Ecclesiam et Patriarcham Sem, et ibi quaerere auxilium et consilium. Iam vero scribit Moses, quomodo ille amissus Deus iterum inveniatur et appareat. Nobis scilicet in exemplum, ne desperemus in nostris tentationibus, si oratio promissione certa nititur: sed simus certi, Deum non posse non apparere et respondere, si vel coelum aut universa creatura ruinam et interitum minarentur.

Quanquam vero difficilis est illa expectatio, tamen ita instituti et edocti esse debemus a spiritu sancto, ut sciamus Deum cogi ad audiendas nostras preces: quia impossibile est eum mentiri. Promiserat autem Isaac benedictionem, sed illi promissioni multae difficultates et impedimenta obiiciebantur, ut posset animus infirmus dubitare, an esset vera promissio. Rebecca licet non haberet promissionem, tamen orabat. Et si vera est oratio, qualis haud dubie Rebeccae oratio fuit, niti eam promissione divina necesse est: quis enim tolleret manus et oculos ad Deum proprio ausu,

nisi de voluntate Dei certus esset? Proinde omnis oratio nititur praecepto et promissione Dei: Quia extat verbum Dei in secundo praecepto, quod
Pſ. 50, 15 docet orare: 'Non assumes nomen Domini Dei in vanum.' Item: 'Invoca me in die tribulationis.' Posita autem oratione, scias tibi de exauditione tam non esse dubitandum, quam de promissione dubitare non potes, nec debes. Quia orationis fundamentum est promissio: Non voluntas nostra, non dignitas, non merita nostra. Huius doctrinae insigne exemplum est Rebeccae oratio, quae post tot impedimenta tandem mirabiliter exauditur.

Postquam enim gravida facta est initio, nihil dubitat se exauditam et adiutam esse divinitus. Sed statim fiducia illa turbatur novo et inexpectato periculo: Colliduntur enim foetus in utero, ita ut denuo in desperationem redigatur. Cum vero in summa trepidatione est, erigit eam rursus Deus verbo, et significat ipsam vere exauditam esse, ut testetur se amare orantes in fide et expectantes in oratione, hoc est, in difficultate orationist

Talia exempla Papistae non norunt nec intelligunt. Eorum enim oratio nihil aliud est, quam irrisio Dei. Sed seria et ardens oratio, quae non desinit, non defatigatur, sed expectat usque ad ultimum punctum, haec tandem perrumpit coelum et terram, et est impossibile, ut non exaudiatur. Tunc enim est sacrificium Deo gratissimum, quando sic oramus, ut oratio excedat nostrum captum et intellectum. Sicut ad Ephesios 3. dicitur:
Eph. 3, 20 'Qui potens est, omnia cumulate facere, supra quam petimus aut intelligimus.' Quando desperata res est, omnia consilia et studia irrita: ibi tum esto fortis, cave deficias. Quia Deus ex mortuis et ex nihilo vocat omnia. Quando nihil rei aut spei est reliquum, ibi demum incipit auxilium divinum. Atque hae perfectae orationes sunt. Interim tamen non sunt contemnendae orationes infirmae et hominum infirmorum. Sed illae proponuntur nobis in summo gradu et perfecto exemplo, ut imitari conemur. Primum enim, ut pueri Alphabetum et Donatum[1] discunt. Sic nos balbutimus in imperfecta oratione: quae neutiquam contemni debet. Ut enim, qui Alphabetum et Donatum non discit, nunquam Virgilium aut latine loqui discet: Ita qui non orat infirmiter, nunquam ad perfectam orationem pertinget. Diligenter igitur doctrina huius loci observanda est, quae ostendit, quanta vis sit orationis et quam gratum sacrificium sit Deo perseverare in ea, sicut Rebecca perseverat usque in finem, cum nihil consilii reliquum est, nisi ut Ecclesiam consulat.

Describit autem Moses valde copiosam exauditionem: 'DIXIT DOMINUS', scilicet: per Sem. Supra enim diximus Deum esse locutum per
Matth. 19, 4 Adam etiam. Sicut Christus interpretatur Matthaei 19.: 'Non legistis, quia, qui fecit ab initio masculum et foeminam, fecit eos. Et dixit: propter hoc dimittet' etc. Deus dixit illa verba, et tamen Moses scribit

[1]) *Donatus = Grammatik. — Die lateinische Grammatik des Aelius Donatus (4. Jhrh.) war so verbreitet, daß sein Name oft gleichbedeutend mit Grammatik ist.*

Gen[esis 2. Adam locutum esse. Fuit igitur Adam plenus spiritu sancto 1. Mose 2, 23 f.
et Deo, qui locutus est per Adam. Ideo Adae verba sunt verba Dei. Sic adhuc Ecclesia plena Deo quicquid dicit, non aliter accipiendum est, quam si a Deo ipso dictum esset. Sic praecipit Deus, ut parentibus et magistratibus obsequamur, et audiamus verbum suum ex ipsis. Ad eundem modum Dominus per Sem, qui ultra communem intellectum fidei plenus erat prophetia, locutus est huic sanctissimae Matriarchae.

Maxima autem et copiosissima consolatio in his verbis proponitur: 'DUAE GENTES' etc. Hoc enim vult dicere Sem: Tu orasti, et tecum maritus et Abraham oraverunt. Putas autem vestras preces non esse exauditas, et te morituram. Sed nihil minus metuas. Atque in medias res et consolationes fertur Sem. Tantum enim abest, inquit, ut pericliteris de vita, ut duae gentes ex utero tuo egressurae sint. Tantum es vexata, et oratio tua tentata est, an velis perseverare. Scias igitur plus esse exauditum, quam oratum fuit: plus esse datum, quam petitum aut intellectum fuit. Tu enim non potuisti intelligere, quid aut quantum Deus esset daturus. Ipse melius intellexit tuam orationem, quam tu.

Istud exemplum bene notandum et nobis imitandum est. Nam et nos oramus contra Antichristum, Turcam et sectas. Ac sane habemus causas maximas et desperatas, adeo ut non possimus cogitare aut intelligere ullum remedium vel auxilium: nisi ut imploremus divinam clementiam, ut acceleret adventum extremi diei: Non igitur desistendum est ab oratione, sed clamandum ab iis, qui sunt fortes, fortiter, qui sunt infirmi, infirmiter, ut Christus ipse dicit Luc[ae 18. de piis, qui clamant ad se die Luk. 18, 7
ac nocte.

Maior autem et difficilior nostra necessitas et causa est, quam unquam ullo tempore in Ecclesia fuit. Quia habemus contra nos fecem et finem mundi, extremum illum furorem Papae et Turcae, qui volunt nos devorare, et devorabunt. Ideo orandum est, et ita orandum, ut nitamur mandato ac promissione Christi. Quanquam enim videantur brevi ruitura omnia, quid tum? ruant sane: tamen tuae preces impetrabunt plus, quam petis. Ipse enim promisit, et oratio nostra petit ante omnia et ante nostra mala sanctificationem nominis Dei et conservationem regni Dei. Utut igitur omnia desperata sunt, et nos etiam hic occideremur omnes: tamen scio adversariis pereundum esse: Sie ſollen herunter, Quia oratio exaudita est.

Sic igitur Rebeccam consolatur Sem. Tua oratio, o Rebecca, opulenter et supra omnem intellectum exaudita est. Tu unum filium petivisti a Domino, et iam in hoc periculo tantum cupis foeliciter et salva vita parere, imo contenta esses, si scires orationem tuam exauditam esse. Sed sis bono animo et secura de partu. Deus enim te exaudivit, et orationem tuam praeclare intelligit. Tu filiolum unum aut filiam petivisti, eam petitionem ipse cumulabit, et augebit uberrime. Quomodo? 'Duae gentes

sunt in utero tuo' etc. Id nimirum est orationem exauditam esse. Non enim duo filii, sed duo Patriarchae maximi sunt, quos paries. Ideo non tantum de filio nascendo exaudita est oratio, sed et de posteritate duorum filiorum, de duabus magnis gentibus. Ideo ne disputa, ne despera. Non gestas monstrum aut Diabolum, quod ex illa collisione in utero timere potuisti. Sed iam es mater duorum maximorum populorum.

Ita ipsa tantum oravit pro vita sua et filii, et impetrat vitam duorum Patriarcharum et posteritatis eorum. Petivit teruntium, et impetrat montem aureum, quod nec sperare nec credere ausa fuerat. Voluit enim esse orationem modestam et modico contentam: Sicut nos solemus exilia et minuta flagitare, nec cogitamus, cum quanta maiestate loquamur orantes. Si enim parvula tantum et minuta dare vellet, non praescripsisset formam
Matth. 6, 9 f. orandi tam amplam et magnificam: Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum etc. Deus non est Euclio[1] aut Irus[2] aliquis, sed proponit et offert ingentes opes et summa dona in coelo et in terra: ea vult te petere et expectare. In qualibet enim precatione: sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie etc. compraehenditur coelum et terra et omnia, quae in iis sunt. Quid enim est sanctificari nomen Dei, advenire regnum, fieri voluntatem eius? Est prosternere infinitos Diabolos, et totum mundum haurire una oratione. Sed nos sumus angusti pectoris et imbecillis fidei. Ideo hoc exemplum accurate observemus, et discamus: quomodo Deus non sit contentus pauxillo, tametsi nos paucula petamus, sed
Eph. 3, 20 plus dat, quam nos intelligimus aut petere audemus. Ephesiorum III.

Sed videamus verba Patriarchae Sem. Quatuor enim complectuntur, quae primum legaliter tantum accipiemus. Primum dicit: 'sunt in utero tuo duae gentes', et sunt iam coram Deo tantae, quantae esse debebunt. Sed ubi nati et adulti fuerint, tunc dividentur. Haec altera pars est, promissio, quod Edom et Iacob duo populi futuri sint, divisi carnaliter, Edomitae et Israelitae, sicut Scriptura sancta testatur. Non autem erunt sub uno capite, sed uterque suam gloriam habebit, ut Princeps sui populi. Habebunt etiam institutas oeconomias, politias et Ecclesias, sed erit aliqua differentia. Dividentur enim in diversas religiones, politias, iura et leges. Credibile enim est Esau ex domo Abrahae tulisse secum circumcisionem, et aliquot ritus sacrificandi, ita illius populus peculiarem politiam, ritus et Ecclesiam habuit. Iacob vero accepit singularem ordinationem politiae et Ecclesiae, qualis non fuit in orbe terrarum, et simul successionem ac haereditatem promissionis. Illae igitur gentes separabuntur politice et Ecclesiastice: idque etiam carnaliter impletum est. Nam spiritualem explicationem Paulus in Epistola ad Romanos habet, de qua alias. Postremae

[1]) *Euclio ist der Geizige, der den Schatz gefunden hat; Figur in Maccii Plauti Aulularia.* [2]) *Irus = Εἶρος: der Bettler in der Odyssee.*

duae particulae sunt: 'POPULUS POPULUM SUPERABIT, ET MAIOR SERVIET MINORI.'

Edom sive Esau valde crevit, sicut postea videbimus, quando occurrit fratri Iacob cum quadringentis viris, ubi Iacob neminem secum: praeter quatuor mulieres habebat. Et in tricesimo sexto capite enumerantur XI. duces, qui tenuerunt terram Edom, unde colligi potest maximam fuisse potentiam Esau. Iacob vero adhuc errabat in terra Canaan, et in Aegypto peregrinabatur, cum interea fratri undecim nepotes et magni duces nati essent. Igitur secundum literam quoque impleta est Prophetia illa. Sed tempore Davidis crevit minor, Israel, et occupavit regna, et subiecit sibi etiam Edom, Sicut in Psalmo 59. dicitur: 'In Idumaeam extendam Ps. 60, 10 calciamentum meum.' Infra vero Isaac in benedictione Esau hanc promissionem exponet et mitigabit, quod servitus ista ad certum tempus duratura sit. Sic enim ait: 'Veniet tempus, cum excutias et solvas iugum 1. Mose 27, 40 eius de cervicibus tuis', Idque accidit tempore Ahab, ubi Edom apostatavit, et elegit sibi proprium regem.

Haec igitur summa est promissionis et exauditionis tam opulentae. Sic enim eam consolatus est Sem: En, mea Rebecca, pro te orasti, et tantum te et prolem tuam optasti salvam esse, sed promitto tibi longe maiora. Habitura es non tantum unicam prolem, sed duos filios et duces duorum populorum, praeterea utriusque statum et conditionem tibi Deus significat, ut scias, qualem sis habitura posteritatem, etiam post obitum tuum: Unus fortior, alter infirmior in politia et religione, sed minor populus manebit haeres et dominus. Fortior non opprimet prorsus infirmiorem, imo hic dominabitur illi. Igitur non solum habes personam tuam et partum salvum et incolumem, sed descriptam quoque historiam utriusque partis ad omnem posteritatem in infinitum.

Haec igitur in nostram doctrinam et consolationem scribuntur, ut discamus orare plena fiducia, nec desperemus aut dubitemus de exauditione. Oratio enim quanquam contra et supra intellectum fit, tamen non est irrita. Quia Deus non vult ea contumelia adfici, ut sentiamus eum non esse veracem. Atque ideo iussit nos orare, et non tantum praecepit, sed etiam promisit se auditurum, ut certo statueremus eum velle praestare, quod petimus. Summa igitur latria et religio est, credere Deum veracem esse. Praeterea formam simplicem et certam habemus, qua praescripsit, quid et quomodo orandum sit. Si igitur oras: Pater noster etc. cogita, tu, Domine, iussisti, et promisisti te auditurum orantem. Neque dubites de Dei veritate et promissis. Etiamsi enim Diabolus uno momento totum mundum everteret, tamen sanctificabitur nomen Dei. Et si etiam nobis omnibus moriendum esset, tamen reservamur et custodimur in futuram resurrectionem sine ulla dubitatione. Quin etiam in hac vita videmus manifestam vim et efficatiam nostrae orationis. Certe enim oratione servatur imperium mundi, servatur vita et omnia bona, quibus fruimur in hoc mundo.

Porro hunc locum divus Paulus sublimius tractat, et refert ad historiam spiritualem et veram. Roma|norum 9. Ubi allegat ex Propheta
Mal. 1, 2 f. Röm. 9, 12 Malachia: 'Iacob dilexi, Esau odio habui.' Item: 'ex vocante dictum est, quia maior serviet minori.' Ibi attingit promissiones non temporales, sed veras. Iudaei haec secundum carnem tantum accipiunt, ut quando ex Aegypto ducti occuparunt terram Canaan. Sed in istis carnalibus continentur etiam spirituales promissiones. Nam ex illa infirma parte debuit nasci filius Dei, ut salus non ex gentibus, non ex Edomaeis esset, sed ex
Joh. 4, 22 Iudaeis. Ut Ioan|nis 4. dicitur: 'Omnia propter Christum scripta sunt, qui venit ex linea illa minoris populi.' Paulus igitur ad hunc modum tractat hunc locum, ut faciat duplicem nativitatem, carnis et promissionis. Esau etiam filius promissionis fuit. Sed fit ibi separatio quaedam et divisio in populum maiorem et populum minorem. Ibi Paulus secundum magnum suum spiritum et apostolicum sic interpretatur, quod maior non sit futurus haeres, sed minor, Iacob. Sic et alii omnes, qui sequuntur promissionem, haeredes fiunt. Sicut supra dictum est copiosius. Promissio igitur secundum corpus ad Esau pertinet, secundum spiritum vero ad Iacob, qui erat filius Rebeccae minor secundum carnem: sed dominus et maior secundum spiritum.

Sicut autem de Cainica et Ismaelitica Ecclesia dixi: quod fuerint reiecti: sed ita, ut abiectio illa ad humiliationem ipsorum faceret, ut resignarent haereditatem, quam praesumpserant habituros se ex carne. Per poenitentiam autem et fidem in promissionem salvati sunt. Ita textus testatur, quod multi ex Edom salvati sunt, non ideo, quod essent filii Edom: quia illa linea est reprobata, sed quia promissionem fide appraehenderunt,
Röm. 9, 8 iuxta sententiam Pauli: 'Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis.' Coniunxerunt igitur se cum Ismaelitis, et dixerunt: Sara avia nostra, et Abraham pater noster est, sed in hoc non salvabor, nihil enim prodest carnalis generatio, sed credo in semen, quod promissum est patribus, sicut Isaac et Iacob crediderunt, et salvati sunt. Hanc fidem quicunque habuerunt, haereditatem vitae aeternae nacti sunt, sed qui ex illa posteritate manserunt in praesumptione maioritatis ex carne, illi omnes perierunt.

Sic nos gentes non possumus gloriari, ut Turca gloriatur de suis regnis, aut Pontifex de successione ordinaria et summa potestate in
Joh. 1, 12 f. Ecclesia. Sed in hoc gloriamur, quod Ioan|nis 1. scriptum est: 'Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.' Ad hanc cognitionem pervenire omnes nos necesse est. Sicut Paulus Rom|anorum 4.
Röm. 4, 12 Abraham patrem circumcisionis appellat, 'non iis tantum, qui sunt ex circumcisione, sed et iis, qui sectantur vestigia fidei, quae fuit in praeputio
Joh. 8, 39 patris nostri Abrahae'. Sic Christus Ioan|nis 8. ait: 'Si filii Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis', Is enim credidit Deo, et per promissum

semen iustitiam et salutem consecutus est. Ita qui credunt Deo, filii Abrahae et filii Dei fiunt.'

Discendum igitur est ex hoc loco, universam gloriam carnis a Deo reiectam et damnatam esse: nec posse nos ea iustificari. Sicut nec patres gloria carnis vel sanguinis iustificati sunt, quod hoc exemplum potenter confirmat, insigne admodum et dignum, quod aureis literis scribatur.

Collidebant autem se hi duo fratres in utero, et editi postea toto tempore vitae litigant. Ita nos perpetuo decertamus cum Papa et Turca. Nec potest nobis societas aut pax cum illis esse in aeternum. Ismael et Edom, hoc est maiores illi et robustiores, qui antecellunt nos opibus, potentia, multitudine et sapientia, adversantur nobis, qui sumus iuniores, et infirmiores. Sed consolatio nostra haec est. Si quidem collidi nos oportet, et gerere bellum *ἄσπονδον* cum Edomitis, quod de victoria certi sumus. Verbum enim sive promissio sine ulla dubitatione vincet. Si qui autem ex adversariis salvantur, non ideo, quod Papistae, quod Monachi aut Turcae sunt, salvantur, sed quia ad nos se conferunt, hoc est, ad Abraham, Isaac, Iacob. Et quanquam non sunt de nostro semine: tamen sunt insititii. Sic reiicitur non universa massa, sed gloria et superbia massae, quae de patribus, ceremoniis et lege gloriatur. Et si nobiscum vult inseri, erit massa sancta nobiscum et cum tota generatione piorum. Sed ex gratia, non ex iusticia carnis et operibus, in quibus mundus salutem et iustitiam quaerit.

Postquam igitur impleti sunt dies eius, ut pareret, Ecce gemini 25, 24–26a
in utero eius. Qui prius egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus: et vocaverunt nomen eius Esau. Post hunc protinus egressus est frater eius, cuius manus appraehendebat plantam Esau, et idcirco appellavit eum Iacob.

Haec est descriptio mirabilis et periculosi partus, quo mater haud dubie vehementer consternata est, sic se collidentibus foetibus in utero. Talis enim partus describitur, ut nisi promissio servasset Rebeccam, subito in partu extincta fuisset. Neque sane intelligo, aut simile exemplum unquam legi aut audivi. Sic enim habet textus. Gemelli sunt reperti, cum inciperet parere. Quia mulieres, quae aderant, tantum unam prolem sperabant, sed mox spectantibus ipsis intelligunt esse gemellos. Illud vero usitatum est, ut nascantur gemelli, etiam sine periculo matris. Sed hic periculum ingens est, eum edito priore Esau protinus Iacob egreditur, atque ita, ut manu appraehendat plantam fratris. Scimus autem infoelicem et difficilem partum esse, quando infans non rite editur capite primum exeunte, sed manu altera aut pede exerto. Ibi de vita periclitantur mater et proles. Saepe etiam foetus laceratur, et frustillatim eruitur. Ita hic partus admirabilis et plenus periculi describitur, quo ad

matrem et Iacob. Primus egreditur salvus, sed alter de vita periclitatur. Servavit autem Rebeccam promissio, in qua audierat parituram se duos populos, vel capita duorum populorum. Ideo non desperat in tanto periculo.

Porro Moses utrunque infantem describit. (Egressus est primus *ADMONI.*) Inde Adam appellatur, quia formatus est de terra rubra: quam Plinius et Iosephus dicunt esse optimam. Post eam nigra commendatur, fulva autem et gilva est deterior. *EDOM* significat rufum. Necesse est autem fuisse in eo singularem rubedinem. Nascuntur enim alias omnes infantes rufi, et post partum etiam rubent. Sed Esau insigniter rufus fuit prae fratre aut aliis infantibus. Deinde aliam notam habet, qua etiam a fratre differt: quia est hirsutus et pilosus. Non tantum in capite, ut alii infantes, et praesertim masculi multum capillorum habent, sed ultra ruborem Esau etiam habet hispidam et totam hirsutam cutem. In manibus et pedibus et toto corpore pilosus est: Quia addit similitudinem, sicut (*Adereth*). Mirabilis sane descriptio est infantis rufi et pilosi, cui vix similem habent historiae gentium, quae saepe tamen partus inusitatos annotarunt.

2. Kön. 2, 8 Vox Hebraea significat pellem vel pallium pilosum, sicut 2. Reg[um 2. describitur habitus Heliae, qui fuit pallium hirsutum, quo percutit Iordanem,
Jos. 7, 21 ut dividantur aquae. Et Iosuae 7.: 'Vidi inter spolia *Adereth Schinear*', quod hic (*Schear*) dicitur. An vero illo tempore ex lana vestimenta fecerint, nescio. Hoc genus puto fuisse vestem pelliceam, pulchram et longam ad formam pallii aut togae, qui fuit vestitus Prophetarum. Potest etiam intelligi hyperbolice. Sicut in nostra lingua eiusmodi comparationes habemus, cum eos, qui sunt crinibus passis et horridis, similes dicimus Erinaceis, wie ein Igel oder ein Hareul. Sic etiam mulieres de Esau consuetudine domestica et hyperbolica loqui potuerunt.

Post Esau natum describitur etiam nativitas Iacob, is est in periculo vitae, et suae et matris. Ita enim subito sequitur fratrem, ut plantam eius appraehendat. Et cogitare licet eos propemodum uno momento edito esse. Miranda igitur haec sunt, quibus nihil simile in ullis historiis extat. Simpliciter enim et vere divinum opus est, quod Deus hic operatur. Ideoque Moses tam accuratus est in descriptionibus istis, ut diligenter singulae res gestae notari possint, et ut excitetur lector ad considerandam magnitudinem harum rerum.

Hic enim confirmantur fundamenta totius doctrinae Christianae. Et vult Deus per horum gemellorum nativitatem praeiudicare toti mundo, imo praevenire et opprimere omnes iustitias carnis, vult docere perditam esse et inanem omnem sapientiam carnis et praeeminentiam, per hoc unum,

6 ADMONI] אַדְמוֹנִי *8 EDOM*] אֱדוֹם *16 (Adereth)*] אַדֶּרֶת *21 Adereth Schinear*] אַדֶּרֶת שִׁנְעָר *22 (Schear)*] שִׁנְעָר

quod dixit: 'Maior serviet minori.' Non igitur disputatio est de regnis et imperiis mundi: multo minus de lana caprina[1], aut anilibus fabulis. Sed vgl. 1. Tim. 4, 7 haec verba iaciunt fundamenta nostrae doctrinae, et potenter ea confirmant, videlicet, quod caro coram Deo est mortua et damnata, spiritus autem vivificatur. Et subindicatur peccatum et corruptio originalis, ne quis in carne, sed in Domino et promissionibus eius confidat.

Id non potest satis dici et inculcari. Quia sunt altissima illa iudicia Dei, et viae Dei impervestigabiles. Non loquor de iudiciis Dei a priori, quae habet apud se in intimis et arcanis consiliis suis: Quare sic vel aliter consultet, agat, regat, salvet, perdat etc. sed de vocante, loquente, manifestante se a posteriori. Quemadmodum ad Mosen dicit: 'Posteriora mea 2. Mose 33, 23 videbis.' Nam hic quidem videmus tales vias et talia iudicia, quae non capit homo, sicut dicitur 1. Corinthiorum 2.: 'Naturalis homo non percipit 1. Kor. 2, 14 ea, quae sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere', ita ut etiam sancti non intelligant, quid petant: Adeo iudicia illa ac viae Dei a posteriori, hoc est, vocantis et manifestantis se verbo et externo opere, sunt nobis impervestigabiles. Quod si illa non sunt compraehensibilia, quomodo ea compraehendemus, ubi intra se et in sua divinitate nobis est absconditus? Satis igitur habes negocii et studii, ut intelligas Deum operantem et vocantem, non opus est te quaerere et rimari arcana et altiora tuo captu.

An non enim maxima caecitas est humanae carnis, quod tam graviter offenditur hoc exemplo iudicii divini: quod Esau primogenitus non debet haeres esse, sed Iacob, qui est minor et post illum natus? Hoc nunquam capies humana ratione, licet audias vocantem et clamantem istas suas voces, imo etiam propter eas vastantem reges et regna mundi: tamen ea ratione damnabitur hoc iudicium Dei: 'Maior serviet minori.' Non persuadebis unquam Turcae, quod sit damnatus coram Deo: Non Papae, quod sedes Romana sit sedes Satanae: Nec Carolo V., Ferdinando et Gallorum Regi: Quia caro, hoc est, maior superbit, vincit, et est quasi omnia in mundo. Econtra spiritus tristis, mortuus et plane nihil est. Sicut Esau cogitat: Ego sum primogenitus, Igitur sum Ecclesia, sum filius et populus Dei. Iacob vero abiectus est sine honore et nomine. Sicut hodie experimur adversarios nostros rapere ad se Ecclesiae titulum, qui tamen nihil minus sunt, quam Ecclesia.

Esau ergo est primogenitus. Iacob est posterior, sed Deus invertit ordinem et dicit: Caro superbit, spiritus luget. Attamen caro est falsitas, spiritus autem veritas est. Quia omnis homo non solum est mendax, sed etiam *φίλαυτος*, qui semper sibi persuadet et praesumit meliora, et iudicium et doctrinam hanc aspernatur et odit. Incipe a principio mundi, et considera ordine omnium aetatum exempla. Cain primogenitus est dominus:

[1]) *Vgl. S. 384, 36.*

Abel est servus. Regnum Aegypti est flos mundi, et tamen est stercus Diaboli. Deinde regnum Assyriorum, Babiloniorum, Graecorum, Romanorum dominatur. Israelitae et populus Dei etiam novi Testamenti durissima servitute premitur. Contra istam invictam superbiam carnis haec scribuntur, ut sciamus quo pacto nos gerere debeamus in tanta diversitate fortunae: quomodo firmum iudicium, constantem et fortem animum possimus retinere ad ferendas res contrarias. Si video Turcam aut Papam in maxima maiestate, dicam: Tu es sine verbo. Non est apud te verbum, glorieris igitur, quantum potes, et sis potentior etiam omnibus angelis: tamen es damnatus. Quia caro, sive Maior serviet minori.

Sed Turca et pontificii obiiciunt: Quid verbum? quid Elias? Elizeus, Lutherus, Philippus? Ego habeo regna, opes, potentiam, vires, formam, sapientiam, in quibus gloriatur et regnat totus mundus: Ergo sum beatus, et sum populus Dei. Vos estis miseri, adflicti et propterea a Deo abiecti. Huic maximo scandalo nos id opponimus: Nos audimus vocantem Deum, manifestantem se et clamantem: Maior debet esse minor, id est, Caro dominans debet fieri serva: Et spiritus serviens debet fieri Dominus. Haec nostra gloria est, quae ridetur quidem a mundo et a potentibus huius seculi, sicut in principio statim Cain dominabatur, Abel serviebat. Attamen Cain est abiectus, Abel autem vivit. Sic Assyrii, Babilonii dominabantur, et vastabant Iudaeam, Ierusalem et templum. Sic Persae regnabant, Iudaei erant captivi. Iudaei tamen manserunt, illi vero funditus interierunt. Sic Romani superbe imperabant: Apostoli erant exules et fugitivi, esuriebant, sitiebant, erant nudi et tanquam morti destinati 1. Corinthiorum 4. Hodie Turca regnat, Christiani serviunt, Papa superbit, Ecclesia luget. Attamen Papa cadet et interficietur spiritu oris Christi. Verum est quidem, inquit Deus, Mundus est maior, Ecclesia et populus meus est minor: Sed ego sic iudico, quod maior erit minor, et econtra: minor erit maior.

1. Kor. 4, 9 ff.

Haec est doctrina fidei, spei consolationis et charitatis ergo Deum et homines. Non est alia differentia, nisi quod hic in Ecclesia est vocans Deus, illic in mundo et apud impios silet Deus. Turca ne unam quidem literam habet, qua probet ista, quae facit, iuste fieri. Ibi non est vocans Deus. Sic Papa et Caesar nihil audiunt, sunt in silentio. Nos autem habemus vocantem Deum, quia aperuit se nobis, ut habeamus visibilem, sensibilem et appraehensibilem Deum. Habemus Verbum, Baptismum, Claves, et tamen patimur. Bene est, patiamur sane. Sed servi erunt Domini, et econtra: Nos manebimus, Ipsi submergentur. Nostri posteri, qui vere nostri sunt, manebunt etiam hic in terris, ut subinde aliqui Prophetae ab initio mundi manserunt, et quasi haereditario iure nobis vocem Dei tradiderunt.

Id argumentum Deus toti mundo voluit proponere, et confirmare hac historia. Non igitur oscitanter eam legamus, ut prophanam aliquam histo-

riam: alioqui plane frigida est, nuda et mortua, ac si legerem narrationem aliquam de Turcici Imperatoris nativitate aut rebus gestis. Deus voluit singulari consilio doctrinam suam in hoc exemplo ostendere, et manifestare opus suum in illis duobus fratribus, ut videremus, quomodo maior serviet minori. Esau est primogenitus, et ob hoc magnifice se effert. Est Chaldaeus, Babilonicus, Persicus, Graecus, Romanus Imperator. Breviter, est Papa et Dominus dominantium. Sed non habet vocantem Deum: nisi qui eum damnat hac voce: Maior serviet. Quanquam huic voci non credit. Iacob vero habet vocantem et tribuentem imperium in maiorem. Sed non est potens, sapiens, sanctus. Attamen cum sit vocatus, regnabit. Sicut Prophetae haec diligenter evolverunt, ẽt multiplicem consolationem inde hauserunt, ut 41. capite Isaiae: 'Noli timere, vermis Iacob.' Jes. 41, 14

Id voluit significare Deus statim in ipsa nativitate. Esau primum erumpit, est Edom, rufus et hersutus. Alter est glabra cute, et non ultra consuetum rubens, nihil insigne in eo eminet. Esau autem, qui primus est, debet esse insignis prae fratre duobus maximis signis, et non solum parentes, sed etiam amici et vicini, qui adsunt, uno ore appellarunt eum Esau, istis duobus signis moti. Quia sapientia humana non potest aliter iudicare, quam Esau futurum haeredem, propterea quod es primogenitus, et insignitus duobus excellentissimis notis, rubedine et pilositate. Habet autem nomen ab operando vel faciendo, quasi dicerent: Hic futurus est vir ille, qui praeclare omnia faciet, et erit, ut vulgo dicitur, fac totum[1], quemadmodum Cain inde nomen sortitus est, quod mater arbitrabatur se acquisivisse virum illum, quem Deus promiserat victorem peccati et serpentis. Talis nimirum est mundus, quando iudicat de illis summis rebus. Ideo rectius formemus iudicium nostrum de iudiciis divinis, quae sunt stultitia coram mundo. Ipse enim est Esau et fac totum, sicut Turca et Papa est Esau: Nos sumus spreti et contempti. Sed in verbo et vocatione possunt haec discerni.

Habent autem tria argumenta, cur tantopere praedicent Esau. Primo est primogenitus. Deinde est viginti annis expectata proles magno desiderio, et multis precibus exorata. Tertio est rufus et hirsutus. Quae omnia faciunt, ut omnes singulare aliquid sibi promittant de illo infante, contra iudicium divinum.

Sic scilicet solemus nos signa, quae nobis adversantur, et quibus minatur Deus impiis, interpretari in contrariam partem, quasi sint pro nobis. Blandimur nobis et consolamur nos, ac si nihil adversi nobis possit accidere. Sicut Iudaei ante excidium Ierosolimae, cum noctu aperiretur templum sine manu, quod erat signum vastandam esse urbem cum templo, et ingressuras gentes in templum sine ullo impedimento, id ipsi in optimam partem accipiebant. Dominus iam nobiscum erit, dicebant, ingreditur ad

[1]) *Von Luther oft gebraucht; vgl. Unsre Ausg. Bd. 36, 182, 15.*

nos sua sponte. Adeo ratio nostra sui amans est: et quicquid boni dicitur, ad se trahit. Ut, si quis laudatur, putat id verissime de se dici. Adeo est homo adulator pessimus, et gnato[1] sui ipsius. Ex malis signis bona colligimus, et mala in alios transferimus.

Sic ista duo signa, quae ipsi putant data esse ad glorificandum primogenitum, sunt valde mala, esse rufum et hirsutum. Rubedo enim in scriptura sancta significat sanguinariam iusticiam, pilositas autem crudelitatem. Sicut econtra candor, lux, albedo sunt bonae significationis. Hic igitur significatum est in ipsa nativitate: quod omnes, qui ex sanguine sunt, sanguinarii sunt implacabiliter et sine misericordia crudeles. Deinde hirsuta cutis fallax est, et significat hypocrysin. Haec certe sunt pessima signa, et contraria rationi, ideo ipsa in suum commodum et meliorem partem rapit.

Observemus autem, quod in corpore Satanae sunt pilosi et abominabiles hypocritae. Quia mendax cutis est pilosa cutis. Naturalis autem cutis non debet esse hirsuta. Deinde rufus color ad homicidas pertinet. Ista duo portenta sunt in Ecclesia et corpore Diaboli, scilicet mendacium et homicidium. Verum non agnoscunt illi has notas, sed gloriantur de
Joh. 16, 2 iustitia et misericordia. Sicut Christus inquit Ioannis 16.: 'Qui interficiet vos, arbitrabitur se obsequium praestare Deo.' Num ergo is hirsutus et rufus videtur, qui Christum et suos occidit? imo candidissimus, ut Sol, et omnibus stellis splendidior. Nihil apparet hirsutum in hypocritis: sed summa iusticia, religio, veritas. Diligenter igitur notandum est, quod Esau adfert secum signa vera et propria Ecclesiae Diabolicae, cuius ipse caput describitur. Alter Iacob non est rufus, sed glaber et candidus.

Ad hunc modum pinxit Deus hanc historiam non solum promissionibus, sed etiam signis, ad confirmandam illam sententiam. Quod caro sit morti et Diabolo subiecta, quantumcunque potens, magnifica et millies maior, quam Turca, aut omnia regna. Sed Iacob et vere pii in mundo sunt nihil, Illi sunt omnia. Differentia autem haec est. Apud nos est vox. Illic est silentium. Vocat autem Deus ea, quae non sunt, ut sint, et destruit ea, quae sunt, ut nihil sint. Quia verbum Dei maius est, quam infiniti mundi. Non igitur sine singulari consilio proposuit Deus clarissima ista duo signa, quae in omnium oculos et aures incurrerent. Esau est factum et opus, quod Deus fecit. Nos non sumus Esau: prorsus nihil sumus. Sed historia haec contrarium docet, et nos potenter confirmat: Omnia scilicet mundi et Esau esse nihil. Solum Dei verbum esse omnia.

Est et hoc observandum in hoc loco, cum Isaac signa et nativitatem filiorum non statim intelligit secundum sententiam promissionis: quod sancti non semel et subito omnia discant aut intelligant. Sicut supra quoque

[1]) *Über Gnatho im Sinne von Schmarotzer (bei Terentius) vgl. Cicero, Phil. 2, 6. Terentius, Eunuchus 2, 2, 33.*

audivimus Abraham et Saram coactos proficere et progredi, nec statim promissionem divinam perfecte intellexisse. Usu igitur proficiunt sancti de claritate in claritatem. Abraham putabat se habiturum prolem ex Sara. Sed ubi videt eam effoetam et sterilem per aetatem, ducit Hagar: et eam pro matre seminis habet, donec de novo, interprete spiritu sancto, exponatur promissio, quod Sara sit futura mater seminis promissi. Sic patres in dies magis ac magis exercitati et progressi sunt. Sicut Petrus monet: 'Crescite in eo' etc. Non pervenerunt statim ad perfectam et absolutam 2. Petri 3, 18 cognitionem, sed varius usus et experientia, variae tentationes et pericula erudierunt eos. Ita hic Isaac et Rebecca audiverunt futuros duos populos et maiorem serviturum minori. Ibi sic ratiocinati sunt: Qui primogenitus est, haud dubie est maior. Et putant iam debellatum esse in utero matris. Ideo priorem vocant Esau, id est, Poëtam sive factorem omnium, quasi dicant: Iacob debuisset esse maior, sed in utero superatus est divina ordinatione a fratre, qui prior egressus est, et est ornatus istis duobus signis. Ideo de Iacob non dicitur: Vocaverunt nomen eius, sicut primogenitus communi omnium voce Esau appellatur, sed pater vocavit: Et nomen quidem habet a planta, quasi dicas, supplantatorem vel conculcatorem. Et tamen est magis optativum, quam indicativum. Esau indicativum est, non optativum. Ipse faciet ea. Sed quia is, qui maior in utero fuit, Iacob, factus est minor in nativitate, et victus est a maiore. Ideo cogitavit pater: Det Deus, ut fias supplantator. Sicut adhuc ex gestu apparet te voluisse supplantare maiorem: siquidem eius calcaneum praehendisti, sed divina vox invertit. Itaque optat eum hoc esse, quod voluit. Conculcatorem, non quidem fratris primogeniti et victoris illius, sed gentium et aliorum populorum.

Sic ego puto intellexisse Isaac promissionem et nativitatem duorum filiorum initio. Non enim fuerunt tam sancti et perfecti patres, sicut Monachi de Augustino et aliis sanctis somniant, quos fingunt perfectissimos. Et est exemplum, quod testatur sanctos patres crevisse in cognitione, ut omnes pios subinde crescere necesse est. Propterea enim permisit eos labi et errare Deus, ut sciremus haesisse in eis imperfectam cognitionem, fidem, charitatem, sicut postea gravis admodum lapsus Isaac describetur.

Eiusmodi exemplis nos erudimur non credendum esse ulli homini, quantumvis sancto: sed respiciendum esse ad vocantem, et ad eius verbum. Studia autem verbi non sunt nec debent esse unius aut alterius anni: quia res est infinita verbum Dei. Adversarii clamant: Ambrosius, Augustinus sic vel aliter docuit. Sed nihil illi ad nos, nisi attulerint vocem Christi. Quicunque ex illis clarius habet verbum et vocem illam: illum malim sequi, quam Augustinum aut quemvis alium. Sicut Augustinus clarius docet et dexterius tractat scripturas sanctas, quam Ambrosius, ideoque

utilior est eius lectio, quam Ambrosii. Sed universaliter de omnibus illud teneamus: 'Lucerna pedibus meis verbum tuum' et 2. Petri 1.: 'Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, et Lucifer oriatur in nobis.'

Ps. 119, 105 2. Petri 1, 19

Non enim tam perfecte et integre addisci potest, quam in se est perfectum et purum. Quia adhuc haeret in nobis sensus carnis, qui expurgatur tentationibus, ut lux subinde clarior fiat.

25, 26b. 27 Sexagenarius erat Isaac, cum illi nascerentur: quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi et vir campi. Iacob autem, vir integer, habitabat in tabernaculis.

Moses ideo annos aetatis Isaac recenset, ut significetur et commendetur purissima castitas eius, qua vixit cum Rebecca 20. annis. Deinde etiam expectatio prolis tam longi temporis usque ad desperationem indicatur. Multis itaque tentationibus exercitati sunt sanctissimi coniuges. Non ociosi, nec furiosi in libidinem fuerunt, sicut hodie ignavum genus hominum huius postremi saeculi solet. Fuerunt item peregrini, et nihil proprii habuerunt, sed vagati sunt hinc inde magna pacientia et humilitate. Sicut supra dictum est de Abrahamo: quae omnia huc pertinent.

Huc usque autem superstes Abraham fuit, et vixit cum nepotibus istis quindecim annis, sed vita eius multo brevior fuit, quam reliquorum Patriarcharum. Non dubito autem fuisse pueros eximiae indolis: Uterque enim educatus est et institutus ab ipso Abrahamo in obedientia et reverentia non parentum tantum, sed etiam Patriarcharum. Fortassis etiam interpres fuit promissionis huius Abraham, et cum aliis voluit Esau factum maiorem per victoriam Dei in utero, cum fuisset minor. Amplius non intellexit aut vidit, quia moritur, antequam mores et studia utriusque inspiceret.

Iam autem incipit scriptura sancta properare ad differentiam istorum duorum fratrum: et ad declarationem, uter horum sit vere maior et Dominus. Ut intelligatur promissio haec: Populus populum superabit, Item: 'Maior serviet minori.' Postquam vero adoleverunt, incipit illa divisio, et uterque ex studiis suis cognoscitur, ut est in veteri versiculo: Curvum se praebet, quod in uncum crescere debet.[1] Neque enim dubium tum fuit, quin Esau sit primogenitus, et competat in eum promissio illa, quod sit maior, et dominari debeat: Iacob vero servire tanquam minor. Sed haec est descriptio duorum fratrum per Antithesin, in qua ita describitur Esau, quod sua culpa et meritis suis se privaverit maioritate, adeoque brevi

[1]) *Die deutsche Form:* So krümmet sichs balde, was da wil ein Hacke(n) werden *siehe Unsre Ausg. Bd. 16, 28, 11. Vgl. Thiele S. 366 und Veit Dietrichs Übersetzung der Genesis-Vorlesung (1541) zu Kap. 25. Erl. Ausg. Op. exeg. 18.*

futurus sit minor. Iacob vero econtra dominium et maioritatem adepturus. Est enim Esau vir gnarus venandi et vir campi. Scilicet dominus Poëta et factor ille securus est, et inflatus propter primogenituram, et paulatim cadit de promissione et spiritu in gloriam carnis. Audit enim, quod sit sacerdos et dominus: Inde statim oritur contemptus fratris et donorum spiritualium, et sequitur superbia carnis. Contra Iacob modestus est, humilis, quietus et simplex, non effert se immodice, nec quaerit gloriam: Iſt der ſacktreger und waſſertreger. Estque hoc initium horribilis lapsus Esau, et imago totius mundi, qui sic ruit a spiritu in carnem. Contemnunt enim modica, humilia, luctuosa, periculosa, vexationi et molestiis exposita: Et quaerunt gloriam, quaerunt pacem, opes et amicitiam potentum.

Sed non sentit initio casum suum Esau, donec benedictione spoliatur. Interim superbit, non curat aut colit patrem: ducit uxorem de Cananaeis, et nimium confidenter praesumit se tantis bonis non posse excidere. Qui mos perpetuo est omnibus hypocritis et praesumptuosis. Sicut dicitur Psalmo 9: 'Dixit in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem.' De piis dicunt: Sunt haeretici, maledicti: nos sumus filii regni, sumus Ecclesia et populus Dei. Sic omnibus temporibus omnes haeretici, omnes adversarii verbi certissimi sunt et securissimi de Dei beneplacito. Quin adeo late hoc vicium patet, ut verbis explicari non possit. Sic Sacramentarii initio clamabant: Est certissima veritas. Quia inflantur illi omnes successu carnis et earum rerum, quas caro quaerit, ut sunt gloria, maiestas, potentia, applausus populi, et offenduntur stultitia et infirmitate spiritus. Ideo Esau quoque arrogavit sibi Episcopatum et summam gubernationem in Ecclesia Abrahae: non multum curavit obedientiam matris, ut Iacob. Quia servile videbatur obedire matri in istis leviculis et domesticis actionibus, quae ad servos pertinent et ad Iacob. Ego sum dominus cogitavit. Jacob muſs waſſer holen, Sum Dominus in utroque ordine: Iacob est servus meus. Ideo plane securus est, et deligit genus vitae non molestum aut laboriosum, sed iucundum et splendidum. Et factus est Esau, inquit Moses, vir gnarus venandi et vir campi. Non ut esset agricola in campo: quanquam habuit haud dubie fundos et possessiones: sed est Antithesis et collatio studiorum utriusque fratris. Esau exercebat se in agris venando et equitando et bellando. Quid Iacob? Erat simplex et integer, habitans in tabernaculis. War ein mann, der ſich fein ſtill hielt.

Ps. 10, 6. 11

Impossibile autem est, quin et in alia multa vicia prolapsus sit Esau. Venator enim etiamsi ab aliis flagitiis et peccatis cavet, tamen indignatione et impiis execrationibus saepe peccat, quando non succedunt omnia ex animi sententia. Et quandocunque gloria carnis sumus circumdati, versamur in certo periculo. Ideo opulentos monet Psalmus: 'Si adfluunt divitiae, nolite cor apponere.' Et Hiob de se praedicat. 'Si putavi aurum robur meum:

Ps. 62, 11

Hiob 31, 24

et obrizo dixi fiducia mea' etc. hoc est, Ego non superbiebam in copia auri et opibus, nec contemnebam alios. Item: 'Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea', etc. Opes igitur periculosae sunt. Et in Euangelio appellantur spinae et Mammon iniquitatis. Et si Spiritus sanctus non adsit, dives non est de illorum numero, qui lugent. Sed incedit in sua opulentia, et certissime in superbiam et contemptum Dei ac hominum incidit, ponit carnem brachium suum, adorat Mammona pro Deo, et sic fiunt idolum opes. Ideo Christus inquit: 'Non potestis Deo servire et Mammonae.' Et vetus dictum est Germanorum: gut macht mut.[1] Neque tamen id opum vicio fit, sed carnis, quae superbit et contemnit alios.

Matth. 6, 24 vgl. Sir. 41, 26

Secundo. Caro ultra illam superbiam et idolatriam addit furtum et rapinam. Tum scilicet, quando non sequitur exemplum Hiob: non dividit sua pauperibus, non vestit nudum, non alia officia charitatis praestat. Caro enim adeo diligit et asservat opes, ut nec ipsi divites iis fruantur. Primum igitur fiunt divites idolatrae contra primam tabulam. Secundo fiunt iniusti in proximum, raptores et fures: Quia debent dare, et tamen non dant pauperi. Quidam dant, sed hac conditione, ut eos, qui accipiunt, sibi habeant obnoxios, hoc est, dant maligne et superbe, non simplici oculo, sed ut adorentur et praedicentur.

Difficillimum igitur est diviti esse iustum et pium. Quia coniunctae sunt cum opibus idolatria et contemptus fratris. Quid quod saepe a manifestis flagitiis non abstinent, insidiantur aliorum bonis, vim faciunt pupillis: et non solum privative rapiunt, sed etiam positive. Hinc avari et usurarii extiterunt, quae vitia etiam legibus civilibus culpabilia sunt. Sed loquor tantum de divitibus, qui abstinent a positivo furto, id est, commissionis furto, et committunt furtum omissionis, hoc est, quando non dant pauperibus, non agnoscunt opes esse dona Dei, non sunt grati. Id omnium divitum proprium est, nisi adsit spiritus sanctus. Sicut in Hiob, in Davide et aliis piis regibus erat, qui omnes abundabant opibus. Sed David inquit:

Ps. 62, 11 'Si affluunt opes, noli cor apponere.'

Caeterum commune periculum divitum est peccatum omissionis, cum non subveniunt inopi et egenti. Cum tamen severe praeceperit Deus:

Jes. 58, 7 'Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam.'

Luk. 12, 48 Si non feceris, audies tristem illam sententiam: 'Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo.' Periculosissimum itaque est esse divitem.

Jes. 53, 9 Et Esaiae 53. divites pro impiis ponuntur. Propterea quod remoto spiritu sancto, pietate et fide, nihil discriminis est inter divitem et impium. Impius rapit Deo suam gloriam, non agit Deo gratias, postea pauperi negat auxilium. Idem facit dives, qui est sine fide, ideo est impius.

---

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 19, 372, 26; Bd. 29, 710; — s. Sirach 41, 26. Otto a. a. O. S. 352.*

Sic igitur Esau, anhelat ad gloriam carnis, ad potentiam, sapientiam propter primogenituram: non vult servili conditione acquiescere, ut frater Iacob. Deligit studium venandi et equitandi, in quo non potuit versari sine peccato etiam commissionis, praesertim in venatione. Sicut nostri Principes non solum omissive, sed gravissime et commissive peccant suis venationibus. Miseris colonis segetes et agros vastant: nec licet ulla ratione abigere feras ex hortis aut agris. Sed impune grassantur, et depascunt arva magnis laboribus culta. Ibi non solum cessat auxilium et defensio, sed etiam infertur iis damnum, quibus debetur auxilium. Itaque veniet tandem Turca aut alius venator, qui Principibus Germaniae et retia et venabula excutiet.

Haec ideo dico, ut sciamus venationem non esse sine magnis peccatis. Ac a multis disputatum est, an sit venatio legitima aut iusta. Per se quidem non est mala, et potest eius studium pium et bonum esse. Cuiusmodi in illustrissimo Principe Saxoniae, Friderico Electore, vidimus. Is ita venabatur, ut nemini obesset, pluribus prodesset magis. Si quando vel exiguum damnum datum intelligebat, solvebat id duplo. Saepe etiam rusticis aliquot modios frumenti distribuebat, ut esset, quod ferae depascerent. Id dignum est bono et laudato principe. Non enim Regalia principibus eripere volumus, quod in seditione anni 1525. rustici conabantur.

Deinde hic finis venationis est, ut bestiae crudeliores, Lupi, Ursi, Apri arceantur, et homines ac iumenta in tuto sint. Talis sit venatio, qua defendantur oves et aliae bestiae innoxiae. Id enim pro officio debet Princeps, quod apud Poëtam dicitur: Parcere subiectis, et debellare superbos.[1] Deinde etiam honesta voluptas est et oblectatio, quae est concessa his, qui utuntur ea sine iniuria et pernicie subditorum. Sin aliter fit, res pessima et noxia est venatio.

Vereor autem Esau, quia totus in carne fuisse praesumitur, saepe officii oblitum, et multa peccata commissionis et omissionis commisisse. Sed quia est primogenitus, et patri unice dilectus filius, ideo nihil peccat, nihil inique aut iniuste agit eorum etiam, quae sunt iniustissima. Quanquam patrem, si quid peccavit, celavit haud dubie, et potuit quidem, cum esset Princeps in domo et familia.

Iam et alteram partem Antithesis videamus. ('Iacob autem vir *THAM*, habitabat in tabernaculis.') Omnes verterunt (*THAM*) simplex, alber, cum tamen Hebraeus textus non hoc velit. *THAM* enim non significat simplicem mente et intellectu, hoc est, sine solertia et industria: sed voluntate simplicem, rectum, integrum, candidum. Eadem vox est in Psalmo 119. 'Beati immaculati.' Iacob enim non fuit stolidus. Sicut Ps. 119,1

35 THAM] תָּם

[1]) *Virgil, Aeneis 6, 853.*

postea apparet, cum a fratre emit primogenita. Lyra etiam sic interpretatur, sine plica dolositatis, non simplex propter defectum industriae. Talis non fuit Esau. Sed fuit voluntate multo inconstantior et astutior, quia duxit gentiles uxores, et mixtus est Cananaeis. Venatores non sunt integri, saepius accommodant sua studia ad diversitatem temporum, rerum et personarum. Iacob autem est simplex et constans, non flectitur personis, nec mutatur casibus, et tamen non est stultus. Haec est pulchra collatio.

Secundo Iacob non est vir campi, non sequitur politica et carnalia. Quanquam politica possunt pie et recte administrari, sed fuit totus et frequens in tabernaculis, id est, mansit domi apud patrem et matrem, et iis serviit. Ac Lyra recitat sententiam Iudaeorum de tabernaculis, quam valde probo: Quia sumpta est a Patribus. Dicunt enim intelligi non oeconomica tantum tabernacula, sed etiam Ecclesiastica. Cuiusmodi Mosis tabernaculum dicitur, et tabernaculum sacrum intelligitur. Nos vocamus Templa et Scholas. Eo autem tempore nulla erat differentia tabernaculorum sacrorum et oeconomicorum. Abraham habuit in suo tabernaculo domum Dei et Ecclesiam. Sicut hodie quilibet Paterfamilias pius et bonus erudit suos liberos et familiam in pietate. Ideo talis domus vere Schola est et templum. Paterfamilias est Episcopus et sacerdos in sua domo. Sic tabernacula illa, in quibus versabatur Iacob, erant sacra, ibique primum quaerebat regnum Dei. Econtra Esau quaerebat mundi regnum, ideo utrunque amisit, mundanum et spirituale. Quia Canon generalis et perpetuus est: Qui primum quaerunt regnum Dei, iis etiam reliqua adiiciuntur. Rursus qui sua commoda et panem quotidianum ante regni Dei curam auferre volunt, illis continget contrarium, ut regnum Dei cum corporali simul amittant.

Ergo Iacob ad tempus fuit minor et inferior fratre. Sed haesit eius animus et fiducia tota in Deo, et fuit bonus et pius iuvenis, frequenter et lubens visitavit templum et scholas, didicit verbum et bonos mores, audivit conciones Patriarchae Sem et aliorum. Sicut Hebraei annotarunt, et ex Patribus hauserunt, quod locus iste debeat intelligi de tabernaculis Sem et Eber, qui vixit 80. annos cum Iacob.

Fuerunt autem sanctissimi viri, qui miro studio verbi Dei arserunt, ac longe maiorem curam religionis et cultus divini habuerunt, quam nos. Et tamen nos quoque nostras domos et templa recte tabernacula appellabimus, quando quis habet domesticam Ecclesiam, et in ea instituit liberos et familiam ad pietatem et virtutem. Quanto autem ferventiore et alacriore spiritu tractatur verbum, hoc magis fructificat. Ideo placet mihi glosa Iudaeorum. Et est hoc exemplum insigne boni et pii iuvenis, qui non involvit se ante omnia secularibus negociis et carnalibus studiis: non quidem prorsus neglexit, sed prima cura fuit adhaerere patribus: Sem, Salah, Eber. Et ex supputatione annorum colligitur Iacob vixisse cum

Eber 80. annos. Cum Sem 46. Cum Salah 23. Ad illos patres haud dubie Iacob studiose et reverenter se adiunxit, praesertim ad Eber. Sem enim senio confectus puerum Iacob Patriarchae Eber commendavit. Fuit enim Sem Pater omnium Ecclesiarum, ut supra cap[ite 10. dictum est: 'Sem, qui est pater omnium filiorum Eber.' Ideo totus populus et Ecclesia 1. Mose 10, 21 in eum respexit in ultima aetate ipsius. Eber autem curavit et docuit Ecclesiam, quia potuit sustinere onus gubernationis. Libens itaque assentior Iudaeorum vel patrum potius dictis, quod Iacob fuerit non domi solum in tabernaculo, sed etiam in exteris tabernaculis, ac praesertim apud Eber et Sem.

Abstinuit autem Iacob a coniugio fere 70. annis. Esau, ut dominus et totus mundanus, duxit uxores Cananeas quadragesimo anno aetatis suae. Illae circumstantiae omnes significant Esau immodice elatum propter primogenituram, contempsisse fratrem, neglexisse tabernacula, ac studiis illis equestribus et venationum totum fuisse addictum.

Non tamen ita accipiendum hoc est, quasi Esau nunquam fuerit in tacernaculis, sed nonnunquam visitavit ea cum fratre et aliis. Sicut hypocritae hoc studiose captant, et volunt videri etiam sanctiores et iustiores, quam vere sancti et pii. Fuit igitur auditor in Ecclesia patris, et interdum animi causa et reliquas Ecclesias Eber et Salah vidit. Sed occulte non magnifecit. Sicut nostrum vulgus Christianorum contemnit ministerium et sacra. Cur intrarem templum, inquiunt, tamen domi possum legere, et sic incipiunt paulatim a fastidio verbi, donec implicentur politicis negociis, et prorsus prophani fiunt. Verum pii diligenter hoc meminerint. Qui quaerit regnum Dei, invenit utrunque. Qui negligit regnum Dei, perdit utrunque. Ideo proponant sibi exemplum Iacob imitandum, ac diligenter audiant et discant verbum Dei. Ubicunque id docetur, ibi sunt tabernacula Dei. Ac quilibet sibi certo persuadeat: Si verbum primum omnium habeat, secutura deinde omnia. Quia Deus erat ante conditum mundum, et per verbum creavit omnia: Itaque verbum Dei facit et adducit omnia.

Haec igitur est duorum fratrum descriptio. Scriptura sancta laudat et praefert Iacob in religione et pietate: Esau in politia, quia quaesivit regnum mundi, quod in eo iure repraehenditur. Ibique videre est, quomodo declinet, et amittat suam primogenituram propter prophanitatem suam. Iacob vero eam acquirat propter suam religionem et pietatem. Unde discamus primum omnium quaerere regnum Dei, non postponere id studiis et cupiditatibus huius saeculi.

Et dilexit Isaac Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur. 25, 28
Rebecca vero diligebat Iacob.

Haec pars historiae admodum obscura, difficilis et intricata est. Mirabilem enim differentiam inter duos fratres ponit Moses. Esau a patre,

Iacob vero a matre diligitur, idque ex diversitate naturarum et studiorum utriusque oritur. Naturale enim est omnibus matribus, ut delectentur ingeniis et moribus placidis et modestis. Quia mulieres, quae bonae sunt et honestae, sunt natura pavidae et mites. Sicut Petrus eas tanquam
1. Petri 3,6 infirmiores confirmat, et hortatur, ne pertimescant ullam perturbationem. Et naturale discrimen est inter ingenia filiorum et filiarum. Masculi ingeniis ferocioribus praediti sunt. Filiae amabiliores sunt, ac blande et suaviter se ad parentes applicant. Ideo Rebecca naturaliter diligebat Iacob, quia erat moribus placidis et suavibus, ingenio modesto, verecundo et pavido. Quia reverebatur matrem cum omni observantia, audiebat verbum et conciones, observabat sanctos patres, quae omnia in adolescentibus mirabiliter grata sunt et iucunda matribus. Rursus offendebatur ingenio et moribus Esau horridioribus et asperis.

Sicut autem matres magis amant filios, qui sunt ingeniis placidis, quam feroculos et audaculos: Ita patres amant filios, qui sunt paulo alacriores et animosiores: ac propterea ad res gerendas videntur futuri idonei et acres. Ac decet omnino filios alacriores esse, quam sunt filiae. Talis erat Esau: et Isaac intelligebat requiri ad gubernationem animum vigilantem et excitatum, itaque favebat eius ingenio.

Accedebat autem praeter naturam utrique singulari commendatio: Iacob erat rectae et incorruptae voluntatis, sanctus et studiosissimus pietatis, ardens desiderio regni Dei. Hoc placet matri Rebeccae, quia est mulier sancta et pia. Ideo optat Iacob esse primogenitum, et quod praecipuum erat, promissionem impleri: ut maior serviret minori. Esau praeter ingenium acre et excitatum habet singulare donum sagittandi, ut supra de Ismaele dictum est. Id patri placet tanquam ornamentum conveniens primogenito, qui sustinere debeat gubernationem.

Quia etiam lex naturalis, quae omnibus gentibus nota est, tribuit dominium primogenito. In iure civili secus statuitur. Sed Esau praeter legem naturae etiam patrum autoritate et lege divina nitebatur, secundum quam primogenitus erat dominus. Reliqui autem fratres erant servi. Haec differentia est studiorum et amoris diversi in parentibus erga geminos. Apud matrem pietas commendat Iacob, pater vero causam benevolentiae habet ex lege Dei propter primogenituram. Quanquam mater non tam
1. Mose 22,18 primogenituram respicit, quam lineam, et promissionis haereditatem: 'In semine tuo benedicentur omnes gentes.' Hanc in eum praecipue transferre cupit.

Nascitur autem hoc loco difficilis quaestio, quam supra aliquantulum attigi. Promissio aperte dicit: 'Maior serviet minori.' Esau autem maiorem esse, omnibus constat, sicut etiam Iacob omnium iudicio est minor. Si igitur scivit promissionem Isaac, iuxta quam Iacob debet esse maior, tum plane prudens, sciens et perversus peccavit contra manifestam promissio-

nem divinam. Quid hic dicemus? Etsi enim pro se habet legem Dei, quae omnes primogenitos facit dominos, tamen Deus, autor legis, habet potestatem excipiendi a lege. Ideo non excusatur Isaac, quod habet legem pro se. Sed debet primogenituram dare Iacob, et non Esau, iuxta promissionem, sicut postea terretur, ubi Iacob praeripuit primogenituram, tanquam reus peccati.

Deinde alia quaestio incidit. Num sciverit illam promissionem Isaac, an non. Omnes enim fere hunc locum ita tractant, ut videantur sentire, quod Rebecca promissionem illam apud se continuerit, et caelaverit maritum. Ideo enim Isaac tam constanter et toto pectore primogenituram filio Esau, et non Iacob attribuit.

His vero ego non facile assentiar. Supra enim audivimus, quomodo Isaac rogaverit pro Rebecca, eamque miserit ad Sem. Non igitur verisimile est, quod oraculum illud Rebecca occultaverit: Praesertim cum nesciret tum, uter prior esset egressurus. Itaque non dubito communicasse eam cum marito responsum Sem, qui dixit, quod maior debeat servire minori. Sed postquam nati sunt, transfert Isaac primogenituram et benedictionem filio Iacob debitam in prophanum Esau. Id grave admodum et difficile est. Et pendet adhuc quaestio illa, nec video, quomodo eam expediamus. Libenter autem hanc sententiam sequerer: Quod Isaac, postquam audivit oraculum de collisione duorum infantum in utero, cogitarit id sic intelligendum esse: ut, qui primus egrederetur, in utero superavit maiorem, cum esset minor. Atque ita depugnatum esse, et impletam promissionem. Iacob fuit maior in utero, sed promissio divina mutavit illum ordinem, ita ut conculcator Iacob fieret minor, et posterior in nativitate.

Haec mihi de quaestione ista in mentem veniunt. Quanquam nihil audeo, nec volo adserere, sed tamen admodum probabile et verisimile videtur, et moveor exemplo Ismaelis, quem credidit Abraham haeredem fore, cum adhuc nihil sciret de Isaac. Haesit in ea sententia, quae profertur capite 16.: ‘Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non numera- 1. Mose 16, 10
bitur prae multitudine.’ Ibi non aliter accepit promissionem istam, quam quod Ismael futurus esset haeres: quia promissio prorsus generalis est: nec potest clara et certa sententia colligi, donec interpraetaretur Deus verbum suum. Non ut tu sentis de Ismaele, promissio intelligenda est, sed de Sara et eius filio.

Sic videtur Isaac totus in ea opinione fuisse, quod filio Esau deberetur primogenitura. Nec motus est illa morum et ingenii ferocitate, quam solita est in eo repraehendere mater, sed putavit convenire primogenito, futuro domino et gubernatori, et si quid esset vicii, speravit per aetatem et studia emendari, et ipsum ad moderationem quandam adsuefieri posse. Haec mihi sane de isto facto Isaac cogitare sive divinare libet. Sin alius

eius animus fuit, et volens ac sciens in Esau benedictionem transtulit: non facile excusari potest, sicut nec Rebecca, si responsum illud celavit maritum. Ideo media via ingrediendum est.

Quia vero uterque in sua sententia tam firmiter manet. Mariti enim simpliciter indicativa est, matris autem est optativa et verior, ideo disputant porro, Rebeccam peculiari et divino instinctu hunc intellectum habuisse, quod minor futurus esset maior. Id concedo ego. Sic enim et Sara supra instinctum spiritus habuit, filium Ismaelem eiiciendum esse. Neque enim scribitur usquam, aut mandatur aperte, ut eiiciatur, Sed proprio motu et spiritu id definit Sara. Quia deprachendit in Ismaele multa, quae pugnabant cum primogenitura, et videt eum persequi istum, qui secundum promissionem natus erat. Ita necesse est fuisse singularem instinctum in Rebecca, qui non fuit in Issac.

Caeterum non temere et sine certa causa quivis instinctus accipi debet. Sunt enim periculosi. Papa dicit instinctum naturae Diaboli gratiae esse aliquando similem, et eius exemplum ponit historiam tentationum Matth. 4, 1 ff. Christi Matth⌊aei 4. Sed verior haec sententia est, quod Diabolus potest se transformare in Angelum lucis, et mutare in maiestatem Dei. Oportet igitur accedere ad instinctum illum verbum Dei. Sicut Sarae instinctus inde nascitur, quod scit se habere promissionem, et secundum eam se esse matrem veri seminis, quam promissionem Ismael non habebat. Deinde iudicat arborem ex fructibus: quia persequitur Ismael filium et verum haeredem, quaerit carnalia, et docet idolatriam. Is instinctus certus est.

Ad hunc modum fieri potest, ut Rebecca audiverit ex Patribus: Filius tuus Esau indomitus et ferox est; ideo non erit haeres benedictionis, visitat quidem templum aut tabernaculum, sed non serio adficitur studiis pietatis, Iacob vero pius est et bonus: Ideo futurum est, ut fiat maior. Ibi accedit exemplum et experientia, quia Esau prophanus et deterior fit, Econtra Iacob quaerit regnum coelorum, et crescit in timore Dei et aliis virtutibus. Is instinctus etiam bonus et certus est.

Sic igitur semper danda est opera, ut habeamus certum verbum. Aut si non semper praecedit mandatum Dei, tamen post factum cernitur, qualis fuerit instinctus. Sicut David interficit Leonem, Ursum et Goliath, sed irruit in eum spiritus, is fuit instinctus post factum demum visus. Ac tales habent fundamentum verbum Dei. Aut si sunt sine verbo initio, tamen postea agnoscuntur et iudicantur fuisse ex Deo. Sicut nobis accidit. Nos adorti sumus Papam sine verbo, sed iam videmus fuisse illum divinum instinctum, sine nostra cogitatione et consilio. Sed de his alias. Iam porro init consilium Rebecca, quomodo acquirat Iacob primogenituram. Esau plane securus est, ac putat se extra omne periculum esse, siquidem sit primogenitus ac dominus. Sed iam sequitur occasio, qua prorsus amittit primogenituram.

Coxit autem Iacob coctionem, et veniebat Esau de campo, et 25, 29. 30
erat fessus. Et dixit ad Iacob: ciba me, quaeso, de rufo, de
rufo isto, quia fessus sum: et hinc vocatum est nomen
eius Edom.

Hactenus diversa studia in duobus fratribus descripsit Moses, quod Esau fuerit vir campi et venator, hoc est, parum curaverit studia pietatis, conciones et doctrinam Patrum, qui adhuc vivebant. Accidit autem ei, quod omnibus solet, ut, cum modica negligant, paulatim etiam maioribus excidant. Habuit enim pro modica et levi re, quod esset negligentior in studiis pietatis, quam Iacob. Quod non ita arderet studio rerum sacrarum, ac cognitionis et cultus Dei. Sed illud frigus paulatim crescit, et eo usque prolabitur, ut etiam contemnat primogenita. Deinde in eam securitatem et superbiam incidit, ut existimet se impune posse deludere fratrem: quasi non serio vendidisset. Neque enim fieri posse putabat, ut in fratrem primogenita transferrentur: Sed et deberi sibi, et retenturum se benedictionem sperat, fratrem ludibrio habet, atque ita prorsus impius fit in Deum, in homines et in fratrem.

Talis impietas et securitas sequitur, quando negligitur et non exercetur verbum Dei. Homines fiunt ἄθεοι, Epicurei et amentes. Testantur id exempla etiam summorum hominum. David erat vir sanctissimus et ardentissimus in cultu Dei, sed quam levi momento in adulterium, in caedem et blasphemiam impellitur. Quia stertere in verbo Dei est, aperire Diabolo fenestram. Itaque nobis mandatum est, ut vigilemus. Sicut scriptum est 1. Pet[ri 5.: 'Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester, 1. Petri 5, 8
Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret.' Et
Ephe[siorum 5.: 'Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi Eph. 5, 15
insipientes, sed ut sapientes, redimentes occasionem.' Ex oscitantia et negligentia in rebus sacris saepe maximi lapsus et horribilia peccata extiterunt.

Quin et in rebus prophanis plurimum momenti est in vigilantia: et in servanda aut negligenda occasione. Sicut Turcae in omnes occasiones intenti sunt, ideo brevi tempore multas victorias adversus nos obtinuerunt. Noster Imperator habuit occasionem rem praeclare gerendi contra Turcas: Anno 1532 ad Viennam. Sed ea neglecta, nunc frustra alias captamus.

Proinde animos nostros ita assuefaciamus, ut toto corde primam tabulam diligamus. Si est eundem in campum, sive aliqua alia oeconomiae aut politiae administratio suscipienda: Prima omnium et praecipua cura sit regni Dei, quo neglecto videmus, quam misere cadat Esau, ut nunquam resurgat. Iacob econtra crescit, et fit primogenitus pulcherrima occasione. Esau habet nomen et gloriam, quod sit primogenitus: sed interim subito et horribiliter ruit, et spoliatur omni gloria et honore. Noli

igitur stertere, sed sis intentissimus in omnes occassiones, ne amittas negligentia tua dona et regnum Dei. Propterea enim scriptura hoc exemplum proposuit, non tanquam frigidam et mortuam historiam: sed quae nos erudiat, et admoneat de praesenti rerum et personarum statu omnibus saeculis.

Vult nos spiritus sanctus istos duos fratres habere perpetuo ob oculos et in proverbio quotidiano. Omnibus enim temporibus aut Esauitae aut Iacobitae sumus. Esau est sanctus et religiosus in speciem prae aliis omnibus: et videtur esse possessor et haeres regni coelorum: et tamen nihil est, quam Esau, hoc est, iustitiarius, operarius et hypocrita, qui non serio curat religionem. Tantum propter quaestum et ventrem est religiosus. Nec potest ei nomen Ecclesiae eripi, sicut nos coram mundo non habemus Ecclesiae nomen: sed habemur pro haereticis et secundogenitis. Pontificii vero primogenitos se iactant. Ac si etiam vinceremus Papam cum suis, et triumpharemus in ista doctrina, quae est verae Ecclesiae propria: tamen ex nobis surgerent sive Papistae, sive Turci, qui vendicarent sibi titulum Ecclesiae. Sicut hactenus extiterunt Anabaptistae et Sacramentarii etc. Nec potest aliter fieri. Sic victis persecutoribus Ethnicis surrexerunt Arriani, qui nomen Ecclesiae rapuerunt, vera Ecclesia contempta fuit et spreta. Sic semper Cain vel Abel: Esau vel Iacob, et quidem de eodem stipite et Euangelio salutis eodem oriuntur.

Esau itaque est Episcopus, fac totum et Ecclesia: et tamen nihil ei debetur: quia autoritate divina tota benedictio translata est in Iacob, qui est verus possessor omnium honorum et regni coelorum. Sed hactenus privatus fuit nomine et dignitate debita, donec frater ipse Esau mirabilem occasionem eius acquirendae praebet, quae exuperat omnem spem et cogitationem Iacob. Es hebt ſich ſchlecht uber dem brey, Iacob non cogitat, quod velit fallere fratrem. Sed fiunt omnia divina ordinatione et consilio praeter intentum utriusque, Iacob et Esau.

Iacob usitatas operas obit, est in tabernaculo cum Rebecca matre, et ibi coquit pulmentum, eam simplicitatem vertit Deus in occasionem mirabilem. Redit enim Esau de campo, fessus ex illa contentione et exercitio venationis, quod studium placebat patri Isaac, et apparet eum nihil attulisse ad vescendum. Quia non tantum fessus est, sed etiam esurit et sitit. Ideoque tam avide petit sibi praeberi de rufo isto, utitur enim repetitione: 'Ciba me de rufo, isto rufo.' Significatur magnus appetitus et desiderium cibi, ut si quis famelicus dicat: Laſs mich mit dir eſſen vom karpffen, und eben von dem karpffen, des mich gelüſtet, non solum famem et lassitudinem, sed etiam voluptatem et appetitum in eo notare voluit Moses, quod singulari voluptate spectaverit et appetiverit rufum istud.

Commendo autem hunc locum Hebraeis grammaticis explicandum diligentius. Impossibile enim est aliquam linguam ita transferre, ut omnes

emphases et figurae omnium verborum et sententiarum retineantur. Verbum, quo utitur Esau ad Iacob: *HALITHENU* tantum hoc loco extat. Quid significet autem, nec Hebraei sciunt, nec ego. Coniugatio et constructio aliquo modo significatum ostendit: Quaeso te, ciba me, pasce me, da mihi comedere. Scriptura sancta non sine causa sic proprie loqui voluit, potuisset alia dictione uti, quae significaret pascere, alere aut tale aliquid, sed voluit uti singulari verbo. Rabi Salomo fingit Esau tam fessum fuisse, ut non potuerit manus ori admovere, et sibi cibum ingerere. Sed nescio, an recte cum sequentibus conveniat, cum dicit textus: 'Comedit, bibit et abiit.' Sententia tamen haec est, quod Esau coctum illud, quod Iacob coxerat pro se, sibi praeberi voluit, et dixit, pasce, vel refrigera me de rufo isto.

Quod additur: 'hinc vocatum est nomen eius Edom', neutiquam ociosum est: quanquam videtur causa nominis satis ridicula et inepta a lente vel pulmento rufo: sed subest haud dubie maius aliquid. Supra enim cum totus rufus nasceretur, non vocatus est Edom propter cutem rufam, quae esset gravior et iustior ratio istius cognominis. Sed vocatur ibi nomen eius Esau. Iam cum saturatus est rufo pulmento, appellatur Edom.

Habet autem tria nomina. Esau proprium nomen est, quod a nativitate vel in circumcisione accepit. Cognomen est Edom a rufo pulmento. Tertium nomen est Seir. Supra coniunguntur ista duo Edom et Seir, et tamen vocatur Esau. Porro nomen Seir sortitus est sive a monte, in quo habitavit, qui antea Seir dictus est, Sive a pilositate, quod esset rufus et hirsutus, forte etiam regio fuit aspera et horrida, quam tenuit. Hinc populus Idumaeus vocatur populus Seir ab ipso Esau, qui occupavit montem Seir: sive quod in illa terra habitarunt *Seirim,* hoc est, fauni et satyri pilosi, quos nos vocamus die wilden rauhen[1] menner. Utrum vero in ista regione habitarint tales fauni et satyri, an non, mihi non constat. Alias in Bibliis *Seirim* pro daemonibus accipiuntur, qui apparent in specie faunorum.

Dixit autem Iacob: Vende iuxta hunc diem mihi primogenituram 25, 31—34
tuam. Respondit Esau: En Morior, et ad quid mihi primogenitura? Ait Iacob: Iura mihi iuxta hunc diem, et iuravit ei, venditditque primogenituram suam ipsi Iacob. Porro Iacob dedit Esau panem et coctionem lentium. Et ille comedit ac bibit, et surgens abiit: parvipenditque Esau primogenituram.

Hic magna quaestio oritur de emptione et venditione primogeniturae. Est enim res sacra, quam nec emere licet, nec vendere. Quaeritur igitur, an uterque deliquerit: alter vendendo, alter emendo. Lyra dicit Esau pec-

2 *HALITHENU*] הַלְעִיטֵנִי 25 *Seirim*] שְׂעִירִים

[1]) = *behaarten.*

casse vendendo. Iacob vero emendo negat peccasse: quia ordinatione divina fuerit primogenitus, iuxta sententiam: 'Maior serviet minori.' Esau erat in possessione primogeniturae non debitae: Licet enim ex nativitate sibi arrogaret: non tamen divina voluntate eam tenebat. Sed quod dici solet, possidentis conditio ess potior. Ideo non poterat Iacob eum turbare: et tuebatur se Esau iure humano, divino et nativitate, quae omnia gemello primogenito attribuunt possessionem et dominium apud omnes gentes. Lex insuper duplicem portionem in bonis paternis concedit. Nisi igitur Deus mutasset, et revocasset illud Ius, mansisset Esau primogenitura integra. Sed quia Iacob divina voce eam ad se pertinere scit: non peccat vendicando sibi suum ius. Sed bene fecit, quod fuit intentus in omnes occasiones, ut debitam sibi primogenituram acquireret.

Non potuit autem alia ratione commodiore id fieri, quam per venditionem. Etsi enim coctum illud vel offa non est precium iustum pro primogenitura, tamen pertinet ad redemptionem litis, sive ad redimendam vexationem, ut loquuntur Iureconsulti. Saepe enim usu venit, ut quis iniuste a Sycrophantis vexetur, qui ipsum in ius trahunt, et vel falsis testibus adductis, vel aliis technis inventis, bona eius eripere conantur, tanquam iniuste ab ipso occupata. Ibi qui amant pacem, quanquam ius suum tueri queant, potius tamen, quam lites sectentur, pecuniam Sycophantis obiiciunt, ut calumnias eorum defugiant. Ibi valet id, quod vulgo dicitur: Man muſs dem teuffel zwo kerzen auffstecken.[1] Ad hunc modum Iacob offulam rufam dedit, et se a vexatione fraterna liberavit, qui de primogenitura gloriabatur, ut posthac in pace rem et ius suum tenere posset. Ista fere Lyra hoc loco adfert satis bene et pie pro illo tempore.

Supra autem de Simonia dixi[2] in historia Abrahae, qui emit agrum in sepulturam, Genesis 23. An sit Simoniacus Abraham propterea dicendus, cum sepultura sit inter res sacras, et rerum sacrarum emptio vel venditio Simonia dicatur? Sed audivimus agrum illum emptum, fuisse rem prophanam, subiectam domino carnali. Et venditio agri prorsus civile commercium est. Non igitur peccavit Abraham, cum emit agrum, et sepulchrum ibi condidit, alioqui Simoniacum esset, quicquid a Christianis emitur in usus necessarios: panis, carnes, vinum, quae omnia in usum sanctorum vertuntur, quod est absurdum.

Caeterum Iura et Canones vocant Simoniam, quando emuntur res spirituales pro pecunia: Cemiterium venditum dicunt Simoniam, quia est sacrum Christianis. Item vendere partem Parochiae, aut fundos de beneficiis, quae vocant Ecclesiastica, Id erat peccatum illud ingens, in quod uno ore invehebantur Theologi et Canonistae ante haec tempora, et damnabant Episcopos et Romanenses, qui emebant aut vendebant Episcopatus.

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 18, 387, 8; Sinn: durch Zuvorkommenheit unschädlich machen; vgl. auch D Wtb., Kerze 4.* [2]) *S. oben S. 279 ff.*

Sed nihil profecerunt suis clamoribus, et nunc ridentur a toto Papatu, qui repletus est substantialiter Simonia. Ac si tuleris Simoniam ex Papatu, iam solem inde tulisti. Nihil enim aliud negocii Curtisanis est, quam ut emant et vendant sacerdotia.

Reformare igitur Ecclesiam Romanam a Simonia est eam funditus vastare. Ubi splendor et pompa Cardinalium Romanae curiae, si sustuleris Simoniam? Quin ipsa curia tota funditus intercidet. Numerus enim Cardinalium nimis magnus est, qui iam devorarunt omnia bona Ecclesiastica. Agnetis monasterium Romae, quod aluit 160. homines, Cardinales diripuerunt et absumpserunt. Plena igitur sunt omnia Simonia secundum ius Canonicum. Et qui volet tollere a Papatu Simoniam, perinde faciet, ac si velit Diabolum in coelum collocare. Ioannes Huss et alii, qui eo tempore docuerunt, graviter taxarunt hoc vicium, sed frustra. Quia curia Romana est damnata res, quam omnes cavere et detestari debent. Quid igitur de fide et bonis moribus praeciperet? Est congregatio daemonum et hominum pessimorum Papatus. Ipsi Simoniam damnant, et tamen vivunt et sustentantur inde. Ideo recte monemur in Apocalipsi 18.: 'Exite de illa populus meus: ut ne participes sitis delictorum eius, et de plagis eius non accipiatis.' Collegia omnia sunt Diaboli, ideoque fugiamus, ne fiamus participes plagae eorum. Offb. 18, 4 f.

Possemus autem aliqua glosa haec eorum furta excusare, ne Simonia diceretur: quia sunt rapinae civiles. Nec est aliqua differentia inter talem Simoniam et civilem occupationem. Non aliter atque nobiles hodie videmus certare inter se rapiendis fundis, praediis et pagis. Nostra quoque beneficia et stipendia, quibus fruimur, sunt Simoniace parta, 'de mercedibus meretricis congregata sunt', ut Micheae 1. dicitur. Sed si ipsi diripiunt bona Ecclesiae, non in usum piorum sacerdotum, sed ad luxum et pompam vertunt, nos in verum usum vertimus, scilicet ut alantur ministri Ecclesiae, et conserventur scholae. Itaque nihil curamus istam Simoniam. Sed quia ipsi se gravant suo iure Canonico, dicimus eis: 'Ex ore tuo te iudico.' Mich. 1, 7 Luk. 19, 22

Vera autem Simonia est venditio et emptio rei spiritualis pro pecunia, Ut si quis velit gratiam, fidem, charitatem, miracula, virtutes spiritus sancti, quibus ornatur Ecclesia Dei, mercari, id quod Simon conabatur Actorum 8. Non quod res ipsa possit tradi, emendo aut vendendo sacra. Spiritus sanctus enim non dat sua dona pro pecunia: Nec Deus accipit pro remissione peccatorum, pro vita, oculis, sensibus et omnibus beneficiis aurum et argentum. Sed divina munificentia dispergit super gratos et ingratos dona sua: tantum requirit gratiarum actionem, ut dicamus: Benedictus Dominus Deus in donis suis. Ut tribuatur ei divinitas, hoc est, ut agnoscamus eum Deum, quem confiteamur toto corde, ore et opere, quod sit creator. Neque enim aliud precium pro tantis donis potest persolvi. Apg. 8, 19

Sed studium et voluntas emendi aut distrahendi sacra spectanda est, ut Simonis studium et Simoniacum: quia optat fieri posse, ut numerata pecunia accipiat spiritum sanctum. Talis etiam sensus horum verborum est, quando oramus, ut glorificetur Deus, servetur regnum ipsius. Deus non potest confundi, aut ignominia adfici: quia substantialiter est ipsa gloria, potentia et bonitas. Sed stustium et voluntas nostra talis est, ut Deum non esse, et gloriam eius confundi cupiamus. Idque declaramus erga verbum et Sacramenta. Si possemus Deum ea iniuria aut contumelia adficere, qua verbum et Sacramenta ipsius adficimus: ne tum quidem abstineremus. Vera igitur Simonia est mercatura, quae exercetur in verbo Dei, in Sacramentis, in Ecclesia et Sanctis. Hanc non intellexit Papa, neque hodie intelligit: quanquam in ea totus Papatus submersus est, et fuit multo ante, quam fieret Simoniacus secundum iura: quia vendebant coelum, remissionem peccatorum, gratiam et spiritum sanctum pro operibus. Hinc tanta multitudo templorum, coenobiorum, missarum, indulgentiarum, ordinum sacrorum: quibus operibus gratiam divinam mereri voluimus.

Hac ratione fecerunt ex Deo mercatorem, qui conferat regnum coelorum non gratuito, sed pro precio et meritis. Etsi enim gratis offert: tamen gratuitum beneficium reiiciunt, et conferunt centum aut mille aureos ad aedificationem Coenobiorum, Templorum et similia, quibus redimant gratiam et beneficia divina. An non id est mercari gratiam et remissionem peccatorum? Ac talis fuit Papa, quando fuit optimus, et hoc genere Simoniae replevit totum orbem terrarum, adeo ut mundus nihil aliud sit, quam sentina Simoniae verae. Quid aliud enim faciunt Collegia, quam quod accipiunt pecuniam, et habent quaestum pro pietate?

Proprie autem loquendo impossibile est emere gratiam. Et perinde est, si coneris id, ac si velis mulgere hircum.[1] Papa mulget hircum, populus supponit cribrum, ut in Proverbio dicitur.[2] Etsi igitur possibile esset, ut Papa reformaretur, ut repurgaretur crassa Simonia, tamen non possunt repurgari a vera Simonia, quia haec est anima Papae. Sicut illa substantia corporis est: ita corpore et anima est Simoniacus, sublata autem Simonia, quicquid est pomparum, splendoris et dignitatis Pontificiae, id totum tolletur, et manebit tantum Episcopus Romanus.

Videre igitur est, quantum sit periculorum et malorum in Papatu, quanta vorago, quam horribiliter absorptus sit totus mundus per primatum Papae. Ideo odio perfecto debemus illam bestiam odisse. Et tamen adhuc pugnant, ut primatus ei maneat salvus et integer, sed hoc quid esset aliud, quam reddere animam Simoniae? Horribilis certe et blas-

---

[1]) *Virgil, Eklogen 3, 91:* Atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos; *vgl. Diogenes 7, 95. πότερον ὁ τὸν τράγον ἀμέλγων ἀφρονέστερος ἢ ὁ τὸ κόσκινον ὑποτιθείς; s. Otto l. c. S. 164.* [2]) *Nicht bei Thiele, aber vgl. zum Ganzen Unsre Ausg. Bd. 40[1], 614, 18.*

phemia et abusus nominis Dei, qui aeterna damnatione punietur. Huc enim rapuerunt Verbum, nomen Dei et Ecclesiam: et tamen nihil fuit emptum, tantum finxerunt talem esse Deum, qui velit vendere gratiam. Studium et voluntas est Simoniaca, sed proprie est cribrum et hircus.

Naturaliter tamen hoc malum cordibus omnium hominum insitum est. Si Deus vellet vendere gratiam, citius et libentius acciperemus, quam cum gratis offert. Antea cum regnaret Simonia, omnes homines erant avidissima ad aedificanda infinita Monasteria et templa, quia erat venditio et emptio regni coelorum. Nunc cum gratis offertur et dicitur: Deus misit filium suum in carnem, ut omnibus credentibus donet vitam aeternam. Tu nihil es meritus, gratis dantur: liberatio a morte et a peccatis, Spiritus sanctus et regnum coelorum. Hanc misericordiam et munificentiam divinam mundus contemnit. Prius cum doceremur, quomodo gratiam nostris operibus emereri possemus, ibi certatim omnes omnia studia et opes conferebant. Sicut hoc parvum oppidum Witeberga singulis annis 1000. aureos dedit Monachis.

Ubique sententia Ambrosii celebratur admodum perniciosa: Regnum coelorum est pauperum, ex dicto Christi: 'ut recipiant vos in aeterna taber- Luk. 16, 9
nacula.' Hoc dictum sicut novacula acuta omnium animos penetrabat. Si divites volunt salvari, emant a pauperibus, clamabant: pauperes vero sunt fratres minores, et alii religiosi fratres, illi habent regnum coelorum, ab illis oportet te emere.

Quid igitur monstri, portenti et prodigii hoc est, quod mundus redemptionem a peccato, morte, inferno, per Christum gratuito oblatam aspernatur? Si Simonia iterum regnaret, liberaliter omnes opes suas profunderent. Sed cum nos docemus ex verbo et mandato Christi: Accipe gratis, et da gratis parochis, ministris, scholasticis, surdis narratur fabula. Imo spoliant eos, quos ornare et iuvare debebant. Nonne horribiles hi furores sunt tenebrarum? Sic igitur omnis homo est Simoniacus, et tamen non potest fieri aliqua venditio talis. Neque enim ulli hominum, nec Monachis pro suis votis aliud dedit Deus, quod flammas inferni et cruciatus aeternos.

Videre autem est, quam sit misera et periculosa res, lapsum esse a capitali sententia de iustificatione fidei absque operibus. Ea enim obscurata et extincta totus mundus fit Simoniacus. Sic Turci etiam nituntur Deum placare suis operibus, et emere spiritualia pro pecunia et pro meritis. Ideo Simonia est in nomine, ut illa, quae in iure Canonico describitur. Nihil enim redimunt nec impetrant precio et meritis, sed studium illud et voluntas radices egit in profundo cordis humani, qua omnis homo naturaliter est Simoniacus, qua vellet talem Deum esse, qui placaretur operibus et meritis humanis, cui posset obiicere: multa feci, multum ieiunavi, haec respicias, et vendas mihi salutem et vitam aeternam. Sed non agnoscit Deus, nec audit tales operarios iniquitatis. Et proponit suam

Eph. 2, 8. 9 voluntatem in doctrina Apostolica: 'Gratia et gratis iustificati estis absque omnibus operibus.' Illa gratia sublata nihil discriminis amplius est inter Turcam et Papam, Ethnicos et Iudaeos, omnes sunt Simoniaci et caprimulgi, Bockmelker.

Canonistarum Simonia levior est et corporalis tantum, quae referenda est ad civilem rapinam. Sed quando Papa accipit a Regibus et Monarchis coronas, civitates, regiones, ut recordetur eorum in missa, cum speciem pietatis prae se fert, et vult videri optimus, ibi est pessimus et totus Simoniacus. Illic enim exemplo tantum nocet, et confitetur Simoniam rapinis civilibus, Hic non fatetur peccatum, sed laudat et praedicat iusticiam ac religionem. Haec itaque monere volui, ut intelligatur, quae sit vera Simonia, et ut maneamus in pura doctrina, quae tradit, quomodo donaverit nobis Deus filium suum, et per ipsum omnia bona coelestia et spiritulia, quae mundus precio redimere, non gratis accipere vult.

Redeamus ad historiam. Apparet Iacob ursisse emptionem: ita ut non possit excusari et liberari crimine Simoniae, quia aperte dicit: 'Vende mihi primogenita tua.' Quo iure igitur hoc postulat, et tantum peccatum committit, ut conetur emere benedictionem, quae est spiritualis, et pertinet ad Christum et ad res futuras, quae omnes sunt sacrae, et ad futuram vitam spectant? In hac vita sunt omnia profana et polluta. Sacramenta autem et res sacrae non propter praesentem vitam institutae sunt, sed ideo, ut sint praeparatio quaedam sacra rerum futurarum. Euangelio enim praeparor, renascor, innovor ad futuram vitam. Non est mihi traditum, ut inde ditescam. Qui autem pastor est, et ideo hoc administrat, ut opes et gloriam huius seculi acquirat, est Simoniacus. Sic Baptismi usus is est, ut ex gremio matris et ex sepulchro transferar et reponar in paradisum, ex morte in vitam. Non igitur quaero ibi gaudia et voluptates mundi. Sed ita utor donis spiritualibus, ut, cum cessant corporalia, ex hac vita ad aeternam et immortalitatem deducar. Qui ideo pastorem agit, ideo absolvit aut sacra administrat, ut inde gloriam et potentiam consequatur, Simoniacus est iuxta crassam illam definitionem Canonistarum. Non est de illorum numero, qui subtiliores sunt, et vitam aeternam operibus mereri volunt.

Sed cur Iacob postulat, ut sibi vendatur primogenitum? et cum velit emere, sequitur esse negociationem. Respondeo: Iacob animadvertit occasionem illam, qua posset adipisci primogenituram, et ea uti voluit.

Deinde frater Esau de numero illorum est, qui crasse Simoniaci sunt, hoc est, nihil aliud in spirituali benedictione quaerebat praeter ventrem. Quia non visitavit tabernaculum, sed contempsit cultum Dei. Modica primum neglexit, donec in contemptum maiorum bonorum incidit, sicut Cain primogenitus. Non intellexit Esau magnitudinem benedictionis, ideo

22 quaedam *N. O. Erl.*] quadam *L. M. [vgl. die Bibliographie Unsrer Ausg. Bd. 42, XIV ff.].*

pro praesentis saeculi bonis et voluptatibus eam vendidit: ita ut coram Deo revera primogenitura et omnibus bonis privatus sit. Ideo Iacob in praesentem occasionem intentus fuit, et cum fratre certum precium pactus est, ne porro aliquid turbarum aut incommodi a fratre propter primogeniturам obiiceretur.

Sic hodie Papa habet nomen Ecclesiae. Nos non habemus. Scimus autem nos vere Ecclesiam esse, quia habemus verbum, Sacramenta et claves, quas Christus post se reliquit, non ut serviant nostrae potentiae et cupiditatibus huius vitae, sed ut praeparent nos ad adventum filii Dei. Ideo sumus vera Ecclesia.

Papa econtra nomen et titulum hunc sibi arrogat: quia est in possessione, et iactat se successorem esse Petri et Pauli. Iam si sic cum Papa pacisci velim, dabo tibi tot millia aureorum quotannis, et sinas me libere et sincere praedicare Euangelium. Essetne illa Simonia? Non. Quia ego non emo, quod antea habeo, scilicet legitimum usum Sacramentorum, sinceram doctrinam Euangelii, fidei, spei, expectationibus vitae futurae, quae omnia concessa mihi sunt etiam invito Papa, et absque eius autoritate. Tantum vero quaero offerendo mille aureos, ut redimam illam vexationem. Itaque non emo, sed tantum obiicio adversario offam et rufam lentem, ut possim privare Papam vocabulo Ecclesiae, nihil curo bullas et indulgentias illas. Idque vellem suadere nostrae partis Principibus, ut numerarent illi quotannis aliquot millia coronatorum, eam ob causam, ut cessaret effusio sanguinis et alia scandala: ac posset in pace spargi Euangelium. Haec non est Simonia, sed redemptio vexationis.

Ideo cum dicit Iacob ad Esau: ‘Vende mihi primogenita’, non est res vera: quia primogenitura iam ante penes Iacob est: et Esau ea est spoliatus. Apud Iacob est possessio, sed sine nomine. Apud Esau est nomen sine possessione. Iam quia videt Iacob Esau nihil aliud intelligere aut quaerere in benedictione, quam ventrem: Sicut Papa sub practextu Ecclesiae tantum suam gloriam et potentiam quaerit: Ideo obiicit Cerbero offam, ne posthac sibi molestus sit.

Ad eundem modum optarim sane nostros Principes numerare Caesari quotannis viginti millia aureorum, ut in pace et tranquille Euangelium doceri posset. Sed sic pecuniam pro rebus sacris dabitis? inquiet aliquis: Minime. Quod enim iam habemus, non emimus, et ipsi non possunt auferre. Sed ideo daremus istam pecuniam, ut missos nos facerent, et pacem concederent Papa et Caesar.

Caeterum illa bona spiritualia non sunt vestra, o Papa et Cardinales, sed nostra sunt. Etiamsi Papa nunquam daret utranque speciem, habemus tamen divinitus. Nec possunt vendere, aut, si velint, mulgebunt hircum, et supponent cribrum. Nos habemus utranque speciem, repugnante Papa, concedente Deo. Sed si non desinunt nobis molesti esse persecutionibus,

caedibus, rapinis, paciscemur cum eis, ut vorent rufum pulmentum. Sed non debent eam gloriam obtinere, quod nobis dederint aut donarint, hoc enim esset consentire in eorum autoritatem. Et est haec divina et sacra res, quam pro pecunia non possum emere, ideo nec dari, nec donari a Papa eas volumus.

Sic Esau, ut supra Ismael, haud dubie fratri Iacob multum molestus fuit, et superbe ei imperavit, quod esset ipse dominus et primogenitus: Iacob autem servus et stultus habitus est. Ab ista persecutione et molestia fraterna voluit se liberare Iacob, ut secure obtinere posset benedictionem spritualem. Sic hodie multi Christiani cedunt urbibus propter confessionem Euangelii, ne cogantur ferre tyrannidem Papistarum. Et Paulus inquit Röm. 12, 18 Romanorum 12.: 'Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete.' Si nolunt adversarii quiescere, da illis rufum pulmentum, ut dent tibi pacem, hoc est, sinant te frui illis bonis in pace, quae ante habes.

Sequitur responsum Esau ad petitionem fratris: 'En morior, et ad quid mihi primogenitura?' Da verzweiffelt der böſewicht, et suo ipsius testimonio prodit animum prophanum. An ita de religione, pietate et primogenitura agendum est et sentiendum? Iam enim aperte fatetur, quod primogenituram non intelligat, nec habeat pro haereditate futurae vitae et re sacra. Si vero nihil prodest primogenitura, nisi ad gloriam et opes huius vitae, ubi fides, ubi spes et expectatio aeternorum bonorum manebit? Dicemus ergo cum impiis et Epicureis, quod solent dicere, cum audiunt coelum nominari, quod sonat nostra lingua Himel, respondent ipsi: was Himel? hetten wir hie melh, quid coelum? si hac farinam haberemus. Sicut Papa sentit de Ecclesia et clavibus. Quid de clavibus dicis? oportet me iis uti ad cumulandas opes et coecendos reges. Hae sunt voces Esauiticae impiorum, qui arbitrantur pietatem lucrum, et Christo et Euangelio ipsius longum valedicerent, si non temporaliter possent beati esse.

Itaque grave hoc testimonium est scripturae sanctae, quod Esau iam amiserit primogenituram. Nam ex ore suo iudicatur. Quanquam cogitavit haud dubie: Ego sum Dominus: vendam quidem primogenita, sed ludam eum tantum. Etsi enim vendidero, tamen possum recuperare. Ita lusit et contempsit fratrem. Sicut Papa cum suis larvis totum mundum ludificatus est vendendis bonis operibus et indulgentiis, et putavit sibi id impune fore: aut tandem et poenitentiam se redire posse.

Et multi hodie doctrina Euangelii abutuntur, et interim sibi ipsis blandiuntur: etsi haereo in peccatis et sum impius, inquiunt, tamen resipiscam tandem, et redibo in viam. Sicut etiam de Duce Georgio quidam

---

26 dicis *fehlt Erl.*

dicunt: Potuit in ultimo articulo vitae converti. Sed hi omnes audient tandem tristem illam sententiam, quae in Epistola ad Hebraeos extat de Esau: ‘Scitote enim, quoniam et postea cupiens haereditare benedictionem, Hebr. 12, 17 reprobatus est: non enim invenit poenitentiae locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.’

Sic Antinomi fruuntur commodis mundi, ut sint beati in hac vita, et dicunt se suo tempore converti velle, contemnunt benedictionem suam, Ecclesiam, Baptismum, claves, remissionem peccatorum vitam aeternam: gratiam Dei accipiunt in vanum, ‘negligunt tempus acceptabile et diem 2. Kor. 6, 2 salutis’. 2. Corinthiorum 6. Sed frustra et sero neglectam occasionem olim requirent. Sicut in canticis queritur sponsa: ‘Pessulum ostii mei Hohel. 5, 6 aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat.’

Quando igitur dicit Esau: Moriendum mihi est, ad quid primogenitura? significat se tantum cogitare de ventre, et reiicere promissionem tanquam inanem et inutilem ad futuram vitam, prorsus ut hodie Epicurei dicunt: quorsum opus est audire Euangelium, uti clavibus aut coena Domini? Iacob vero aliter sentit, et scit res sacras esse praeparamenta ad futuram vitam, ideo magnifacit et ardet studio earum. Qui vero iis tantum ad hanc vitam uti volunt, iure et autoritate divina spoliantur: est ibi enim libertas arbitrii, ut scientes et volentes vendant aut abiiciant.

Igitur postquam videt Iacob occasionem versantem in articulo et momento temporis, urget petitionem, et vult confirmari contractum: ‘Iura, inquit, mihi hoc tempore’, sive hac hora. Quia occasio non est negligenda. Ibi iurat Esau, atque ita vendit primogenita. Sic cum Papistis quoque agendum esset. Si iuramentum, obsides, sigilla darent, se non moturos bellum contra nos, mox eis rufum pulmentum obiiceremus.

Reliqua autem est quaestio, quae ab aliis hic movetur, eam etiam tractabimus, ne impediat lectorem. Num illud rufum edulium fuerit venditionis et emptionis precium? Respondent ipsi, non fuisse, quia primogenitura fuerit res maxima et preciosissima. Ideo non esse verisimile, quod Esau acceperit hoc tenue edulum tanquam precium. Volunt igitur edulium id fuisse tantum arrham confirmantem contractum, quam acceperit Esau in signum venditae primogeniturae. Sicut solet apud nos inter emptorem et venditorem apponi cantharus vini unus aut alter in signum venditionis, Germani gleichkauff appellant.

Haec opinio ex Rabinorum commentariis nata est, quam nos reiicimus. Sicut omnes eorum sententiae ita tractandae sunt, ut, quod boni inest, retineatur, mala autem et falsa caveantur. Pugnat enim cum textu manifesto in Epistola ad Haebraeos, ubi dicitur aperte: ‘Esau propter unam Hebr. 12, 16 escam vendidisse primogenita sua’.

Quia voluit scriptura sancta depingere ingenium et mores prophanae et hypocriticae Ecclesiae, quae agnoscenda ac intelligenda est ex suis

moribus, quorum typus et figura est Esau. Solet enim ea maxime gloriari de nomine Dei, vult esse et haberi Ecclesia, et est coram mundo. Sicut Esau habet primogenituram, sed contemnit eam, et per illum contemptum amittit. Vicissim enim contemnitur, reprobatur et spoliatur, ideo nihil est gloriatio eius. Sicut nec Papistarum, qui se iactant Ecclesiam et successores Apostolorum. Qui enim vult esse Ecclesia, eum oportet magnifacere primogenituram, non tantum in hac vita, sed etiam post hanc vitam.

Ac perpetua haec contentio est in mundo. Sicut fuit Esau cum Iacob: ita nobis cum Papistis est, ac ante nos populo Iudaico fuit cum Apostolis. Iudaei vehementer contendebant se esse populum Dei, et
Röm. 2, 17 Röm. 9, 24 Paulus fatetur eos esse Ecclesiam, Romanorum 2. et 9. Sed quia nomen tantum retinebant, rem ipsam veram Ecclesiae contemnebant, ideo abiectis
Hos. 2, 23 ipsis Gentes vocatae sunt. Oseae 1.: 'Et dicam non populo meo, populus
5. Mose 32, 21 meus es tu: et ipse dicet: Deus meus es tu.' Et Deuteronomii 32: 'Provocabo eos in eo, qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.'

Est ergo haec una nota, imo color pessimus Ecclesiae hypocriticae, quod est superbissima et confidentissima in usurpando nomine Dei, Ecclesiae, Clavium, Ministerii, Sacramentorum, et nihil amplius potest: quam gloriari de Deo. Altera nota est, quod revera contemnit et negligit ea, quae sunt verae Ecclesiae. Non multum curat primogenituram suam, sicut Papa et Episcopi nec docent, nec baptisant, nec ullum officium Ecclesiae faciunt: tantum habent nomen. Fructum vero et effectum non ostendunt.
Matth. 7, 16 Ideo Christus dicit: 'Ex fructibus eorum cognoscetis eos.' Quia vero Papa contemnit Ecclesiam, igitur amittit Ecclesiam. Nec valet inanis illa gloria: Nos sumus Christiani, sumus Ecclesia, sumus Episcopi. Si non subest res vera, non diu retinebis nomen: Imo iam reprobatus es, quod habes, non habes. Sic haeretici, qui post nos venient, eam amittent: quia est columna
1. Tim. 3, 15 veritatis. 1. Timothei III., quam ipsi abiicient, nec prodest gloriatio et nomen sine veritate.

Quando igitur clamant: Nos sumus Ecclesia, habemus autoritatem praecipiendi, et volunt nos cogere, ut statutis eorum assentiamur. Respondebimus: Ecclesia est duplex, Numero et merito, Specie et veritate. Nomine et re, ut et ipsi docent. Esau sine re tantum nomine et specie est Ecclesia: Sicut omnes idolatrae et haeretici, qui sibi titulum Ecclesiae arrogant. Hoc possum ferre, ut quis numero tantum Christianus sit, et tamen interim faciat officium externum. Si etiam occulte impius est et sceleratus, modo baptiset, curet infirmos et confirmet conscientias adflictas, nihil obstat, quo minus dicatur numero Christianus sive Ecclesia. Sed non merito. Hoc papa et Episcopi non faciunt. Ideo ne comparandi quidem sunt cum iis, qui sunt occulte impii, quia contraria officio Ecclesiastico faciunt, blasphemant verbum, persequuntur pios, hoc est, veram Ecclesiam.

In nostra Ecclesia multi ministri sunt tantum numero, sine merito.

Sed Papa ex professo adversatur Ecclesiae, opprimit doctrinam fidei, replet orbem terrarum idolatria, Simonia et infinitis portentis. Illud est insanire contra Ecclesiam numero et merito, Turcarum in morem. Nihil itaque valet argumentum Papistarum: Nos sumus Ecclesia numero, Igitur debetis nos ferre. Si vellent talem esse, consentire eos oporteret de doctrina, docere et gubernare, quod veros et pios Episcopos docet: Sed sunt nepotes Esau, adversarii et vastatores Ecclesiae, ut haeretici.

Caeterum qui simulant pietatem, et hypocritae sunt, ut sunt multi admixti caetui piorum, eos ferimus in numero fidelium, modo non doceant contrarium professioni verae doctrinae.

Tertiam notam Ecclesiae hypocriticae Moses quoque in hoc typo depinxit. Postquam enim Esau securissime et magna confidendia neglexit spiritualia bona, fidem, caritatem, pacientiam, benignitatem, quae sunt in Ecclesia: imo contempsit haec omnia, sequitur iam appetitus et ardens desiderium istius rufi edulii, hoc est, quia non curat agnitionem Christi, nec augmentum donorum spiritualium, nec vitam aeternam, fit avarus et cupidus voluptatum, gloriae, honorum huius vitae.

Hoc nimirum est, quod praefert edulium primogeniturae, id est, est numero Ecclesia: sed sectatur carnem et sanguinem, quaerit quaestum in pietate. Sic falsa Ecclesia simulat pietatem, tantum ut fruatur voluptatibus et honoribus huius mundi. Vera autem Ecclesia quaerit aeternam vitam per pacientiam et fidem. Illi sunt animalia ventris, et Deus ipsorum venter est. vgl. Phil. 3, 19

Hoc est mysterium rufi edulii, quod hoc loco proponit scriptura sancta, quo contentio inter fratres de primogenitura dirimitur. Lentes vero non rufae, sed flavae magis sunt. Ideo puto croco aut alio condimento praeparatas esse, ut moverent appetitum. Talia autem sunt praesentia bona huius mundi, quibus mirum in modum delectantur homines, ut potius comessationibus et liguritionibus indulgeant, quam carnem et sanguinem filii Dei edant ac bibant, hoc est, credant et sectentur bona coelestia: tantum quoestum et gloriam mundi aucupantur, quorum tanta suavitas et oblectatio est, ut hominibus non famem tantum, sed concupiscentiam quandam cieat. Ideo Esau repetitione utitur: ‘Ciba me, quaeso, de rufo, de rufo isto.’

Significat ergo scriptura sancta omnes fieri avariores, superbiores, carnaliores amissa benedictione, quam antea fuerunt. Quia omnibus est caro et sanguis, ideo nihil aliud, quam carnalia quaerunt, et horribili cupiditate appetunt pulmentum rufum. Sed sub nomine Christi et Dei, sub titulo Ecclesiae. Iacob etiam rufo edulio vescitur, sed non tam avide, non ut Esau rufum bis repetit, hoc est, pii utuntur rebus praesentibus non pro salute, sed pro necessitate sua.

Postremo addit Moses Esau parvipendisse, quod vendidisset primogenita. Ibi quoque confidentissima superbia notatur. Cogitavit enim se

tutum humanis praesidiis facile ius suum contra fratrem obtinere posse, nulla ratione contractus habita. Sic solent hypocritae et falsi fratres, tragen den baum auff beiden achſeln.[1] Sunt versipelles: modo cedere se simulant et largiri aliquid: modo rapiunt rursus nullo iure sibi debitum: et tamen habent glosas suas, quibus hypocrisin suam tegunt et excusant, ut pariter cum primogenitura rufum pulmentum retineant. Quia volunt simul servire Deo et ventri, sive Mammonae.

Sic Esau cogitavit: Etsi vendidi primogenita, iuravi et offam voravi, iamque contemptissimus frater videtur abstulisse primogenita: tamen retinebo, nec servabo fidem. Non enim vendidit serio, sed voluit illudere fratri et fucum facere quasi vendidisset, et tamen nihilominus ius suum
Hebr. 12, 17 obtinere. Sed Epistola ad Hebraeos testatur eum postea reprobatum esse, et quanquam conatus sit recuperare primogenituram, quod poeniteret eum venditionis, tamen nihil profecisse poenitentia illa: Non quod non sit salvatus, sed quod nullis lachrimis benedictionem semel amissam consequi potuerit. Sic igitur sentio offam illam fuisse precium huius venditionis, nec accipio Rabinorum glosam: quia sunt homines carnales, qui nihil intelligunt in sacris literis.

Caput XXVI.

26, 1 Orta est autem fames in terra praeter famem priorem, quae fuit in diebus Abraham, et abiit Isaac ad Abimelech, regem Palestinorum in Gerar.

Saepe dictum est in hoc toto libro, historias patrum describi, quasi in cortice valde vili, et proponi sine omni splendore aut pompa religionis, iustitiae et sapientiae: imo abiectissima specie oeconomiae et vitae corporalis. Quid enim aliud de Isaac recitat Moses, quam quod natus sit ex patre Abraham, generaverit filios, paverit pecudes, vagatus sit in diversis regionibus? Parum ibi vel nihil de precibus et monstrosis religionibus monachorum docetur. Quid ad me autem, quod fuit maritus, quod dormivit cum uxore? Num ista in Ecclesia docenda sunt? Sic enim caro in ista externa et vilissima specie haeret, cum intuetur vitam patrum: neque quicquam aedificationis percipit, sed tantum offenditur. Postea vero cogitat de cognoscenda vita S. Bernhardi, Antonii et similium, ubi sunt mirabilia et incredibilia opera abstinentiae, ieiuniorum, vigiliarum. Ubi nullus usus est mulierum, servorum, multo minus pecorum: Ista vulgaria et abiecta in oeconomia Abrahae, Isaac aut Iacob ridet, et sectatur splendida et magnifica. Aut si quando leguntur in templis, nemo ea admiratur: quia nemo veram dignitatem et vera ornamenta harum historiarum perspicit.

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 32, 453, 21 und 567.*

Nos igitur docemus, et diligenter hoc ac saepe inculcandum est. In exemplis sanctorum patrum hoc tanquam caput et summam commendationem spectandam esse, quod Deus cum eis locutus est, quod habuerunt verbum Dei. Ille est locus, qui illustrat hasce historias, et praebet verum intellectum, quid et quantae sint istae feces et contemptibiles species, ut apparent, sanctissimorum virorum. Ubi enim est verbum Dei, ibi et vera fides est et sunt opera vera: quia geruntur omnia in verbo et sub verbo. Caetera, quae extra verbum et sine verbo, nostro arbitrio tantum fiunt, ea vere nihil aliud sunt, quam feces et stercora coram Deo.

Ideo omnes omnium monachorum vitae, quantumvis speciosae in oculis carnis, tamen prorsus nihil sunt. Magna fuit species sanctitatis in Antonio, in Hilarione et aliis multis, quorum alii ieiuniis, alii prodigiosis vigiliis vitam suam usque ad septuagesimum annum transegerunt, quibus portentis capitur caro, cor et oculus hominis, sed inspice tu, an ibi sit adiunctum verbum Dei. Quaere ex Antonio, an habeat verbum, quo iussus sit ire in desertum, et macerare carnem? Non. Sed mihi sic visum est hoc bonum et Deo gratum, inquiet. Atqui illud caput rei est, quod eminere in tuis operibus debebat, Antoni, sine quo tota ista vita mors est, et tantum electio carnis, arbitrium proprium et mera ostentatio et dementatio hominum carnalium.

Commendat itaque scriptura sancta in historiis Patrum praecipue fidem in verbum. Quia verbum Dei omnia sanctificat. Siquidem est sanctum, imo sanctitas, veritas, sapientia ipsa. Atque ea vita, quae regitur verbo, haec verax vita est, iusta, sapiens et aeterna. Quod si verbo caret, etiam veritate, luce, sapientia coram Deo caret, et omnes actiones eius sunt opera tenebrarum.

Sic coniugium quanquam est immundum vitae genus: quia copulatio masculi et foeminae non potest fieri sine immundicia carnali: Sordidum est pascere pecora: Magistratus quoque et subditorum vita est impurissima et plena viciis, multa ibi peccata concurrunt, et excessus privati et personalia vicia praeter illa communia: Tamen Deus haec omnia magnifice ornavit, et ordinavit verbo suo. Ac si adhaeresis verbo, iam mundatus es ab omni immunditia tua.

Denique nemo sine peccatis vivit. Sed tanta vis verbi est, ut ista omnia absorbeat, ut possis dicere: Vivo ego vitam coniugalem cum uxore et filiis in pace, in timore et fiducia tua, et sic scio omnia salva esse. Sic enim Paulus de vita coniugum inquit 1 Timothei 2.: 'Mulier salva erit per filiorum generationem.' Quomodo? 'Si manserint in fide.' Haec prima virtus verbi est. 1. Tim. 2, 15

Deinde non solum hoc praestat, ut ipsum genus vitae sit sanctum et placeat Deo, Sed etiam excitat te ad omnis generis virtutes et laudatissmia opera: Quia non est ociosum, si modo est in corde tuo secundum verum

sensum et intellectum. Sed monebit te, ut cogites de Deo invocando et laudando, constituet te sacerdotem et Prophetam Dei, cuius sacrificia erunt Deo gratissima, quia oculi eius respiciunt in fidem. Hunc quoque effectum verbi monstrosi monachi non vident.

Tertio si senserit Diabolus te habere verbum et confidere, quod tua vita sit grata et accepta Deo propter verbum, non quiescet ipse, sed omnis generis tentationes et crucem etiam in levissimis rebus obiiciet. In re familiari experieris perfidiam familiae, odium vicinorum, mortem liberorum aut coniugis. Illa omnia evenient, ut fides tua exerceatur. Quod si verbum non adest, sequitur impacientia et indignatio propter genus vitae tam molestum et adflictum. Sicut multos audimus, qui exclamant se non Deo duce, sed Diabolo instigante coniugium ingressos esse.

Accidit idem magistratibus, qui cum vident indomitam maliciam subditorum, usuras, avaritiam, libidines, et ea pro officio corrigere aut punire student, incurrunt odia et invidiam hominum. Ibi tum fremitus et execrationes non minus, ac in coniugio existunt. Ac si tales Papistae fuerint, ignari verbi Dei, fugient et deserent coniugium aut magistratum, et secedent in solitudinem, ut ibi servient Deo in pace et tranquillitate: Sed sine gratia et voluntate Dei. Deus enim omnibus proposuit verbum suum, et mandavit, ut quilibet suae vocationi serviat.

Proinde ut vincas difficultates illas et molestias: sive coniugii, sive magistratus, primum omnium cura, ut bene meditatum habeas verbum Dei,
Röm. 12, 8 Röm. 13, 1—4 quo magistratus opulenter confirmatus est. Romanorum 12. et 13. Similiter in coniugio, sive servus sit, sive ancilla, sive praeceptor, sive discipulus, certi sunt de suo statu et voluntate Dei. Tu tantum appraehende verbum, et fac fructus dignos verbo, et statim videbis sequi crucem et tentationes. Eas vero sequitur oratio: Orationem liberatio: Liberationem sacrificium laudis. Ita simul et crucem ferre et sacrificium laudis offerre poteris: quod monachi nec volunt, nec possunt, qui tantum quaerunt pacem, ventrem et voluptatem.

Ad hunc modum Moses describit istius sancti patris legendam hoc uno capite, quod in multis tribulationibus vitam egerit. Non scribit istas speculationes, contemplationes et hypocrisin electitiorum operum, sed excellentissimas virtutes fidei et pietatis, quas impii et carnales non vident. Ac diligenter haec antithesis notanda est. Hypocritae externa et speciosa opera deligunt, abstinent a vino et carne, incedunt pendulo capite, differunt vestitu ab aliis et vitant molestiam oeconomicae et politicae vitae. Econtra patres vivunt in oeconomia cum liberis, uxore et familia et pecudibus. Ibi nulla species religionis est, Sed tantum unus grossus saccus vitae oeconomicae. Hypocritae induunt vestes auratas, quibus lucent coram mundo, quando subducunt se a communi vita et consortio aliorum. Sed sub illo sacco oeconomicae vitae in patribus fulget

Sol et Luna et Stellae, hoc est, excellentissimae virtutes. Sub hypocritarum autem splendidissimo vestitu latent portenta infidelitatis, superbiae spiritualis, invidiae, spurciciei, et tamen nomen et speciem habet vitae spiritualis.

Sed aperiamus oculos spirituales, et iudicemus spiritualem eorum nequiciam ad normam et analogiam harum historiarum. Moses enim non meminit ieiuniorum aut vigiliarum et similium. Illud tantum audis, quod peregrinatur Isaac de Hebron in Gerar, patitur famem, quaerit locum, ubi habitet. Sed quanta ibi fides? quam inaestimabilis pacientia? quam incredibilis longanimitas, bonitas et beneficentia cernitur? quae virtutes omnes lucent ut Sol et Luna. Mihi quidem impossibile esset tam praeclaram obedientiam praestare. Si haberem duos filios, uxorem, familiam, tantam multitudinem pecorum et servorum, nec haberem certum vestigium pedis, ubi pedem figerem: quid ibi facerem? fugerem profecto relictis gubernaculis et administratione oeconomiae. Nam esse sic vagum et incertum, et tamen manere cum uxore, liberis, familia, pecudibus, est fidei admirabilis, quae esset ex lapidibus panes facere. Hoc impii non vident.

Sed fuit omnino gravis tentatio, quotidie mutare locum, et novum hospitium quaerere. Id enim est habitare in mundo, et exulem esse in mundo. Ac potuisset Isaac canere cum Christo: 'Filius hominis non habet, Luk. 9, 58 ubi caput suum reclinet.' Non igitur cuivis obiter tantum hoc legenti apparet, quanta magnitudo fidei commendetur in Patriarcha Isaac, ad quam omnium Papistarum cuculli, ordines et opera collata prorsus evanescunt. Nemo enim eorum est, qui velit carere uno die lecto, habitatione aut cibo. Egregiam vero religionem, si diis placet. At Patriarchae Isaac conditio eo durior est, quia non est solus. Sed alligatus est uxori, liberis et familiae, quibus ipse de victu prospicere in terra peregrina coactus est. Ibi sane fides eius tentata et duriter exercitata est.

Discamus igitur, ut historias Patriarcharum amplificemus et illustremus adversus portenta hypocritarum et monachorum, qui dicunt esse vitam voluptuosam, habere uxorem et liberos: et ideo non posse religiosam aut sanctam esse. Vide enim, an non omnes occasiones gaudii et voluptatis corporalis Isaac praecisae sint, cum incertus esset singulis horis, ubi pedem figeret? Hoc nullus monachorum imitabitur. Imo ipsi vere beatam vitam in hoc mundo vivunt, et plenam voluptatibus, habent domos electas, sunt sub tutela Papae, et dominantur orbi terrarum.

Ideo ista peregrinatio Isaac confundit omnes religiones Papistarum, et fulget in eo summus cultus, qui est fides in Deum. Peregrinatur cum tota familia, nec habet hospitium certum, non pascua, non guttulam aquae. Ubi accipiam? diceret alius. Respondeo: Credo in Deum patrem. Sic enim Isaac cogitavit. Deus providebit mihi hospitium peregrinanti, dabit

---

18 quaerere] quaere *L.*

pascua pecoribus, curabit familiae cibum et potum. Ibi vivit Isaac in quotidiano et summo sacrificio fidei. Ac vivit in mundo sine mundo et extra mundum.

Hanc fidem, quae maxima est in Patribus, non curant impii, tantum respiciunt ad uxorculam, familiam, pecudes. Fidem non cernunt, quae ista omnia sustentat et conservat. Nostro tempore si quis ita vagaretur, non posset habere famulos aut famulas, quae sequerentur peregrinantem. Sed fides facit miracula, efficit, ut familia tantas calamitates, tribulationes et penuriam aequo animo ferat, et praebeat se morigeram in rebus omnibus. Ego sane tales et tam probos famulos non possem acquirere: quia non habeo tantam fidem. Neque ullus ex sanctis in novo testamento assequi hanc magnificentiam virtutum in istis patribus potest, parvuli plane et infantes sunt ad eos collati. Nihil habent sanctimoniae praeter caelibatum. Sed eum quoque vincit peregrinatio Isaac. Quin etiam coniugium ipsius longe praestantius est omni caelibatu monachorum: Sicut Solis lumen clarius est quavis candela.

Itaque tota eorum vita plena est miraculis: vivunt enim simpliciter de manu Dei, ac propemodum ex nihilo, pendent a benignitate et promissione Dei, et hanc spem firmiter retinent: Si hodie nihil habeo, nec video, unde vivam, cras aut perendie certo acquiram. Eiusmodi virtutes diligenter considerandae sunt in historia Isaac. Inprimis vero, quod plenus fuit fide erga Deum foventem et alentem.

Deinde adsuefecit haud dubie animum ad pacientiam, mansuetudinem, beneficentiam erga proximum. Didicit ferre iniurias, sive ipsi, sive familiae illatas. Non certavit odiis et cupiditate vindictae. Fuerunt enim sancti Patres homines hospitales, misericordes, benefici erga amicos pariter et inimicos. Quia luxit in eis fides insignis, quae efficit tam praeclaras virtutes, de quibus inepte et impie disputant Sophistae: Utrum sint praecepta an consilia? Et statuunt esse tantum consilia. Sorbonenses dicunt homines posse salvari, tametsi sibi invicem non benefecerint. Ac talis sane est vita monastica, tantum hypocrisis quaedam externa, quae virtutes istas tanquam consilia negligit.

Verum haec exempla docent summos cultus esse et summe necessarios, pendere ex promissione et providentia Dei, qui promisit se fore patrem, et ab eo sperare et expectare auxilium: hoc non praestat monachus, in quantum monachus. Post fidem autem sequitur charitas erga bonos et malos, beneficentia erga gratos et ingratos, tanquam fructus ex bona arbore.

Recitat autem Moses insignem occasionem, qua probatur fides huius sanctissimi viri. Oritur enim fames in terra, quae non solum Isaac cum duobus filiis, coniuge et tota familia, sed totam terram circa Hebron occupat. In hac tanta et publica calamitate exercetur eius fides, et commendatur adeo, ut mirari eam omnes: imitari autem non facile possimus.

Observandum vero inprimis est, quod plerunque florente verbo, cum dat Dominus copiam cibi spiritualis, mox fames corporalis ingruit. Subtrahit enim Diabolus victum Ecclesiae, ac vult eam fame enecare. Atque hanc sane insignem famem fuisse oportet: quia comparat eam Moises cum superiore fame, quae fuit temporibus Abrahae, cuius memoria iam ferme exoleverat, intercesserant enim circiter centum anni aut amplius. Moses igitur in memoriam revocat priorem famem, et cum praesente confert, ut ostendat summam rerum penuriam et difficultatem.

Qui fit autem, quod tam sancti homines non impetrarunt a Deo sibi et aliis alimenta necessaria? Neque enim Abrahae tantum et Isaac, sed et aliis summis Patriarchis et Prophetis, Iacob, Ioseph, Eliae, Elisaeo, ac tandem etiam Paulo et aliis piis communis calamitas famis una cum aliis ferenda fuit? Respondeo. Deus immittit famem, bella, pestem et similes calamitates: Primum ad tentationem et probam piorum, ut discant certo statuere, se etiam famis tempore alendos esse, tametsi varias difficultates experiri, ignotas etiam et incertas sedes sequi cogantur. Deinde ad scandalum et poenam impiorum. Quia verbi revelatione abunde facta fiunt homines ingrati, imo persequuntur et oderunt verbum. Alii, qui videntur recipere, fastidiunt et nauseant super cibo isto levissimo: contemnunt et adfligunt ministros, quo contemptu et odio provocant iram Dei, ut dicat: Si non vis saturari cibo et vita spirituali, etiam hanc corporalem vitam tibi adimam, et necabo te fame. Neglectu igitur thesauri inaestimabilis etiam praesentis vitae commoda amittunt. Et sicut pii servantur, ita impii oppressi calamitatibus et desperatione, cum sine verbo sint, occiduntur.

Inde vero calumniandi causam et detrahendi verbo Dei arripit Sathan, qui delectatur hoc scandalo, et in suum commodum vertit, ut hominum animos abalienet a verbo. Quid enim aliud Cananaeos cogitasse putabimus, qui ante Abrahae adventum omnis generis benedictione floruerunt, et nunc cum ipso famem pati cogebantur: quam Chaldaeum istum omnium malorum et calamitatum causam esse. Haec altera causa est, ut Diabolus et impii habeant occasionem blasphemandi Euangelium, ut proficiant in peius. Sicut hodie passim similes querelas audire et ferre cogimur: Superioribus temporibus fuisse omnium rerum uberrimos proventus et miram foelicitatem: nunc annonam cariorem et omnia longe miseriora esse. Quanquam mihi quidem non videntur haec nasci ex penuria fructuum. Sed magis ex avaritia et malicia hominum, qui augent precia rerum pro suis cupiditatibus. Tamen non leve malum est, quo duriter premuntur pauperes et ministri verbi. Reliqui, qui abundant opibus, minus laborant. Multi igitur exoptant pristinum rerum statum cum fortuna priore, et addunt hanc blasphemiam: ex ista doctrina Euangelii nihil boni extitisse: insuper et ingenia hominum et mores longe corruptiores esse, quam olim.

Ita omnium malorum causa doctrinae Euangelii impingitur. Augustini tempore cum Gotthi Italiam vastarent, Romae omnis culpa reiiciebatur in Apostolos Petrum et Paulum. Removent enim homines profani ex oculis peccata mundi, et verbum Dei, quod purissimum est et sanctissimum, indigne omnium scelerum culpam sustinet. Neque enim docet usuras, avaritiam, luxuriam et alia facinora ac imposturas mundi: Sed contra haec omnia clamat et pugnat. Quare igitur Euangelium tam atrocibus calumniis gravatur? Quia malicia haec Satanae est, qua gaudet blasphemare Euangelium, et adversus id undecunque convicia congerere.

Horribile omnino et deplorandum est, tantam esse hominum improbitatem et licentiam fulgente hac luce. Sed tu ex verbo sic edoctus esse debes, quod Euangelium non concedat licentiam usurarum, rapinarum, luxus, aleae etc. Sin autem hanc culpam ipsi impingis, iam ex ore tuo convinceris te esse obsessum a Diabolo, qui est author harum blasphemiarum. Vides enim contrarium doceri, et qui obediunt doctrinae, agnoscere et sentire salutem, quin etiam pie ac pure vivere. Nec potes negare esse veritatem: et tamen, quicquid est scelerum in Epicureis et impiis, doctrinae imputas ex mera malicia Diaboli, ut iudiceris tu et omnes, qui oderunt veritatem.

Augustinus multa horribilia flagitia et scelera Romanorum recitat, cedes, libidines, usuras etc. An non merito illa a Deo puniuntur? Prorsus igitur Diabolica haec sunt, et sine horribili scelere ne cogitari quidem possunt, quod illorum omnium obliti causam et malorum et poenarum in verbum reiiciunt.

Scripta autem haec sunt ad nostram doctrinam, ne eiusmodi blasphemiis offenderemur. Sic enim omnes pii omnibus temporibus famem et calumnias impiorum passi sunt: et quo fuerunt sanctiores ipsi, hoc plus poenarum et calamitatum in mundo fuit. Non quod ipsi earum authores essent, et mundum turbarent. Sed quia mundus lucem verbi aspernabatur,
1. Kön. 18, 18 et idolatriam sectabatur. Sicut respondet Helias regi Ahab: 'Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis *Baalim*.'

Ad eundem modum blasphemis querelis hodie respondebimus: lucente Euangelio et monstrante iter salutis vos estis ingrati contemptores, persecutores: ideo veniunt poenae, venit Turca, et omnis generis calamitates oriuntur.

Interea autem pii quoque adfliguntur, sicut Isaac penuriam et famem sui temporis passus est, fuit peregrinus et exul, et praesentem fortunam aequo animo ferendam duxit. Sed diligenter notandus est finis harum adflictionum. Appraehendunt quidem publica mala etiam sanctos et Prophetas, sed non in poenam et iram, ut impios et ingratos: Sed in salutem, in probationem et argumentum fidei, charitatis et pacientiae, ut discant pii

ferre manum Dei in oeconomia. Promisit enim Deus se velle eos alere tempore famis. Sicut scriptum est: 'Non vidi iustum derelictum.' Item: Ps. 37, 25
'In diebus famis saturabuntur.' Hasce promissiones eiusmodi exemplis Ps. 37, 19
sanctorum confirmat Deus, et hac domestica tribulatione pios erudit in verbo, fide, humilitate spiritus, charitate et aliis virtutibus. Impii vero cruciantur in poenam et scandalum, ut indurentur, et fiant peiores. Nam per bonum non emendantur, per malum vero fiunt deteriores. Ideo nihil proficitur, sive laeta, sive lugubria iis occinantur. Matth[aei 11. Matth. 11, 17

Vide nunc et considera vilissimam illam speciem oeconomiae, ac confer cum omnibus operibus monachorum, Antonii aut Hilarionis. Quid enim ad illam unicam famem omnia ieiunia et durissimae castigationes monasticae? Levis esse apparet et exigua tentatio, si extra tantum et obiter eam aspicias. Sed finge te esse in domo Isaac, qui habet uxorem et liberos, magnam item multitudinem servorum et pecudum in tanta penuria cibi et pabulorum. Finge te audire querelas familiae, quae aut sibi panem, aut pecudibus foenum dari postulat. Si respondebis, non habeo, fugiam, et deseram familiam. Atqui obstat mandatum Dei, qui vult te manere in statione.

Unde pascam ergo, inquies? Disce intelligere, quale sit hoc ieiunium, ubi miser paterfamilias cogitur non ipse tantum famem ferre, sed et uxorem et dulcissimos liberos videt pene fame enecari. Adde et illud, quod fuit exul et peregrinus, nec certum hospitium habuit. Mansisset haud dubie libenter in Hebron, sed cum et ipsi fame vexarentur, iusserunt eum migrare, propterea quod non possent eum cum tam numerosa familia alere, et vix haberent ipsi, unde se et pecora sua sustentarent.

Cogitur ergo cedere, et duplicatur malum, quia ad famem accedit exilium. Ibi certe cor Isaac palpitavit et clamavit: quia non potuit deserere aut abiicere curam domesticam, ex mandato DEI 1. Timothei 5. et unde 1. Tim. 5, 8
viveret, non habebat.

Da mihi iam exemplum, quod simile sit huic pacientiae. Apud Carthusianos certe nullum invenies, neque apud alios hypocritas. Dicerent simpliciter esse impossibibia. Cur igitur vilia et sordida dicunt, dormire cum uxore et regere familiam? Imo nos vide, quomodo in eiusmodi periculis nos geramus, quam simus animis abiectis: Si quando non suppetit copia frumenti aut pecuniae, quam facile in desperationem aut impacientiam prolabamur. Ibi Isaac in summo agone et extremo periculo constitutus est, tamen non fugit, neque fidem nec spem abiicit.

Atque apparet inde, quid sit esse pium maritum. Conflictatur non tantum cum fame et inopia, sed etiam cum desperatione et impacientia. Sed lucet eius fides firma et invicta: manet enim paterfamilias, non abiicit

---

24 tam *fehlt Erl.*

uxorem, non deserit familiam, sed proficiscitur in alium locum, ut ibi quaerat victum. Quanquam is quoque non sine periculis et incommodis fuit: tamen erigit se, et sustentat se hac consolatione. Deus iussit me esse maritum, et dedit mihi duos filios. Hoc scio esse ipsius opus, ideo non deseret me.

Sic ista opera oeconomica non docent voluptatem et delectationem carnis, sed proponunt exempla sanctorum agonum et luctarum contra incredulitatem, diffidentiam, contemptum et murmurationem adversus Deum, quae certamina ignorant monachi, et tantum ventres saturos quaerunt, non volunt, nec possunt Deo fidere in rebus adversis.

Sed hic insigne exemplum fidei est luctantis et clamantis ad Deum: Quia, ubi verbum est, ibi sequitur invocatio. Et huius luctae magnitudinem ostendit profectio, quam suscipit in Aegyptum per Palestinam. Ideo Deus misertus eius novo verbo eum confirmat. Non solet autem verbum Dei praesertim de novo venire, nisi ad vehementer adflictos, et qui egent consolatione. Ad Saturos non venit, quia non habet locum apud eos.

Auxerunt insuper dolorem duo filii et coniunx Rebecca. Esau et Iacob tunc habuerunt decem et octo annos circiter, quibus displicuit haud dubie in tantis rerum difficultatibus profectio in terram ignotam, et dixerunt patri, quo abiturus es, mi pater? Sic et Rebecca, mi Isaac, vide, quid agas. Sicut uxor Iob marito calamitatem exprobrat. Sunt enim sanctae mulieres, sed non sine tentatione. Ideo animi eorum confirmandi fuerunt, ut expectarent modicum, et pacienter crucem istam ferrent. Ac fuit ista fames occasio multarum eximiarum concionum, quas habuit tunc ad retinendam familiam, ipsam etiam uxorem et liberos, in fide. Sed eo ipso momento, cum fracti pene tribulatione liberi, uxor, familia incipiunt murmurare aut fugam meditari, aperit se coelum, et venit nova et magnifica promissio. Dum cogitat per palestinam intrare Aegyptum, et iturus est in exilium in nomine Domini, idque permittit Deus, ut accingat se itineri: adeoque funiculus nimium intensus pene rumpitur. Ibi necessaria et insignis consolatio caelitus demittitur: ‘Ne descendas in Aegyptum’ etc.

26, 2—5 Apparuitque Dominus ei, et ait: Ne descendas in AEgyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi. Peregrinare in terra ista, et ego ero tecum et benedicam tibi. Nam tibi et semini tuo dabo omnes terras istas, et confirmabo iuramentum, quod iuravi Abraham, patri tuo. Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, et dabo semini tuo omnes terras istas, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae. Eo, quod obedierit Abraham voci meae, et custodierit observantiam meam et mandata mea, statuta mea et leges meas.

Hanc sane ingentem tribulationem fuisse vel inde liquet: quia non potuit acquiescere Isaac prioribus promissionibus, quas habuit ex patre

Abraham et Sem: 'Maior serviet minori' etc. Adhuc enim palpitat cor eius, et fides est in angustia, ut cogatur Deus nova consolatione eum erigere. Hoc igitur exemplum non nobis tantum, sed ipsis quoque Apostolis et sanctis propositum est, ut animum ad pacientiam obfirmare discamus: neque in ulla tentatione murmuremus contra Deum, in quocunque vitae genere versandum fuerit. Miserabilis status est Ecclesiae, oeconomiae ac politiae: praesertim si voles esse pius. Omnes enim, qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patientur. In oeconomia perpetuae rixae et iurgia sunt cum familia: In Magistratu eminet honor et potentia, ideoque vitam voluptuosam esse apparet. Sed si pius Iudex, pius Magistratus fueris, senties, quantum ibi oneris species illa honoris, gloriae et opum habeat. Si fueris pius concionator, etiam apud pios et gratos auditores, tamen summam ingratitudinem haereticorum ferre cogeris, odium item ac insidias Diaboli infinitas.

Non igitur poeniteat te conditionis tuae, quam divinitus tibi, attributam nosti, quantumvis contemptibilis et abiecta sit. Sed gloriare in Deo vocante, gubernante, et verbo etiam praesente. 'Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?' Ro[manorum 8. Si inciderit aliqua acerbitas aut difficultas, affunde tu falernum et dilue acerbitatem illam, videlicet verbum Dei, ut crescat et confirmetur fides, et possis dicere: Certus sum de vitae genere pio et Christiano, in quo versor, et in eo perseverabo, ut Deum laudem et praedicem, et alios doceam. Röm. 8, 31

Videmus autem hic repeti et in unum colligi fere omnes promissiones, quas dederat Deus Abrahae in variis locis, Illae omnes hic rediguntur in unam summam. Saepius enim Deus locutus est cum Abrahamo, cum Isaac vix bis aut ter, idque etiam satis est: quia confirmat hic in quadam summa omnes promissiones, ne sanctissimus Patriarcha solicitante Diabolo inciperet dubitare de Dei voluntate. Neque enim cessat fatigare etiam sanctissimos et perfectissimos ignitis suis et venenatis telis.

Porro promissio ista duas partes habet, prior est temporalis de possessione istarum terrarum. Ero tecum, inquit: Noli timere, pelleris in exilium, et laborabis fame. Sed nihil erit periculi. Non peribis fame, neque inimicus nocebit tibi in terra aliena.

Sic consolatur eum Deus in gravissima tentatione ad confirmandos animos uxoris, liberorum et familiae, quibus hanc consolationem proposuit Isaac. Dominus Deus mecum est, et promisit liberationem ex omnibus malis. Ideo habebo pacem, defensionem, panem in medio inimicorum et famis. Huic enim promissioni firmiter ipse adsensus est, etiamsi fuerit antea solicitatus ad dubitandum. Postea vero audiemus, quomodo timuerit mori, et negaverit se habere uxorem. Quia habuerunt carnem et sanguinem aeque ac nos isti sancti viri. Ideo laboraverunt quandoque infirmitate fidei sicut nos.

Repetit autem, quod antea dixit: 'Dabo tibi et semini tuo terras istas', et omittit particulam tibi: tantum enim dicit: 'semini tuo dabo terras istas', exponens promissionem. Quia neque Abraham, neque Isaac, neque Iacob aliquam partem istius terrae possederunt. Sicut supra dictum est, quod Abraham emerit sua pecunia agrum in sepulturam Sarae. Caeterum ne passum quidem pedis dedit ei Deus de terra promissa, donec posteri in eam introducti sunt. Ac prima promissio terrae huius facta est Abrahae propter semen gloriosum, in quo benedicendae erant omnes gentes: ut esset terra et locus definitus, unde expectandus esset Christus, totius orbis terrarum et omnium gentium benedictor. Ne sine testimonio Euangelium prodiret in orbem terrarum, sed confirmaretur totus mundus esse hunc salvatorem et benedictorem verum, qui iuxta promissionem in ista terra natus esset.

Sed tamen per illam priorem coniunctionem ipsius Abrahae et seminis significatur credentibus vita aeterna et resurrectio mortuorum: quod Abraham, Isaac et Iacob sunt possessores huius terrae, quanquam ne vestigium quidem pedis possederint. Utcunque enim mortui sunt, tamen vivunt. Ideoque pertinet ad eos haec possessio, siquidem Abraham non est mortuus: sed vivit. Deinde et hoc significatur, cum dicit: 'Tibi et semini tuo', quod terram non possedissent posteri, nisi patres accepissent promissionem. Et in fide patrum posteri possessionem eam adepti sunt.

Altera pars promissionis est spiritualis, propter quam data est corporalis, sicut iam dictum est. Eadem autem verba et idem sensus est, qui fuit supra in vigesimo secundo capite. Et quicquid hic dici potest ad eam explicandam, supra dictum est. Sicut et vis verbi benedicendi declarata est, pertinet enim ad quartum ordinem, cuius significationem latini ciusmodi phrasibus reddunt. Gloriari in Domino, laudari in Domino. Quando meipsum benedico in Domino, non benedicere te facio, id est, ut alios benedicas, sed me ipsum extollo, laudo: non in me, sed in semine ABRAHAE. Ego enim sum perditus et maledictus in Adam, traditus in potestatem SATHANAE, qui detinet me vinctum sub iugo peccati, mortis et damnationis. Ibi nemo potest benedicere aut gloriari, sed est gemitus, clamor et infinita miseria.

1. Mose 22, 18

Quando autem semen Abrahae venturum est, tunc omnes gentes fient alii homines: non habebunt quidem in se, in quo glorientur, de se praedicabunt maledictionem et miseriam. Sed tamen debent regnare, laeti et salvi triumphare, non in se, sed in illo semine. Atque ita fit hodie ab omnibus, qui credunt in Christum. Ita impleta est scriptura. Sic enim sentiunt et dicunt omnes Christiani: Si damnatus sum in me per Adam: Tamen sum iustus et sanctus in Domino Iesu Christo, filio Dei. Ille est vita mea, iustitia, sanctificatio, redemptio. Sic benedico me ipsum propter

aliam rem et per alium. Non mea benedictione, sed seminis Abrahae, quem cum appraehendo per verbum, et credo, possum gloriari, ut in Psalmo 34. scriptum est: 'In Domino benedico me, et anima mea gloria- Ps. 34, 2f.
tur', quod habeo vitam contra mortem, salutem contra perditionem, Deum patrem contra Diabolum Tyrannum et hostem.

Haec magnifica et egregia sunt, nec possunt satis repeti et inculcari, quia sunt verba consolationis et vitae aeternae. Sicut Christus eadem discipulis suis saepe ac diligenter inculcat, Ioan⌊nis 14. 'Non turbetur cor Joh. 14, 1
vestrum, creditis in Deum, et in me credite.' Item: 'Ego vivo, et vos Joh. 14, 19
vivetis.' Item: 'Confidite, ego vici mundum et Diabolum.' Per quid? Joh. 16, 33
Per meam victoriam, quae est vestra. Hic summus et principalissimus locus est in tota scriptura sacra de Abrahae promissione et fide: Sicut Christus eam praedicat Ioan⌊nis 8.: 'Abraham vidit diem meum, et gavisus Joh. 8, 56
est.' Quia intellexit hanc benedictionem eam fore, qua benedicendae sint omnes gentes in toto orbe terrarum. Quod illa gloriatio non tantum pertineat ad posteros carnis, sed omnes gentes in toto orbe terrarum. Id memorabile verbum est, quod Prophetae et Apostoli diligenter docuerunt.

Quae amplius his verbis continentur, supra exposita sunt. Videlicet: Resurrectio mortuorum, victoria peccati, mortis, Diaboli, et regnum aeternum. Item quod semen illud sit filius Dei et homo: Nisi enim Deus esset, non posset nos maledictos benedicere. Nisi homo esset, non veniret ad nos benedictio.

Explicata est et haec particula: 'Eo, quod obedierit Abraham voci 1. Mose 22, 16
meae' etc. supra cap⌊ite 22. Non enim data est ista benedictio Abrahae, ut per eam iustificetur: Sed iam iustus per fidem accepit hanc benedictionem, ut excellentissimum premium. Est iustus, obediens, sanctus. Et quia tam obediens est, ideo magnificabitur adeo, ut ex semine eius induat carnem Christus. Rom⌊anorum 9. Magna sane gloria est, ex semine Abrahae pro- Röm. 9, 5
dire eum, qui est filius Dei, destructor inferorum, victor mortis, abrogator legis et instaurator vitae aeternae.

Ponuntur autem quatuor vocabula in textu, quae declarabimus. Iudaei enim inde colligere volunt, fuisse etiam legem Mosi ante Mosen. Ac verum est, fere omnia in Mose sumpta esse ex Patribus et eorum libris. Sed differunt tamen. (*Mismar*) id est, observantia. Nomen generale est, crebro usurpatum in Levitico. Levitae enim dicuntur, observare observantias Domini, sicut Germanice dicimus: wart, was ich dich heissen werde. Iubeo aliquem esse paratum, et expectare iussiones. Sic Levitae in tabernaculo stabant, et expectabant iussionem Pontificis, si quid imperaret faciendum. Eodem modo hic dicitur: Abraham fuit observans mei: Er wartet

---

35 (*Mismar*)] מִשְׁמָר

auff mich, thet, was ich jhn hieſs, ut, quando iubebatur mactare filium, erat audiens dicto etc.

MIZVA proprie praecepta significat et perpetuam quandam observationem, qualis est decalogus.

HOK est ordinatio rituum, qui pertinent ad cultum divinum. Quando ordinat Deus aliquid ad cultum. Non est iussio, sed cultus institutus:
Ps. 2, 7 Psalmo 2.: 'Praedicabo statutum', id est cultum. Deus instituet alium cultum per filium.

(*Thorah.*) Quod prodest ad formandos mores. Huc pertinent etiam Misra[1] et iura. Sic Abraham fuit observans, et expectavit iussiones Domini: etiam morales. Servabat simul decalogum, ritum Sabbathi et legem circumcisionis.

Differentia autem inter legem Mose et patrum haec est. Moses habuit certum mandatum constituendi sacerdotium Leviticum, quod pertinuit ad certum populum, personas, locum et tempus certum usque ad Christum. Haec est potissima pars legis Mose. Deinde regnum et duodecim principes in politia ordinavit. Decalogus vero et aliae leges ex patribus ortae: non sunt propriae Mosi. Tantum illa ceremonialia, quae ad certas personas pertinebant: sunt Mosaica. Finito autem tempore destinato his omnibus finita sunt sacrificia et omnes ordinationes Mosaicae. Non valuit amplius sacerdotium cum suis sacrificiis, nec Regnum: quia fuit finis Mosi. Successit autem regnum et sacerdotium Christi, sine loco, tem-
Luk. 17, 20 pore aut persona, 'sine omni observatione externa.' Sicut inquit Christus, Lucae 17.

Postremo de apparitione divina dicendum est. Duplex est apparitio in sacris literis. In somnis et in specie sive visibili forma aut figura. Apparere etiam dicitur, si sit locutus per Sem aut Eber, qui tum vixerunt, et fuerunt summi sacerdotes. Quia vero hic nihil additur. Sed absolute dicitur: 'Apparuit': intelligitur apparitio non in somnis facta, sed in forma visibili, hoc est, fuit Angelus, qui apparuit in specie humana. Sicut ad beatam virginem, Petrum et ad Abraham supra capite 18. venerunt Angeli. Et fuit sane apparitio ista excellens gloria Isaac. Etsi enim audivit paternos conciones de promissionibus: tamen trepidavit cor eius in ista tribulatione. Venit igitur Deus cum nova promissionum confirmatione.

Ac profecto magna res est, quod Deus apparet homini, et accommodat suas promissiones privatim ad privatum. Ideo hac parte longe beatiores nobis sancti Patres iudicantur a multis. Siquidem ipsi tam certas et privatas consolationes et apparitiones a Deo habuerunt per ministerium angelorum. Si et mihi aliqua specie humana appareret, dicet aliquis,

---

3 *MIZVA*] מִצְוָה 5 *HOK*] חֹק 9 (*Thorah*)] תּוֹרָה

[1]) *Misra [?]; vielleicht ist Mismar,* מִשְׁמַר *gemeint.*

quantum id animo meo pariturum esset gaudium? Tum vero nihil periculi aut adversitatum propter Deum recusaturus essem. Verum id mihi negatum est· tantum audio conciones, lego scripturam et utor Sacramentis, nullas apparitiones angelorum habeo.

Respondeo: Non habes, quod queraris, te minus visitatum esse, quam Abraham aut Isaac. Tu etiam habes apparitiones, et quodammodo firmiores, apertiores et plures, quam illi habuerunt, si tantum aperires oculos et cor, et appraehenderes. Habes Baptismum, Sacramentum Eucharistiae, ubi panis et vinum sunt species, figurae et formae, in quibus et sub quibus praesenter in aures, oculos et cor Deus loquitur et operatur. Postea habes ministerium verbi et Doctores, per quos Deus tecum loquitur. Habes ministerium clavium, per quos absolvit te et consolatur: 'Noli timere, Ego tecum sum.' Apparet tibi in Baptismo, et ipse te baptisat, te alloquitur ipse. Non solum dicit: Tecum sum. Sed remitto tibi peccata, offero salutem a morte, liberationem ab omni pavore et potestate Diaboli et inferorum. Et non solus ego tecum sum: sed omnes angeli mecum. Quid desiderabis amplius? plena sunt omnia apparitionibus divinis et colloquiis.

Ibi vero queri et gemere debebamus contra nostram carnem venenatam et peccato submersam, quae non sinit nos credere et amplecti tanta beneficia. Insuper nos disputare iubet, et in dubium vocare, an sint ista vera. De nobis loquor, qui vere Christiani sumus, qui haec docemus et credimus. Ego non solum credo in Christum. Sed scio eum sedere ad dextram patris, ut sit mediator, et interpellet pro nobis. Scio panem et vinum in coena Domini esse corpus et sanguinem Christi. Verbum pastoris, sive praedicet, sive absolvat esse verbum Dei. Et tamen oppressa est caro dubitatione, ut ista non credat. Haec ingens miseria et ipsa morte est acerbior. Quin ideo mors acerba est, quia non credimus propter impedimenta carnis. Alioqui tribulatio esset gaudium, mors esset somnus credentibus nobis.

Haec mala ex originali malo per Adam nobis insita deplorare debebamus, et orare, ut Deus fidem in nobis augeat et roboret, ac sustentet nos sub coelo remissionis peccatorum. Sicut docuit nos Christus orare: 'Remitte nobis debita nostra.' Ingens enim malum est, quod obruti tot ac tantis apparitionibus, colloquiis et formis, tamen non credimus. Ac recte cum divo Paulo dicimus: 'Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.' Item: 'Non enim, quod volo, bonum, hoc facio: sed quod nolo, malum.' Libenter velim credere hoc, quod verum est, et sic credere: ut est re ipsa. Optarim fidem tam certam et firmam esse, quam est res ipsa. Verum peccatum in carne resistit spiritui, ut non possim tam firmiter credere. Caeterum qui posset pro dignitate admirari et magnificare bap-

Matth. 6, 12

Röm. 7, 22. 23

tismum, is rideret mortem et daemones. Turca esset ei *Cammotz,* iuxta
Ps. 1, 4 primum Psalmum: id est, 'acus sive palea.'

Assidue ergo ista legenda et meditanda sunt, et orandum: ut fides de die in diem crescat. Res certa est et infallibilis. Ideo non est, quod miremur aut exoptemus peculiares visiones patrum. Abraham in extremo die dicet: Si fuissem ego Christianus, longe fortiore fide ista credidissem. Ego soli et uni promissioni credidi. Ego fui exemplum et primus. Tu habes exempla infinita, habes tuos parentes, habes fratres, qui absolvunt, et porrigunt istas visibiles species. Turpe igitur est, nos esse infirmiores in fide, quam ipsi Patriarchae fuerunt, qui ad unam promissionem vicerunt reges et regna. Illi uni verbo crediderunt. Nos adiuti tot exemplis praeteritorum, praesentium sanctorum, quo diutius praedicamus, hoc magis torpescimus. Ac plane idem nobis accidit, quod Pythagoras fabulatus est de motu Sphaerarum coelestium, sive id ex se ipso, sive ex patribus habuit: quod motus isti assiduo suavissimum concentum edant: Sed mortalium animos et aures ista assiduitate stupefactos, ut non exaudiant eos amplius.

Sic nos videmus Deum baptisantem, absolventem, consolantem, communicantem. Sed quis audit aut miratur? Nihil aut parum movemur eius comminatione, promissione, consolatione, sacramentis. Merito igitur culpandi sumus, qui illos suavissimos concentus regni coelorum non curamus. Si etiam Angelos in sua maiestate praedicare audiremus, nihil magis adficeremur, quam nunc audientes pastorem aut ministros. Si vere statueremus esse id verbum Dei, quod audimus, non sic sterteremus. Sed quia putamus homines loqui, et esse verbum humanum, prorsus brutescimus. Hic gemendum nobis erat et dolendum, quod peccatum originale tam potens est, etiam in renatis. Satis alioqui superque satis est blasphemantium et persequentium verbum. Quanquam nos etiam non boni sumus,
Luk. 11, 13 ut Christus inquit Lucae 11.: 'cum sitis mali.' Demus tamen operam, ut non persequamur, et illam maliciam carnis nostrae agnoscamus. Sicut
Röm. 7, 24 Paulus exclamat: 'Infoelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?' Corpus est mortiferum, venenatum, depravatum et totum infernale. Quando res secundae sunt, facile gloriamur, et benedicimus nos in Domino,
Ps. 30, 7 ut Psalmo 29. [!] dicitur: 'Ego autem dixi in abundantia mea: Non
Ps. 30, 8 movebor in aeternum.' Rursus: 'Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.' Ibi redit caro, et omnem loetitiam excutit.

Igitur scribuntur ista ad docendos nos, ut non solum adversariorum rationes arguere et refutare, sed etiam carni resistere queamus, quae deiicit nos pondere peccati et timoris, ut non dicamus: In semine Abrahae sum iustus, salvus, dominus mortis, Diaboli, Turcarum. Proinde discamus et

1 *Cammotz*] כַּמּוֹץ

amemus verbum, in quo docetur, quod sit credendum in semen promissum, postea vero domanda est caro, quae repugnat legi mentis, et captivat nos. Ac sicubi superati sumus, statim sese erigat et roboret fides, ne caro spiritum prorsus opprimat. Quod si non possumus subito ad perfectionem evadere, ut simus sine sensu peccati, mortis et inferni: Si non possumus fieri Dialectici et Rethorici perfecti, simus interea Alphabetarii aut Donatistae[1], donec veniamus ad Dialecticam et Rethoricam. Quia vita haec est primitiarum: non decimarum. Ideo Paulus ipse queritur, ut ante dictum est: 'Invenio legem aliam militantem, captivantem.' Bonum vellem, Röm. 7, 23 et libenter facerem. Talis libenter essem, qui nihil dubitaret, nihil angeretur de ulla tribulatione. Res ipsa est certa, et scriptura vera: sed caro obstat. Quid igitur faciam? Si non possum tam firma animi adsensione appraehendere, irascor carni, et dico: 'Quis me liberabit a corpore mortis Röm. 7, 24 huius.' Id enim corpus et caro facit mortem acerbam et terribilem. Vita autem, quae est amarissima in peccatis, et multis spinis per fidem dulcescit. Idque scriptura sancta ubique agit, ut doceat nos, quomodo agnoscamus semen Dei et nos ipsos, hoc est, ut agnoscamus veterem et ingenitam maledictionem Adae: et inchoatam benedictionem per Christum.

Sedit itaque Isaac in Gerar. Et cum interrogarent viri illius 26, 6. 7
loci de uxore sua, respondit: Soror mea est, timens dicere:
uxor mea est, ne forte occidant me viri loci huius propter
Rebeccam, quae pulchro erat aspectu.

Quaeri iterum hoc loco potest, quare scribat spiritus sanctus nugas istas. Quorsum enim attinet proponere tam inepta et stulta Ecclesiae Dei? Num eo erudiendus est populus Dei, quod Rebecca dicta sit soror Isaac, non coniunx? Respondeo: Deus hoc modo infatuat mundum cum universa sua sapientia. Si Graecus aut Romanus aliquis haec legeret, rideret ut rem indignam prorsus auditu. Sed vult Deus sapientiam humanam declarare, quod sit stultitia, atque ita confundi. Hactenus descripsit Isaac habuisse colloquium divinum, promissionem coelestem, et fecit eum fortem et prorsus invictum contra portas inferorum et omnia mala. Hic tanta in eo infirmitas apparet, tam foeda imbecillitas, ut nihil possit cogitari turpius. An non enim hoc foedum exemplum est, quod negat Rebeccam esse suam coniugem?

Disputant Theologi, an non peccaverit negando uxorem, et mentiendo esse sororem suam. Est profecto turpis imbecillitas. Ideo enim ait: dicam esse sororem, quia possent me occidere, quasi dicat: uxorem rapiat, stupret,

[1]) *Hier in der Bedeutung von Grammatiker (*grammatistae*). Die Grammatik des Aelius Donatus (4. Jhrh.) war weit verbreitet. In den Tischreden ist sogar bisweilen Donatus gleichbedeutend mit Grammatik; vgl. Kroker Nr. 648.*

qui volet, tantum ut ego vivam. Si dixero uxorem, cogitabunt se non posse eam mihi rapere, nisi me occiso. Nonne haec stulta, inepta et indigna tanto viro sunt? An non dicendum erat, uxor mea est, sive occidatis me, sive non. Timet, inquit textus, Isaac. Tantus vir in tam foedam formidinem labitur, ut metuat mortem. Sic Elias octingentos Prophetas magno robore animi mactaverat, neque ullius tanta erat potentia, quam formidaret. Sed ad Iesabelis minas ita pavet, ut fugiat. Prius regem non timuit, iam fugit mulierculam.

Haec igitur omnia in speciem stulta sunt, sed erudita admodum et salutaria, quia scribuntur ad consolationem Ecclesiarum, ut sciamus, quam misericors Deus sit. Simus sane mali et infirmi, modo non inveniamur inter istos, qui persequuntur et odio habent et blasphemant Deum. Cum infirmitate vult Deus pacientiam habere.

Ego non possum excusare Patres, ut alii faciunt, nec volo. Imo libenter audio lapsus et infirmitates sanctorum. Non quod laudem tanquam bene facta aut virtutes. Sicut non excuso Apostolos fugientes a Christo, Petrum negantem: et alias eorum infirmitates, stultitias et ineptias. Nec scribuntur ista propter duros, superbos et obstinatos, sed ut ratio regni Christi ostendatur, qui in grege suo pusillo habet pauperes et infirmas conscientias, quae facile laeduntur, et difficulter consolationem recipiunt. Est rex fortium pariter et infirmorum: superbos odit, et fortibus indicit bella. Pharisaeos arguit et securos, Sed pavidos, pusillanimes, contristatos, conturbatos non vult confringere aut confundere. Linum fumigans non vult extinguere. Haec eius ratio et mos perpetuus est.

Jes. 42, 3 Matth. 12, 20

Sic fecit ab initio mundi usque ad finem. Fortis est et omnipotens: sed linum fumigans non extinguet. Et iubet etiam, ut infirmum in fide suscipiamus. Magna enim res est credere, quod sit transitus Christianis per mortem ad vitam. Caro ad faciem aut mentionem mortis, iudicii et aeterni ignis expavescit. Alioqui est fortis et imperterrita, si est sine impetu aut vento adverso. Itaque regnum Christi tale est, quod habet infirmos pariter et animosos, sivè perpetuo, sive ad tempus. Rari tamen sunt, qui semper sunt robusti. Sed qui his sunt infirmiores, non sunt tractandi durius. Quia est regnum consolationis, pauperum et adflictorum, non est positum ad imperandum et terrendum, nisi superbos et praefractos. Sed qui sunt pavefacti, illis est impertienda consolatio, et dicendum: Tu est linum fumigans, Deus non vult, ut te extinguam. Quia Christus est rex pauperum et infirmorum.

Huc pertinent exempla scripturae sanctae, quod viri summi et sanctissimi, Abraham et Isaac, quos inducit scriptura victores mortis, Diaboli, inferorum, et quos facit amicos Dei et Prophetas, iuxta Psalm|um 104. Eosdem tamen describit infirmissimos turpissima formidine. Sic David de se dicit: Psal|mo 29. [!]: 'Dixi in abundantia mea, non movebor in aeter-

Ps. 30, 7 f.

num.' Mors et Diabolus pro nihilo apud me sunt, 'quia, Domine, in voluntate tua praestitisti monti meo virtutem. Rursus avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus'. Dum suggerit Deus robur, et addit nobis animum, facile est esse fortem et immotum. Verum ne insolescamus, et tribuamus nostrae virtuti eam firmitudinem, sinit nos mergi. Idem Patriarchae Isaac quoque accidit.

Haec itaque utilia sunt pro docenda Ecclesia, quod maximi et sanctissimi viri habentes promissiones divinas, triumphantes contra peccatum et mortem, tam miserabiliter ruunt, et fiunt postea pueri et fugitivi. Timere mortem per se est malum et peccatum, sed si cum periculo castitatis uxoris id fiat, duplicatur malum. Atque hanc doctrinam proponit spiritus sanctus sub istis speciebus tam vilibus. Ad nos igitur haec accommodemus. Sic enim et hodie pios in periculis a Turcis confirmamus. Etiamsi occidit et vorat te Turca. Quid facit? Quid amplius potest, quam occidere? 'Nolite Matth. 10, 28 timere eos', inquit Christus, 'qui occidunt corpus'. Si rapit corpus, domum et alia, quid tum? relinquenda ista alioqui sunt. Ac praeclare mecum actum putarem, si a Diabolo occiderer propter filium Dei. Sed nimirum sumus adfecti, quando sumus animosi, et spiritus sanctus robur animo addit. Sed alia hora mihi aut cuivis alteri idem, quod Isaac usu venit, accidere potest.

Ideo scripta sunt haec ad doctrinam nostram, ut per pacientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Ne cogitemus: Non sum ego tam sanctus aut firmus in fide, sicut fuit Isaac aut Iacob. Fuerunt illi quidem fortes et constantes, quando Deus fulciebat eos, et parabat montibus virtutem, sed avertente ipso faciem facti sunt conturbati. Ac possumus de eis idem dicere, quod ad Cornelium Petrus de se dicit: 'sum et Apg. 10, 26 ego homo.' Neque enim Petrus neque Paulus, quantumvis sancti, meliorem carnem habuerunt, quam nos: fuerunt et ipsi filii Adae, perinde ac nos sumus. Paulus quandoque ita gloriatur ac superbit, ac si iam victor esset omnium malorum. Quandoque de pavoribus internis et externis pugnis miserabiliter queritur. Ubi tunc invictissimus ille heros et victor totius inferni?

Non abiiciamus igitur spem in die malorum. Nec superbiamus in die bonorum. Potentissimi enim in fide, Abraham et Isaac, prolapsi sunt in istam foedam infirmitatem: Nobis in spem et consolationem, ut discamus regni istius et Regis statum et mores: Ibi enim cernitur fortitudo invicta, et infirmitas, ut sic dicam, victissima. Quae omnia eo pertinent, ut solus Deus glorificetur. Nos enim non gloriamur in nostris viribus. Sed quia rex noster sedet ad dextram patris, in eo gloriamur, et magnifice nos efferimus. Ipsius virtus per nostram infirmitatem perficitur, ut videre est passim in omnibus exemplis Patrum.

Istam vero sapientiam ignorat mundus. Solus spiritus sanctus habet,

et proponit Ecclesiae sub involucro vilissimo. Ac nos historias Patrum ita legamus, ut exempla fidei nos confirment et animosos reddant. Infirmitatis autem exempla nos consolentur, ne desperemus neve superbiamus, et alios etiam consolemur. Si es territus, ne addas malum malo, ne fugias aut neges Christum. Quanquam enim sum infirmus, tamen non vellem blasphematum aut laceratum Christum, sed gloriam eius integram et regnum immotum. Sum sane lapsus. Quid faciam? Num ideo despondebo animum? Minime. Tamen idem usu venit maximis Patribus ac progenitoribus Christi.

Moses accurate metum mortis in Isaac expressit: 'Respondit', inquit, 'soror mea est'. Quare? Quia occident me viri propter Rebeccam. Prostituit ergo pudicitiam uxoris suae metu mortis, ut possit esse incolumis et salvus. Itaque qui velit amplificare et aggravare peccatum Isaac, multa argumenta inveniet. Negando enim Rebeccam esse uxorem tuam, Deum negas, qui eam tibi copulavit, et benedixit tibi duobus filiis. Deinde ultra peccatum mendacii in discrimen adducis et prodis castitatem uxoris tuae. Illa sunt Rhetorica Diaboli. Sed maneamus in Rhetorica spiritus sancti. Infirmitas tamen illa Isaac, si Deus non prohibuisset, peperisset uxoris stuprationem, adulterium et multa alia mala. Sed Deus ita permittit sanctos labi, ut servet tamen.

Qui fuerint mores Palestinorum, nescio. Nec intelligo illam circumstantiam, quam tractat Moses, quod Abimelech fuerit bonus, et prohibuerit adulterium poena mortis. Cur igitur timet eum Isaac? Necesse est eum vidisse in exemplo Abrahae supra, quomodo rapuerint alii aliis uxores. Si quis habuit paulo formosiorem communem habuit, ut dicitur: Si id non potuit ferre, occisus est a moechis, quod in Italia alicubi fieri solet. Ideo mirabilis descriptio est istius regionis. Verisimile est eum huius sceleris exempla ante vidisse, aut ab aliis audivisse. Sin alii fuerunt mores eorum, et metuit Isaac, ne tales essent sine aliquo exemplo, vel inde colligi potest fuisse incredibilem in eo infirmitatem. Sic forsan cogitavit aut finxit: Isti incolae huius regionis sunt impii, nec curant Deum. Ergo etiam homines contemnunt et indigne tractant.

Inde autem solicitudo haec orta est, quia fuit Rebecca formosa: Sic enim est in textu, et prophanis valde ridiculum videtur. Isaac enim ad minimum 80. aut 90. annos habuit, sexagesimo anno aetatis nati sunt ei duo filii. Quindecim annis post mortuus est pater Abraham. Ipsa 70. annos habuit circiter: quia foeminae decennio iuniores fuerunt maritis, ut supra de Sara dictum est, quae et ipsa cum esset nonagenaria, tamen forma praestabat. Fuerunt igitur tunc temporis homines non solum forma, sed etiam robore corporis praestantiores, siquidem illa aetate potuerunt generare et concipere, qua apud nos nulla spes foecunditatis reliqua est. Rebecca autem, anus septuaginta annorum, adeo pulchra est, ut superet

caeteras, et propter formam pudicitia eius periclitetur. Sunt hae commendationes istius saeculi, quod fuerint homines temperantiores et corpora robustiora, quam hodie. Sequitur iam ludus Isaac cum Rebecca supra modum ineptus.

Factum est autem, cum aliquandiu in eo loco moraretur, ut pro- 26, 8
spiceret Abimelech, rex Palestinorum, per fenestram, et videret Isaac iocantem cum Rebecca, uxore sua.

Tantus vir et fere octogenarius ludit cum uxore septuaginta annorum? Itane delectatur spiritus sanctus scribere istas nugas, et descendere ad infimas ineptias coniugales? Cur non recitat ieiunia quadraginta dierum, sicut de Elia proditum est? Primum vero Iudaeorum opinionem Cynicam prorsus reiiciemus. Dicunt enim porci impurissimi Isaac cum rebecca concubuisse palam, aspiciente Abimelech. Quasi sanctissimus pater fuerit Cynicus aut Diogenes, qui in platea congressus sit cum uxore. Spiritus sanctus solet tegere et ornare copulam maritalem: non producit in propatulum. Et maior verecundia fuit in Isaac et Rebecca, quam ut tam insignem turpitudinem committerent. Educati enim sunt in timore et reverentia Dei, et intellexerunt peccatum originale, quo deformatum est generationis opus. Quamobrem id voluit abscondi Deus, et ornavit vestitu et nuptiis, foeditatem autem bestialem detestatur.

Textus autem subindicat, si circumstantias diligenter consideres, ex merore animi et quadam perturbatione ortum istum ludum, magis quam ex lascivia. Praecipue in Rebecca, quae tot malis ac calamitatibus pene fracta dixit fortassis ad maritum: Ah, mi Isaac, vide, quo redacti simus: quam misere erramus in terra. Sicut uxor Hiob marito calamitatem exprobrat: 'Benedic Domino, et morere' etc. En duos filios habemus, Hiob 2, 9
oves item et iumenta cum familia: Sumus peregrini et extorres, et insuper prohibemur ingredi Aegyptum. Iam vero etiam nomen coniugis amitto. Haec certe potuerunt venire in mentem mulieri, non satis animosae, et luctanti cum indignatione et impacientia in hisce malis. Quis enim posset ista ferre sine gemitu? Ideo ut confirmaret eam Isaac, forte amplexus et osculatus est eam, iussit eam bono animo esse: Mea Rebecca, feras istam calamitatem pacienter. Deus apparuit mihi, et promisit nobis liberationem et defensionem. Sic possemus defendere aut excusare Isaac, ne cum porcis illis Iudaeis Cynicum aut Diogenem eum faciamus.

Sed relinquo hasce cogitationus in medio, nec urgebo, nec reiiciam eas prorsus. Videntur tamen admodum verisimiles. Quia alioqui non admodum iucundum est amplexari uxorem in terra hostili. Sed consolatione opus fuit, et significatione divinae praesentiae et promissionis, idque potuit fieri amplexando et iocando. Hic honestus ludus est cum coniuge

15 ornare *M. N. O. Erl.*] orare *L.*

Vos igitur, adolescentes, qui crescitis iam ad futura coniugia et publica negocia, estote grati pro divina luce benedictione: quod scimus coniugium esse rem sacram, et licere nobis ridere, ludere et amplexari nostras coniuges, sive nudas, sive vestitas: tantum ab aliis abstineamus. Haec nobis insignem consolationem adferunt. Accedit huc et testimonium divi Pauli, qui tametsi vellet nos in totum abstinere a coniugio, ut caro munda esset, tamen indulget, quia Deus indulget.

Sed sumi inde admonitio de modestia et continentia coniugum potest. Quidam enim usque adeo porci sunt, ut quidvis sibi in coniugio cum uxoribus licere putent. Illi valde errant. Ac sciant sibi tantum indultam esse istam miseram voluptatem et amplexum. Non tanquam purus sit in carne. Ambo enim coniuges sunt infecti peccato originis, et morbo ac furore concupiscentiae. Sed quia dixit Deus: Non imputabo tibi istam impuritatem: modo maneas cum adiutorio, quod est coram te. Oportet ergo, ut in reverentia et timore Dei vivamus. Ego quidem per indulgentiam divinam habeo uxorem. Sed tamen peccatum est in utriusque carne. Illa foeda libido non est bona. Quanquam enim naturaliter maritus meliore conscientia cum uxore coniungitur, quam si semen frustra effundatur: vel si scortationibus et adulteriis deditus sit, tamen illud quoque non fit sine immundicia. Repraehendendi igitur sunt, qui cum uxoribus turpia et nefanda in cubiculis exercent. Quia concessit Deus securitatem quandam: sed secundum indulgentiam.

Et sic intelligenda est Augustini sententia: Qui amat uxorem, securus expectat extremum diem. Quomodo? Secundum indulgentiam. Si abesset illa, esset adulterium et pollutio. Sed quia divinitus coniunctio haec ordinata est, ideo non imputat Deus, quicquid ibi foedum est aut immundum. Sed malum illud in coniugio et in copula non est defendendum pro bono. Ethnici dixerunt esse secundum naturam, nec esse inhonestum, adolescentem amare, ut ait senex apud Comicum.[1] Sed requirit Deus intelligentiam nostram in coniugio, ut simus sensati, et sciamus nos quidem non damnari aut reos agi in iudicio extremo. Sed tamen non excusemus concupiscentiam et turpitudinem, quae est in coniugio. Non dicamus bene actum est, quod dormivi cum uxore. Sed agnoscamus impuritatem, et tamen statuamus propter coniunctionem divinam esse omnia munda, ut in timore et reverentia possideamus vasa nostra, et si quid mali est commissum, maneat tamen intra limites coniugii.

Sic recte intelligemus et intuebimur regnum Christi. Aliud enim est iustificari ex lege, et aliud iustificari ex gratia. Fruor coniugii lege et ordinatione, non quia dignus sum: Imo indignus sum pane, quo vescor,
Röm. 8, 10 pecunia et omnibus bonis, 'Quia creatura servit corruptioni' Ro|manorum 8.

[1]) *Terentius, Adelphi 1, 2. 22.*

Uxor servit mihi indignissimo in omnibus praedicamentis substantiae, quantitatis, qualitatis. Sed in praedicamento relationis sum dignus. Non sum dignus, ut habeam uxorem aut liberos secundum substantiam et rei veritatem. Quia sum peccator. Sed tum efficior dignus, quando Deus dicit: Volo indulgere et connivere, quia sic ordinavi. Tu tamen teipsum agnosce, et vivas in timore et reverentia.

Sic nos omnes non sumus digni nec coniugali, nec politica, nec Ecclesiastica administratione. Non sum ego dignus, ut unam lectionem aut concionem habeam. Sed habemus propicium, indulgentem et ignoscentem Deum, qui nos transtulit ex regno irae in regnum gratiae, et iussit nos tectos illo velamento gratiae ad ipsum quanquam indignos accedere, et frui beneficiis divinis.

Et vocavit Abimelech Isaac, dixitque: En ipsa uxor tua est, et 26 9
cur dixisti soror mea est? Respondit Isaac: quoniam dixi, ne
forte moriar propter ipsam.

Haec omnia simpliciter oeconomica et politica sunt. Neque quicquam de magnificis et vere spiritualibus rebus traditur, de quibus concionatur Euangelium, de fide in Christum, de Trinitate, de resurrectione mortuorum, de victoria peccati, mortis et Diaboli, Ideo contemnuntur ab istis magnis spiritus et sanctitatis hypocritis. Quid ad nos, inquiunt: carnalia? Quasi vero vivant ipsi sine carne. Quasi non bibant, non comedant, non dormiant, neque habeant masculinum aut foemininum sexum. Denique non opus habeant prosurs rebus carnalibus, aut ullum earum curam gerant. Sed nihil intelligunt, neque sciunt, quid spiritus aut quid caro sit.

Propter hasce igitur fanaticas opiniones spiritus sanctus tam puerilia et oeconomica scribit. Et significat se esse etiam rectorem corporalium negociorum, sine quibus haec vita regi et servari non potest. Nam et ipsi enthusiastae, ut maxime videantur aversari carnalia, opus habent cibo, potu, vestitu. Quare igitur non disputaremus, quomodo edendum et vivendum sit cum pietate et bona conscientia? Neque enim de futura vita tantum docendum est in Ecclesia. Sicut Euangelium docet, nulla ratione habita praesentis vitae, quanquam non contemnit prorsus hanc vitam. Sed secundum legem eam instituere, et homines docere debemus: quomodo vitam agere debeant pie et honeste usque ad extremum diem. Quotidie enim nascimur et morimur.

Docendum igitur est, quo pacto uxor erga maritum, servus erga dominum se gerere debeat. Non furandum, non moechandum etc. Sed sunt ista carnalia, dicent Enthusiastae. Recte sane: si non placet his uti, relinque etiam cibum, potum, vestes et similia. Haec omnia sunt ordinationes et creaturae Dei, donatae ad hanc vitam, quae debet transigi honeste et pie usque ad mortem. Haec propter odiosum illud hominum

De improbis et turpibus mulieribus non loquor, quae nulla ratione corrigi possunt.

Caeterum Deo gratias agere debemus, quod certi sumus coniugium divinitus institutum esse, placere Deo, angelis et omnibus creaturis. Placet Deo, quod uxori blandior, displicet morositas et acerbitas. Multo minus hi placent, qui prohibent et damnant coniugium. Et prohibitio illa horribiliter punita est, cum Diabolus loco divinae ordinationis immisit vagas libidines et infanda scelera Sodomitica. Idque iusto iudicio Dei factum est, quia detraxerunt sanctissimo generi vitae, quod ordinavit Deus, eique benedixit. Non caret id quidem suo vicio et immundicia: sed Deus tolerat et dissimulat eam. Si servetur naturalis ordo ad generandam sobolem,
Apg. 13, 18 tum Deus dissimulat et ignoscit, sive, ut Lucas in Actis eleganti verbo usus est: τροποφορεῖ, dicit: Ich wil mir diſe weiſs gefallen laſſen, propter conservationem generis humani. Scio te in peccatis esse conceptum, sed ignosco et concedo, ut tu tuam coniugem habeas in adiutorium, ea sola te oblectes, et devores, etiam si quid obiicitur triste aut molestum. Ego quoque pacientiam habebo, sive nudam in nocte, sive vestitam in die amplectaris.

Si non instituisset Deus singulari beneficio hanc coniunctionem unius maris et unius foeminae, quanto desiderio eam totus mundus exoptaturus esset, ut posset liberari a libidinibus et pollutionibus hoc remedio? Iam vero aversamur legitimam istam coniunctionem, quam sanxit lege perpetua et immota, qua prohibet stupra et vagas libidines: iubet, ut unam tibi eligas, quae placeat, cum qua vitam tuam transigas. Est quidem peccatum. Sed concedo, inquit Deus, ut ludas, ut rideas cum tua, et ab
Spr. 18, 19 alienis abstineas. Sicut scriptum est Proverb[iorum 5.: 'Exhilaret te uxor, quam adolescens ducis, ceu iucunda cerva et venustus hinnulus. Illius amore perpetuo contentus esto, et amore eius semper fruere.'

Sic consolatur nos iste locus, quo scribitur Isaac in senectute lusisse cum sua dilecta Rebecca: non tantum necessitatis et consolationis gratia, sed etiam maritali quadam ineptia, quae decet hoc genus vitae, ut externis blanditiis daret significationem mutui amoris, et scribitur in consolationem coniugum, et in odium, contemptum ac refutationem reproborum ac phanaticorum, qui damnant coniugium. Memini ego ante haec tempora renati Euangelii saepe in confessione maritos tanquam gravissimum peccatum deplorare lusus istos coniugales. Imo quod est indignissimum, et cum contumelia creatoris: Si quando aliqua honesta matrona aut virgo transierat Coemiterium Franciscanorum, mox scopis purgabant et flamma lustrabant locum sacrum monachi. Atqui matres nostrae sunt. Neque scopis aut igni flamma libidinis concepta per peccatum originis expurgari potest. Sed incenditur magis, et irritatur hoc modo, et negata mulier auget furorem. Sed non intellexerunt hypocritae isti peccatum originis. Ideo remedia

divinitus monstrata ignorarunt. Christus primum vult nos baptisari, ut animus corrigatur et purgetur. Postea si non potes donari virginali castitate, at vidualem sive coniugalem delige. In utroque enim sexu, in masculo et foemella, est caro. Igitur etiam semen in eis est, et ardor incitans ad procreationem. Quid ibi consulendum est? Respondeo. Si habes castitatem, mane in ea. Sin minus, duc uxorem, ne vagis et Cardinaliciis libidinibus polluaris, et pereas.

Hebraeum verbum *ZAHAK* non minus late patet, quam in Germanica aut Latina lingua. Ridere. Alias enim propria significatione usurpatur, alias per antiphrasin de risu sardonio dicitur, qui quovis fletu est acerbior, Alias laetitiam aut laetum gestum sive aspectum significat, etiam in inanimatis, ut quando dicimus: ridet ager, ridet pratum, ridet silva, idem est, quod iucundum esse aut blandiri. Sic Germanice dicimus: Er lacht, das er ſchuttert[1], das iſt, er iſt frölich, per Antiphrasin, Er lacht mein darzu in die fauſt[2], Wie höniſch lacht er mein? Ibi risus amarissimus et acerbissimus significatur. Eadem significatio est Hebreae vocis, in 2. Psalmo: 'Dominus subsannabit, ridebit eos.' Item: Abner ad Iob dicit: 'Surgant pueri, et ludant coram nobis.' Laſs ſie ein guten mut haben, per Antiphrasin: Das heiſt auch geſcherzt, wenn dir das ſchwert durch den bauch geht. Hic crudelis lusus aut risus est. Ridere igitur hoc loco non significat concumbere, sed idem, quod supra de Sarae risu dicitur. Item Ismael risit Isaac, id est, subsannavit. Sic Exodi 32.: 'Surrexit populus ad ludendum', non significat Idolatrare, ut Iudaei somniant, sed ridere et hilarem esse. Elegans autem allusio est in Hebraeo, quae nulla lingua reddi potest. Isaac Isacabat. Isaac, id est, risor, blandus, amandus blandiebatur uxori. Amandus amabat uxorem. Er ſtellet ſich wie ein rechter Iſaac, idque faciebat maritali securitate et fiducia.

Pſ. 2, 4 2. Sam. 2, 14

2. Moſe 32, 6

Proponit igitur exemplum istud insignem doctrinam et consolationem coniugum Christianorum. Deinde confutationem pestilentissimorum Papistarum et haereticorum, qui fecerunt peccata mortalia ex omnibus dictis et factis coniugum. Atque ipse ego cum essem adhuc monachus, idem sentiebam, coniugium esse damnatum genus vitae: Disputabamus, an liceret amare aut ambire honestam virginem. Item: an esset peccatum ludere cum uxore. Ac valde mirabar Bonaventurae sententiam, qui fuit inter monachos sanctissimus, cum dicit: Non est hoc peccatum, si quis ambiat aliquam in uxorem. Imo vere licet. Non igitur de hoc disputandum, aut dubitandum est. Dicit item licere marito iocari cum uxore. Ego longe aliam sententiam et ipsius professione digniorem expectabam: quia non aliter ac Iudaei ista interpretantur, accipiebam.

---

8 *ZAHAK*] צָחַק

[1]) = *sich schüttelt. Vgl. Wander, lachen 121 und 187,* [2]) *Sprichw., Vgl. Unsre Ausg. Bd. 36, 113, 19, Wander, lachen 140.*

decens honestum maritum. Erga sororem non deceret aut familiam: Ibi imperium et gravitas requiritur, etiam in consolando, sed cum ea, quae mihi divinitus coniuncta est, licet iocari, ludere et colloqui blandius, ut cum ratione et secundum scientiam cum ea vivam. Sicut monet Petrus:
1. Petri 3, 7 'quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam cohaeredibus eiusdem gratiae', et quae sunt matres ac generis humani altera pars, licet infirmior quo ad corpus. Nos sumus robustiores, ideo etiam maiora officia nobis commissa sunt, in quibus tamen animum muliebrem saepe ostendimus. Differunt tamen animus virilis et animus muliebris. Ipsae oneratae sunt oeconomicis officiis, partu, educatione prolis et cura domestica, nos politica et Ecclesiastica administratione, cum simus fortiores. Sed quomodo nos in Ecclesia et politia geramus, satis cernimus. Saepe non minus imbecillitatis in gubernatione virili deprachenditur.

Sequar igitur hasce cogitationes, et concedam, quod Isaac eam amplexus sit non tam consolationis gratia, quam ut ostenderet gestum illum maritalem, quo solet uti erga honestam coniugem honestus maritus, ridiculum et blandum. Cuiusmodi saepe videre est in maritis, qui sunt moribus commodioribus. Rex non fuit tam sapiens, ut intelligeret adeo graves causas amplexus, quas ante dixi. Sed maritales intellexit, quos decorum est publice ostendere. Ac valde pulchrum est, quando maritus etiam moribus prae se fert benevolentiam erga coniugem. Econtra turpe et scandalosum est, si qui praebent se difficiles, morosos et asperos erga coniuges, et nullam significationem edunt amoris et benevolentiae, sive verbis, sive factis. Ea gravitate erga alienos aut erga familiam utendum est. Sic saepe audimus a mulierculis collaudationes et gratulationes, si quando vident maritum cum uxore suaviter et unanimiter vivere. O ein gute Ehe iſt das. O foelix et faustum coniugium. Ibi est mutuus amor et foelicissima concordia. Idem et mariti praedicant. Unde vero scirent, nisi vidissent tales lusus maritales inter multos coniuges admodum raros?

Neque vero ulla acerbior et horribilior dissensio ac discordia est, quam inter coniuges et fratres. Econtra si est mutuus amor, mutui lusus et blandiciae, id coniugium amatur et praedicatur passim ab omnibus. Quia rarum est propter Diabolum, quem habet hostem perpetuum, qui conatur coniunctionem divinam turbare, quibus modis potest. Quanquam mundus non intelligit: sed somniat coniugium nihil aliud esse, quam concubitum, oscula et amplexus. Verum non est tantum corporum legitima coniunctio, sed et animorum, quae certis indiciis et signis sese prodit, quanquam ineptis et ridiculis, tamen decoris et dignis bono coniugio. Ego saepe ab honestissimis matronis audivi, cum collaudarent alios maritos propter facilitatem, commoditatem et moderationem, et praedicarent quasi singulare miraculum, si cui talis maritus aut uxor commoda contigisset.

Iuxta hanc igitur sententiam ludum istum Isaac interpretabor: Quan-

quam priores cogitationes non reiicio, nec defendo, nisi in odium turpissimorum Iudaeorum. Verum hae sanae et piae cogitationes sunt, quod maritus non solum in cubiculo, sed etiam in publico in laudem coniugii blandum et placidum se gerere debeat erga uxorem, Non sit morosus, iracundus, difficilis. Quia exempla dissidiorum et offensarum valde incurrunt in oculos, et vehementer offendunt. Praesertim si accedat Zelotypia, tum est infernus ipse. Expedit ergo extare eiusmodi exempla blandiciarum et amabilitatis inter coniuges, ut alii adsuefiant ad suavitatem, comitatem et pacientiam, si quid incidit offensionis aut incommodi. Quia coniugium est divina ordinatio. Et de uxore dictum est: 'Faciamus ei adiutorium coram ipso.' 1. Mose 2, 18 Necesse igitur est, ut sit etiam externa significatio benevolentiae propter alios, praesertim cum excellentissimos sanctos, qualis est Isaac, habeamus in nostra societate. Plena enim est haec vita offensionum infinitarum, quod in rebus domesticis inprimis videre est. Parent igitur se ad mutuam condonationem et oblivionem offensarum quantumvis gravium, et redeant ad blanditias usitatas etiam externas.

Ideo enim spiritus sanctus non dedignatur celebrare eiusmodi nugas, ut occurrat primum porcis istis, qui tantum quaerunt voluptatem carnis. Caeterum difficiles et asperos se praebent erga coniuges. Deinde hostibus coniugii, Papistis, qui prohibuerunt coniugium tanquam damnatum a Deo, ut habeamus exemplum, quod Deo non displiceat etiam levitas aliquantula in coniugio, quod alioqui deformatum est peccati originalis impuritate, unde furor iste usitatus existit et ardor in sexum. Sed Deus utitur ea ad copulandum marem cum foemina, et vocat auxilium coram eo. Est ergo coniunctio divina, sicut ait Christus: 'Quod Deus coniunxit, homo ne separet.' Matth. 19, 6

Estque ingens consolatio, quod scimus Deo displicere separationem coniugum, et requirere amabilitatem et mutuam suavitatem, amplexus, oscula et iocos in odium Diaboli, qui est omnium dissensionum author. Sed obiicient impuri illi caelibes: 'Bonum est non tangere mulierem.' 1. Kor. 7, 1 Coniugium est genus vitae immundum etc. Item alii: Deberem ego blandiri mulieri, ferre eius mores incommodos? Metui volo ab ipsa, et cum authoritate gubernare, ut sentiat me virum esse. Egregiam vero laudem referes, si fregeris infirmum vasculum, et oneraveris conscientiam iniusta acerbitate erga sororem et cohaeredem regni Dei, quae est in eadem communione baptismi, omnium beneficiorum Dei et totius Ecclesiae. Cogita, quid sit uxor, quis tu sis. Aut si vis pugnare, cur non cum pari congrederis? Quid laudis inde reportabis, si saevieris in vasculum infirmum? Certe indignum est quovis homine, multo magis Christiano. Et levissima, imo nulla gloria est in sexu tam imbecilli domando. Ideo valde odi eos, qui erga mulieres sunt animosi, et, ut dicitur: domi leones, foris lepores.[1]

[1]) *Nicht bei Thiele und Otto, doch vgl. Wander, Haus 551:* Zu Hause ein Lew, draußen ein Lam; *ferner C. S. Köhler, Tierleben im Sprichw., S. 113 Nr. 10—12.*

genus dicenda sunt, qui aliam et quasi super coelestem vitam somniant supra nubes, cum tamen hac praesenti carere omnino non queant.

Videamus ergo, quae simulationem Isaac consecuta sint. Abimelech vocat eum ad se, et dicit: vidi te ludentem cum Rebecca, unde possum colligere eam non esse sororem, sed uxorem tuam. Quia frater cum sorore non solet ita iocari. Quare igitur mentitus es, et dixisti eam tuam sororem? Respondet Isaac, cogitavi, ne forte morerer. Hoc loco, ut supra capite 12., de mendacio dicendum est, de quo Augustinus acute disputat
Gal. 1, 20 contra Hieronymum propter locum Pauli in Epistola ad Galatas: 'Testis est mihi Deus' etc. Ubi dicit Paulum non serio repraehendisse Petrum: sed per simulationem. Facit autem triplex mendacium. Perniciosum est, quando studio decipiendi dicitur falsum in detrimentum proximi, sive rerum, sive famae, sive animae ipsius. Et hoc pessimum est, quando sub nomine Dei mendacia et falsa doctrina sparguntur, quod in octavo prae-
2. Mose 20, 16 cepto prohibet Deus: 'Non dices falsum testimonium.'

Alterum genus est officiosum, hoc est, charitatis vel misericordiae, ut si Magistratus quaereret furem, ut raperet eum ad supplicium, et ego scirem, negarem tamen me scire, ubi esset. Ibi mentior non in perniciem: sed in salutem proximi. Aut si viderem aliquem insidiari pudicitiae virginis aut matronae, et fingerem me nescire eam: Ibi mentirer in salutem
1. Sam. 19, 11 ff. et honorem puellae. Sic *Michol* mentitur patri Davidem abiisse, sed in salutem ipsius. Licet igitur, ubi sine damno Magistratus aut parentum fieri potest, tegere et defendere eos, quos petunt aut requirunt. Simile
Jos. 2, 5 est mendacium Rahab, Iosue 2. Est igitur mendacium officiosum, quo saluti, famae corporis vel animae consulitur. Econtra perniciosum petit ista omnia. Sicut officiosum defendit, nec proprie, sed aequivoce et abusive mendacium dicitur. Quia est pulcherrima defensio contra periculum animae, corporis et rerum. Igitur honestum et pium mendacium est, ac potius officium caritatis appellandum: Quanquam Augustinus mendacium appellat, et tamen extenuat per epitheton officiosum. Quia fallitur persecutor, ut impediatur Diabolus et persecutoris malicia, et defendatur innocens. Id est servare non transgredi praecepta Dei. Atqui veritatem non esse reticendam, obiiciet aliquis: Respondeo in eiusmodi casibus non esse dicendam, nisi urgearis.

Tertium genus est iocosum. Quando quis cum aliquo iocatur, salva tamen gravitate, pietate et fide, qualis iste ludus est Rebeccae et Isaac, aut cum maritus ludit aut fallit uxorem aut filiolum, quae fallacia detecta movet eis risum et hilaritatem. Ibi desinit mendacium, et nihil est praeter risum aut ludum. Hoc etiam utile mendacium est, praesertim inter coniunctos familiaritate et benevolentia.

Quaeritur igitur de facto Isaac, an sit peccatum? Respondeo. Non est peccatum, sed est officiosum mendacium, quo praecavit, ne interficeretur

ab iis, apud quos manebat, si diceret Rebeccam esse suam coniugem. Licet sit infirmitas fidei, quod non aperte et constanter confessus est, et contempsit mortem. Ea enim magnifica et vere heroica virtus ac constantia fuisset. Sed voluit Deus eum infirmum esse, ut extaret exemplum erudiens Ecclesiam, quod non offendatur Deus, sive constanter confitearis, id quod heroicum est, sive infirmus sis, dissimulat enim et connivet. Atque ex eo perspicimus nos habere propicium Deum, qui potest ignoscere et connivere ad infirmitates nostras, remittere peccata, tantum non perniciose mentiamur.

Habuit autem Isaac non exiguas causas sui metus. Etsi enim invenit regem in regno isto satis iustum, sanctum et bonum, tamen sic cogitavit: En coactus fame peregrinabor inter gentes, quae non habent promissionem hanc, quam ego habeo, quod velit Dominus mihi esse Deus, et quod debeam ego credere et permanere in eius fide. Non habent isti neque verbum, neque fidem. Praesumendum igitur est, vel saltem timendum, quod sint impii, et caedibus, adulteriis, scortationibus obnoxii. Si non re ipsa sunt adulteri et homicidae: tamen levi aliqua occasione oblata possunt in eiusmodi flagicia incidere. Iam vero uxor mea formosa est, et posset impium aliquem sua forma illicere in sui amorem: Ideo in magno periculo versor.

Hic iustus metus est, et talis, qui cadit in constantem virum, ut Iureconsulti loquuntur. In pavidum si cadat, est inutilis. Sed metus, qui in heroicum et animosum virum cadit, est iustus et rationabilis. Laudatur igitur a Iureconsultis et Theologis. Neque enim heroicum est aut fortis viri prorsus nullum periculum pertimescere, et temerario quodam ausu periculis non necessariis se obiicere: tales sunt temerarii, non fortes. Qui vere fortis est, temperat audaciam et formidinem. In periculis necessariis non metuit, ubi necessitas, honestas, utilitas requirit animum infractum, sed extra necessitatem non coniicit se temere in periculum, et sic potest cadere in eum metus iustus, et dignus viro constante. Ad hunc modum Isaac metuit, et est infirmus. Sed tamen excusatur, quia est meticulosus, ut constans vir.

Libet autem ex hoc loco captare occasionem disputandi de dubitatione, de Deo et voluntate Dei. Audio enim spargi passim sceleratas voces inter nobiles et magnates de praedestinatione, sive praescientia divina: Sic enim loquuntur: Si sum praedestinatus, sive bene, sive male egero, salvabor. Si non sum praedestinatus, damnabor, nulla ratione habita operum. Contra has impias voces libenter multis disputarem, si possem per incertam valetudinem. Quia, si sunt verae voces, ut ipsis quidem videtur, tum plane tollitur incarnatio filii Dei, passio et resurrectio, et quicquid fecit pro salute mundi. Quid proderunt prophetae ac tota

4 extaret] exstare *Erl.*

igitur quoties sentiebat se peti ignitis telis Sathanae, nihil aliud dicebat, quam, Christiana sum.

Sic nobis quoque faciendum est, omittendae sunt disputationes, et dicendum: Ego sum Christianus, hoc est, filius Dei est incarnatus et natus, is redemit me, ac sedet ad dextram patris, et est meus salvator. Ita quam poteris paucissimis verbis Sathanam a te repellito: 'Vade retro, Sathana.' Ne mihi dubitationem ingerito. Filius Dei venit in hunc mundum, ut dissolveret tuum opus et dubitationem. Ibi tentatio cessat, et redit animus ad pacem, quietem et dilectionem Dei.

Matth. 4, 10

Caeterum dubitatio de hominis alicuius voluntate non est peccatum. Sicut Isaac dubitat, an sit victurus, vel habiturus bonum hospitem. De homine possum, imo debeo dubitare. Quia non est salvator meus, et scriptum est: 'Nolite confidere in principibus.' Quia homo est mendax et fallax. Sed cum Deo non potest agi dubitative. Is enim non vult, nec potest esse mutabilis aut mendax. Sed summus cultus est, quem requirit, ut statuas eum esse veracem. Ideo enim dedit tibi firmissima argumenta certitudinis et veritatis suae. Dedit filium in carnem et mortem, instituit Sacramenta, ut scias eum non velle fallacem esse, sed veracem. Neque id spiritualibus argumentis, sed palpabilibus confirmat. Video enim aquam, video panem et vinum, video ministrum, quae omnia sunt corporalia, in quibus figuris carnalibus se revelat. Si cum hominibus agendum est, ibi licet dubitare, quid cui credas, et quomodo erga te alii adfecti sint. Sed de Deo certo et indubitanter statuere debes, eum esse tibi propicium propter Christum, te redemptum et sanctificatum esse precioso sanguine filii Dei: atque ita de praedestinatione tua certus eris, remotis omnibus curiosis et periculosis quaestionibus de DEI arcanis consiliis, ad quas impellere nos Sathan, sicut primum parentem impulit, conatur.

Ps. 146, 3

Quanta vero fuisset eius foelicitas, si diligenter in conspectu habuisset verbum Dei, et de omnibus aliis arboribus comedisset, excepta ea, qua prohibitus erat vesci. Sed voluit scrutari, quo consilio prohibuisset ipsi Deus usum fructuum de una illa arbore. Huc accedebat magister improbus Sathan, qui curiositatem istam augebat et iuvabat. Ita in peccatum et mortem praecipitatus est.

Sic Deus revelat nobis suam voluntatem per Christum et Euangelium. Id vero fastidimus, et ad exemplum Adae vetita arbore prae aliis omnibus delectamur. Hoc vicium nobis natura insitum est. Clauso paradiso et coelo, et collocato ibi angelo custode, frustra eo penetrare conamur. Vere enim a Christo dictum est: 'Deum nemo vidit unquam', et tamen immensa bonitate revelavit se nobis Deus, ut desiderio nostro satis faceret, exhibuit nobis imaginem visibilem. En, habes filium meum, qui audit eum, et

Joh. 1, 18

26 ad quas *M. Erl.*] ad quos *L. O.*

baptisatur, is in libro vitae scriptus est: hoc revelo per filium, quem potes manibus contrectare, et oculis intueri.

Haec studiose et accurate sic monere et tradere volui. Quia post meam mortem multi meos libros proferent in medium, et inde omnis generis errores et deliria sua confirmabunt. Scripsi autem inter reliqua, esse omnia absoluta et necessaria: sed simul addidi, quod aspiciendus sit Deus revelatus, sicut in Psalmo canimus: Er heiſt Jeſu Chriſt, der HERR Zebaoth, und iſt kein ander Gott [1], Iesus Christus est Dominus Zebaoth, Nec est alius Deus: et alias saepissime. Sed istos locos omnes transibunt, et eos tantum arripient de Deo abscondito. Vos igitur, qui nunc me auditis, memineritis me hoc docuisse, non essē inquirendum de praedestinatione Dei absconditi. Sed ea acquiescendum esse, quae revelatur per vocationem et per ministerium verbi. Ibi enim potes de fide et salute tua certus esse, ac dicere: Ego credo in filium Dei, qui dixit: 'Qui credit in filium, habet Joh. 3, 36 vitam aeternam.' Ergo in eo non est damnatio aut ira, sed beneplacitum Dei patris. Haec eadem autem alibi quoque in libris meis protestatus sum, et nunc etiam viva voce trado. Ideo sum excusatus.

Ait Abimelech: Cur id fecisti nobis? Parum abfuit, quin unus e 26, 10. 11
populo dormivisset cum uxore tua, et induxisses super nos grande peccatum. Praecepit itaque Abimelech omni populo, dicens: Qui tetigerit virum illum et uxorem eius, morte morietur.

Rex prae se fert singularem bonitatem, iustitiam et pietatem. Ideo inquit Petrus Acto[rum 10.: 'Non est personarum acceptor Deus. Sed in Apg. 10, 34 f. omni gente, qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi.' Etsi enim non est filius Abrahae, tamen est sanctus, et expectat iustitiam Dei, sicut Cornelius. Ideo venit ad eum Isaac, sicut ad priorem Abimelech Abraham venit, et ab Isaac eruditur de vera pietate et cognitione Dei. Quia praedicavit ibi haud dubie verbum Dei. Ipsum autem nomen Abimelech videtur fuisse regium, non personale, sicut Pharaonis nomen omnibus regibus Aegypti commune fuit.

Vide autem, quam vehementer detestetur Rex adulterium. Ac propterea insignis hic locus est. Quare, inquit, fecisti nobis hoc malum? quasi diceret: Num ita mihi imponeres et toti regno, ut imprudentes Deum tam gravi scelere offenderemus? Neque enim mihi soli periculum erat, sed universo regno, si quis cum ea ex subditis concubuisset. Haec certe commotus dixit, et puto eum loqui de honesto concubitu, aut cohabitatione viri et mulieris, non de vaga libidine, quam praecipue timuit Isaac. Sed hanc existimo Regis fuisse sententiam: Poterat aliquis rapere tuam uxorem ut liberam, et domum ducere, et dormire cum ea more maritali, tamen

[1]) *Vgl. 'Ein feste Burg' Str. 2.*

perpetuo tibi in incredulitate et damnatione haerendum et pereundem erit. Quia, qui dubitat, non credit, Qui non credit, condemnatur.

Detestari itaque et fugere sceleratas istas voces debebamus, quas iactant Epicurei: Si necesse est, hoc ita fieri, fiat. Deus enim non ideo de coelo descendit, ut faceret te incertum de praedestinatione, ut doceret te contemnere Sacramenta, absolutionem et reliquas ordinationes divinas. Imo ideo instituit, ut redderet te certissimum, et auferret morbum dubitationis ex animo tuo, ut non solum corde crederes, sed etiam oculis carnalibus aspiceres, et manibus palpares. Cur igitur reiicis ista, et quereris te nescire, an sis praedestinatus? Tu habes Euangelium, es baptisatus, habes absolutionem, es Christianus, et tamen dubitas, ac dicis te nescire, utrum credas, an non: Num pro veris habeas, quae de Christo in verbo et Sacramentis praedicantur.

Sed dices: Non possum credere. Sicut multi hac tentatione vexantur, et memini Torgae ad me venire mulierculam quandam, et cum lachrymis queri, quod non posset credere: Ibi cum articulos Symboli ordine recitarem, et de singulis quaererem, statueretne haec vera et ita gesta esse, an non? Respondebat: omnino sentio vera esse, sed non possum credere. Illa erat Sathanica illusio. Dicebam igitur, si statuis ista omnia vera esse, nihil est, cur de tua incredulitate queraris. Si enim non dubitas filium Dei pro te mortuum esse, certe credis. Quia credere nihil aliud est, quam habere ista pro certa et indubitata veritate.

Deus dicit tibi: En, habes filium meum, hunc audias et acceptes. Id si facis, iam certus es de fide et salute tua. Sed nescio, inquies, an maneam in fide? Attamen praesentem promissionem et praedestinationem suscipe, et non inquiras curiosius de arcanis Dei consiliis. Si credis in Deum revelatum, et recipis verbum eius, paulatim etiam absconditum Deum revelabit. Quia, ‘qui me videt, videt et patrem’. Ioannis 14. capite. Qui filium reiicit, amittit cum revelato DEO etiam non revelatum. Si autem firma fide revelato Deo adhaeseris, ita ut cor tuum sic sentiat te non amissurum Christum, etiamsi omnibus spoliatus fueris: tum certissime praedestinatus es, et absconditum Deum intelliges: imo iam de praesenti intelligis. Si filium agnoscis, et voluntatem eius, quod velit se tibi revelare, quod velit tibi esse Dominus: et salvator tuus. Igitur certus es, quod Deus etiam tuus Dominus et pater sit.

Joh. 14, 9

Vide, quam suaviter et benigne Deus ab hac horribili tentatione te liberet, quam Sathan hodie miris modis urget, ut homines dubios ac incertos, ac tandem etiam alienos a verbo reddat. Cur enim audires Euangelium, cum omnia posita sint in praedestinatione, inquiunt: Ita rapit nobis praedestinationem certificatam per filium Dei et Sacramenta, reddens nos incertos, ubi sumus certissimi. Ac si adoritur pavidas conscientias hac tentatione, moriuntur illae in desperatione. Sicut mihi propemodum acci-

disset, nisi Staupitius eadem me laborantem liberasset. Si autem contemptores sunt, fiunt Epicurei pessimi. Itaque potius istas sententias animis nostris infigamus. Ioan[nis 6.: 'Nemo venit ad me, nisi pater tra- Joh. 6, 44
xerit eum.' Per quem? per me. 'Qui videt me, videt et patrem.' Et
ad Mosen: 'Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, 2. Mose 33, 20
et vivet.' Item: 'Non est vestrum nosse tempora et momenta, quae pater Apg. 1, 7
posuit in sua ipsius potestate.' Vos ite, et quod iubeo, exequimini. Item: 'Altiora te ne quaesieris, et fortiora ne scrutatus fueris. Sed quae prae- Sir. 3, 22 f.
cepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus eius non eris
curiosus.' Audi filium incarnatum, et sponte se offeret praedestinatio.

Staupitius his verbis me consolabatur: Cur istis speculationibus te crucias? Intuere vulnera Christi et sanguinem pro te fusum. Ex istis fulgebit praedestinatio. Audiendus igitur est filius Dei, qui missus est in carnem, et ideo apparuit, ut hoc opus Diaboli dissolvat, et certum te faciat de praedestinatione. Ideoque tibi dicit: Tu es ovis mea, quia audis vocem meam. 'Nemo rapiet te ex manibus meis.' Joh. 10, 29

Multi, qui non ad istum modum repugnaverunt tentationi huic, in exitium praecipitati sunt. Itaque diligenter muniendi sunt animi piorum. Sicut Heremita quidam in vitis patrum ab eiusmodi speculationibus dehortatur suos auditores. Si videris, inquit, aliquem pedem in coelum fixisse, retrahe eum. Sic solent enim sancti neophyti cogitare de Deo extra Christum: Hi sunt, qui in coelum ascendere, et utrunque pedem ibi figere conantur. Sed subito ad inferos demerguntur. Caveant igitur pii, et id unum agant, ut discant adhaerere puero et filio, Iesu, qui est Deus tuus, propter te incarnatus. Hunc agnosce et audi, ac delectare in eo et age gratias. Si hunc habes, tunc etiam Deum absconditum pariter cum revelato habes. Et illa est unica via, veritas et vita, extra quam nihil praeter exitium et mortem invenies.

Ideo autem manifestavit se in carne, ut rapiat nos ex morte, ex carne et ex Diaboli potestate. Ex hac cognitione non potest non existere ingens gaudium et delectatio, quod Deus est immutabilis, et quod necessitate immutabili operatur, neque se ipsum negare potest, sed servat promissiones. Non igitur liberae sunt cogitationes istae, sive dubitationes de praedestinatione. Sed sunt impiae, sceleratae, Diabolicae. Ideo quando Diabolus iis te impugnat, tantum dicas: Credo in Dominum nostrum, Iesum Christum, de quo mihi non est dubium, quin sit incarnatus, passus, mortuus pro me. In cuius mortem ego sum baptisatus. Hoc responso evanescet tentatio, et tergum vertet Sathan.

Sicut saepe alias recitavi memorabile exemplum de vestali quadam, quae eandem tentationem patiebatur. Nam et sub Papatu fuerunt multi pii, qui spirituales has tentationes senserunt, quae sunt vere infernales, et damnatorum cogitationes. Nihil enim differt dubitans a damnato. Vestalis

scriptura sacra? Quid Sacramenta? Abiiciamus ergo et conculcemus ista omnia.

Sunt haec Diabolica et venenata tela et ipsum peccatum originale,
1. Mose 3, 5 quo seduxit Diabolus primos parentes, cum diceret: 'Eritis sicut dii.' Non enim erant contenti revelata divinitate, qua cognita beati erant. Sed volebant penetrare profunditatem divinitatis. Sic enim raciocinabantur, subesse aliquam arcanam causam, cur prohibuisset Deus, ne ederent de arboris fructu, quae erat in medio paradisi, eam volebant scire. Perinde ut isti hodie loquuntur: Oportet fieri, quod Deus praefinivit. Igitur incerta et inanis est omnis cura de religione aut de salute animarum. Atque tibi non est commissum, ut feras sententiam, quae est impervestigabilis: Quare dubitas tu aut abiicis fidem, quam Deus tibi praecepit? Quorsum enim attinebat mittere filium, ut pateretur et crucifigeretur pro nobis? Quid proderat instituere Sacramenta, si incerta sunt aut irrita prorsus ad nostram salutem? Alioqui enim, si quis fuisset praedestinatus, absque filio et absque Sacramentis aut scriptura sancta esset salvatus. Ergo Deus iuxta istorum blasphemiam horribiliter fatuus fuit mittendo filium, promulgando legem et Euangelium, mittendis Apostolis, si hoc voluit tantum, ut essemus incerti, et dubitaremus, utrum simus salvandi, an vero damnandi.

Sed sunt hae praestigiae Diaboli, quibus conatur nos dubios et incredulos reddere, cum Christus ideo venerit in hunc mundum, ut faceret nos certissimos. Necesse enim est sequi tandem vel desperationem, vel contemptum Dei, sacrorum Bibliorum, baptismi et omnium beneficiorum divinorum, quibus nos voluit confirmatos adversus incertitudinem et dubi-
1. Kor. 15, 32 tationem. Dicent enim cum Epicureis: vivamus, edamus, bibamus, cras moriemur. Turcarum in morem temere in ferrem et ignem ruent, si quidem hora praefinita est, qua vel occumbas, vel evadas.

Opponenda est autem cogitationibus istis vera et firma cognitio Christi: Sicut saepe moneo inprimis utile et necessarium esse, ut cognitio Dei certissima sit in nobis, et firma animi adsensione adpraehensa haereat. Alioqui inanis erit fides nostra. Si enim non stat promissionibus suis Deus, tum de nostra salute actum est. Cum e contra haec nostra consolatio sit, tametsi nos mutemur, ut ad immutabilem tamen confugiamus. Sic enim
Mal. 3, 6 de se adfirmat Malachiae 3.: 'Ego Dominus et non mutor', et Roman-
Röm. 11, 29 rum 11.: 'Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei.' Sic igitur in libello de servo arbitrio et alibi docui. Esse distinguendum, quando agitur de notitia, vel potius de subiecto divinitatis. Aut enim disputandum est de Deo abscondito, aut de Deo revelato. De Deo, quatenus non est revelatus, nulla est fides, nulla scientia et cognitio nulla. Atque ibi tenendum est, quod dicitur: Quae supra nos, nihil ad nos.[1] Eiusmodi

[1]) *Minucius Felix, Octavian 13, 1:* eius viri *(sc. Socratis)* quotiens de caelestibus rogabatur, nota responsio est: quod supra nos, nihil ad nos. *Hieronymus adv. Ruf. 3, 28.*

enim cogitationes, quae supra aut extra revelationem Dei sublimius aliquid rimantur, prorsus Diabolicae sunt, quibus nihil amplius proficitur, quam ut nos ipsos in exitium praecipitemus, quia obiiciunt obiectum impervestigabile, videlicet Deum non revelatum. Quin potius retineat Deus sua decreta et mysteria in abscondito. Non est, cur ea manifestari nobis tantopere laboremus.

Moses etiam petebat, ut ostenderet ipsi Deus faciem suam. Sed respondet Dominus: 'Posteriora mea tibi ostendam, faciem autem meam videre non poteris.' 2. Mose 33, 20 Est enim curiositas ista ipsum peccatum originis, quo impellimur, ut ad Deum adfectemus viam naturali speculatione. Sed est ingens peccatum, et conatus inutilis et irritus. Sic enim inquit Christus Ioannis 6.: 'Nemo venit ad patrem, nisi per me.' Joh. 6, 65 u. 14, 6. Ideo quando ad Deum non revelatum accedimus, ibi nulla fides, nullum verbum, neque ulla cognitio est, quia est invisibilis Deus, quem tu non facies visibilem.

Deinde severissime prohibuit Deus istam adfectationem divinitatis. Sicut ait ad Apostolos Christus Actorum 1. cum quaerunt: 'Num praedestinatum est, ut hoc tempore restituatur regnum?' Apg. 1, 7 'Non est vestrum nosse tempora.' Sine, me esse absconditum, ubi me non revelavi tibi: aut tibi ipsi causa exitii eris. Sicut Adam horribiliter lapsus est. Quia scrutator maiestatis opprimetur a gloria.

Ac initio quidem statim voluit Deus occurrere huic curiositati: Sic enim suam voluntatem et consilium proposuit: Ego tibi praescientiam et praedestinationem egregie manifestabo, sed non ista via rationis et sapientiae carnalis, sicut tu imaginaris. Sic faciam: Ex Deo non revelato fiam revelatus, et tamen idem Deus manebo. Ego incarnabor vel mittam filium meum, hic morietur pro tuis peccatis, et resurget a mortuis. Atque ita implebo desiderium tuum, ut possis scire, an sis praedestinatus, an non. 'Ecce, hic est filius meus: Hunc audito', hunc aspice iacentem in praesepio, Matth. 17, 5 in matris gremio, pendentem in cruce. Vide, quid is faciat, quid loquatur. Ibi me certo appraehendes. 'Qui enim me videt, inquit Christus, videt Joh. 14, 9 et patrem ipsum.' Si hunc audieris, et in nomine eius baptisatus fueris, et diliges verbum eius, tum certo es praedestinatus, et certus de tua salute. Si vero maledicis aut contemnis verbum, tum es damnatus. Quia, qui non credit, condemnatur.

Alias cogitationes et vias rationis aut carnis occidito, quia Deus eas detestatur. Id unum age, ut suscipias filium, ut placeat in corde tuo Christus in sua nativitate, miraculis et cruce. Ibi enim est liber vitae, in quo scriptus es. Idque unicum et praesentissimum remedium est istius horribilis morbi, quo homines in inquisitione Dei procedere volunt speculative, et ruunt tandem in desperationem aut contemptum. Si vis effugere desperationem, odium, blasphemiam Dei, omitte speculationem de Deo abscondito, et desine frustra contendere ad videndam faciem Dei. Alioqui

esset ibi occultum peccatum adulterii. Ut maxime honeste cum ea cohabitaret tanquam maritus: tamen inveniretur, et merito haberetur adulter.

Ista sunt verba viri timentis Deum et pii, Principe et rege digna, qui etiam occultum adulterium detestatur, multo magis punivisse cum adulteria manifesta et vagas libidines credibile est. Ac tametsi alteri copulata fuisset inscio rege, ipse tamen extra culpam fuisset. In nostris Regibus et principibus hodie nihil simile invenies, dicerent: Sive soror, sive coniunx sit, sive honeste, sive inhoneste tractetur: Quid ad me? Sed timor Dei fuit in eo. Ideo metuit, ne vel occultum adulterium in regno committeretur. Tales etiam haud dubie fuerunt reliqui principes et proceres regni.

Fuit ergo magnum beneficium, quod eo tempore dedit Deus tam sanctos et pios hospites Ecclesiae. Sicut supra Abraham habuit Escol, Aner et Abimelech. Oportet enim, ut Ecclesia et Apostoli habeant angulum, ubi vivant. Talis fuit Abimelech iste, qui fovit sanctum Apostolum et Prophetam Dei Isaac. Ideo existimo eum fuisse unum de regibus sanctis. Etsi enim non fuit filius promissionis, tamen particeps eius factus est. Sicut eo tempore etiam multi gentiles salvati sunt.

ASCHAM reddidit Hieronymus peccatum grande. Significatur autem, adulterium eo tempore non pro ioco aut re ludicra habitum, ut hodie inter Christianos coniugium quasi ludus habetur, praesertim apud magnates, et Papistae adulterium et fornicationem ludum aut iocum aestimant. Sive igitur intelligatur de adulterio, seu de fornicatione, depraehendi certe potest animus Regis plenus pietate et reverentia Dei, qui neutrum horum ferre inultum potuerit. Vehementer enim commovetur, non habet pro ludibrio, sed pro *Ascham*, hoc est, pro reatu, Für ein ſchuld, da unſer Herrgott ein zuſpruch[1] zu hat, Sicut in oratione dominica precamur: 'Dimitte
Pſ. 34, 22 nobis debita, sive reatus nostros.' Et Psalmo 34.: 'qui oderunt iustum, delinquent', id est, erunt rei. Inde hostia pro delicto: Schuldopfer. Et
Pſ. 5, 11 Psalmo 5.: 'Iudica illos Deus.' Ubi Hieronymus vertit: Condemna eos, non iustifica eos. Sed pro condemnatis, reis et perditis habeto, prope-
1. Kor. 4, 13 modum idem sonat, quod Paulus 1. Corinthiorum 4. *κάθαρμα* dicit.

Sic igitur inquit Rex: Tu facile reatum et damnationem super nos induxisses. Non reveretur tantum et timet Deum, sed cohorrescit etiam ad periculum illud, quod inde sibi et toti regno extitisset, si alius eam rapuisset, aut duxisset in legitimam coniugem. Deinde non est contentus acri ista repraehensione sive obiurgatione. Sed etiam edicto testatur sibi displicere, seque severe puniturum eos, qui vim inferant hospitibus istis. Propter hosce peregrinos sancit legem, et statuit poenam capitis in delinquentes. Auget etiam decretum, si quis attigerit, non solum mulierem, sed et virum, si laeserit corpus, familiam, bona, existimationem, morte

18 ASCHAM] אָשָׁם

[1]) = *Anspruch (Recht zu strafen oder zu klagen); s. Lexer.*

morietur. Quia volo eum immunem et tutum ab omni periculo esse in meo regno.

Vides autem, quam benignus sit Dominus erga suos sanctos. Tentat quidem eos, mittit in exilium, et sinit eos periclitari de fama, de vita: permittit, ut laborent fame et omnis generis malis. Sed parat tamen hospitium pulcherrimum, quietum et tutum, et dat pacem in medio inimicorum. Ista scribuntur ad confirmandam fidem nostram. Etiamsi ingruunt pericula et calamitates, Sicut Isaac in summo periculo versatur, quod tamen Deus sit gubernator et conservator noster. Quia oportet Ecclesiam habere locum et nidum in hac terra. Si hic vel alius Princeps nos non tueri vult: at alium dabit Deus, qui benigne prebeat hospitium. Et solet plerunque hospitem deligere sine nostro consilio aut cogitatione, imo praeter et contra spem et expectationem nostram. Ad hunc modum securitatem et tranquillitatem in terra ista consecutus est Isaac, et postea locupletatus est abunde, ut inviderent ipsi incolae tantam foelicitatem, et denuo locum mutare cogeretur. Haec omnia eo traduntur, ut credamus in Deum gubernantem et servantem nos. Cum enim habemus verbum, exercemur quidem variis periculis, sed ita, ne in tentatione pereamus, aut desperemus, sed ut in pace laetemur, et gratias agamus Deo.

Seminavit autem Isaac in terra illa, et invenit in illo anno centum modios, benedixitque ei Dominus. Et crevit vir ille, et eundo profecit atque erectus est, donec magnus vehementer effectus est, habuitque possessionem ovium et armentorum, et familiae plurimum. 26, 12—14a

Videntur haec omnia hyperbolica, quae de Isaac commemorat Moses: quia dicuntur de viro miserrimo, exule et peregrino, qui ne vestigium quidem pedis in terra ista possedit, non villam, non horreum, non tugurii congestum cespite culmen.[1] Sed saepe hoc diximus, describi sanctissimos istos patres nobis pro exemplo vitae Christianae et piae, quomodo ea sobrie, iuste et pie agenda sit propter futuram vitam. Sic enim videmus illum sanctissimum Patriarcham varie exerceri: et vivere tamen simpliciter in verbo Dei, quod ei datum erat in promissionibus opulenter: Ero tecum. Dabo tibi omnes terras istas. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Ista verba diligenter meditata et animo infixa habuit. Nos oscitanter et surdis auribus audimus: Non tanti facimus verbum, quanti fecerunt patres. Ideo voluit Deus ostendere, quomodo sanctissimi viri vixerint: non in solo pane, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Quia impossibile fuit carnem et sanguinem ferre tantas molestias istius vitae, quae hic describitur.

[1]) *Virgil, Eclogen 1, 69.*

Qui non est in re praesenti, et legit aut iudicat haec secundum carnem, illi videntur res leviculae et temporales, de victu, de uxore, de familia, pascuis, pecudibus. Quid hoc? nihil est ibi eximium aut splendidum. Sed recte metienti magnitudinem harum rerum, revera videbuntur gravissimae et maximae. Post largissimam enim promissionem illam secuta est tentatio et periculum de pudicitia et vita sua et coniugis. Sustentat autem se interea verbo promissionis supra dato, et peregrinatur in terra divinitus sibi promissa et propria quasi exul aut alienus, et aequo animo patitur alienos ibi dominari. Iam considera circumstantias, et te in rem praesentem constitue. Quid enim faceres, si tibi alienus dominus in tua domo ferendus esset, et tu omnibus fundis et bonis tuis eiicereris? Nunquam ferres profecto.

Atqui Isaac exulat in terra divinitus sibi tradita, atque ita, ut cogatur metuere periculum pudicitiae uxoris, hoc est, perturbationem universae domus, imo sui ipsius interitum. Nam si ipse fuisset occisus, tota familia fuisset in periculo. Nos sumus delicati martyres, sedemus in ocio et tranquillitate, fruimur rebus nostris, edimus et bibimus in pace. Magna autem tentatio est, cum uxore et duobus filiis ac tanta familia, tot pecoribus et iumentis versari in terra aliena, ubi pabulum et omnia ad vitam necessaria precio comparanda sunt. Non est maior miseria, quam in toto orbe terrarum vagari sine certa sede et tecto proprio: Sicut omnium gentium dicta testantur, et Saxonicum illud: Eigen wat, gut ist bat [1], Sed vivere ex incerto favore amicorum et inimicorum gravissima tentatio est.

Talis fuit autem vita sanctorum patrum, plena tentationibus, etiam externis in rebus corporalibus, ut exerceretur fides eorum in promissionem. Haeret enim Isaac et pendet in coelestibus, cum versetur adhuc in terra. Sed sine fide non potuisset tam duram vitam degere. Miror unde acquisierit familiam et servos, nisi forte ex Arabia habuit, quae abundavit servis. Absque dubio autem multa iurgia, multae aliae molestiae oeconomicae, furta item et insidiae inter pastores et familiam ortae sunt. Sed sustinet Isaac et expectat, quia habet Deum promittentem et invisibilem quidem, et ad tempus derelinquentem. Sed adiutorem in opportunitate.

Porro ad hanc tentationem sequitur consolatio, ne videatur frustra credidisse et expectasse Dominum. Post iterum tentabitur, et rursum consolationem accipiet. Perpetuae enim hae vices sunt tentationum et consolationum, perinde ut noctis et diei. Sic enim exercetur verbum promissionis et fides. Seminat igitur Isaac in terra peregrina, quae tamen propria est, et invenit anno illo centuplum. Lucet autem in rege Abimelech singularis bonitas. Non enim recipit tantum Isaac in fidem et tutelam

[1]) *Vgl. Thiele S. 53; hochdeutsch bei Wander, Eigen 4.*

suam, et cavet sub poena mortis, ne quis ipsi aut coniugi iniuriam inferat. Sed commodat etiam partem terrae, agrum, prata pro pecudibus et familia: et quanquam certa pecunia locavit, tamen id quoque honestum est et gratum, quod fortassis alibi non fuisset ei concessum.

Merito igitur regem hunc pium et bonum celebrat Moses, nec dubito eum salvatum esse, sicut pater ipsius. Nisi ille ipse Abimelech est, qui fuit tempore Abrahae, quod tamen non puto. Quia Isaac iam ferme centum annos natus est. Pertinent autem haec ad cognoscendam Dei benignitatem, qui consolatur suos, postquam adflixit, et exploravit eorum fidem et constantiam, sinit, iterum oriri super eos lucem ac solem misericordiae et gratiae, dat optimum hospitium, ut non solum in pace possit vivere, sed etiam amplissimas opes acquirere.

Iudaei dicunt fuisse eo anno magnam sterilitatem in tota terra, ac tantum in agro Isaac, quem conduxerat fuisse tam uberem proventum. Sed nihil opus est ista amplificatione Iudaica, per se satis magnum est, quod unus modius reddidit centum modios. Ac fuit haud dubie miraculum, et inusitatus proventus agrorum illius terrae. Centum vero modii reddunt mille, et sic in infinitum.[1] Taceo reliquas opes rusticas, butiri, lactis, ovorum et similium. In nostris regionibus est res incredibilis et incompraehensibilis. Copiosus proventus et foelix est, si unus modius quinque aut sex modios fert, nondum tamen est trigecuplus aut sexagecuplus fructus, de quibus in parabola Euangelica.

Hinc ergo discamus perseverantiam in fide, ne dubitemus aut vacillemus, si qua incidit tentatio. Vide enim, quam liberaliter retribuat Deus Isaac pro tentatione priore, ut sciamus eum non in aeternum irasci: et habentes promissionem perduremus in tentationibus, sic statuentes: Dominus, qui dixit mihi: Crede, certo servabit suam promissionem. Ego interim expectabo, iuxta illud: Expecta Dominum, viriliter age etc. Confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in eum. Pii expectent et perseverent etiam in summis periculis et adversitatibus. Ipse enim promisit se velle nos curare, 1. Petri 5.: 'Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.' 1. Petri 5, 7

Haec exercitia fidei sunt necessaria piis, quia absque iis languesceret ac tepesceret: imo extingueretur tandem fides. Inde vero discunt, quid sit fides, et tentati crescunt in cognitione filii Dei, et fiunt tam fortes et firmi, ut in rebus adversis gaudere et gloriari non minus, ac de rebus secundis queant, tantum pro nubecula aut nebula habeant quamlibet tentationem, quae statim evanescat.

Quot autem modios seminaverit Isaac, Moses non commemorat:

---

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 195 zu 1. Mose 26, 12:* Plinius dicit in aphrica unum modium 300 reddere.

tantum dicit unum modium tulisse centum. Si centum seminavit, invenit decies mille modios. Singularis benedictio est iuxta promissionem supra factam. Ac perseverat Moses in amplificando miraculo isto, et dicit Isaac valde auctum esse opibus. Ac si durasset proventus iste duos aut tres annos, crevisset in immensum. Ipse quidem contentus fuisset, si unus modius decem, aut minus tulisset. Sed Deus non solum satiat eum, sed obruit benedictione, et longe plus tribuit, quam pro domo et familia, quantumvis numerosa, opus sit, vix enim vicesima parte indigebat. Facilime igitur potest suos locupletare Deus: si pro mille modiis, qui sufficiebant ante abunde colono, dat decies mille modios. Et tamen nihil adhuc proprii habet in terra. Vivit in propria terra quasi non propria.

Ingens ergo haec consolatio est, si modo recte eam accipimus. Deus enim ista largitur, ut discamus credere et expectare Domini auxilium in tribulatione, et in rebus laetis pro beneficiis gratias agere. In his enim consistit vita sanctorum. 'Ascendunt montes, descendunt campi', modo dies est, modo nox, hodie honor, cras ignominia. 2. Corinthiorum 6. Semper autem oculi et animus dirigendus est, et figendus in promissionem: Veniens veniet, et non tardabit. Nunc alia tentatio sequitur, qua denuo fides Isaac exercetur.

Ps. 104, 8

2. Kor. 6, 8

26, 14b—16 Ob hoc invidebant ei Palestini. Nam omnes puteos, quos foderant servi patris eius in diebus Abraham, obstruxerunt implentes humo, adeo ut ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede a nobis, quoniam potentior factus es nobis vehementer.

Post consolationem divinam sanctissimus Patriarcha iterum coniicitur in varias et difficiles tribulationes. Quia sic instituenda est vita piorum, ut utantur quidem hoc mundo, coniugio, cibo, potu et omnibus necessariis ad vitam, sed tamen animo pendeant in coelestibus. Qui id non faciunt, fiunt ventres et servi Mammonae. Diabolus vero non concedit nobis in hac vita quietem. Impossibile est, ut habeamus pacem cum eo, Siquidem hostis Dei est, et inimicitiae positae sunt inter filios serpentis et semen mulieris.

Prima tentatio haec est, quod odio et invidia obstruunt omnes fontes, et implent terra: qua occasione eum commovere volunt, ut sponte fugiat. Isaac vero haec omnia fert pacienter, et interim fruitur aqua pecunia ab aliis redempta. Ideo cum eum non possunt hac ratione eiicere, persuadent regi, ut peculiari mandato iubeat eum terra excedere. Ibi cogitur fugere, et relinquere non alienam, sed propriam ditionem. Durior itaque et tristior haec tentatio est, quam prima specie ac obiter tantum aspicienti appareat. Origenes hoc loco nescio quam sapientiam profert de fontibus obstructis, quam Erasmus valde admiratur. Sed interim amittitur instructio vitae Christianae et historiae tractatio, quae nos pie erudit.

Isaac locuples est, et abundat frumento, docet familiam de pacientia et pietate. Sed quid accidit huic sancto viro et sacerdoti Dei? Cum omnia iam adeptus videtur, Palestini odio et invidia concitati eripiunt ei aquam: ita ut ne ipsi quidem frui ea queant. Si aqua tantum interdixissent, potuisset eam clanculum suffurari. Sed obruunt prorsus fontes, inecta terra, ut omnibus pariter usus aquae negetur. Sine qua tamen haec vita sustentari non potest, praesertim in pecudibus. Privare aqua est ipsa vita privare cum homines, tum iumenta. Pessima itaque tentatio fuit in tanta multitudine familiae et pecudum, et insignis malicia est, prohibere aquam in tanta necessitate. Quid aliud potuit cogitare Isaac, quam esse sibi cum iumentis et familia siti pereundum? Unicam illam consolationem habuit, quod in Gerar famulos mittere potuit, et inde adferre aquam in amphoris et lagenis, emptam pecunia, sicut nos vinum emimus. Quod tamen ipsum auxit dolorem, cum aquam propriam emere cogitur. Ipse enim revera Dominus erat aquae, fontium et totius terrae, ac fontes pater ipsius Abraham foderat.

Discamus igitur hinc, quod nostrae tentationes longe leviores sunt, quam sanctorum Patriarcharum tribulationes fuerunt. Nos sumus delicati martyres, qui vivimus in abundantia omnium rerum. Carent igitur prorsus exemplo tales historiae, neque ullus est hodie etiam ex sanctissimis, qui possit ista ferre. Coguntur vagari per pagos usque in Hebron, forsan etiam in desertum usque ad puteum viventis et videntis (non enim scribit Mose, unde habuerint aquam), et inde potum adferre pro se et pecudibus. Quem non commoveret tantae rei indignitas? Verisimile est Rebeccam quandoque per impacientiam dixisse: tamen nos sumus domini terrae, ubi est promissio divina, siccine impletur, ut alieni nostris bonis fruantur, nobis eiectis, aut certe omnibus necessariis ad fruendum ademptis?

Non igitur, ut iudicio carnali videntur, haec ridicula sunt, quae commemorantur de aqua et fontibus. Sed eo pertinuerunt omnia, ut fides exerceretur. Habuit enim promissionem Dei, qui dixit: Ero tecum. Sed contrarium ei iam obiicitur, ac si a Deo promittente derelictus esset. Itaque nos quoque discamus expectare Dominum, si habemus promissionem, utut cadant alia, sive persecutio pro praesentia Dei nos excipiat, sive iram pro gratia sentiamus, dicamus tamen: Credo, sum baptisatus, sum absolutus, habeo divinam promissionem gratiae et misericordiae, satis habeo, sive nox, sive dies, sive tribulatio, sive laetitia mihi obversentur: non tamen amittam misericordiam, nec despondebo animum.

Altera tentatio est, postquam aquam eripuerunt, veniunt Centauri, et corrumpunt regis Abimelech animum, ut retractet locationem pratorum et agrorum, et sibi fundos illos omnes vendicant. Non intelligunt esse miraculum et benedictionem singularem, sed agrum sua natura tam fertilem et foecundum esse putant. Ideo ipsi potius eo uti volunt, quam peregrino

concedere, qui aliquanto post, auctus opibus, vel vi, vel precio incolarum agros ac fundos, et paulatim totam terram in suam potestatem redigere posset. Sed per hoc accersunt sibi maledictionem. Non enim consentaneum est, eam fertilitatem ipsis concessam esse, quam Isaac antea divina benedictione habuit.

Fortassis autem ex sermonibus alicuius ex familia cognoverunt Palestini, peregrinum istum iactare sibi promissum esse dominium huius terrae. Id vero visum est iniquissimum, et dignum odio et exilio. Prius itaque privata iniuria, nunc autoritate regia et publico edicto pellitur. Eo enim consilio obstruxerant fontes, ut propter penuriam aquae nemine cogente cederet. Sed longe gravior tentatio est, quod iubente rege eiicitur, quem putavit se hactenus habere faventem et benignum, cuius praesidio et tutela contra quasvis iniurias posset esse tutus, ex eo iam cogitur audire. Recede a nobis, quia es robustior, crassior, locupletior nobis, plures servos et pecudes habes, quam nos. Ita expellitur Isaac, quia invident ei hanc benedictionem, nec possunt ferre, ut ibi ditescat, et primum aqua, deinde terra interdicunt.

Haec secunda tentatio est, pugnans contra promissionem. Sed haeret tamen in ea Isaac, et perdurat firmiter, sic cogitans: Liberavit me Deus a morte, servavit uxoris pudicitiam, dedit item fructum centuplum: Non igitur gravabor hanc sedem deserere, et tamen manebo in vicinia, quia iussit me Dominus peregrinari in hac terra.

26, 17. 18 Abiit igitur inde Isaac, et castra metatus est in torrente Gerar, habitavitque ibi. Et rursus fodit puteos aquarum, quos foderunt in diebus Abraham patris sui, et quos illo mortuo obstruxerunt Philistiim, vocavitque eos iisdem nominibus, quibus pater vocaverat.

Secedit Isaac in alium locum, non procul a priore, haud dubie non sine dolore et tentatione carnis. Cuiusmodi autem agrum habuerit, scriptura non indicat, tantum dicit: ‘castra metatus est in torrente Gerar’, in illo angulo. Habitaverunt autem in his tribus locis: Hebron, Berseba et Gerar, tres Patriarchae: Abraham, Isaac et Iacob. Unde apparet Deum singulariter illis locis delectatum esse. Et sunt haec loca in tribu Iuda versus meridiem, amplitudine quatuor aut quinque milliarium. Ibi vagati sunt sancti Patres, alias in Gerar, alias in Berseba habitantes. Ac vocat Moses ‘torrentem’, quia non fuit locus cultus, neque ager fertilis in valle hac Gerar. Circa torrentes enim solet esse terra sicca.

Fuit igitur insignis tentatio, in qua didicit Isaac non in solo pane
Matth. 4, 4 vivere, sed in quolibet verbo, quod procedit de ore Dei. Eum vero locum non inviderunt ei Palestini. Cum non haberet agrum bonum, ubi posset

serere et metere, quia torrentes exundationibus solent vastare agros. Unde igitur se et familiam sustentavit? Si habuit pecuniam, emit alimenta necessaria. Deinde fodiunt alios fontes, quos rursum terra obturabunt Palestini, sicut antea fecerunt. Et tamen vincet odia ista, et durabit invictus, quantumvis tentationes subinde aliae atque aliae consolationes has consequantur. Sicut animum eius firmum et constantem in migratione ista describit Moses significanti et emphatico vocabulo: 'Isaac recedit', pulsus et eiectus sua ditione: nihilominus tamen castra metatur. Est verbum militare, quo utitur Psalmus 34.: 'Castra metatur angelus' etc. *OHEL:* tabernaculum Pſ. 34, 8 significat. *Hanach:* castra figere. Postea pro habitaculo etiam usurpatur, sed proprie pro militari aliqua casa.

Voluit igitur Moses ostendere fuisse patriarcham Isaac animo infracto in tantis tribulationibus, et certissimum de hoc, ubicunque habitaret, esse ibi quandam arcem sive castrum quoddam, in quo divinitus custodiretur. Tanta vis est promissionum, ut videatur Isaac ridere Diabolum et eius membra, quae eiecerunt eum pulcherrima possessione. Sic enim statuit: Si hic non possum habere centuplum, sed cogor relinquere ea, quae optimo iure tenui: erit tamen, unde vivam, imo vivam munitus, et habitabo in castris. Si non possum habitare in agris fertilibus Gerar, habitabo in valle ad torrentem, quae erit mihi castrum non munitum et circumvallatum lignis et lapidibus, sed angelicis exercitibus.

Ita inducit Moses Isaac perturbatum, et in summis tribulationibus ac angustiis agentem: et tamen describit heroicum eius animum, contemptorem mundi et firmiter retinentem spem in Deum, qua sic adfectus est: Ego non solum habebo necessaria, sed etiam defensionem et securitatem.

Haec in exemplum et consolationem nobis proponuntur. Si enim habemus promissionem, tum infallibilis consequentia est, adesse circa nos angelos. Et inde versus Psalm[i 34. fluxit: 'Angelus Domini castra metatur.' Pſ. 34, 8 Item Psalm[i 91.: 'Angelis suis mandavit de te.' Hoc ipsi infirmiter Pſ. 91, 11 et sine ulla dubitatione crediderunt. Itaque nos quoque si sumus pii, credamus in promissionem eius, qui non potest mentiri, tunc certo sumus sub eius protectione, certum etiam est adesse nobis angelos. Quod si quid mali nobis accidit praeter aut contra istam fiduciam et tutelam, id fit singulari consilio, abscondito nobis ac praesertim adversariis. Sic autem consolentur se pii. Ego scio me habere custodes angelos, sed quod adversi aliquid ferendum est, id permitto divinae voluntati. Sum enim in castris angelorum, Deus non est mendax, ideo non deseret me.

Hoc vult Moses exemplo isto monere, ut simus superbi in promissionibus divinis, quas nos quoque in Euangelio habemus opulenter. Siquidem enim scio me esse absolutum a peccatis per ministerium verbi, esse bap-

---

9 *OHEL*] אֹהֶל 10 *Hanach*] חָנָה

tisatum, debeo esse animo excelso et infracto ad omnia pericula, sive corpus, sive anima extrema patiatur. Sed non possum hoc credere, inquies, et tam fortis esse. Concedo sane. Caro enim repugnat promis-
Röm. 7, 23 sioni, ut de se dicit Paulus Romanorum 7.: 'Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.' Ubi loquitur de peccato universo, et corruptione totius naturae, qua fit, ut non tam constanter resistamus legi membrorum, et adhaereamus legi mentis. Atque idem omnes pii queruntur, dum vivunt in hac carne. Habemus quidem hanc sapientiam, ut aliquo modo et tenuiter apprehendamus promissiones divinas, et suspiramus quotidie, ut caro, quae impedit fidem, redigatur in cinerem. Conandum autem est, ut crescamus in cognitione illa heroica, donec perfecti fiamus.

Sed sine tentatione nihil discimus, neque quicquam proficimus. Ea enim militia et exercitatio Christianorum est, qua cognoscimus, nos esse sub custodia angelorum: et quantumvis gravibus et difficilibus tentationibus exerceamur: non tamen nocere eas nobis. Haec Theologia nostra est, quae non facile aut subito discitur, sed assidue meditandum est in lege, standum est in acie contra Diabolum, qui conatur nos retrahere a studio verbi, et languefacere fidem nostram.

Ad hunc modum Isaac vexatus iniuriis Palestinorum: rursus tamen se erigit, et sic statuit: habitabo ego in hac terra invitis omnibus, qui me eiectum volunt, quia terra mea est secundum promissionem. Haec erit mihi regia sedes ad torrentem istum. Opinor autem fuisse eiusmodi vallem, qualis est in Saxonia inter Dibon et Ilenburgum ad Muldam fluvium. Quanquam ne hic quidem firmam sedem habiturus est: tamen sic dicit in fide promissionis, ac credidit se in castris angelorum habitare. Quia Deus non mentitur. Igitur non peribimus, si quidem promisit mihi terram hanc: Igitur etiam pereundo non peribimus. Didicit autem Isaac haec a patre Abraham, cui similia acciderunt, et simili robore fidei omnia superavit.

Porro mentio hic fit fontium, quos foderant servi patris sui, et quos defuncto patre obstruxerunt Philistiim. Haec ad caput 21. referenda sunt, explicant enim ea, quae ibi dicuntur de uno tantum fonte, quem vi abstulerunt servi regis, ubi Abimelech excusat se Abrahamo, quod nescierit, et postea cum eo foedus init. Ibi venit fortassis Isaac in mentem se eodem modo, quo Abraham antea tractatus fuerat, exerceri ab incolis huius terrae. Quanquam durius id est, quod a rege terra excedere iubetur: Non a servis tantum iniuria adficitur, Sed rex ipse corruptus calumniis aulicorum eiicit eum. Tametsi enim sentiamus eum fuisse bonum: tamen sequi cogitur consilia principum in regno.

Foderuntque servi Isaac iuxta torrentem, et repererunt ibi 26, 19–21
puteum aquarum viventium. Et rixati sunt pastores Gerar cum pastoribus Isaac, dicentes: Nostra est aqua, vocatumque est nomen putei illius Eseck, propterea quod ibi iniuriam ei fecissent. Et foderunt puteum alium, et pro illo quoque rixati sunt, appellavitque eum Sitna.

Haec nova benedictio est, qua Deus singulari beneficio Isaac cumulat post tentationem superiorem. Non solum enim dat fontes repurgatos, sed etiam novum fontem aquarum viventium, antea non visum in hac valle. Amat autem eum Isaac mirabiliter, et collaudat, ac vocat fontem aquarum viventium. Quia pulcherrima consolatio est habere fontem perenniter fluentem. Et effluxit fortassis ex montibus. Augustinus discrimen facit inter puteum et fontem. Puteum dicit, quem urnis haurire solemus, in quo aqua similis mortuae non fluit. Fontes autem sunt, qui fluunt, et fluxu vitam ostendunt. Et similes sunt animalibus, quae vivunt.

Sic igitur dedit Deus hanc aquam vivam Isaac in consolationem. Sed idem ei accidit, quod in proverbio dicitur: Alii laborant, alii fruuntur. Alii seminant, alii metunt.[1] Postquam enim vident Philistiim invenissse Isaac fontem aquarum viventium, et amoenissimam istam scaturiginem: intelligunt, quantum ex ea sit commodi: quia non solum suppeditat aquam civibus, et manet in puteo: Sed profluit et irrigat totam terram, propterea placet Philistiis. Quanquam ipsi non invenerunt, nec foderunt, imo ne viderunt quidem in sua regione: et tamen sibi vendicant.

Moses verecunde tacet de rege et principibus, tantum dicit de pastoribus villanis, quasi illi iurgium moverint super ista scaturigine. Fuit autem gravis contentio: quia iure sibi vendicant, et allegant textum: Terra est nostra: Igitur quicquid fecit et continet terra, ad nos pertinet. Quid faciat Isaac? Est vir sanctus et sincerus, non est contentiosus. Fert igitur iniuriam istam aequo animo. Quanquam difficiles passiones sunt, tantam esse maliciam horum hominum, ut etiam potum ipsi invideant et rapiant ex aqua divinitus concessa. Non enim ipsis data, nec inventa ab eis, sed singulari benedictione huic sancto viro donata erat. Iuristae hoc loco materiam habuissent, vel centum annos litigandi. Sed cedit Isaac tempori, personis, causis, et relinquit fontem. Ego orassem, ut Deus scaturiginem et fontem supressisset sine labore ipsorum inventum.

Sed non aliter ulciscitur iniuriam Isaac, quam indendo nomen fonti *Eseck*, in memoriam perpetuam tantae improbitatis, ut testetur ab ipsis ortam iniuriam, apud se esse innocentissimam pacientiam: quae est sanc-

---

22 Quanquam] Quanquaquam *im Urdruck*

[1]) *Nicht bei Thiele und Otto; doch s. Unsre Ausg. Tischreden 1, 255, 6.*

tissima virtus, et sustentat se conscientia recti, iustitiae et innocentiae. Non laedit proximum, multo minus Deum in suis sanctis. Ideo Isaac non conviciatur Philistiim, satis est, quod relinquit post se foedum nomen *Eseck*, in testimonium maliciae istius populi.

Eiusmodi enim iniustae rapinae vindictam et poenas secum trahunt. Sicut testatur dictum Augustini: Lucrum in arca, damnum in conscientia.[1] Nullum iniustum lucrum est sine iniustissimo damno. Qui enim rem rapuit, perdidit fidem. Diabolus cum re acquiritur, et Deus cum fide et iustitia amittitur. Si tu rem tollis, et mihi fidem relinquis et bonam conscientiam, Ibi tu quisquilias, ego vero grana habeo. Quicquid rapueris, quo iure, quaque iniuria, iam amisisti fidem, et habes adversarium Deum, et cum ipsis paleis in aeternum exitium praecipitaberis. Illa dicuntur et inculcantur saepe: sed non audiuntur, nec creduntur. Communis sententia est omnium gentium: Male parta, male dilabuntur.[2] Male partum, male disperit.[3] De male quaesitis non gaudet tertius haeres.[4] Germani dicunt: Übel gewonnen, böſslich zerronnen, Unrecht gut wudelt nicht[4], Et tamen non desinimus rapere et furari falsa mensura, falsis ponderibus et omni genere fraudum.

Ego ipse postquam egressus sum vigesimum annum. Nam ante id tempus homo in communibus rebus nihil videt, nec intelligit, Postea vero in quadraginta annis multos vidi rapaces, avaros et usurarios, qui cum ingentes opes corrasissent, tamen vix triginta annos eas tueri potuerunt.

Ad eundem modum parum emolumenti aut voluptatis ex hoc iniusto lucro ad regem hunc et proceres rediisse puto. Retinenda igitur est sen-
Ps. 37, 16 tentia Psalmi 33.: 'Melius est modicum iusti super divitias peccatorum multas.' Quia iniustitia non concedit laetitiam aut pacem conscientiae. Congregans non laetatur, haeres depauperatur. Quia in domo impii erosio. Est ibi quidem corrasio divitiarum, sed est erasio. Quia Deus sufflat, et qui congregat, in marsupium pertusum congregat. Perinde ut Poëtae de cribro Danaidum fabulantur.

Qui igitur pius est, contentus sit modico, iuxta Psalmi 36. sententiam, eoque fruatur, et laetetur cum coniuge et liberis, ac abstineat ab iniusto lucro. Idem docent omnium gentium historiae et libri: Satius esse multo, ut uno aut altero aureo honeste parto victites, quam multis millibus cum iniuria aliorum turpiter acquisitis. Et audivi ego historiam admodum memorabilem de cive quodam honesto et bono, qui cum in desponsatione filiae additurus esset dotem, dixit ad generum: En habes triginta aureos, quos ego pie et honeste acquisivi, sine ullius iniuria aut fraude. Hanc dotem ego accepissem pro triginta millibus aureorum. Deus enim bene-

[1]) *Vgl. Otto S. 197 s. v. lucrum.* [2]) *Cicero, Philipp. 2, 27, 65.* [3]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 16, 517, 16; Bd. 38, 371, 23; Bd. 41, 330, 8.* [4]) *Thiele S. 216. Unsre Ausg. Bd. 38 a, a. O.;* wudelt, *wofür sonst* faſelt, drühet, *bei Frisch aus Mathesius belegt = vermehrt sich.*

dicit recte partis: ita ut unus obulus plus conferat, quam aureus raptoris aut usurarii.

Grave itaque hoc delictum est Gerarensium, quo accersunt sibi maledictionem divinam, qua hospiti tam sancto vim et iniuriam faciunt. Ipse quidem non ulciscitur iniuriam, nec maledicit: imo libentius benediceret. Ac propemodum sane agendae sunt gratiae pro fonte, quem ei abstulerunt. Sed infausta haec et plena sinistri ominis est gratiarum actio, infaustum vale, quando homines pleni spiritu sancto recedunt, et dicunt ad terram: *Eseck* et *Sitna*. Ibi brevi sequitur maledictio. Hoc enim vult dicere Isaac: Hic nihil est nisi *Eseck* et *Sitna*. Libenter aliud diceret, sed non potest iustificare Gerarensium iniuriam. Valedicit ergo cum exprobratione peccati et iniuriae, quam passus est. Nihil imprecatur mali: tantum prophetat malum, quod sint ibi fontes *Eseck* et *Sitna*.

Hoc voluit spiritus sanctus scribere nobis in doctrinam, ut sciamus iniuriam non esse ulciscendam: queri de ea licet, sed ulcisci non licet. Ideo Isaac non vindicat: tantum significat dolorem suum, et relinquit testimonium iniuriae vocabula, quod sint ipsi viri *Eseck* et *Sitna*, id est, sint iniuriati et iniurii. In Hebraeo non bene sonat *Eseck*, Zanck, zenckische leute, qui non quaerunt pacem, non sunt filii charitatis, sed litis, contentionis, cum iniuria et damno proximi. Significat iniuriam facere et vim, sed cum specie iuris. Terra nostra est, inquiunt, ea est species iuris. Ergo fons est noster, illa est iniuria. Usitatus hic et pessimus mos est in orbe, qui non potest nocere per vim, nocet insidiis, fraude et dolo malo. Germani vocant gewalt und unrecht thun, das ist Effig.[1] Et est mala valedictio, et infoelix Gerarensibus. Deus prohibeat, ne ego similem audiam a bono et pio homine.

SITNA: Inde Sathan. Hoc vult dicere: Non solum eiiciunt me, et rapiunt mihi fontem specie iuris, sed etiam inimiciter me persequuntur, sunt mihi inimici. Non tantum volunt habere fontem, et novam illam scaturiginem, quam antea inveni, et iam eis concessi. Sed et hunc fontem rapiunt. Quae est ratio? Sie sind mir gramm, oderunt me. Atqui non indigent hoc fonte, possunt contenti esse pulcherrimo illo flumine aquae ex nova Scaturigine. Cur igitur auferunt? Sie können mir das nicht gönnen, das sie nicht bedürffen, noch lust daran haben. Non possunt mihi id favere, unde ipsi nec commodum, nec voluptatem percipiunt. Nullam occasionem ego praebui inimicitiae. Nec fruuntur ipsi hoc fonte, sed tantum est iniuria, est obstinata petulantia et malicia extrema. Valete igitur, et sitis *Eseck* et *Sitna*. Auferte fontem pulchra illa specie, quo nec indigetis, nec delectamini aut fruimini.

---

18 Eseck] עֵשֶׂק *27 SITNA*] שִׂטְנָה

[1]) *Nicht bei Thiele; vgl. Unsre Ausg. Bd. 34², 201, 21.*

Id genus hominum pessimum est, qui non invitantur ad rapinam et peccatum vel voluptatis, vel commodi alicuius causa. Non enim desiderassent aut curassent unquam fontem, si quis vel gratis obtulisset, sed quia alius eo fruitur, praesertim vero Isaac, incenduntur odio et invidia. Patitur vero ista Isaac aequo animo, et dicit: behaltet den Eseck, weil ir mir so gramm seid, nobis in exemplum, ut discamus nos quoque moderate ferre aliorum iniurias. Tantum enim valedicit, maneat, inquid, apud vos *Eseck* et *Sitna:* Ego non possum in ista valle manere, et discedit tranquillo animo. Est pacientia incomparabilis et fides invicta, quam nec iura, nec artes, nec medicina docet. Sola scriptura sancta exempla et doctrinam hanc proponit.

26, 22. 23 Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt, itaque vocavit nomen eius Rehoboth, et ait: Nunc dilatavit nos Dominus, et fecit crescere in terra. Et ascendit inde Beerseba.

Iam mutat locum Isaac, et fodit alium puteum, de quo nihil iurgiorum oritur. Ibi iterum consolatur eum Dominus, cum novum fontem dat, quem vocat *Rehoboth,* et ait: 'Dilatavit nos DOMINUS.' Haec verba ex fide in promissionem profecta sunt. Sic enim cogitavit: Coactus sum relinquere optimos fontes *Eseck* et *Sitna.* Non tamen propterea abiiciam fidem. Sed perseverandum et standum est in promissione Dei, qui non mentitur. Nunc demum ditescemus, cum habeamus proprium fontem.

Vide vero, quomodo exerceat Deus suos sanctos. Jetzt sůss, jetzt saur, modo acerba, modo iucunda obiicit. Qui vere Christianus est, is easdem vices sentiet. Sicut Psalmo 4. describuntur: Angustia, dilatatio, tribulatio, consolatio. Nomen autem huic fonti indit a consolatione: Er sol heissen Trostbrunnen, Ein Lustbrunnen: Sicut alii tribulationis, odii et livoris fontes fuerunt. Ita in hoc fonte non tantum corporalem consolationem invenimus, sed etiam spiritualem, ut laudemus Deum, qui nos non deserit. Iam nunc crescemus, dilatabimur et ditescemus in hac terra.

Sed ne id quidem gaudium diuturnum est. Sequitur enim alia migratio in Beerseba. Quanquam Moses nihil meminit, quod persequentibus Palestinis mutarit sedem: Sed sponte fortassis abiit, et vel invitatus ab aliis, vel alia occasione meliorem locum quaesivit. Ibi haud dubie familia eius conquesta est de malicia Gerarensium, qui istum optimum et sanctissimum virum ciecerint. Commendat autem Deus pacientiam Isaac, quam proposuit omnibus in exemplum. Quia alios hospites curat, qui benigne et libenter eum recipiunt.

Atque hactenus de tribus fontibus et tentationibus externis sanctissimi Patriarchae, quibus exercuit eum Dominus. Lucet autem in eo fides ardens et invicta, qua perseveravit et vicit difficillimas tentationes: nobis in exem-

plum, ne desperemus in ullis periculis. Quia, donec Dominus vivit, qui promissionem dedit, non deseremur. Si vero moritur, promissio quoque et omnia pessum ibunt. Ipso vivente, nobis non est desperandum, et danda opera, ne fides languescat, neve deficiat spes. Hoc ipsi beneplacitum est et nobis salutare. Neque ullum malum aut tentatio, quantumvis gravis, tamdiu durare potest, ut Deum occidat. Hac fiducia omnes sancti speraverunt et perdurarunt. Sic nos hodie, sive Turca veniat, sive aliud quodcunque malum, sic cogitemus: Qui segregavit nos in suam Ecclesiam, ut crederemus et speraremus, is praestabit, quod promisit, et conservabit nos usque ad illum diem. Sic Isaac, sic omnes Patriarchae crediderunt, et hac fide servati sunt. Iam igitur finis est tentationis externae, et videtur Isaac domuisse mundum pacientia sua, et devicisse externos hostes. Sed paulo post domestica tentatione ab Esau, filio suo, vexabitur, cum ducet domum duas uxores. Sed hanc praecedit rursus magnifica promissio.

Et apparuit ei Dominus in ipsa nocte, et dixit: Ego sum Domi- 26, 24. 25
nus, Deus Abraham, patris tui, ne timeas, quoniam ego tecum sum, et benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. Itaque aedificavit altare ibi, et invocavit in nomine Domini, extendit quoque tabernaculum suum, et foderunt servi Isaac ibi puteum.

Supra saepe admonui in historiis et legendis Patriarcharum maxime rationem esse habendam verbi, et diligenter distinguendum esse inter opera Patriarcharum, et ipsum verbum Dei, tanquam potissimam partem vitae Patrum. Ut praecipue observemus et videamus, quid et quoties loquatur Deus cum ipsis. Quia verbum Dei maius est, quam omnium hominum, etiam sanctissimorum, imo angelorum opera.

Haec in historiis Patrum unica et maxime desiderabilis gemma est, quod Deus cum ipsis et nobiscum loquitur. Mundus eam non cernit, nec intelligit precium et dignitatem huius thesauri. Neque nos ipsi satis attendimus, quod in omni vita metrum, mensura et preciosissimum sit verbum dirigens vitam nostram, ut possis dicere: Hoc facio in verbo Dei, hoc iussit Dominus, hoc placet Deo. Sicut possumus de hoc certi esse a summo genere vitae usque ad infimum: Deus mandavit, Deus dixit. Quod si verbum deest, ibi fugiat, qui potest, etsi in speciem videtur angelica vita: Sive etiam Deo gratum, religiosum inprimis et castum videtur, quod instituitur, abiice illud Videtur, si non es certus de verbo: quare enim frustra te adfligis et tempus misere perdis? Sicut Monachi in Papatu, Turci item et Iudaei incedunt humana opinione, tum se placere Deo putantes, si ieiuniis et macerationibns carnis se occiderint. Sicut de Bernhardo recitatur, quod usque adeo corpus suum adflixerit inedia, ut

propter foetorem anhelitus reliquis esset intolerabilis in congregatione chori. Sic scilicet volebat frenare et extinguere libidinem. Ac talia sunt omnia opera vitae humanae, quae praesumuntur sine verbo.

Diligenter igitur et saepe haec moneo, ac semper inculcanda sunt, ne feramur nostris opinionibus aut cogitationibus quamlibet divinis, angelicis et coelestibus. Sicut monet etiam Paulus Coll[ossensium] 2.: 'Nemo vos seducat volens in humilitate, et religione angelorum, quae non vidit': quia sunt sine verbo. Ideo enim Deus nobiscum loquitur, et agit per ministros verbi, per parentes, per magistratus, ne circumferamur quovis vento doctrinae. Liberi audiant parentes, cives audiant Magistratum, Christianus Parochum et ministros verbi, discipulus praeceptorem. Extra hoc verbum omnis vita damnata est, et omnes sectae perditae. Sin adest verbum, tum habeo certam consolationem: Sive sum pater, sive mater, sive filius, audio verbum, et scio, quid credere et quid facere debeam Deus enim mecum quoque loquitur in ipso statu vitae, in quo vivo.

Kol. 2, 18

Econtra corruptelae et depravationes verbi sunt horribilis ira Dei, ac gravis retributio et vindicta in eos, qui contempserunt verbum. Si enim non voles audire Deum in certa veritate, at mendacium sub specie veritatis audias, sicut 2. Thess[alonicensium] 2. Paulus quoque de hac poena contemptus verbi concionatur, et tristissima exempla idem declarant. Graecia hodie audit Mahometem. Occidens audit Papam.

Sunt quidem admiranda et commendanda opera et exempla in legendis Patriarcharum, quia incedunt in verbo Dei: Sed plus attendendum est verbum, quod est dux vitae Patriarcharum. Illud est regula et Canon, quo sic possum statuere. Ego sum Concionator, sum maritus, uxor, servus, ancilla, filius: id mihi mandavit Deus, ideoque placet ei. Non propter opera ipsa per se, quia caro sumus, sed propter directorem et ducem nostrum, videlicet verbum Dei, sub quo incedo. Si morior, non morior in regula Francisci, sed in regula et verbo spiritus sancti.

Iam verba ipsa videamus: 'EGO DII ABRAHAM', in Hebraeo enim est (*Elohim*), quod in plurali numero deos significat. Sicut supra 1. capite: 'In principio creavit *Elohim*' etc. Nobis Christianis de unitate Dei non est dubitandum. Sed qualis sit illa unitas, rationi et sapientiae humanae est imperscrutabile. Quia est spiritus sancti et fidei revelatio. Rident nos Iudaei et Turci, et adfingunt nobis impudentissimo mendacio, quod ponamus pluralitatem deorum, et tres deos credamus. Itaque gloriantur se esse populum Dei, ornari multis praeclaris victoriis et opibus totius mundi, quia credant unum Deum. Nos autem tot cladibus adflictos esse, quia plures deos fingamus, ideoque vocant nos idolatras, et horribiliter blasphemant filium Dei, sicut omnes eorum historiae testantur. Muniendi

1. Mose 1, 1

31 (*Elohim*)] אֱלֹהִים

ergo sunt animi adversus istas blasphemas voces, et gloriam, ut rationi apparet, nimis veram et plausibilem, quia certissimum est nos credere unissimum et simplicissimum Deum. Sed quod Turca nostram fidem aut doctrinam non recte accipit, nec audit, quis sit ille unus et simplicissimus Deus, hoc ipsius culpa fit, non nostra. Non solum enim docemus et credimus unum, sed simplicissima simplicitate et unissima unitate, Non dividimus istos tres: patrem, filium et spiritum sanctum. Non facimus diversos deos, sed unissime unum et simplicissimum Deum credimus.

Sed non intelligo haec, inquiet aliquis? Bene est, nec debes intelligere. Nos credimus unum Deum, qui tamen de se loqui et numerare se pluraliter solet. Sicut supra, quoties dictum est: 'In semine tuo', Ibi semen illud, quia est sine peccato, et potestatem quoque habet destruendi peccatum, necessario et vere est Deus. Ad eundem modum Deus hoc loco vocatur: 'dii Abraham.' Nec moramur istos boves et asinos, Turcos et Iudaeos, qui dicunt se ratione humana non posse assequi, neque enim debent, cum constent res tantae revelatione divina.

Deinde si diligentius haec verba inspexerimus, videbimus etiam colligi inde posse resurrectionem mortuorum. Ut enim vulgato proverbio dicitur: Principum literas ter esse legendas[1], ita multo magis divinae literae vel millies relegendae sunt. Scimus enim Abraham esse mortuum et sepultum a filiis suis, Isaac et Ismaele. Iam vero dicit Deus: 'Ego sum Dii Abraham.' Et Christus: 'Deus non est mortuorum Deus.' Ergo vivificat hic, Matth. 22, 32 et suscitat Abraham a mortuis. Hic est ille Syllogismus Matthei 22.: 'Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob. Non est Deus Matth. 22, 32 mortuorum Deus, sed viventium.' Non est Deus eius Deus, quod nihil est. Nullus et nemo non adorant Deum, et Deus non regnat super eos. Abraham est mortuus, et Deus est Abrahae Deus: Ergo Abraham vivit. Est quidem mortuus et sepultus, sed mihi Deo vivit Abraham, et cognovit trinitatem personarum, et Christum, semen suum. Quia Deus non est nihili Deus.

Hanc argumentationem Prophetae illuminante spiritu sancto praeclare viderunt et intellexerunt. Turca ista non videt, Nec Papa et Doctores ipsius unquam intellexerunt, quia ingrediuntur in scripturam intellectu muli et asini, iuxta Psalmum 32. Si quando legerunt Matthei 1.: 'Abraham Ps. 32, 9 Matth. 1, 2 genuit Isaac' etc. Cogitarunt fuisse istos bonos viros et simplices, fuisse coniuges: nihil esse in eis admiratione dignum. Sed si accedit spiritus sanctus illuminator, ibi effulget lux ista de immortalitate et vita aeterna. Si enim Abraham habet Deum, et econtra: necesse est Deum et Abraham simul vivere. Quia illa mutuo se ponunt et tollunt, siquidem Deus non agit cum mortuis.

---

[1]) *Sprichw., vgl. Unsre Ausg. Tischreden 1, 155, 7.*

Hanc doctrinam de pluralitate personarum in divinis, et de resurrectione mortuorum intellexit Isaac, et haud dubie docuit: Quia est vox Ecclesiae et praedicatio Euangelica. Primum oravit, postea praedicavit: Mihi revelatum est divinitus, quod pater meus vivit in gratia, misericordia divina: Ergo nec nos moriemur. Tametsi enim mundo morimur, tamen discernemur ab impiis, qui in hoc mundo videntur vivere et habere Deum. Sed habent Deum iratum. Nos vero hic et illic habebimus Deum misericordem.

Huc pertinet illud quoque, quod addit: 'propter servum meum.' Quomodo enim Abraham est servus Dei post mortem? An non poterit tandem Deus Abrahae oblivisci? Certe adhuc hodie servit Deo. Sicut Adam, Habel, Noah Deo serviunt. Et diligenter ista sunt observanda: quia divina veritas est, quod Abraham vivit, servit et regnat cum Deo. Qualis vero illa vita sit, dormiatne, an vigilet, alia quaestio est: Quomodo quiescat anima, nos non debemus scire. Certum est eam vivere. Inspice homines raptos aut dormientes, de illis nemo potest dicere, quid sint, etiam cum dormiunt corporaliter. Sunt enim sine sensu et quasi mortui. Neque tamen dici potest: Hic est mortuus, sed dormiens aut somnians vivit, testimonio totius mundi. Ego tamen non sentio me vivere, cum dormio. Omnes enim sensus et ratio ipsa non faciunt officium suum. Nemo scit, ubi sit. Si viveremus dormientes, cogitare possemus in somno: In hac domo, in hoc cubiculo sum. Atqui saepe per somnum puto me esse in inferno, in coelo, Venetiis aut alibi. Magnum igitur signum est, quod vivo et tamen non vivo.

Quam ergo putabimus rationem esse animae quiescendi aut vivendi? Haud dubie suum quendam modum habet, quo dormiat, quem ego ignoro, sicut nec corporalem somnum intelligere possum. Saepe enim studiose observare volui momentum indormitionis, et momentum, quo rursus expergiscerer: sed experrectus sum, antequam observassem. Eiusmodi exempla nostrae dormitionis, quae est quaedam mors, declarant animas sanctorum
Jes. 26, 20 Jes. 57, 2 quiescere, ut Esaiae 26. et 57. dicitur, et quidem multo pacatius, quam dormientes. Quiescunt et hi quidem, et propter illam quietem homines nunquam magis vivunt, quam cum dormiunt. Quia vita vigilantium plena est curis, aerumnis, laboribus, aegritudinibus. At somnus corporalis mutat
Joh. 11, 12 et vincit morbos. Sicut dicunt discipuli Ioannis 11.: 'Domine, si dormit, salvus est.' Recte igitur dixerimus nos, dum dormimus et morimur, vivere maxime: quia spiritus vitalis tum maxime est efficax. Ad eundem modum animae quoque dormiunt. Sed quomodo id fiat, non intelligimus.

Nec mirum id est, cum alia, quae nobis notiora esse debebant, in quibus nati et educati sumus, non intelligamus. Inspice enim tuam infantiam, et cogita, num memineris te fuisse in utero matris, iacuisse in cunis, suxisse ubera matris, plorasse, comedisse pultem, crevisse etc. Atqui

vivimus certe etiam primo anno, quo gestatur foetus in utero matris. Sed quomodo vixerimus, nescimus prorsus. Sic post nativitatem quoque puer anniculus nihil scit de vita, nescit se vivere. Non est in eo reflexio cogitationis de vita. Videmus in ipsis vitam sine vita. Sic ego vixi annos sexaginta, vixi etiam in utero matris. Sed de illa vita postea nihil scivi unquam, et tamen certam et validam vitam esse foetus in utero, crebrae motiones ostendunt, ploratus item exeuntis infantis. Iam vero, cum haec cogitando assequi nequeamus, multo minus compraehendemus, qualis illa vita sit post mortem, et certum est tamen nos vivere. Ideo inquisitio haec relinquenda et Deo permittenda est. Quemadmodum prior articulus, quomodo Deus simul unus sit et trinus in tribus personis. Sic autem facito. Audi verbum, hoc dirigat te: tu clausis oculis sequere, tunc invenies, quomodo sit unus et trinus.

Ad hunc modum hic audio, quod sit vita in morte et post mortem, et quod sit resurrectio mortuorum. Qua ratione id futurum sit, tu ne sis solicitus, cum nescias te vivere dormiendo, et tamen vivas. Sic vixisti in utero et cum esses infans, te etiam ignorante. An non enim haberet Deus plures modos vivendi, quam istos duos, ut sit vita sine vita et intellectu? Sic potest anima suum quendam modum vivendi habere, qui est supra nostrum captum.

Interea nos hac consolatione sustentemus, et eam firma fiducia expectemus, quam proponit vox coelestis: 'Ego sum Deus tuus, Sum Dii Abrahae', vos mei servi. 'Surgite, qui habitatis in pulvere: quia cadavera mea surgent. Ros tuus sicut ros pratorum' Isaiae 26. Ibi loquitur Deus cum mortuis non aliter, ac si viverent, atque hoc ipsum verbum est testimonium efficacissimum, quod non simus mortales, sed immortales etiam in morte. Ratio est. Quia Deus nobiscum loquitur etiam sermone nostro et lingua humana. Scit Deus hanc vitam momentaneam esse. Cur autem loqueretur nobiscum, et sic quidem, ut nostra lingua utatur, si non in perpetuum viveremus? Alioqui enim frustra ederet verbum suum propter momentum temporis tantum. Sed non frustra loquitur. Nec vocem boum aut asinorum induit, non mugit cum eis. Cum solo homine loquitur. Ubi igitur et cum quocunque loquitur Deus, sive in ira, sive in gratia loquitur, is certo est immortalis. Persona Dei loquentis et verbum significant nos tales creaturas esse, cum quibus velit loqui Deus usque in aeternum et immortaliter. Talem Deum aut deos, ut hic dicitur, habet Abraham: et qui promissioni Abrahae adhaeret, habet eundem Deum, et servus Dei est. Tandem etiam mortuus dormiendo vivet. Jes. 26, 19

Repetit autem benedictionem, propterea quod sanctissimus vir, tam varie vexatus et tentatus, procul dubio cogitavit: me miserum, quid agam? quo me vertam? praeteritae enim tentationes reddunt nos solicitos et anxios, ut cogitemus: Quandiu habiturus sum hanc pacem? fortasse unius aut alterius

mensis erit ad summum. Nam et *Rehoboth* relinquere coactus est. Et Rebecca forsan caepit queri et indignari de fortuna iniquiore, de tam crebris et variis mutationibus. Quis poterit haec tam diu ferre ac perpeti? tam diu oberrare et vagari incertis sedibus? Licet enim carnalia haec sint, tamen vehementer exercent fidem. Ideo arbitror Isaac propemodum defatigatum fuisse tantis malis, et Rebeccam murmurasse. Sicut Tobiae uxor
Tob. 2, 15. 22 f. marito Elemosinas exprobrat: 'Manifeste vana facta est spes tua, Elemosinae tuae non apparuerunt'. Talem defatigationem hic quoque fuisse puto, quam auxerunt insuper familiae querelae et clamores. Proinde consolatur eum Dominus et totam eius familiam: 'Noli, inquit, timere.' Igitur timuit, et pavidus fuit Isaac, fides eius laboravit. Diabolus enim non solum magnitudine tentationum, sed assiduitate et instando fatigat pios. Dicit itaque Deus: Sis fortis, mi Isaac, noli timere. Atque ita erigit et refocillat fessum spiritu pulcherrima consolatione, videlicet revelatione immortalitatis. Vives, inquit, et in aeternum vives. Quia Deus patris tui sum, qui vivit, ideo et tu vives.

Haec verba diligenter notanda sunt: quia Deus non frustra loquitur. Primum dicit: Tecum sum: sed occulto modo. Ego non sentio, longe stas.
Ier. 2, 2 Sicut queritur Ieremias: 'Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.' Alii laetantur, saltant, iubilant, tu es eis proximus. Sicut hodie Turca iactitat Deum a sua parte stare, se tot victoriis, tantis opibus ornatum divinitus, abundat enim benedictione divina. Interea Christianis, qui capiuntur aut trucidantur a Turcis, videtur Diabolus esse proximus, Deus remotissimus. Impiis mortuus est Diabolus. Solus Deus regnat inter eos ipsorum iudicio. Sed longissime abest ab eis, et sunt, ut Ieremiae 46.
Ier. 46, 20 f. dicitur: 'Vituli saginati ad diem mactationis, et victimae.' Idem Turcis et Pontifici accidet, ut maxime successus suos interpretentur signa gratiae: non irae.

Tu vero si tentat et flagellat te Deus, crede et sis contentus verbo,
Ps. 91, 15 quod habes: 'Tecum sum in tribulatione.' Psalmus 91. Eripiam te, non solum ex tribulatione, sed ex morte, aegritudine, ignominia, tu mihi curae eris. Oculi quidem hoc non cernunt, nec manus palpant. Sed credenti omnia possibilia, et quae hoc loco dicta sunt Patriarchae Isaac, eadem et nobis dicuntur: Tecum sum, et servabo, quod promisi. Expectabis a me non solum bonas corporalia, sed aeterna. At vero contrarium apparet, videris mihi maledicere, pereundum est mihi siti cum uxore, cum liberis et tota familia. Num haec benedictio divina est? Respondet Deus: Noli timere, non peribis siti. Et addit: Multiplicabo semen tuum propter Abraham, servum meum. Non in praesenti tantum multiplicabo, sed etiam semen et posteritatem futuram.

Haec repetitio est benedictionis cum amplificatione, qua confirmat eum de vita aeterna et immortalitate. Sed quare dicit propter Abraham,

et non propter Isaac? Respondeo: Vult commendare exemplum Abrahae patris, et illud imitandum proponere, quasi diceret: Etiamsi tu non esses meritus, ut tecum loquerer: tamen velim tecum loqui propter patrem tuum: tantopere eum diligo. Dulcissima consolatio est, et multo suavior, quam si omisisset exemplum Abrahae, et dixisset: propter te, Isaac. Estque haec novissima promissio, qua sustentavit de Isaac usque ad finem vitae suae. Itaque aedificat ibi altare, et mansit in Beersaba usque ad mortem, et sepultus est in spelunca, de qua supra 23. Aedificavit autem ibi altare non propter sacrificium, sed propter praedicationem verbi. Ubicunque enim fit mentio erecti altaris et fixi tabernaculi, ibi significatur constituta Ecclesiola, in qua convenerunt homines ad docendum et audiendum verbum Dei, ad orandum, ad laudandum Deum et ad sacrificandum. Sic nostra templa sunt loca, in quibus fiunt congressus ad adorandum et praedicandum Deum. Altare enim non est locus oeconomicus, sed Ecclesiasticus, et officia Ecclesiae sunt docere, laudare, gratias agere etc.

Ibi itaque Isaac multas pulcherrimas conciones habuit annis 70. aut 80. circiter. Praedicavit mysterium Trinitatis, incarnationis Christi, immortalitatis et omnia, quae in Euangelio leguntur hodie et docentur. Id vero pulchrum sacellum fuit, extructum sub aliqua arbore, sub qua cum familia et vicinis convenit, id certe mihi libuisset aspicere: Non enim auro, argento aut gemmis exornatum fuit, sed Deus ibi locutus est viva voce. Tabernaculum etiam non fuit splendidum, sed constructum ex arboribus. Sed hoc nomine augustum et insigne, quia habitat ibi Propheta excellentissimus et Prophetissa Rebecca, multi item de familia sancti homines, qui confluxerunt ad Isaac docentem, audientes eum magna reverentia, et gratias Deo agentes pro hoc Doctore.

Sic postquam Moses corporalia et externa negocia expedivit, quae pertinent ad fovendum corpus, in quibus tamen multa egregia exempla sunt fidei, charitatis, spei, humilitatis, pacientiae, interserit etiam religionis studia et officia, promissiones, conciones, laudes, hymnos, quibus sancti fovebant suam fidem, et se consolabantur in tribulatione. Is enim omnium concionum et totius doctrinae coelestis finis est, ut fides augescat, ut praedicetur et radicetur in animis hominum promissio de gratia Dei, augeatur pacientia et alii fructus fidei.

Retinemus autem hoc loco differentiam usitatam inter haec duo: Invocare nomen Domini, et invocare in nomine Domini. Prius enim significat anruffen, ut Psalmo 49.: 'Invoca me in die tribulationis.' Invocare in nomine Domini, est praedicare in nomine Domini. Genesis 4.: 'Tempore Enos coeptum est invocari nomen Domini', id est, tum primum habitae sunt conciones, man hub an zu predigen. *KARA* proprie significat

Ps. 50, 15

1 Mose 4, 26

40 KARA] קָרָא

ruffen, nennen, vocare, appellare, legere ex libro, praedicare. Interdum et occurrere significat. Inde autem puto Mahometum titulum fecisse Alcoranum libro suo, quod sit collectorium, seu doctrinale, seu Biblia ipsius. Sicut Papa suos decretales appellat. Accipimus igitur hoc loco pro docere, aut legere in concione publica, si modo habuerunt libros.

Simul etiam describitur, qualis fuerit praedicatio, videlicet in nomine Domini, Das man von unſerm Herrgott geprediget hat, fuit doctrina de Deo. Non fuit futilis praedicatio traditionum humanarum, qualis Papae doctrina est, sed fuit vera doctrina et sincera, quae pure docuit Dominum et nomen eius ex promissione, ut exerceretur fides, quae est opus primae tabulae. Deinde in secunda tabula fuit doctrina de bonis operibus. Habemus enim duo genera doctrinae. Unum est promissionum, quae pertinent ad primam tabulam. Ubi Deus nobiscum loquitur, et promittit se fore Deum nostrum, ut concipiamus fidem, charitatem, spem erga Deum. Atque haec longe amplissima doctrina est, quae vagatur per omnia genera operum. Alterum genus doctrinae est de operibus et fructibus fidei. Ita partes doctrinae Christianae sunt principales promissio et lex.

Tertio accedunt Ceremoniae, ut Circumcisio, quam habuit Isaac a Deo, eam quoque suis auditoribus tradidit. Et fuit haud dubie purissimus Doctor, diligenter exercens et erudiens Ecclesiam in verbo fidei et veritatis. Idque recte et commode facere potuit tempore pacis. Ubi enim non est tranquillitas, ibi non est tempus aut locus figendi tabernacula, aut erigendi altaria: Non possunt doceri homines, non administrari politia aut oeconomia. Requiritur locus quietus et tempus tranquillum. Tempore autem tentationis utamur eo, quod didicimus in otio. Sicut fecit Isaac, ubi videt se habere pacem Dei beneficio, non stertit, non corrumpitur ocio, non studet opibus cumulandis. Sed ita collocat tempus, ut plurimum negocii sit in ocio. Siquidem ocium intelligit datum ad instituendam Ecclesiam propter posteros.

Idem nobis faciendum est, stertentibus et helluantibus Monachis et Canonicis, qui fruuntur tranquillitate, ocio, ac *Rehoboth* et copia omnium rerum. Sed foedissime iis omnibus abutuntur ad helluationes, voluptates et omnia flagitia Sathanica. Cum tamen non in hos usus collati sint Ecclesiis et Collegiis thesauri Imperatorum et Regum. Sed ad exercitia pietatis instituenda et conservanda, ut nactus ocium, sicut Isaac, utaris iis ad repurgandum et propagandum cultum Dei. Sic Canonici legere sacra et discere debebant, ut et ipsi alios de religione docerent, ut orarent, vacarent altari, et in nomine Domini praedicarent.

Venit autem ad eum Abimelech de Gerar, et Ahusath, amicus 26, 26
eius, atque Phichol, princeps militiae eius.

Convenit haec historia cum superiore, quae extat cap|ite 21. Ut fere 1. Mose 21, 22 ff.
una et eadem esse videatur. Nam et ibi Abimelech et Abraham litigant de fonte, et Abimelech excusat ignorantiam suam, quod se inscio fons sit raptus. Sed haec historia clarior est, et exponit superiorem: quia additur glosa, quod fuerint plures fontes. Pertinet autem hoc quoque ad consolationem Isaac. Iam enim Deus promissione ipsum erexit, deditque ocium, ut posset esse in tuto, excitare altare et tabernaculum, quo ocio ita utitur, ut minime ociosus sit, sed faciat, quod Prophetam et sacerdotem Dei decet: Laborat in verbo et doctrina, est didacticus et promptus in docendo. Ideo sequitur augmentum consolationis, ut ipse Abimelech, qui eum eiecerat, pacem et foedus cum eo sponte ineat. Omnino autem existimo hunc esse filium eius, cuius supra mentio facta est. Sed est patre suo astutior, eiicit enim Isaac, et dissimulat se scire, quod servi ademerint ei fontes.

Agnoscendum igitur primum est beneficium divinum, quo reconci- Spr. 16, 7
liatur Isaac Regi. Sic enim ait Salomo Prover|biis 16.: 'Cum placuerunt Domino viae hominis, etiam inimicos eius convertet ad pacem.' Deinde quanta vis sit pacientiae ad flectendos animos hominum, exemplum hoc declarat. Est enim virtus omnipotens, quae ex inimico facit amicissimum. Abimelech, qui antea Isaac extreme oderat, nec ferre eum poterat in regno suo, is sua sponte, non rogatus, redit cum suis Principibus et magnatibus. Non cum fece vulgi, sed cum Ahusath et Phichol, offerunt pacem, expetunt amicitiam Isaac, et promittunt securitatem et omnis generis officia. Hoc ingens beneficium et gloria Isaac est, qua ornat eum Deus, ut habeat abundanter latitudinem sive consolationem, pacem, tutelam, defensionem, non solum regis, qui iam non amplius aures praebet obtrectatoribus et pastoribus improbis, sed habet etiam amicos proceres regni, adeo ut tutela haec satis firma sit sine omni metu et periculo.

Haec omnia inde oriuntur, quia mansit Isaac in sua pacientia, neque destitit benefacere ingratis, nec factus est ipse deterior aliorum ingratitudine et improbitate. Quemadmodum vinea aut ficus, etiamsi laceretur et pessime tractetur, non degenerat tamen in rubum, sed manet bona arbor. Ita Isaac similis est bonae arbori plantatae ad rivos aquarum, quae dat fructum suum copiose et prospere. Cum enim tam paciens sit et tolerans iniuriarum, aperit vicinorum oculos, flectit animos eorum, ut ipsi agnoscant et fateantur sua peccata, et cogitent, quantis iniuriis eum adfecerint, quanta et quam indigne hactenus passus sit sine ulla sua aut honestissimae coniugis et totius familiae culpa, in quibus semper singularem humanitatem, liberalitatem, hospitalitatem depraehenderint, et viderint servos et ancillas bonis moribus preditos et recte institutos, Quamobrem praesentiam et benedic-

tionem Dei in familia tam honesta et pia agnoscant. Ita tolerantia et humanitas Isaac deducit inimicos ipsius ad poenitentiam et agnitionem sui, ut se ipsos repraehendant et culpent, quod bonum istum et sanctum virum cum familia eiecerint.

Röm. 12, 20 Itaque pulchre hoc exemplum convenit cum sententia Pauli Roma- 5
Spr. 25, 21 f. norum 12., quam ex proverbiis desumpsit: 'Si esurit inimicus tuus, ciba illum: Si sitit, da illi potum. Hoc enim faciens carbones ignis congeres in caput ipsius.' Potest enim animus humanus quantumvis exacerbatus flecti et placari, si non est obstinatae maliciae, qualis in Pharaone erat. Sed si humana infirmitate sive ignorantia quadam et calumniis aliorum, 10 sive etiam iustis de causis ad iram provocatus est, ita emolliri potest beneficentia et tolerantia, ut intra se aestuet et uratur agnoscens benignitatem eius, quem habet pro inimico, et seipsum arguat, cogitans: Cur laesisti hunc bonum virum, cur persecutus es innocentem? Hi sunt carbones, qui pacientia, suavitate et beneficentia exardescunt. Ad hunc 15 modum Isaac perseverantia sua in fide, spe, charitate, hospitalitate movet et vincit Regem, ut non tantum cum eo redierit in gratiam, sed etiam ad verum cultum et agnitionem Dei convertatur. Audivit enim haud dubie conciones, ingressus est tabernaculum Isaac, ut disceret ex eo verbum Dei. Sic ipsum Regem et alios multos lucrifecit Deus per verbum Isaac. Non 20 enim dedit verbum propter nos tantum, sed propter alios, ut aliis communicemus.

Ad hunc modum optimus odor et doctrinae sanae Isaac et vitae innocentis sparsus est apud Regem ad Principes, ut dicerent: Cur expulimus sanctum virum, qui et docet egregie, et vivit sancte, cuius uxor 25 matrona optima est, benefica, liberalis et omni genere virtutum ornata? Atque ita conversi sunt animi hominum in toto regno et vicinia. Ideo sis patiens, quicunque aliorum iniuriis expositus es, et expecta. Haec omnia enim divinitus administrantur, ipso Isaac sedente, et nihil prorsus contra Regem moliente, nihil etiam cum eo transigente: tantum enim fert, quod 30 mandatum est, modeste et placide, concionatur, erigit tabernaculum et exercet verbum.

Sic nos quoque quieti sumus, non pugnamus: multi vero venerunt ad nos etiam ex inimicis, et conversi sunt, me neque cogente, nec cogitante. Proinde suavissima haec consolatio est, congruens cum dicto Eccle- 35
Pred. 7, [8] 9 siastis 7.: 'Melior est patiens arrogante.' Unde nos quoque adsuefaciamus animos nostros, ut simus pacientes, et perseveremus in officio faciendo, increpando vicia et exercendo verbo. Tunc audient vicini et inimici, et odor Christi veniet ad eos, capiet et rapiet eos, ut hic Abimelech sua sponte venit, et fit sanctus rex, sicut et pater ipsius, licet non sit circum- 40 sisus. Quia circumcisio non pertinet ad gentes, sed ad unam hanc domum Abrahae, ad posteros et familiam ipsius: Iis tantum praeccpta est, qui sunt

in populo Abrahae. Quod vero Iudaei proselytos circumciderunt, male fecerunt, quia non habuerunt mandatum ea de re. Nam et tempore circumcisionis multae gentes salvatae sunt, tantum per domum Abrahae, in qua verbum, cultus, altare Dei fuit, ubi audiebatur verbum in nomine Dei, ubi sonabat vox promissionis: ‘in semine tuo’ etc. Ideo autem tradidit Deus circumcisionem domui Abrahae, ut esset certa posteritas et locus certus, ubi verbum Dei et Christus inveniretur etiam a gentibus. Caeterum non dixit in nomine tuo circumcidentur, sed, benedicentur omnes gentes, ideo benedictionem accipere sine circumcisione potuerunt.

Est igitur haec tota historia confirmatio latitudinis, quam oportet habere Ecclesiam. Necesse enim est eam habere defensionem et hospitium in hac vita. Ideo Abimelech reducitur per verbum ad principale et summum officium regis, quod est legem tueri, pacem custodire, servare iustitiam et iudicia. In primis autem cultum Dei defendere, tueri Prophetas, alere Isaac, ut cognitio Dei maneat in suo regno: Illud summum est et praeclarissimum omnium operum humanorum, quod implet animos vero gaudio et gratia apud Deum et homines. Sicut David mirifice sibi de hoc gratulatur, cum ait Psalmus 60.: ‘Laetabor et partibor Sichimam, Ps. 60, 8
et convallem Soccoth metibor.’ Quare? ‘Quia Deus locutus est in sancto suo’, id est, nos audimus verbum in regno meo: Ecclesia habet suum tabernaculum, cultum, sacerdotes in meo regno. Ideo principale et vere regium officium Regis est, ut verbum defendat, et curet id propagari ad posteros.

Sed horum exiguus numerus est. Semper enim maior pars principum et regum in mundo oderunt et persequuntur verbum, dissipant Ecclesias et adfligunt pios. Proponuntur igitur haec nobis in exemplum et consolationem, ut sciamus Deum ex tanto numero Principum, qui sunt hostes verbi, eligere unum atque alterum, qui curam gerant Ecclesiae, ament et discant verbum Dei. Sic Abimelech baptisatur in spiritu sancto, et circumciditur circumcisione spirituali, et credit in Deum, qui praedicatur et colitur in domo Isaac, fit discipulus, amicus et patronus Isaac. Haec enim est benedictio piorum, quam promisit Deus 1. Regum 2.: ‘Quicunque honori- 1. Sam. 2, 30
ficaverit me, glorificabo eum.’

De nomine *Ahusath* disputant Hebraei, sitne proprium nomen viri, an vero appellativum. Hieronymus sentit esse nomen appellativum collectivum, et non tam hominem significare, quam congregationem aut turbam amicorum, quibus fuerit stipatus Rex. AHAZ significat appraehendere, sicut solent amici se mutuo manibus appraehendere, et tradere mutuas operas, ut sit sententia: Venit Abimelech, et appraehensio amicorum eius, quasi conglutinatio quaedam et multitudo, hoc est, Abimelech venit ad eum cum

---

34 Ahusath] אֲחֻזַּת *37 AHAZ*] אחז

societate universa amicorum suorum, sive in regno essent, sive extra. Haud dubie enim multi ex vicinis ad domum Isaac confluxerunt, qui non fuerunt sub ditione Abimelech, sed fuerunt cognati aut necessarii eorum, ad illos omnes pervenit suavis ille odor Christi, ut sese mutuo cohortarentur: agite, eamus ad sanctum virum, audiamus eius conciones etc.

Videre autem est, quam utilis persona sit unus Propheta in mundo.
Joh. 15, 16 Sicut verba Christi significant Ioan[nis 15: ‘ut fructus vester maneat.’ Hic enim magnates et proceres regni accedunt ad Isaac cum consanguineis, affinibus et amicis: tantum valet apud eos authoritate. Atque ita pacientia sanctissimi viri coronatur, quia bono malum vicit, iuxta doctrinam Pauli:
Röm. 12, 21 Rom[anorum 12.

26, 27–31 Et dixit Isaac ad eos, quare venistis ad me, cum vos oderitis me, et eieceritis me a vobis? Qui responderunt: Videndo vidimus, tecum esse Dominum, et idcirco nunc diximus: Sit nunc iuramentum inter nos et inter te, et percutiemus foedus tecum, ut non facias malum nobis, sicut et nos te non attigimus, et sicut non fecimus tibi nisi bonum, et in pace te dimisimus? Tu autem nunc es benedictus a Domino. Fecit ergo eis convivium, et comederunt et biberunt. Et mane consurgentes iuraverunt sibi mutuo, dimisitque eos Isaac, et illi recesserunt ab eo in pace.

Isaac arguit eos, et obiicit ipsis peccatum, quo se et familiam suam graviter offenderunt. Ex qua repraehensione doctrina et morale sumi potest. Sic vivendum esse in fide, pietate et pacientia, ne palpemus neve tegamus et dissimulemus magnatum peccata. Hoc enim si fit, gravamus nos ipsos alienis peccatis. Seniores quidem non sunt increpandi acerbius,
Jes. 3, 5 sed admonendi sunt: ‘ne sit iunior contra seniorem.’ Ut Isaiae tertio capite dicitur. Et hodie passim eadem corruptio morum paulatim serpit. Sed debet esse differentia inter superiorem et inferiorem, inter parentes et liberos, pater authoritate et necessitate potior et maior est. Ideo filius
4. Mose 19, 32 nequaquam erga patrem se gerere debet sicut pater erga filium, et ‘coram cano capite assurgas’, inquit vox divina. Sic Isaac non dissimulat regis et amicorum eius peccatum, non adulatur eis, sed cum reverentia quadam arguit. Quare venitis ad me, cum sitis mihi infensi? Nescitis vos peccasse? Cur enim eiecistis me? Non recuso quidem colloquium vestrum: sed scio vos esse plenos odio et invidia.

Ad hunc modum peccatum non est iustificandum, nec est laudandus peccator. Quod si est senior, qui commisit peccatum, benigne admonendus est, ut si filius parentes de aliquo peccato corripiat: Mi pater, dicet, mea mater, non videntur haec convenire honestis hominibus, non decet senem scortatio, adulterium et alia facinora. Prophetam autem decent aliquando

duriores increpationes. Sicut videre est hoc loco in exemplo Isaac. Rex autem cum amicis, quia vident iustam esse hanc repraehensionem, fatentur peccatum, et appellant eum benedictum Domini, quasi dicerent: Agnoscimus nos male fecisse, cum iniusto odio te prosequuti sumus. Nescivimus enim te esse benedictum Domini. Vidimus quidem te crescere et augeri facultatibus. Sed non cogitavimus divinae benedictioni hoc esse acceptum referendum. Nunc vero aperti sunt oculi, corda et aures, et libenter agnoscimus te immerito iniuria a nobis adfectum esse.

Non excusant peccatum, sed mitigant: satis tamen fatentur delictum, cum dicunt: Videmus, quod Dominus tecum est. Ita complectuntur simul confessionem peccati, et agnitionem divinae benignitatis et gratiae in Isaac. Fuit enim adhuc in ea opinione, nondum eos sibi reconciliatos, sed adhuc hostes esse. Ideo inquit Abimelech: Non male tibi cupimus, siquidem videndo videmus, quod Deus tecum sit, et nos quoque tecum una eiusdem Ecclesiae et fidei volumus esse socii: volumus tuum Deum cognoscere et colere. Ideo sit iuramentum inter te et nos, tametsi nos non sumus circumcisi: tamen veram fidem ex te discere volumus, et participes esse temporalis pacis et societatis. Tu tantum nobis sis amicus, et nihil mali facias: te nunquam offendemus. Sicut hactenus non fecimus tibi nisi bonum.

Ita excusat se Abimelech, quantum potest. Non quidem abstulit Isaac bona sua, nihil ei rapuit, adeo ut iusta extenuatio videatur, sed tamen per famulos animus eius ita exacerbatus fuit, ut iusserit Isaac terra excedere. Alioqui cum esses peregrinus, inquit Abimelech, in nostra regione, benigne et in pace te dimisimus absque ulla offensione, etsi ademerunt pastores fontes: tamen pro ista iniuria abunde tibi satisfactum est benedictione divina. Quamobrem veniam precamur.

Haec regis Abimelech humiliatio et conversio est. Isaac econtra non litigat, non expostulat, neque contendit de ulla re, sed laetatur de hac voluntate Regis et amicorum, atque apparat convivium, ut iuramentum, pax et tutela rata sit et firma. Atque ita ubi probatus est Isaac, exaltatur super eos, qui eum oderunt et persecuti sunt antea.

Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac, annuntiantes ei de puteo, quem foderant, dixeruntque ei: Invenimus aquam. Et vocavit illum *Sibeah*. Et hinc est nomen Beerseba usque in praesentem diem. 26, 32. 33

Accedit alia benedictio. Postquam pax cum Abimelech facta est, dat Deus novum fontem. Quo exemplo monemur expectandam esse consolationem post tribulationem. Vicissitudo enim haec perpetua est in vita sanctorum. Tribulationem sequitur consolatio. Rursus consolationem alia adflictio. Donec autem vivit Deus, certum est, quod et nos vivemus. ‘Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur: sive enim vivimus, Röm. 14, 7. 8

Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur.' Sive dies est, sive nox, sive crux, sive gaudium, omnia sunt Dei. Nemo sibi aegrotus est, sed Domino. Qui dormit: Domino dormit. Qui comedit: Domino comedit. Omnia bona sunt, si audis verbum Dei.

De Hebraea voce *Seba,* supra[1] 21. capite dictum est quod duplicem habeat significationem, a numero septenario et a iuramento, et videtur latinum vocabulum Septem natum ex Hebraeo: sicut et nos Germani pronunciamus Sieben. Hieronymus hoc loco exponi vult saturitatem. Quia id quoque significat *Saba,* ut sit puteus saturitatis. Hebraeorum autem Rabini contendunt iuxta verum Etymologiam reddendum esse, puteum iuramenti. Idque mihi magis placet, ut appelletur fons iuramenti, non abundantiae. Sicut supra dictus est: Ein ſchwerborn, quod nomen etiam cuidam fonti Erphordiae inditum est.

Postremo quaerendae erant hoc loco allegoriae. Sed ego iis non perinde delector, ac Origenes aut Hieronymus. Non curo eas, nisi quatenus ornant historicam sententiam, quae ex simplici historia colligitur. Atque ibi sunt veluti flores interspersi, sed nihil probant: id quod de figura Augustinus dixit. Si quis tamen requirit allegoricam sententiam, accommodet tres fontes ad tria capita sacrarum literarum. Ad legem, ad Prophetas et ad Euangelium. Lex enim est *Eseck,* hoc est, ut Germanica lingua dicitur: es iſt Eſſig, est acetum in anima[2], quia lex iram operatur. Prophetae sunt *Sitna:* Quando enim urgent legem, existit odium Dei, non legis vicio, sed Philistiim, ex bono fit malum.[3] Euangelium vero est *Rehoboth,* quod vulgatum in toto orbe terrarum facit latitudinem conscientiarum. Haec potest esse allegoria huius loci, qua utatur, qui volet.

26, 34. 35 Esau vero quadragenarius duxit uxorem nomine Iehudith, filiam Beeri Hethaei et Basmath, filiam Elon Hethaei, quae ambae fuerunt amaritudo spiritus ipsi Isaac et Rebeccae.

Sunt haec exempla sanctissimorum Patriarcharum, in quibus non solum fidem insignem, sed et summa exercitia charitatis, pacientiae et omnium virtutum perspicimus. Hactenus vidimus, quanta passus sit Isaac, dum extraneis tentationibus vexatus est, quomodo peregrinatus sit inter gentes, si non aperte inimicas, tamen simultatibus, odiis et insidiis ipsi molestissimas. Atque istae fuerunt externae tentationes. Hic vero longe atrociorum malorum initium sequitur. Post victas omnes tentationes, quibus satis duriter exercitatus est una cum coniuge, liberis et familia, unde iam perfectam pacientiam didicit. Iamque gentes ipsi reconciliatae sunt, inter quas habitaverat, et ecclesia pacata et tranquilla crescit et augetur multi-

---

5 *Seba*] שִׁבְעָה 20 *Eseck*] עֵשֶׂק 22 *Sitna*] שִׂטְנָה 24 *Rehoboth*] רְחֹבוֹת

[1]) *Vgl. oben S. 197f.* [2]) *Plautus Pseud. 739:* Ecquid autem is homo habet aceti in pectore *vgl. Otto l. c. S. 2f. und oben S. 475, 24.* [3]) *Vgl. Otto l. c. S. 207f.*

tudine auditorum undequaque confluentium. Insuper benedictione corporali abundat. Largitur enim Deus fruges agri, fontes amoenissimos et omnia necessaria. Breviter pacem habet et quietem et abundantiam.

Nunc igitur domesticae tentationes, et superioribus longe graviores incipiunt: Eitel Ingwer, Pfeffer, kellershals[1], jamr und herzleid. Cum iam senex est, et sperat finem aliquem tentationum, fessus et exhaustus ferendis miseriis: quia est fere centenarius, quod inde colligi potest: Quia Esau et Iacob nati sunt anno sexagesimo aetatis Isaac. Esau, quadraginta annos natus ducit uxorem. Ideo Isaac est centenarius Is ergo iam de novo domesticis tentationibus vexatur et eruditur. Cum videntur omnia consummata et superata esse: ibi primum nova crux et angustia incipit.

Cum autem idem nobis quoque accidat, meminerimus haec nobis in exemplum scripta esse, ut videamus, quomodo Deus suos sanctos, quibus dedit verbum, quibus promisit vitam aeternam, tam varie et tam duriter exerceat in hac calamitosa vita: Ut verissimum sit illud, quod a divo Paulo dicitur: 'Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei.' Apg. 14, 22

Sic enim Isaac ab anno aetatis centesimo sustinet domestica et omnium acerbissima mala usque ad annum octuagesimum supra centesimum. Ea omnia ferre et devorare cogitur usque ad eiectionem nepotis Ioseph in Aegyptum: eo enim anno aut circiter mortuus est, omnemque illam calamitatem vidit et toleravit, quae sequetur postea in Iacob filio, in Ioseph nepote, in Esau apostata, in Dina viciata, in Ruben, qui ascendit lectum Iacob. Illud ingens mare tentationum, quo iactatur istis octuaginta annis, tandem eum absorbet.

Hi igitur Patriarchae vere sancti sunt, ad quorum collationem nos nihil prorsus sumus. Quin etiam omnes Episcopi, Martyres et Apostoli eos admirati sunt, et cogitaverunt: Nos quidem in primo gradu sumus, et multa patimur: Sed nihil haec omnia ad tentationes Patriarcharum: ideoque eos ita coluerunt, ut comparatione illorum ipsos sui puderet. Martyris enim crux et cruciatus unius aut dimidiae horae est: Es iſt einem Martiri umb ein böſe ſtund zuthun.[2] Hic nullus finis est tentationum, molestiarum et calamitatum quotidianarum. Quanta enim miseria est totos octoginta annos summo cum dolore aspicere et pati domestica mala? Et ea non vulgaria aut cum aliis communia, sed exquisita et summa. Superat autem omnem eloquentiam pacientia Isaac, sicut et Abrahae et Iacob pacientia celebratur, unde hos tres fuisse Deo inprimis dilectos satis apparet. Ideoque et Patriarcharum, et sanctissimorum martyrum nomine sunt dignissimi, ac merito inter omnes alios quasi Trinitatem quandam sanctorum, si liceret ita loqui, appellaremus. Non enim magnitudine, neque multitudine, neque

[1]) *Sonst* kellerhals = *eine Daphneart, etwa Seidelbast, eine giftige Arzneipflanze; s. D Wtb.* — [2]) *Sprichw., vgl. Unsre Ausg. Bd. 18, 278, 1; Bd. 28, 55, 20 = kostet nur den kurzen Todeskampf.*

assiduitate tentationum victi sunt. Sed ingenti animo de omnibus fortiter triumpharunt, et decus harum victoriarum in novissimo demum die videbimus et admirabimur. Nunc utcunque cogitare et aspicere licet. Coram Papistis vero prorsus sunt abscondita, ob unicum illud scandalum, quod fuerunt mariti, quod habuerunt uxores, filios etc., quod non fuerunt caelibes. Quia haec una sanctitas in Papatu fuit, si quis caelibem vitam degeret. Ideo non possunt videre lumina illa, imo Soles et Lunas pulcherrimarum virtutum.

Erudimur igitur non solum ad exemplum et imitationem, sed etiam ad pudorem et verecundiam, ut nostri nosmet pudeat, quod in comparatione ad ipsos adeo prorsus nihil sumus. Oportet enim nos hic erubescere, et dicere: Nihil est Augustinus, nihil Ambrosius, qui habuerunt quidem sua dona, sed ad hos ne comparandi quidem sunt, qui obedierunt Deo tanta patientia et humilitate per omnia. Ideo non frustra dicit Deus, se esse Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Iacob. Exodi 3. Percurremus igitur domesticas tentationes: ‘*Esau factus annorum quadraginta filius duxit duas uxores, quae ambae fuerunt amaritudines spiritus ipsi Isaac et Rebeccae.*’ Hanc crucem acerbissimam Moses paucis verbis perstringit. Aetatem Isaac annotat. Quia illo tempore maturius aliquanto, quam ante Diluvium, contraxerunt coniugia. Post Diluvium usu et legibus receptum fuit, ut ducerent uxores circa quadragesimum annum. Deinde scribit duxisse Esau duas peregrinas uxores. Unde possumus coniicere voluisse[1] eum in Syriam ire, et unam ex consanguineis ducere, quod ante ipsum Isaac pater fecerat, et postea Iacob faciet.

Videtur igitur Moses hoc significare: fecisse Esau foedus cum viris et adolescentibus Hethaeis, idque ut esset firmius contraxisse matrimonium cum filiabus aut sororibus eorum. Cum tamen essent gentes a Deo damnatae iamdudum. Sicut supra numeravit istas septem gentes, et damnavit
1. Mose 15, 16 eas, cum inquit: ‘Nondum sunt completae iniquitates Amorrhaeorum,’ quod haud dubie scivit Esau. Non quod prorsus reiecerit eos Deus. Quia Iudas unus de duodecim Patriarchis est, pater Christi, de cuius semine venit Christus, is duxit Cananitidem *Suam*. Et Thamar ex stupro et incestu genuit Phares et Zaram. Damnavit igitur Deus gentes illas, sed tamen ex genere et sanguine damnatorum populorum delegit matres. Et potest fieri, ut Isaac non id aegre initio tulerit, quod Hethaeas duceret, et quidem duas simul. Vidit forsitan id illis gentibus in more esse. Sicut Abimelech multas uxores habuit, et eadem consuetudo fuit in toto Oriente. Quapropter neutram harum duarum causarum puto offendisse et contristasse animum Isaac et Rebeccae. Sed inde ortae sunt sanctissimorum parentum cruces et tribulationes, quod illas duas nurus cogerentur introducere in suam domum, a quibus omnes turbae et omnis generis offensiones oriebantur.

[1]) *Für* voluisse *(so in allen Drucken) ist vielleicht* noluisse *zu lesen.*

Caelibes monachi oeconomicas cruces et molestias ignorant. Sed profecto dura et acerba crux fuit utrique parenti, praecipue autem matri, quae ad nonagesimum usque annum magnis laboribus totam rem familiarem administraverat, iam vero senio et curis domesticis confecta iuvenculas istas recipere cogitur in propriam domum, alere illas de suo, ut socrum excrutient et adfligant, et pro suo libitu turbent et misceant omnia. Sic enim inquit Moses: Exasperabant, contristabant animam Isaac et Rebeccae. Cuiusmodi autem fuerint tentationes, scriptura non exprimit, nec puto ob levem aliquam noxam, quales multae leviculae offensiones in oeconomia solent accidere, commotos esse parentes. Uterque enim, Isaac et Rebecca, exercitatissimi fuerunt ferendis malis, et habuerunt victoriam spiritus. Tales homines non facile commoventur.

Necesse igitur est fuisse gravem aliquam et insignem causam, Eam vero utcunque eruere et perspicere poterimus, si decalogum inspexerimus, qui monstrabit, quae fuerint occasiones harum tentationum. Deinde conferamus huc exemplum Hagar supra recitatum. Ea enim cum ausa fuerit insurgere contra dominam, eamque contristare: quid non putabimus ausas fuisse has duas? Haud dubie enim gloriatae sunt: Nos sumus uxores primogeniti filii, primogenitura est nostra. Iacob enim fuit spretus et contemptus: Esau vero gessit se, ut sacerdotem, Principem et haeredem legitimum Ecclesiae et domus decet. Itaque et mulierculae peregrinae non famularum, sed matrumfamilias locum et dignitatem tanquam uxores primogeniti obtinere voluerunt. Haec dignitas ingentem fastum et superbiam peperit. Unde Isaac et Rebeccam indignissima quaeque pati necesse fuit. Et quomodo aliter se gererent, cum ipsius Esau ingenium iactabundum et efferos mores fuisse supra dictum sit? Quanto fastu putabimus eum apud uxores iactasse? Ego sum primogenitus, ad me pertinet successio haereditatis, habeo promissiones divinas, quae patri factae sunt, hae omnes ad me divino iure pertinent. Ego ero pater futuri seminis: Ego possidebo terram. Ac quoties apud familiam promissiones spirituales et corporales praedicavit Isaac: toties Esau eas sibi arrogavit. Ego sum primogenitus et haeres ille harum promissionum, et vos estis primogeniti coniuges, dominae totius terrae, proles nostra eam haereditabit et possidebit. Iacob me longe inferior est, abiectus et repudiatus.

Hoc unum peccatum et una amaritudo fuit, videlicet fastus duarum coniugum Iudith et Bismath, quem coacti sunt ferre duo sancti coniuges. Sic enim recte confertur cum superiore exemplo Ismaelis in domo Abrahae, ubi Ismael iactavit se primogenitum etiam patre teste: ibi Sara indignata est, quod vellet ipse haeres esse, et suum filium Isaac eiicere. Non sic locutus est Deus, dixit, Sed in Isaac tibi vocabitur semen. Licet igitur Ismael sit primogenitus carne, tamen spiritu non est primogenitus.

Idem in hac familia evenit. Esau et uxores gloriatae sunt de sacer-

dotio et regno, et quod Iacob nihil aliud sperare aut expectare deberet praeter unam aliquam portionem aut munusculum exiguum, quo contentus esset, et relicta patria domo in exilium ire cogeretur. Esau vero mansurum ac futurum esse Fac totum ac principem et sacerdotem et patrem Christi. Sicut autem Sara Ismaelis gloriam indigne tulit: ita Rebecca vehementer commota est, et cogitavit, quomodo Iacob primogenituram retineret. Idque tandem consecuta est. Sed differtur adhuc triginta annos, quibus exactis Iacob primum succedit patri, et fit haeres in rebus corporalibus et spiritualibus, et manet in domo paterna. Esau vero relinquit eam una cum coniugibus et liberis. Hoc Dei iudicium et singularis guber-
vgl. Luk. 1, 52 natio est, qui deponit potentes de sede, et exaltat humiles. Neque enim vult, nec potest ferre superbiam. Quin potius eosdem deiicit et evertit, quos paulo ante in sedem collocaverat. Utrunque enim facit, erigit humiles, et collocat in sedem: et eosdem praecipitat ex sede.

Quare autem hoc facit Deus, et quare secum ipse pugnat? Respondeo. Quos propter humilitatem exaltat, eosdem propter superbiam deponit. Nullus Imperator tam potens est, quem non possit humiliare. Ac facilius ei est monarcham aliquem evertere, quam mihi muscam occidere. Sic enim inquit
1. Sam. 15, 17 ad Saul: 'Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?' etc. Sed nunc superbis, nec obedis voci meae, ideo te depono. Est igitur Dei hoc opus, exaltare humiles, et econtra. Idem testantur
Dan. 2, 21 omnes omnium gentium historiae. 'Constituit, inquit Daniel, et transfert regna.' Dum sunt reges humiles, tuetur eos, et conservat regnum. Quando superbiunt et persequuntur sanctos suos, transfert.

Exemplum Ismaelis profecto horribile est, qui propter superbiam reiicitur et privatur primogenitura, praesertim quo ad spiritualem promissionem. Sic Esau quoque superbit. Ideo abiicitur, et non est dignus, ut sit haeres terrae Canaan et pater Messiae, qui in hac terra regnaturus erat. Ergo istae amaritudines ortae sunt ex prima et secunda tabula. Ex prima propter sacerdotium: ex secunda propter regnum. Gloriatae enim sunt duae coniuges Esau: Noster maritus habebit cultum et Ecclesiam Dei, et Christus ex nostro marito nascetur. In prima tabula debet docere: In secunda temporaliter regnare, hoc ius est primogeniti, quo se superbe iactavit.

Supra autem contrarium statutum est in promissione, ubi dicitur: 'Maior serviet minori.' Deus enim ita ponit promissiones suas, quando promittit gratiam et benedictionem, ut maneat Deus. Si promissio debet rata esse et manere, oportet etiam, ut Deus ipse largitor et promissor maneat et agnoscatur. Quod si superbio, tum excido promissione. Quia promissio excludit superbiam, et includit humilitatem et agnitionem promittentis Dei.

Fuit autem toleranda amaritudo ista Rebeccae et Isaac ad trigesimum usque annum. Tamdiu enim vixit Iacob sine coniuge, etiam a familia spretus

et abiectus prae Esau: quae res matri magnum et iustum dolorem attulit. Nam quod vulgo dicitur: Omnes socrus oderunt nurus[1], de hac sancta muliere non est dicendum, longe alia res est. Quia angitur de primogenitura Iacob, sicut Sara. Ibi nihil dissimulandum, non ferenda ulla iniuria, non cedendum de iure, quia est promissio divina, prodere autem verbum aut proiicere, et abnegare divinas promissiones non est pacientia, sed ignavia, imo contemptus Dei. Ego enim quidvis possim perpeti, modo non auferatur mihi Christus.

Atqui Christianus tacere debet, et praestare pacientiam cum humilitate, condonare item iniurias iis, qui nos laedunt, obiiciet aliquis? Respondeo: Tum cessat pacientia, humilitas et omnia alia officia charitatis, quando illum amittere debeo, propter quem patior. In amittendo Deo, abnegando eius verbum et cultum Deo debitum, non est habenda pacientia. Hic oportet nos firmos et certos esse de divina promissione, quae ad nos pertinet, ne eam ulla ratione eripi nobis patiamur. Sic ubi videt Rebecca Esau cum uxoribus se magnifice efferre tanquam regem et reginas, adeoque haeredes esse tam in corporalibus, quam spiritualibus: Ibi desinit pacientia, et cogitat: Sudandum mihi erit, ne filio meo praeripiatur benedictio, sed ut sit haeres secundum promissionem. Et spiritus sanctus dat Rebeccae consilium, de quo postea audiemus, ut Isaac pater caecus et ignarus transferat primogenituram ab Esau in Iacob. Ac quemadmodum Abraham coactus est audire vocem Sarae: Ita Isaac Rebeccae vel invitus obtemperare cogitur. Idque sancto et pio dolo efficit, ut a falso primogenito auferatur haereditas, et restituatur vero primogenito Iacob.

Haec una amaritudinis causa fuit profecto maior, quam nos, qui oscitanter ista legimus, nec intelliginus luctas eiusmodi, cogitare possimus. Ad hanc calamitatem accessit altera quoque, videlicet idolatria. Duae enim nurus non recte institutae in doctrina coelesti contradixerunt vero cultui et religioni Dei. Forte paternas traditiones Hethaeorum in domum soceri intulerunt, et infecerunt fermento isto Ecclesiam Isaac. Haec demum animum sanctissimorum coniugum exacerbavit, cum retinentibus et defendentibus mulierculis paternas superstitiones haereses et sectae ortae sunt. Id enim longe est pessimum et tristissimum, quando Ecclesia optime constituta est, et est consensus docentium et credentium, unum os, unum cor, unus calamus, cum idem omnes docemus et scribimus, et existit aliquis, qui turbat haec omnia. Qui vult esse Doctor et Magister, et ad se trahere totam Ecclesiam. Sicut Arrius exortus est, et dissipavit Ecclesiam Alexandrinam. Sunt enim hae duae quasi sorores et gemellae, contentiones de primogenitura, et haereses. Haeretici vident se non posse inclarescere, si maneant in communi societate et concordia Ecclesiae. Quid faciam?

[1]) *Nicht bei Thiele und Otto; aus Terenz bei Eiselein und Wander zitiert:* uno animo omnes socrus oderunt nurus; *deutsch vielfach bei Wander.*

dicunt. Nomen meum plane obscuratur, non celebratur in aliis regnis et ditionibus. Tentanda igitur via est, qua me possim tollere humo, ut videant homines, quid possim praestare. Ibi tum oritur certamen de primogenitura et titulo Ecclesiae. Vera autem Ecclesia conculcatur ab eiusmodi ambitiosis spiritibus. Sicut Isaac et Iacob hic non habiti sunt pro vera Ecclesia ab Esau et uxoribus. Sunt fatui, dixerunt, habent exiguum spiritum. Tendendum est ad sublimiora, man muſs höher faren.[1] Tales enim voces spargebat nostro tempore Monetarius: Lutherus et alii incaeperunt quidem Euangelium: sed non promoverunt. Ad eundem modum istae duae dominae incitarunt Esau ad reformandam Ecclesiam: Tu es dominus, licet tibi tuo arbitratu omnia administrare: non poteris errare. Age, introducamus et patrum nostrorum Hethaeorum religionem. Quid pater Isaac? est rudis vir, manet in simplicitate, tantum nos docet orare. Illa simplicia sunt sine aliqua specie et pompa, non movent, nec excitant animos hominum. Invehenda sunt in Ecclesiam, quae splendent et fulgent in oculis hominum, patres nostri Hethaei adorant lunam et solem. Simul igitur colamus religionem et ceremonias Hethaeorum.

Haec fuit pestis illius Ecclesiae, quia traditiones et ceremoniae humanae sunt speciosissimae, et incurrunt in oculos hominum, movent vulgus, ut mirentur istam externam pompam. Ea ratione traxerunt hae duae peregrinae mulieres ad se multos ex familia, et vicinos etiam, et dixerunt: Isaac est delirus senex, nihil potest praestare. Rebecca mulget capras et vaccas. Itaque alium et longe sublimiorem cultum Dei instituamus. Sic falsa Ecclesia propter externam pompam coepit praedominari, promissio autem et doctrina sincera de Deo contempta est. Quam miseriam Isaac et Rebecca intueri et ferre coacti sunt. Esau cum uxoribus fuit praelatus, et contempsit parentes. Atque ita neque Deum coluerunt, nec parentes honore affecerunt, sed irritarunt et exacerbaverunt, cum suis asseclis optimos parentes.

Idem vero nobis quoque hodie accidit, qui tot dissidia et sectas exoriri videmus. Qua de causa Ecclesia angitur et vehementer dolet, sed non potest caveri hoc malum. Quando autem est praerepta primogenitura, tum sequitur Idolatria certissime. Fuit igitur ingens periculum Ecclesiae Isaac, quod coepit per primogenitum et uxores, quae ambae offenderunt, et, ut sic dicam, amaricaverunt cor et animam Isaac et Rebeccae. Nec potuit Isaac tacere aut coelare dolorem suum, quia fuit vehemens et assidua offensio. Nam non tantum offenderunt, ut vulgaris translatio habet, sed offendebant in continua et habituali exacerbatione persistentes. Non cessabant istos duos, Rebeccam et Isaac, exacerbare. Non semel tantum, bis terve id factum est, sed longo tempore duravit offensio usque ad illum paroxismum, qui nunc sequitur.

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 45, 489, 27.*

Caput XXVII.

Factumque est, cum senuisset Isaac, et caligassent oculi eius, 27, 1–4
et videre non posset, vocavit Esau filium suum maiorem, dixitque ad eum: Fili mi, qui ait illi: Ecce ego. Et dixit: En ego iam senui, et nescio diem mortis meae. Et nunc tolle, quaeso, arma tua, pharetram tuam, et arcum tuum, et egredere in campum, ut veneris mihi venationem. Et fac mihi cibos, quos appeto, et adfer mihi, ut comedam, et benedicat tibi anima mea, priusquam moriar.

In hoc Capite agitur de mirabili translatione benedictionis primogeniturae ab Esau ad Iacob, et describitur divinum iudicium, quod absconditum hactenus, tandem vero manifestatur. Ante omnia autem notanda est supputatio temporis, ut sciamus, quo anno haec historia gesta sit. Fuit enim Esau et Iacob hoc tempore 77. annorum. Quia Iacob in Mesopotamiam proficiscitur aetatis suae anno septuagesimo septimo. De hoc non est dubium, supputatio clare convincit. Sic igitur iungantur superiores anni sexaginta aetatis Isaac ante natos filios 77. annis, prodeunt anni 137. Esau duxit duas uxores, cum esset Isaac centum annorum, supra hos centum annos vixit postea 36. aut 37. Itaque anno aetatis Isaac centesimo tricesimo septimo accidit hoc, quod sequitur.

Iacob autem postquam serviit in Mesopotamia 7. annos, primum fit sponsus anno aetatis 84. Esau ante eum 44. annis duxit uxores, et iam multos liberos genuit, et ex iis etiam habuit haud dubie nepotes: Quia fuit coniunx 37. annos, in quibus numerosa soboles generatur, praesertim ex duabus uxoribus. Habet igitur magnam familiam et peculiare tabernaculum cum uxoribus et liberis suis, ut infra patebit. Est princeps et dominus in domo Isaac, habet duas dominas, filios et nepotes complures. Ac sperat sine ullo impedimento successionem paternam. Iacob est miser et abiectus, nihil sperat, tantum munus aliquod expectat, quo accepto: ablegetur ex domo paterna, et reliqua omnia relinquat fratri Esau. Haec expectatio utriusque durat triginta septem annos.

Tandem vero cogitavit Isaac: En ultra centum annos triginta septem annos natus es, cogitandum nunc est de migratione ex hac vita et de disponenda posteritate. Quia post Diluvium patres non amplius attigerunt ducentos annos. Ac tum quidem omnes fere mortui erant praeter unum Eber. Tota maiestas Patriarcharum erat sepulta, relictis Isaac et Eber, qui biennio post moritur. Ergo solus Isaac est Patriarcha et Papa in orbe terrarum cum filiis suis. Cogitavit igitur: Caeteri Patres non vixerunt ducentos annos praeter unum atque alterum, neque ego vitam longiorem

sperabo. Factumque est, inquit Moses, cum senuisset Iacob, videlicet anno 137. Et caligassent oculi eius: fortassis non tam aetate, quam aliquo alio casu. Sed alias in senectute non oculi solum, sed gustus, tactus et omnes sensus et membra deficiunt, quia senectus est praeludium mortis. Sicut etiam infantes sunt quasi mortui, videntes non vident, gustantes non gustant, ita senes repuerascunt, et fiunt deliri, oculi fiunt caliginosi, auditus fit gravior. Statim ergo a nativitate sensuum defectus incipit, et morte appropinquante rursum omnes vires et sensus languescunt. Cum igitur sive aetatis, sive morbi accidentis vicio oculis caligo oborta esset, ut videre amplius non posset: vocavit ad se filium maiorem natu Esau, ut benediceret ei, priusquam moreretur.

Hic vero difficilis et ardua quaestio oritur. Quare Isaac post oraculum supra Rebeccae datum pergit, et vult benedicere maiorem? Certum enim est audivisse eum, quod per divinum oraculum dictum est Rebeccae: 'Maior serviet minori.' Item: 'Duo populi dividentur ex utero tuo, quorum maior serviet minori.' Ideoque fovet Rebecca minorem Iacob: Isaac econtra maiorem Esau.

Iudaei hic nugantur nescivisse Isaac responsum oraculi: Rebeccam enim id eum caelavisse. Sed id absurdum est et contra naturam et consuetudinem coniugum, qui talia sibi invicem communicare solent. Nec potuit Rebecca caelare dolorem, quem sensit ex collisione infantum in utero, questa est haud dubie se de vita periclitari, et iubente marito vadit ad Eber vel ad Sem, ut consilium et sententiam eius inquireret. Ibi ille respondit: Non morieris, sed duo populi sunt in utero tuo, et tu mater eris duorum gemellorum, imo duorum populorum. Nec filii morientur in infantia, sed crescent, et habebunt promissionem vitae, ut sciant se futuros Patriarchas maximorum populorum. Hoc ubi audivit, rediit ad maritum, et cum gaudio recitavit oraculum: Sem dixit me pariturum gemellos, qui victuri sint, et generaturi duos populos.

Quid igitur Isaac nunc in mentem venit post oraculum divinitus datum, quod maior debeat fieri minor? Difficilis sane quaestio est, et hoc totum caput admodum mirabile. Aliorum autem commentarii, qui Genesin enarrarunt, frigidi prorsus et inanes sunt. Ego pie sic volo cogitare, fuisse inter coniuges amicam et benevolam dissensionem de sententia oraculi. Rebecca potuit ad patrem dicere: Profecto videtur Iacob futurus primogenitus. Isaac econtra: Non recte intelligis. Mihi prophetia haec iam videtur impleta esse, ita ut Esau vicerit Iacob maiorem in utero, cum vellet minorem opprimere. Sed Esau evasit maior, et debet manere maior. Rebecca sensit contrarium, et haesit firmiter in sua sententia, donec postea mirabilis ista translatio fiat. Interim vero fuit amica controversia inter coniuges. Isaac conatus est Rebeccam a sua sententia deducere: Erras, mea Rebecca, dixit, non recte accipis oraculum. Rebecca respondit:

Esau non erit primogenitus, et habuit argumenta gravissima. Quia Esau fuit venator, iunxit foedera cum Hethaeis et inducit in domum paternam duas uxores pessimas. Non instituit liberos suos ad obedientiam erga parentes. Inde ratiocinata est, Esau esse reiiciendum: idque instinctu spiritus sancti, qui suggessit Esau, qui prior natus sit, esse maiorem, et alterum minorem.

Sic uterque parens filium suum, quem amat, vocat maiorem et minorem. Cuiusmodi errores iucundi inter coniuges quotidie incidunt. Idem hic factum est de re non levi: et duravit certamen hoc usque ad catastrophen et conversionem illam, Rebecca statuit Esau esse maiorem, ac propterea non posse fieri primogenitum iuxta oraculum. Deinde contempserat ac vendiderat primogenita. Haec omnia diligenter collegit. Sicut mulieres suas quoque cogitationes habent. Isaac autem contrariam sententiam retinet, et habet pro se regulam seu legem: Esau est primogenitus, ergo ius primogeniturae ei debetur. Perinde ac si dicas in arte Grammatica: Nomina in A sunt generis foeminini, Quaedam vero excipiuntur. Sic Rebecca facit exceptionem et translationem. Pater haeret in regula sine exceptione. Huc accedit, quod Esau est in possessione, gubernat domum et est dominus. Iacob autem manet in conditione servili, est caelebs et loco famuli sine ulla gubernatione istis triginta septem annis.

Illa descriptio et collatio personarum iuvat et illustrat historiam. Esau non solum domestice et politice, sed etiam Ecclesiastice administrat omnia. Absente patre praedicat, orat, sacrificat et mactat pecudes. Est Rex et Papa in illa Ecclesia. Uxores eius sunt superbae dominae et reginae. Iactarunt haud dubie se esse in possessione, maritum Esau habere sacerdotium et regnum. Iacob econtra est abiectus, mortuus et sepultus, sicut truncus putris et 'radix de terra sitienti', ut Isaias de Christo dicit. Isc. 53, 2 Dei autem opus est, qui ex trunco arido potest facere arborem virentem.

Interea vero rebus sic stantibus et opinionibus, Esau pro electo, Iacob autem pro reiecto habetur, secundum regulam et iudicium omnium in domo et autoritatem patris Isaac. Sola mater Rebecca resistit, quae habuit istos triginta septem annos pacientiam, et multa tulit, quae indignissime et superbissime gesserunt filius et uxores. Coacta est videre Esau in possessione, gubernantem, praedicantem, stantem in officio sacerdotali. Iacob pro servulo habitum, qui ferret aquam et ignem ad sacrificia, et alia munera domestica et servilia obiret.

Haec non absurde cogitari ac dici hoc loco videntur. Saepe enim in vita eiusmodi controversiae de rebus ambiguis incidunt. Sicut inter Augustinum et matrem Monicam similis erat dissensio. Orabat mater dies ac noctes pro filio, ut liberaretur a secta Manicheorum, cui addictus fuit novem annis, et ita captus, ut nemo eum liberare, nec resistere ei posset in disputationibus. Mater multos adhibuerat, qui cum eo conferrent, et errorem hunc eximerent: sed a nemine nec vinci, nec revocari potuit.

Ita ut mater miserabiliter sine ulla consolatione angeretur. Ibi noctu habuit somnium, quo apparebat ei iuvenis, stans in quadam regula, ac blande eam compellans: Mulier, quid ploras? Doleo, inquit, perditionem filii. Respondet iuvenis: Ubi tu, ibi ille. Excitata mater e somno laeta recitat filio somnium. Inveni tandem consolationem, inquit, ac promissionem te esse convertendum ad meam regulam, et verba iuvenis commemorat. Ibi Augustinus invertit hoc dictum, et dicit matri: Non recte audivisti, sed ita dixit ille: Ubi ego (nimirum ad se et suam doctrinam particulam ego referens), ibi tu. Mater vero nihil movebatur, sed manebat constantissima in suo sensu, et Augustinus fatetur se valde illa constantia matris motum esse, quo facilius in sententiam matris transiret.[1]

Tales contentiones usitatae sunt, cum inter coniuges, tum inter amicos, ut inter Pomponium et Ciceronem: et hic inter Isaac et Rebeccam: nec tantum de sententia oraculi disputarunt, sed etiam ingenia et mores utriusque diligenter contulerunt. Mea Rebecca, dixit Isaac: Vides Iacob esse simplicem et animo abiecto, non curare nec regnum, nec sacerdotium. Esau gerit arcum, sagittas, gladium, is ad gubernationem erit alacrior et promptior. Sicut solemus nobis bene de iis polliceri, quos videmus ad res gerendas paulo acriores et excitatiores aliis. Deinde haeret in literali sensu oraculi. Perinde ut Iudaei in carnali intellectu scripturae, horum enim Isaac gerit imaginem cecutiens et senex. Contra sanctissima matrona offensa acerbitate uxorum Esau et filii superbia, illustrante spiritu sancto, fovet Iacob, et dicit marito: Esau neutiquam futurus est dominus. Mores eius mihi displicent, ut maxime ad gubernationem videatur idoneus. Iacob humiliat sese, obedit, et conculcatur a fratre. Ideo nondum est impleta promissio, quia humiles exaltantur, et superbi humiliantur. Hic enim est canon scripturae sacrae infallibilis, sicut Petrus dicit: ‘Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.’

1. Petri 5, 5

Cum igitur administratio Dei respondeat, urget Rebecca hunc Canonem. Quia Esau sentit se coli et magnifieri a patre, ac propterea superbit et inflatur aura populari, ideo humiliabitur. Et Deus postea contrarium statuit, ita ut alter Iacob, qui est abiectus et sedet in pulvere, evehatur. Haec sunt iudicia divina. Idque ideo dico, ut facilius possit intelligi, quare tam mirabiliter fallatur Isaac, ita ut propemodum res fabulosa videatur, statuendum enim est ipsum bene scivisse oraculum, et pertinaciter retinuisse eam sententiam, quod Esau esset maior, conculcatus prius a Iacob in utero, vicissim iam conculcaturus suum maiorem Iacob, alioqui enim textus non poterit conciliari.

Pater haesit in litera sicut Abraham, qui Ismaelem pro primogenito habebat. Rebecca autem firmiores rationes habuit. Ideo tolerat quidem superbiam et iniurias Esau, et tamen intendit animum in omnes occasiones,

[1]) *Vgl. Augustinus, Confessionum Liber III, cap. XI.*

ut possit transferre primogenituram ab Esau in Iacob. Id consilium non isto anno aut die primum agitare incipit: sed longo tempore animo suo varie versavit, sic cogitans: Videbo ego, quo modo filio meo recuperare queam benedictionem. Et credibile est eam non sua sponte aut suopte ingenio id effinxisse, sed admonitam esse a spiritu sancto per Patriarcham Eber de exceptione illa a regula. Ille monuit benedictionem divina autoritate per modum exceptionis a regula pertinere ad Iacob, non ad Esau. Quanquam is rigore legis et regulae se tueretur. Sed, ut inquit Paulus, 'filii legis non sunt haeredes, sed exceptionis'. Ideo Rebecca non cedit Gal. 3, 18 de sua opinione, et certissime confidit fore haeredem et dominum Iacob. Contra Isaac non cedit a regula et lege, usque ad illum articulum, cum mater et filius incipiunt patrem mendaciis fallere.

Vocat ergo Isaac filium maiorem Esau, et petit ab eo cibos, quibus norat ipsum delectari. Unde clare colligitur eum firma animi adsensione habuisse Esau pro maiore, quia plenus fiducia haec proloquitur, ut solent sancti homines: non sunt bilingues, nec duplices animo, sed, quo feruntur, toto animo feruntur: aut nihil, aut totum[1] sunt. Econtra fallaces sunt dubii, inconstantes et duplices lingua. Verum hic cor patris ISAAC indivisum, plena fiducia et persuasione fertur in filium Esau, quod is sit primogenitus. Ideo postea, ubi sentit se deceptum in hac simplicitate et individua fiducia, gravissime turbatur. Id oritur ex illa simplicitate, quae non dividit cor in diversas sententias, sicut qui credit in unum Deum, non potest duos deos habere. Ibi enim totum cor requirit Deus, cum inquit: 'Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.' Causa igitur deceptionis 5. Mose 6, 5 est nimia fiducia.

Describitur autem Esau valde obediens et bonus, ideo Isaac omnem fiduciam successionis in eum collocat, loquiturque cum eo non aliter ac cum successore. Tempus est, mi fili, ut impleatur promissio, tu maior es et primogenitus. Curabimus igitur, ut mihi succedas in regno et sacerdotio. Vereor enim futuram contentionem inter te et fratrem, cuius semina et initia vidi iam amplius triginta annis. Proinde ut caveantur fraterna dissidia, statui relinquere certum successorem et principem Reipublicae et Ecclesiae. Eligit vero Esau, quia est obsequentissimus, et matrem Rebeccam putat errare, quae Iacob diligebat, et eum sperabat futurum primogenitum. Ideo verba Isaac proficiscuntur ex animo prorsus persuaso et certo, quod Esau sit declarandus successor. Vade, inquit, accipe pharetram et arcum etc. adfer mihi, ut comedam, et benedicat tibi anima mea, priusquam moriar. Ibi nulla suscipio est, quod possit aliter fieri: et tamen decipietur.

Apparet autem ex ista oratione Isaac, quod Esau pulchre se potuit insinuare apud patrem. Non hoc dicit scriptura, quod coluerit patrem, sed

[1]) *Sprichw., s. z. B. Eiselein, S. 16; negativ in U. A. Tischreden 1, 129, 19.*

quod palpaverit et blanditus ei sit egregie, das klappern gehört zu dem handtwerck[1], potuit se accommodare, et ad quemlibet nutum parentis componere. Deinde simulavit singularem quandam solicitudinem et curam erga parentem prae fratre. Ideo desperat Isaac de Iacob, qui versatur circa matrem modestus et placidus, ac natus ad servilem conditionem. Esau autem est dominus in domo, qui solet venari, et ex venatione cibos selectos adferre patri, non quotidianos cibos, gallinam, lac aut caseum, quales Rebecca et Iacob praebere solebant, sed ferinam. Atque ita ostendit studium et officium suum erga patrem longe excellentius, quam Iacob aut mater, et isto obsequio et sedulitate auget benevolentiam patris erga se, qui alias ipsi favebat plurimum. Sic scilicet tractandi sunt hi, quibus volumus imponere.

Diligenter vero etiam ab uxoribus adiutus est, quae blandiciis suis senem delinierunt, et interim matrem vehementer perturbarunt, quia norant eam indigne ferre gloriam Esau et contemptum Iacob. Sed cogitavit Rebecca: O Esau, tu colis patrem: non propter te, sed propter tuum te, ut vulgo dicitur. Non quaeris patrem, sed te ipsum. Quia non id agit, ut colat patrem sincero corde, sed quaerit pro se, pro uxoribus et liberis regnum et sacerdotium. Hoc Rebecca sensit. Ita enim omnes hypocritae adfecti sunt, Lupi sunt in vestimentis ovium, quibus imponunt parentibus, dominis, fratribus etc. Isaac hoc non animadvertit, sed Rebecca pulchre sentit, et mirabili consilio reiiciet practicam istam. Fuit igitur obediens filius Esau, sed Deo ignorante. Iacob econtra non videtur ullo honore aut reverentia adficere patrem, verum Deo iudicante solus colit, quia Deus intuetur cor. Esau adfert lepores et ferinam, et blanditur seni parenti, propterea magis diligitur, sed est mera simulatio. Unde augescit simplicitas Isaac, qui sinit sibi hac simulatione imponi.

Sed est malum exemplum, et pii discant odisse eiusmodi hypocrisin, et timere Dominum. Non enim curat Deus, si quis magna et multa facit, sicut Esau implet quartum praeceptum in summo gradu, ut apparet, sed nihil minus facit, quia cor eius non est rectum et sincerum, quod tamen ante omnia requirit Deus. Deinde non curat Esau patrem, sed suam primogenituram, quod deinde magis liquebit, postquam amisit benedictionem. Si enim patrem vere et ex animo dilexisset, tum aequo animo tulisset maledictionem illam, et dixisset: Quanquam mihi et tibi aliud visum fuit, pater, obsequar tamen etiam matri, et feram aequo animo hanc translationem benedictionis. Sed longe alius eius animus est, quia dicit: 'Venient dies luctus, et interficiam fratrem meum.' Siccine vero honorandi sunt parentes? Hoc ergo Sathanicum et parricidiale cor vidit Deus, qui scrutatur corda, Abscondit id quidem ad tempus, ne sentiret pater, sed postea erumpit.

[1]) *Nicht bei Thiele, vgl. aber Unsre Ausg. Bd. 47, 469, 18.*

Id vero parentum honor requirit, ut etiamsi quid contra voluntatem tuam ordinaverint, tamen nihilominus maneas obediens. Ideo Moses describit Esau insignem hypocritam, qui singularibus officiis demeruerit patrem, et tamen hypocrisi ista ei imposuerit. Etsi igitur Isaac, qui cecus et senex est, illuditur a filio in speciem obedientissimo, Deus tamen iuste iudicat, et transfert benedictionem ab improbo hypocrita Esau ad bonum et simplicem Iacob. Idque nobis in doctrinam ad exemplum proponitur, ut discamus Deum timere, qui non fallitur hypocrisi nostra, sed intuetur cor. Ideo optimum est simpliciter agere, et recto corde vivere. Nec ludendum est cum Deo, sive in religione, sive in Republica, sive oeconomia gubernanda, propterea quod lusus talis et simulatio nunquam impune abeat. Postquam igitur hypocrita cum duabus uxoribus et liberis conspiravit, ut patri imponerent, atque ipse Esau institueretur haeres: Sequitur iam consilium contrarium Rebeccae, quae audet insignem audaciam, ac evertit et perturbat Isaac mariti et filii consilia omnia.

Rebecca vero audivit loqui Isaac cum Esau filio suo: abiitque 27,5—10
in campum, ut captam venationem adduceret. Et dixit Rebecca
ad Iacob, filium suum: Ecce, audivi patrem tuum loquentem
cum Esau, fratre tuo, atque dicentem: Adfer mihi de venatione
tua, et fac mihi cibos, ut comedam, et benedicam tibi coram
Domino, antequam moriar. Et nunc, fili mi, audi vocem meam
in his, quae mandavero tibi: Vade, quaeso, ad gregem, et adfer
mihi duos haedos optimos, ut faciam ex eis cibos patri tuo,
quibus libenter vescitur, et tu inferes ad patrem tuum, ut come-
dat, et benedicat tibi ante suam mortem.

Huc pertinet descriptio rituum, quibus usi sunt patres, sive in conferenda, sive in accipienda benedictione. Sed Moses historice tantum commemorat, quid oportuerit facere primogenitum, quomodo vestitum esse ad accipienda feuda illa benedictionis. Praeterea nihil addit: cum tamen certas et peculiares ceremonias adhibuerint. Sicut hodie principes, quando accipiunt feuda ab Imperatore, non vestiuntur communi aut usitato more, sed induuntur regalibus vestibus cum insignibus galeis et armis. Ista sunt ceremonialia, quibus utitur mundus ad publicandum et ornandum hoc, quod geritur. Sic Moses imposuit Iosuae manus suas, et scriptura inquit: 'pones super eum laudes tuas', id est, ornabis eum oratiuncula 5.Mose 34,9
aliqua apud populum, ut sciant eum a te commendatum, dignum esse, quem audiant et sequantur. Perinde ut nos facimus in congressibus scholasticis et renunciatione graduum. Idem fit in nuptiis, coniuges ad templum euntes ornantur novo habitu, vicini vocantur ad pompam et ceremonias, fiunt apparatus convivii in honorem sponsi et sponsae.

Ad eundem modum aliquos ritus usurparunt in accipienda benedic-

tione primogeniturae. Primum oportuit patri aliquam escam praeparare, id non factum est sine sacrificio: uterque obtulit Deo hostiam, atque ita initium fuit factum a sacrificio. Sicut nos in nostris congressibus publicis ordimur a precatione aut gratiarum actione, et sicut oramus imponentes manus iis, qui ad functiones Ecclesiasticas ordinantur: Sic Esau initio victimam obtulit, postea partem patri comedendam proposuit.

Altera ceremonia haec fuit: Oportuit induere vestes pontificales, convenientes pompae sacerdotali et benedictioni illi primogeniturae. Atque ibi significat Moses Rebeccam fuisse in possessione sacerdotalium vestium. Iacob eas non curat, et desperat de primogenitura, sed ipsa sollicite eas asservat. Fuerunt autem tum uterque Esau et Iacob septuaginta septem annorum: et tamen istae vestes fuerunt sub custodia patris et matris, a quibus fuerunt petendae, si quando usus eas postulavit. Idque iudico Rebeccam singulari consilio fecisse, ut haberet in sua potestate vestes, coronam, sceptrum, trabeam et alia, quae ad dignitatem primogeniturae pertinebant. Haec fere de ceremonialibus ex Mose possumus colligere.

Iam vero quaestio gravissima et nodus pene indissolubilis se offert, licueritne Rebeccae et filio Iacob mentiri, et fallere in re tanta sanctissimum Patriarcham senem et caecum, et rapere fratri Esau benedictionem et primogenituram? Primum enim peccant contra legem et regulam. Deinde contra oraculum, quod Isaac aliter, atque ipsa accipiebat, intelligebat. Tertio contra voluntatem et autoritatem patris. Ac Rebecca rapit ad se vestes regales et pontificales, quibus ornatum Iacob inducit ad patrem, quem nunquam cogitaverat pater haeredem instituere. Magna haec temeritas et audacia est cum insigni fraude et damno maximo. Neque enim iocosum aut officiosum id mendacium est, sed vehementer perniciosum. Quia primogenitura est res, de qua certatur Ecclesiastice, et quae secum trahit vitam aeternam pariter cum temporali. Ingens igitur scelus est, quod nunquam in quenquam cadere posse vel nequissimum existimes, nedum in homines tam sanctos Rebeccam et Iacob. Nihil videtur dici aut cogitari posse sceleratius, etiam secundum mundum. Est nequissima deceptio in rebus maximis contra oraculum et contra legem divinam. Deinde Esau est in possessione et gubernatione oeconomiae, politiae et Ecclesiae, et tamen contra haec omnia et contra voluntatem patris a fratre Iacob excutitur.

Nihil vero habeo, quo iuver ex patribus, Augustino aut aliis in explicanda ista quaestione: quia omnes locum hunc transeunt. Divinandum igitur nobis erit. Ac profecto mira res est mulierculam istam tantam rem audere, tanto periculo offerre filium absente fratre et patre invito, qui etiam fraudem illam propemodum sentit, et stupet ad vocem et manus Iacob. Sic enim dicit: 'Vox quidem vox Iacob est, sed manus manus Esau sunt.' Item: 'Quomodo tam cito invenire potuisti?' Et Iacob ipse

cohorrescit ad consilium matris, dicitque ad matrem trepidans: 'timeo, ne inducam super me maledictionem pro benedictione.' Sed sequitur Rebecca rapientem spiritum, ideoque illa pericula et offendicula omnia ex oculis removet magno spiritu.

Nec videtur suo consilio hanc rem gessisse, sed iamdudum animo conceptum ex aliorum monitis habuisse. Sed non potuit persuadere marito, ut benedictionem contra regulam transferret in Iacob. Ideo saepe venit ad Eber, et questa est Isaac non velle discedere a regula, et benedicere Iacob. Ibi audivit ex Eber: Fac quicquid poteris ad fallendum, ad rapiendum ius primogeniturae, nihil intentatum relinque: Quia fides non est sine verbo. Ideo haud dubie audivit verbum vocale, et id animo meditata est alioqui non ausa fuisset hoc tentare. Spiritus sanctus enim non venit sine verbo, sed per cytharam, hoc est, per meditationem verbi, vel vocalem vocem patris, matris aut aliorum vult venire, alioqui venit Diabolus. Sed ut David, Isaias et tota scriptura testatur: Spiritus sanctus cum verbo et per verbum venit, secundum sententiam: 'Beatus, qui meditatur in lege Ps. 1, 2 Dei die ac nocte.'

Deinde solet Deus aliquando regulam transgredi, propterea quod Canonici et legales filii solent abuti sua regula. Et eatenus lex eis nihil prodest, si enim coeperis ea abuti, Deus eam abrogat. Esau superbivit contra oraculum, et secum cogitavit: Iacob est reiectus, mortuus et sepultus, et oppressit miserum fratrem, toleravit etiam uxorum petulantiam et acerbitatem erga parentes. Quando ergo venit superbia, tum cessat regula. Non enim constituit Deus regna et imperia, non ideo impertit alia dona hominibus, ut insolescant, et ferociant adversus pauperes et miseros: Sed, quicquid dat, sive sint opes, sive vires, sive forma, dat ea ad gloriam suam et utilitatem proximi.

Finis ergo donorum Dei non est voluptas aut tyrannis eorum, qui habent dona. Sed usus legitimus vergat ad gloriam Dei, et salutem atque utilitatem proximi. Sed homines accipiunt benedictionem Dei, regnum, sacerdotium, robur, vires, prudentiam, et habent quidem causam efficientem, formalem, materialem: finalem vero non curant. Quare vero Rex es? Cur es princeps, sacerdos, pater aut mater? Ideo, inquies: ut sim beatus in hac vita, ut indulgeam voluptatibus, ut expleam cupiditates meas: Ideo sum doctus et dives, ut magnum nomen et gloriam inter homines adipiscar. Atqui ibi regula, de qua gloriaris, prorsus tollitur: Quia Deus non vult suas benedictiones profundi in alium finem, quam ad suam gloriam, ad laudem authoris et salutem Ecclesiae. Magistratus ideo in honore est, ut prosit Reipublicae. Maritus et uxor ideo iunguntur, ut generent et educent prolem ad utilitatem domesticam et publicam. Mundus vero praecidit causam finalem in omnibus donis Dei.

Hoc animadvertit Rebecca, et accuratius inspexit et consideravit

oraculum, quam maritus, qui in regula tantum haesit, sic scilicet: Esau prior est editus, Iacob posterior, ideo ille est primogenitus. Rebecca econtra nixa est promissione. Materialem causam non habet pro se, sed formalem habet. Quia vita et mores Esau non conveniunt cum oraculo. Cogitavit ergo: Filius meus sic se gerit, ut videam eum non fore primogenitum. Deinde vendidit sua primogenita, et contempsit causam finalem primogeniturae. Tantum auferam in praesentia rufam coctionem, id est, modo dominus sim, et princeps ac sacerdos: nihil moror causam finalem de utilitate Ecclesiae. Mihi meae cupiditates curae sunt et gloria mea. Sic regulam tuetur Isaac. Rebecca vero exceptionem. Quia Esau sic se gerit, ut non sit, nec possit esse primogenitus. Deinde oraculum consentit cum inspiratione divina contra regulam.

Haec est epitasis rei et paroxismus. Rebecca et Iacob pergunt in exceptione et spiritu, propterea quod Esau vendiderat primogenita, et propter abusum primogeniturae ea indignus iudicatur. Potest igitur responderi ad quaestionem pro Rebecca et Iacob. Quod divinitus mihi datum est, et quod scio pertinere ad me, hoc possum mihi vendicare quavis fraude et fallacia. Quia teneor sub peccato mortali cogitare, fingere, simulare, dissimulare, ut fiant ea, quae divinitus mihi commendata sunt.

Lyra dicit non excusandos esse Iacob et Rebeccam. Neque nos peccato eos prorsus liberamus. Fuerunt enim homines habentes passiones carnis, itidem ut nos habemus, sed non necesse est eos arguere mendacii, aut fallaciam aliquam exprobrare, quia Deo dicente: Ego volo Iacob esse primogenitum: Ibi lex abrogata est, ubi autem non est lex, ibi nec praevaricatio est. Rom[anorum] 4. Röm. 4, 15

Cum igitur essent certi Iacob et Rebecca pertinere primogenituram ad Iacob ex oraculo et ex malis fructibus ac moribus Esau, debuerunt contemnere legem et regulam, et sequi exceptionem, qua transtulit Deus primogenituram ab Esau ad Iacob. Ideo cogitavit Rebecca, quomodo posset fallere Isaac maritum et filium Esau, ac omnes, qui in domo erant: quia obedit iam non regulae, vel legi, sed Deo transferenti et dispensanti contra regulam: Ideo non peccavit.

Atque hanc puto esse simplicem et veram responsionem ad quaestionem de fraude, mendatio ac damno dato Esau et omnibus, qui ei adhaerebant, id est, universae Ecclesiae in domo Isaac. Omnes enim ei parebant, et pro primogenito habebant, siquidem amplius triginta septem annis ius et dominium id obtinuerat. Ideo nihil dubitabant prorsus, esse eum mansurum primogenitum. Verum iam cum confirmanda esset benedictio primogeniturae, subita et insperata conversio rerum incidit contra totius Ecclesiae et Patriarchae Isaac consilium et consensum. Sequitur enim Rebecca translationem divinam propter Esau reprobum, iuxta oraculum et contemptum primogeniturae ac fructus vitamque indignam hac

dignitate. Atque ibi consentiunt causa et effectus, et accedit confirmatio spiritus sancti: Isaac vero decipitur. Quod per se quidem grave et horribile peccatum est: contra maritum, contra patrem et proximum, imo fratrem, contra regulam. Sed sicut Domino placuit, ita factum est. Quia obedientia parentum fraternitas, charitas primae tabulae subiecta sunt. Secunda tabula cedit, et est nihil, quando impingit in primam. Diligere fratrem aut patrem cum contumelia Dei, est odium Dei. 'Si quis venit ad me, inquit Christus, et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam: non potest meus esse discipulus.' Ibi Deus tollit legem, ut non tenear obedire in secunda tabula. Sed in casu, quo non pugnant prima et secunda tabula, ibi manet lex et obedientia. Luk. 14, 26

Si Magistratus tolerat me docentem verbum: honoro eum, et habeo pro principe cum omni reverentia. Sin autem dicit: Nega Deum, abiice verbum, tum non amplius pro Magistratu eum agnosco. Ad eundem modum parentibus obedientia praestanda est. Sed si dixerint: Volo te fieri Monachum aut sacrificum deditum idolatriae Pontificiae, ibi neutiquam obtemperandum est. Ita enim inquit Moses Deuteronomii 33: 'Qui dixit patri suo et matri suae: Nescio vos, et fratribus suis: ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum.' Vult Deus, ut abnegemus nos et vitam in secunda tabula, si est contra primam. Si vero simul stare possunt, tunc reverentia parentum est Dei reverentia. Sin autem pugnant inter se, tum necessaria est exceptio. 5. Mose 33, 9

Atqui vere et necessario id dicitur obediendum esse Magistratibus, parentibus et omni potestati? Recte, concedo regulam. Cur igitur non servas regulam, sive magistratus, sive parentes mandent, ut religionem ipsorum secteris? Respondeo: Est exceptio. Prima tabula debet praeferri secundae tabulae. Si parentes aliquid contra Deum statuunt aut iubent, ibi quartum praeceptum tollitur, quod antea ratum et firmum erat. Quia in primo praecepto dicitur: Deum diligendum et honorandum esse super omnia. Actorum 5.: 'Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.' Apg. 5, 20

Ad hunc modum nos in negocio Euangelii decidimus contra imperium Caesaris et Papae, contra universam impietatem Papae, sine praecedente strepitu Iuris. Non accusavimus Papam, nec potuimus: quia nullus erat Iudex. Honoravimus Papam, parentes, Caesarem. Sed quia Christus dicit: 'Oves meae vocem meam audiunt: Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt': non fuit expectandum, donec decerneretur humano more, utrum bene an male faceremus, seiungentes nos a Pontifice. Quia cognita voluntate divina non est disputandum de iuribus, de praescriptionibus aut similibus. Sed obtemperandum est sine ulla deliberatione mandato divino. Quia neque Papa, neque parentes, neque Caesar hunc titulum habent: Ego sum Dominus, Deus tuus. Joh. 10, 27

Sic facile potest responderi ad hanc quaestionem satis difficilem de facto Rebeccae et Iacob. Lex et regula sanxit, ut Esau esset primogenitus. Sed Deus cum sua prima tabula fecit translationem, imo mutavit illam legem, et sic decrevit: Esau nolui: Iacob volui. Proinde non peccarunt, sed pie et sancte fecerunt Rebecca et Iacob, atque omni iure spoliaverunt Esau, et rapuerunt feudum illud primogeniturae. Non potuerunt per vim obtinere. Quia non poterat fieri sine seditione. Quod enim ad promissionem et iurisdictionem attinebat, Ecclesia pariter et politia ac tota domus Isaac opposuissent se Iacob. Antecellebat enim Esau viribus et iure. Iacob longe erat inferior, contemptus et oppressus. Ideo arte et ingenio et pulcherrima fallacia rem aggressa est Rebecca, idque secundum voluntatem Dei, qui foelicem exitum largitur in re tam ardua, et plena ingentibus periculis.

Vocabulum *Matheammim* gustationem significat, et congruit cum Apg. 10, 10 phrasi, qua utitur Lucas in Actis 10. de Petro: 'Et cum esuriret, voluit gustare cibum', id est, prandere: significatur temperantia in cibo et in potu, ut sit magis gustatio, quam voratio aut crapula: ut corpus alatur et sustentetur, non oneretur.

Fuit autem pulcherrimus ritus accipiendi feudum et benedictionem primogeniturae, quo oportuit benedicendum adferre cibos selectiores parenti benedicturo. Mater cum imperio id mandatum dat: Audi vocem meam, in consolationem filii, et ad animandum eum ad rem tam arduam et difficilem gerendam. Habet pro se oraculum, ideo procedit de simplici et plano in fide. Et Moses singulariter hoc verbo mandandi usus est, ut significaret laborasse matrem in persuadendo filio. Ipse enim recusat, et disputat cum matre de praecepto.

27, 11–14 Dixitque Iacob ad Rebeccam matrem suam: En Esau frater meus vir est pilosus, ego vero vir lenis. Fortassis attrectabit me pater meus, et putabit me sibi voluisse illudere, et inducam super me maledictionem, et non benedictionem. Ad quem dixit mater sua: Super me sit maledictio ista, fili mi: tantum audi vocem meam, et vade, tolle mihi. Abiit itaque et tulit, adduxitque ad matrem suam, et paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius.

(*HALAK*) significat lenem aut glabrum, glat, sine pilis. Est autem gravis ista excusatio, qua maternum praeceptum infringere conatur. Admonet eam de magnitudine et difficultate rei, quam tentabat, quasi diceret: Vide, ne forte in periculum me coniicias, ut pro benedictione auferam maledictionem. Est bonus Dialecticus, opponit argumentum satis firmum,

14 *Matheammim*] מַטְעַמִּים 35 *HALAK*] חָלָק

quo conatur cor maternum ab incoepto deducere. Quid, si dicet pater: fecisti me errare benedicendo, ego revoco benedictionem: ibi adducam ego super me maledictionem. Tu et pater facile excusationem invenietis, sed ego hoc obsequio et obedientia mea in summum discrimen adducar.

Hic ergo altera quaestio de muliere sanctissima emergit, quae agitur quidem a spiritu sancto, et procedit in sua fide, sed tamen multa temere facit, et plurimis periculis se et filium involvit. Pulcherrimum consilium est, quod tam astute praevenit maiorem filium, coquit haedos, fallit patrem insigni fallacia, pene supra captum muliebrem, velat manus, et glabriciem tegit pellibus capreolorum. Sed stulta haec cogitatio est, quod non sentit patrem alia ratione filium explorare posse, quam oculis, quibus captus erat. Non videt illam magnam fenestram, vocem videlicet, quae maxime prodit hominem, tametsi alii sensus non possint iudicare. Nec potest ulla ratione dissimulari aut mutari. Imo certius iudicium est vocis, quam si faciem ipsam contempleris. Ideo in maximum discrimen adduxisset filium Rebecca, nisi Deus mirabiliter gubernasset omnia. Audi enim, quid respondeat pater. Postquam dicit Iacob: Ego sum filius tuus Esau. Statim agnoscit vocem Iacob, et ait: Vox Iacob, manus autem Esau. Ibi haud dubie obstupefactus cogitavit se non recte perpendisse omnia. Ego sane mox aufugissem ad responsum parentis, vox Iacob, vox Iacob etc. Hic enim paroxismus est plenus periculi.

Pertinent vero haec omnia ad consolationem sanctorum, quorum consilia et conatus necesse est foelices esse, quia suscipiuntur in fide. 'Qui Röm. 8, 28 enim credit, illi omnia cooperantur in bonum.' Fides non quiescit, et sunt ei omnia possibilia, etiam fallere virum sanctum, et quodammodo spiritum sanctum. Sic Rebecca pergit, nec cogitat, quomodo exponat se et filium Iacob ingenti periculo. Potuisset enim Isaac dicere: Quare vis decipere patrem, et spoliare tuum fratrem: an putas me vocem tuam non audire et agnoscere (da iſt es warlich in der wag geſtanden).[1] Qua voce perculsus Iacob cogitasset: O mater, quid fecisti? Pater observat vocem: quod nobis non in mentem venit, ut indicium hoc caveremus. Ita fuit in maximis angustiis. Sed pergit in obedientia matris, quae dixit ad eum: Maledictio tua sit super me. Ideo fuit insignis fides, quae opponit se tergiversationi Iacob. Noli disputare, inquit: iubeo, mando, si quid mali inde orietur, in me redundet volo, sive sit maledictio, sive benedictio, perge tantum meo nomine, meo iussu et mandato. Si fueris maledictus, ego feram. Si nemo potest loqui nisi plenus fide et spiritu sancto. Ita enim dimittere filium et exponere certissimo periculo maledictionis, et tamen sic credere, si cedat male, quod velis ferre omnia incommoda et maledictionem ipsam, non est cuiusvis, sed fidei ardentissimae opus.

[1]) = *das war ein verhängnisvoller, bedenklicher Augenblick.*

Deinde ipsa oravit: o pater coelestis, concede, ut filius recte administret omnia ac foeliciter. Illud ei non venit in mentem, quod pater agniturus esset vocem. Ideo qui vult mentiri, debet esse circumspectus, memoria optima et magna prudentia ac astutia praeditus. Ego sane hac parte nihil praestare possem, mox everterem omnia. Nec Rebecca satis circumspecta fuit, quod maxime cavendum erat, minime praevidit, ita ut propemodum res ad restim[1], ut dicitur, redierit. Sed vincit fides, et superat omnia errata et pericula, sicut credidit et oravit Rebecca, et obedivit Iacob, postremo et oraculum quoque respondit: ita respondet etiam eventus, Fides enim facit audientes surdos, videntes caecos, et econtra: breviter nihil peccat aut perdit. Aut si quando stultitia aut temeritate impingit, tamen Deus praevidere et corrigere solet, ut tegantur errata, et tandem secundos exitus habent.

Scio ego me saepe multa stulte et temere admodum egisse, adeo ut cogitarem: cur Deus vocavit me ad praedicandum, cum in me tantum scientiae, consilii et prudentiae non sit, quantum magnitudo muneris requirit? Quanquam enim bono et simplici animo, bono studio et zelo gerebam omnia, tamen multum absurditatis et offensionum saepe ortum est, ut videretur coelum et totus mundus ruiturus. Ibi tum in genua procumbere, et opem ac consilium a Deo flagitare cogebar, qui potens est, et facit ex tragico paroxismo catastrophen comicam, nobis dormientibus. Sicut dormiente Adam Euam creat: aufert ipsi dormienti costam, et claudit locum carne, ac aedificat costam, quam sumpsit de muliere, in carnem. Ibi dixerit aliquis Deum bombicinos digitos habere, quod tam leviter et facile tantum opus perficit.

Ad eundem ergo modum gubernat etiam sanctos suos. Etsi hallucinati sunt graviter, ac magnam stultitiam et temeritatem commiserunt, unde infinita mala possunt existere: tamen facit comicam et laetam catastrophen.

Tanta virtus est fidei et orationis. Imo fides revera est omnipotens: Itaque Isaac fallitur quasi sciens, prudens et videns: quia dicit vox Iacob, manus Esau, et tamen patitur sibi imponi. Perinde ut in gentilium libris videmus, dominos falli a servulis, ut inquit ille in Comoedia[2]: Nisi essem lapis, potuissem persentiscere. Ita agit Deus cum sanctis, ut non sentiant stultum aliquod et temerarium factum.

Diligenter igitur meminerimus exemplum hoc, quo monemur tantam esse fidei potentiam, ut eos, qui sunt acerrimi visus aut auditus, reddat caecos et surdos, ut audientes et videntes decipiantur. Atque ita responderi potest ad quaestionem. Quod Rebecca quidem temere egit, sed divinam providentiam moderatricem habuit propter fidem ipsius insignem.

[1]) *Terentius, Phormio 5, 4, 4: vgl. Otto l. c. S. 298.* [2]) *Terentius, Heautontimorumenos 5, 1. 43.*

Ita ut Isaac pater, quanquam audiret vocem Iacob, tamen plenus fiducia et securitate deciperetur.

Incredulus non facile fallitur, sed qui temere cuivis fidit, is facile decipitur, iuxta illud proverbiorum 14.: 'Simplex credit omni verbo, astutus Spr. 14, 15 considerat gressus suos.' Non igitur adoriendi sunt tum, cum scimus eos vigilare et intentos esse, quibus cupimus imponere. Sed removenda primum est omnis diffidentia, et ut fidant nobis efficiendum. Lactandi sunt animi aliqua persuasione, perinde ut Davus aut Syrus[1] in Comoediis dominos in fraudem illiciunt: ut oculos claudant, dormiant et confidant tibi. Sic enim Isaac nihil prorsus dubitat de fide Rebeccae coniugis et filii Iacob, cogitat eos tam bonos et fidos esse, ut nihil dolose aut fraudulenter contra ipsum possint agere. Ideo etiam admonitus voce Iacob: tamen nihil mali suspicari potuit, sed putavit ioco quodam Esau mutasse vocem: non ut falleret patrem.

Atque haec communis ratio totius vitae est, non in sanctis tantum, sed in communi vita apud omnes homines. Sicut exempla comica testantur. Qui temere credit, fallitur. Rursus, qui non credit facile, eum frustra conaberis decipere. Ideo autem talia multa in vita sanctorum accidunt, ut videamus, quomodo Deus sanctos suos gubernet, et faciat ex stultitia et temeritate ipsorum maximam sapientiam, et consiliis, quae initio stolidissima videbantur pulcherrimos exitus largiatur. Saepe satis imprudenter agunt sancti homines, sicut Rebecca turpiter hic hallucinatur. Sed tamen perrumpit, quia credit.

Haec itaque initio istius capitis diligenter notanda sunt. Primum, quod prima tabula praeferenda est secundae. Deinde, quod Deus condonat, imo fortunat stultitiam et temeritatem sanctorum suorum. Si igitur in quocunque vitae genere aliquid perperam agis: ne desperes, sed cum humilitate erratum agnoscas, et sic cogites: Deus est omnipotens, qui potuit educere Rebeccam et Iacob ex tanto periculo. Ideo nec ego desperabo, sed confidam eum hoc malo me expediturum. Erat sane temerarium consilium Rebeccae, sed foeliciter successit: quia Deus dissipat consilia impiorum. Sed sanctos suos honorat et adiuvat.

Utrunque igitur cavendum est, ne superbias de sapientia et consiliis tuis. Deinde si male cedunt deliberationes, ne desperes: Quia DEUS dispensat et fortunat errores piorum. Ego maximas temeritates et stultitias saepe commisi, sed bono animo id feci: non studio nocendi, neque scienter, sed imprudenter et stulte, cupiens consulere fideliter. Ibi sane necesse fuit me orare, ut Deus erratum tegeret et corrigeret. Nec potest in turbulentis negociis aliter fieri. Sic enim saepe summi viri et optimi in Republica maxime nocent stultis et temerariis consiliis. Et si Deus eorum non misereretur, susque deque miscerentur omnia.

[1]) *Figuren in den Komödien des Terenz.*

Talis es vitta nostra, miserrima profecto. Ubi nos maxime sapere, et optime consulere conamur, ibi maximam labem saepe rebus adferimus: adeo ut, nisi divina miseratione et providentia corrigerentur lapsus nostri, funditus omnia everterentur. Idem enim nobis accidit, quod rustico cuidam aegre vehenti currum propter rotas, ut ipsi videbantur, obtusiores: Is ut expeditius equi traherent currum, circulos rotarum acuebat. Sed hoc consilio adeo nihil promovebat, ut currus cum rotis in lutum profundius subsidens prorsus loco moveri non posset. Talis nostra quoque sapientia est, quam nobis arrogamus, iuxta quam nihil videtur facilius, quam gubernatio rerum. Perinde ut ille in Comoedia[1] inquit: Me regem esse oportuit, et ut Poëtae in fabula Phaethontis pulchre arrogantiam istam pinxerunt. Sic enim hodie quoque multos audias, qui clamant: Si ego essem Doctoris Martini aut Philippi loco, rectius eis consulerem. Scilicet. Videmus magnos Principes impingere, et Episcopos optimos saepe se praebere stultissimos.

Quid igitur? An nihil rerum gerendum, et fugienda erit prorsus omnis administratio. Nequaquam. Quin faciat quisque suum officium diligenter et fideliter, quod divinitus ipsi mandatum est. Id vero caveat, ne suis viribus, aut sapientia sua confidat, neque statuat se esse tantum virum, cuius consiliis gubernentur omnia. Ea enim temeritas et arrogantia immedicabilis est et damnabilis: quando ego hoc mihi arrogo, quod talis sim et tam praestans vir, qui possim sapienter et recte administrare Rempublicam, domum, Ecclesiam. Sed si es Iudex, Episcopus, Princeps: non erubescas procidere in genua, et dicere: Domine Deus, tu constituisti me Principem, Iudicem, patremfamilias, Pastorem Ecclesiae. Ideo tu me rege et doce, da mihi consilium, sapientiam et vires ad munus mihi demandatum obeundum foeliciter.

1. Kön. 3, 5 Sic Salomon faciebat. Postquam audierat per somnium: 'Postula,
1. Kön. 3, 7 quod vis, ut dem tibi.' Orabat: 'Domine Deus, dedisti mihi magnum populum, da mihi sapientiam, ut servus tuus iudicare possit et discernere inter bonum et malum.' Ac testatur Scriptura, illam orationem Deo admodum placuisse. Est enim pulcherrima confessio. Rex erat sapientissimus et
1. Kön. 3, 7 pientissimus, et tamen vocabat se puerum. 'Ego autem: inquit, sum puer
1. Kön. 3, 10—12 parvulus, et ignorans egressum et introitum meum.' Ideo additur: 'placuit sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiuscemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, et non dies petisti tibi multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: Ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te resurrecturus sit.'

Discant igitur singuli humiliter agnoscere suam imbecillitatem, et a DEO sapientiam et consilium flagitent. Non enim ideo adhibentur ad

[1]) *Terentius, Phormio 1, 2. 20.*

gubernacula rerum, ut perfectam omnium rerum cognitionem sibi arrogent, sed ut erudiantur, et discant, quid sit Deus, quid gerat per Magistratum et gubernatores, qui sunt organa operum Dei, per quae Deus regit homines. Ibi vere prudentes fiunt et foelices in gubernatione. Sin autem sua consilia et cogitationes suas sequuntur, nihil recte gerunt: sed turbant et miscent omnia. Proinde ad orationem confugiendum est: et Deo proponenda difficultas muneris, ac dicendum: 'Pater noster, qui es in coelis etc.' 'Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.' Weish. 9, 4

In primis vero sic oret gubernator Ecclesiasticus: Domine Deus, tu constituisti me in Ecclesia Episcopum, Pastorem, vides, quam sim ad tantum et tam difficile munus obeundum ineptus, et si absque tuo auxilio fuissem, iamdudum evertissem omnia. Ideo te invoco. Ego quidem os et cor applicare volo, docebo populum, discam ipse et meditabor diligenter in verbo tuo, Tu me instrumento tuo utere: tantum ne derelinquas me: Si enim solus fuero, facile perdidero omnia. Diversum faciunt Sectae et Rottenses. Illi enim sumunt sibi sapientiam et facultatem gubernandi et docendi. Ideo timere prorumpunt in Ecclesiam, non orant, nec credunt, Dei donum esse administrationem, sive Ecclesiasticam, sive Politicam, sed seipsos magistros et duces rerum ingerunt. Ideo fit tandem, ut turbent et impediant, quae ab aliis utiliter aedificata sunt.

Item accidit in politia iis, qui suis consiliis et prudentia freti ad gubernationem accedunt. Cave igitur, si es in magistratu, ne innitaris tuae sapientiae, cave tibi a te ipso, et complicatis manibus clanculum ora. Tu, pater coelestis, adsis mihi, adiuva, rege et guberna me. Sicut Moses totum negocium educendi populi in Deum reiicit, et detrectat divinum mandatum, nisi ipse adsit dux et moderator: 'Nisi tu ipse praecedas, inquit, ne educas nos de loco isto.' 2. Mose 33, 15 Ad hunc vero modum ubi fueris precatus, perge forti et infracto animo, nihil dubitans de foelici successu et eventu. Ita ego quoque saepe, ut germanico proverbio[1] dicitur: Claves ad pedes Domini proieci, hoc est, reieci in eum administrationem mihi demandatam. Ideo res longe aliter cessit, quam ego praevideram, aut cogitaveram. Ac si quid ego errati commiseram, ipse sua bonitate et sapientia correxit.

Ad eundem modum in oeconomia pater et mater instrumenta sunt, per quae domus et res familiaris gubernatur. Sed et ipsi agnoscant se suis viribus, sua diligentia aut studio nunquam recte et foeliciter liberos educare posse. Clament igitur: Domine Deus, pater coelestis, adiuva nos, ut liberi ad frugem aliquam perveniant, da, ut vivat uxor in pudicitia, honestate, et ut in agnitione et timore Dei perseveret.

Sed multos invenias, qui hanc superiorem potestatem et sapientiam

[1]) *Nicht bei Thiele; aber öfter bei Luther, s. z. B. Unsre Ausg. Bd. 7, 602, 34; Tischr. 1, 96, 21.*

in gubernatione non agnoscunt. Sed, si quid impedimentorum obiicitur, putant se expedituros rectius, si severitatem in poenis maiorem adhibeant, ut, qui parent, moetu poenarum coerceantur, et ad obedientiam vel inviti adigantur. Est sane disciplina, et ea quidem graviore, praesertim his nostris moribus opus. Sed hoc certissimum est, quod sine oratione nihil unquam proficies, quia gubernatio est divina quaedam virtus, ideoque vocat Deus Magistratus omnes Deos, non propter creationem, sed propter administrationem, quae est solius Dei. Qui igitur est in regimine, est quasi incarnatus Deus. Sin autem temere et tanquam illotis manibus irruunt ad gubernationem sive Ecclesiae, sive Reipub|licae, seu rei familiaris, ac excludunt Deum, non orant, non consulunt Deum: Sed volunt omnia regere propriis consiliis et viribus: Ibi tandem in oeconomia hoc eveniet, ut ex honesta et pudica coniuge fiat scortum pessimum. Filii degenerent, ac in lictoris potestatem perveniant. In politia turbabitur Respub|lica seditionibus, bellis, latrociniis et aliis infinitis periculis. In Ecclesia existent haereses, epicureus contemptus verbi, Prophanatio Sacramentorum etc. Quare? quia talis paterfamilias, princeps, pastor non agnoscit autorem omnis consilii et gubernationis DEUM. Sed sua praesumptione et arrogantia se et alios, quibus praeest, perdit.

Haec ex isto loco pro exemplo et doctrina dicenda putavi. Primum ut sciamus primam tabulam regere secundam iuxta primi praecepti sen-
2. Mose 20, 2 tentiam. Ego sum Dominus, Deus tuus. Deinde ut agnoscamus misericordiam Dei, qui mirabiliter gubernat sanctos suos, etiam in temeritate et stultitia, ut confidamus Deo toto pectore, et discamus fidem absorbere omnia, non solum peccata, sed et temeritatem, stultitiam et incogitantiam sanctorum.

Haec est materia et quaestio huius capitis. Iam legemus ordine textum, et erimus spectatores huius mirandae historiae.

27, 15 Tulit quoque Rebecca vestimenta Esau, filii sui maioris, preciosa, quae apud se habebat domi, et induit Iacob, filium suum minorem.

Altera ceremonia a Mose additur, quae fuit in vestitu eleganti et precioso. Id enim significat Hebraea vox (*HAMUDOS*) desiderabilis et preciosus. Ac creber eius usus est in scriptura sancta. Ad Danielem
Dan. 9, 23 inquit Angelus: 'Es vir *Hamudos*', vir desideriorum, ein lieber und werder
Luk. 7, 4 Man, et de Centurione dicitur in historia Euangelica: 'Erat ei servus *Hamudos*', id est, charus et preciosus. Sic Rebecca protulit vestes illas
2. Mose 28, 2 ff. elegantes et splendidas: Die lieben, schönen, herrlichen Kleider, vestes sacerdotales, quae haud dubie fuerunt pulcherrimae: sicut in Mose describuntur. Usi enim sunt peculiari vestitu in sacris, sicut nos in nostris templis, quem

33 (*HAMUDOS*)] חֲמוּדוֹת

vocamus Ornat. Atque eas habet Rebecca secum in domo, unde apparet Esau nondum fuisse confirmatum, tametsi esset in possessione, et gubernaret Ecclesiam. Fuit Licentiatus ad Papatum, et functus est officio sacerdotis, sed nondum fuit confirmatus, neque feuda acceperat. Ideo non habet vestes in sua potestate, quod haud dubie singulari consilio Rebecca cautum est, quae ad se recepit et retinuit vestes: quanquam ad patrem Isaac pertinerent. Quia expectavit occasionem, ut illi eas traderet, qui feuda a patre acciperet, et confirmaretur in successione.

Sed et haedorum pelliculis induit manus eius, atque molliciem 27, 16—18
colli eius. Tradiditque cibos et panem, quos paraverat, in manum Iacob, filii sui. Et ingressus est ad patrem, et dixit: Pater mi. Qui respondit: Ecce ego, quis es tu, fili mi?

Mirum est, quod collo tantum pelles circundat mater, et non etiam faciem tegit. Id tantum ei in mentem venit, quod patri essent porrigendae manus, et si osculum dandum esset patri, vicissim eum collum filii amplexurum. Ideo haec duo in primis tegi voluit. Faciem autem glabram non facile posse animadverti putat, cum barbatus esset Isaac, et barba exciperet osculum.

Forsan autem de eo quoque inter ornandum admonuit, ut quam posset diligentissime vocem Esau effingeret, ne pater inter vocem Esau et Iacob distingueret: sicut quaerit statim: 'Quis es tu, fili mi?' An es Esau, quem misi venatum, videor mihi audire vocem Iacob etc.

Et dixit Iacob ad patrem suum: Ego sum Esau, primogenitus 27, 19. 20
tuus, feci, sicut locutus es ad me, surge, sede et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Et respondit Isaac filio suo: Quomodo tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui ait: Dominus, Deus tuus, fecit occurrere ante faciem meam.

Longam orationem habet Iacob, qua respondet patri. Atque eam pater intentus audit, ac tandem inde colliget hoc, quod sequitur: Vox Iacob, manus Esau. Manifestum autem mendacium est, quod dicit Iacob se esse primogenitum. Deinde festinavit imprudentius: Non enim praevidit mater celeritatem istam fore suspectam patri. Unde hoc, inquit, quod tam festinanter invenisti? Haec una offensio est admodum dura: et admonetur de fraude et fallacia. Quomodo tam cito redis venatu? An potuisti tam subito feras venari et capere? Si vesperi aut cras rediisses, sat cito venisses. Sed respondet ille: Dominus Deus fecit occurrere. Ist war, Gott muß auf sich nemen, Mentitur magnifice, dicit se venatum esse feras, cum in stabulo accepisset duos haedos caprarum: Sed mussitat Isaac et dissimulat, quia est securus et plenus fiducia, non posse sibi imponi a filio aut a matre.

27, 21. 22 Dixitque Isaac ad Iacob, accede, quaeso, ut tangam te, fili mi, num tu sis filius meus Esau, an non. Et accessit Iacob ad Isaac, patrem suum, et palpato eo dixit Isaac: Vox ipsa vox Iacob, et manus illae manus Esau.

Haec altera et longe gravior offensio est, Da wils böß werden. Iubetur accedere, ut pater eum tangat. Ibi egregie sudavit, ac tacitus consilium matris repraehendit: O mea mater, quid fecisti? quo me impulisti? Postquam accessit, audit ex patre: Vox Iacob, vox, vox. Da het ich die schüssel lassen fallen, und wer gelauffen, als hette mir der kopff gebrandt.[1] Ibi ego abiecta patina illico in pedes me coniecissem: Quia Isaac veris vestigiis insistit ad fraudem depraehendendam, cum distinguit inter vocem et vocem: et offensio illa debebat eum excitare. Sed relabitur in somnum, et existimat esse quandam simulationem, qua Esau imitetur vocem fratris. Iacob cum fiducia accedit, et audit sermonem istum. Ibi igitur cessat consilium Rebeccae et Iacob, imo impingit. Sed DEUS facit, ut Isaac sit intentus ad officium benedicendi, et istam offensionem ex animo removeat.

Iam vero ad nostram doctrinam haec omnia referenda sunt, ut erudiamur, quanta sit virtus fidei, et quod credenti omnia sint possibilia. Fides enim facit ex eo, quod nihil est, ut sit, et ex impossibilibus facit omnia possibilia. Stultitiam et temeritatem Rebeccae vidisti: quomodo adornarit filium Iacob, ut falleret patrem: circumdedit manibus et collo pelliculas haedorum, ut pater putaret eum revera pilosum esse.

Est res plena periculi, sicut trepidat Iacob, et aversatur consilium matris: Ne forte, inquit, pater palpet et sentiat, ac inducam super me pro benedictione maledictionem. Sed tanta est fides istius optimae mulieris, ut per illa omnia perrumpat. Iacob ingressus est in specie filii Esau, habens manus pilosas, sic arte factas et dolo. Sed patrem non fallit per omnia, quia intelligit tamen vocem Iacob. Vides ergo, quod Deus pulcherrime corrigit temeritatem istam per fidem mulieris, propter quam necesse est stolidissimum consilium fieri optimum et foelicissimum.

Ita scriptura sancta describit historias sanctorum, ut commendet virtutem fidei. Qui igitur verbum Dei habet, ille existimet se beatum, et avertat oculos a rebus praesentibus ad futuras et invisibiles. Quia verbum Dei, praesertim promissio, non loquitur de praesentibus, sed futuris rebus et nemini compertis. Fides fertur in rem, quae adhuc purum nihil est, et expectat, donec fiant omnia. Est scientia et sapientia tenebrarum et nihilitudinis, hoc est, rerum, quas habet incompertas et non apparentes ac fere impossibiles. Qui volet Christianus esse, eum oportet hoc animo bene meditatum ac infixum habere. Aliae enim scientiae omnes docentur ex syllo-

[1]) *Sprichw., vgl. Unsre Ausg. Bd. 26, 577, 39; Thiele 454.*

gismis, inductionibus et experimentis, non habent fundamenta aut principia sua in eo, quod nihil est, ac praesertim non apparens, impossibile, absurdum, stultum, sed fides appraehendens promissionem figit cor in id, quod omnino est absurdum, impossibile, contentum verbo et promissione divina.

Sic enim Iacob facit: Mater iubet eum benedictionem a patre accipere. Ibi obstat pura nihilitudo, quia benedictio pertinebat ad Esau, non ad Iacob, obstabat rerum impossibilitas. Quomodo enim possim benedici? cogitavit: fratri debetur benedictio, praeterea est hirsutus, ego glaber sum, periculum est, ne a patre maledictionem auferam. Ideo impossibile est, quod ad rem attinet: quia benedictio non est mea. Pater enim cogitat de benedicendo Esau: de me nihil est sŏllicitus. Deinde possibile est, ut haereat maledictio in me, qui sum levi et glabra cute, si pater fallaciam agnoscat. Ideo certo impingemus, mea mater. Sed mater contra haec omnia: maledictio illa mihi noceat, si qua veniet. Illa est mulier non mulier. Homo est spiritu foeminino, sed tantus ardor est in ea, ut superet viros fortissimos, quia cogitat se posse perrumpere, ut benedictio ei conferatur, cui lege et regula non debebatur: Credit simpliciter impossibilia, absurda, stulta, periculosa. Non dubitat, quin sit benedicendus Iacob, utut repugnent ac adversentur omnia.

Sic fides et eius virtus est cordis cogitatio, seu, ut ita dicam, opinio, quae fertur in id, quod nihil, quod impossibile et absurdum est.[1] Tantum habet verbum divinum, quod dicit: ‘Maior serviet minori.’ Ipsa vero sensit ut mater, uter istorum esset maior, et accessit illuminatio spiritus sancti, ut verbum id recte intelligeret. Isaac contra stat rigidus, sicut immota rupes, ac haeret tantum in lege et regula, Esau esse primogenitum: verum ea mater nihil movetur.

Ad eundem modum nos quoque comparemus, quando habemus verbum, tunc omnes disputationes contra verbum abiiciamus: neque quicquam moremur, sive stulta, sive impossibilia, sive denique contraria legi naturae et Mosi obiiciantur, sed recta sequendum est hoc, quod dixit Deus. Quod si ratio accedit et disputat de verbo, tum actum est. Hinc lucta illa carnis contra spiritum existit Gala|tarum 5., ubi Paulus loquitur de sublimibus illis adfectibus, qualis est credere, quae non sentias, ac quae sunt secundum rationem impossibilia. Gal. 5, 17

Sic in vocatione, ac tandem etiam in morte faciendum est. Quando DEUS instituit me ducem contra portas inferorum, contra furorem totius mundi, contra infirmitatem carnis meae. Quid hic animi nobis debet esse? Quis enim ego sum, qui pugno primum contra tot exercitus omnium Daemonum et hominum, deinde contra infirmitatem carnis meae. Respondeo:

38/39 Daemonum] daemo|num *im Kustos in L.*

[1]) *Vgl. Tertullian:* Credo, quia absurdum.

Respiciendum est ad mandatum Dei. Dominus dicit: Vade et praevalebis. Ego tecum ero. Sicut Mosen iubet regem Aegyptium aggredi, et educere populum de tyrannide et fornace ferrea. Nonne illa stulta et impossibilia videntur, educere tantum populum, et sic educere, ne relinquant ungulam
2. Mose 10, 26 post se (Sicut loquitur Moses ad Pharaonem). Ego vero dixissem secundum rationem. Tu non educes, ne ungulam quidem: multo minus tantum populum: Quia Rex potens est et crudelis Tyrannus. Verum Moses non aliter loquitur cum Pharaone, ac si iam haberet eductam turbam illam ingentem. Quantumvis appareat fabula, stulta cogitatio et prorsus impossibilis, si rationem spectes. Quicquid enim fides dictat, et verbum promittit, id
Joh. 1, 1 oportet fieri: Quia Deus est verbum, et verbum est Deus, qui habet ver-
Röm. 1, 16 bum, habet potentiam divinam. Roma[norum 1.

In speciem quidem non aliter apparet quam humana vox, et stultitia
Apg. 10, 26 hominis loquentis. Sicut Petrus Actorum 10. dicit: 'Homo sum tui similis', ad Cornelium. Petrus habet verbum, et sonat vox humana in auribus Cornelii. Sed tamen facit omnia mirabilia. Sic animandi sumus contra omnia pericula, quae a Turcis et aliis hostibus impendent: Imo contra mortem ipsam. Si enim absoluti sumus per os fratris aut ministri: non inspiciendus est homo, qui loquitur: neque in periculum aut mortem dirigendi sunt oculi, non in sepulcrum, corruptionem, vermes, putredinem, quae obiiciuntur mihi, respiciendum est. Ratio enim sine fide cogitat: num possibile est, ut 'corpus mortuum vivat, quod sepelitur, corroditur a vermibus, aut exuritur et in cineres redigitur? Id vero simpliciter negat, et dicit: Non est verum. Spiritus contra pugnans dicit: est verum? Iam morti destinatus videor mihi vivere, et resurrecturus sum ex sepulchro gloriosus et clarificato corpore.

Ideo Fides est pugna omnipotens, quae contra pugnam carnis uno eodemque prospectu haeret in verbo et promissione. Non enim loquimur hic de fide historica, quae est simplex notitia, ut cum scio David vicisse Goliath et Philistaeos, licet id sit exemplum fidei, mihi tamen tantum historia est, et si esset mihi prosternendus Goliath, lacerandus Leo, ibi historia nihil valeret, nisi quod esset quaedam exhortatio, quae me ad similem fortitudinem excitaret. Si vero ita cogitarem: David, Samson adepti sunt clarissimas victorias, ideo mihi quoque idem praestandum erit, id esset mihi impossibile. Nam et David non sine ingenti pugna tam praeclaras res gessit. Fuit enim in carne, perinde ut nos sumus, habuit contradicentem, militantem, imo captivantem se carnem, non aliter atque nos habemus. Multo plus sensit incredulitatis, quam fidei, Fides enim apparet et est infirma, 'quia caro non solum militat, sed etiam captivat',
Röm. 7, 14 ut inquit Paulus Roma[norum 7.

Ego olim non aliter mihi persuadebam, quam Paulum nihil cogitasse
2. Kor. 12, 7 de sudando et pugnando contra carnem. At vero inquit: 'Datus est mihi

stimulus carnis meae, Angelus Sathanae, ut me colaphiset': Ille docet me, quid sit fides. Videō ego victorias gloriosas martyrum et sanctorum. Sed mea fides hoc non potest praestare. Et ipsi etiam sudaverunt, et mortem vicerunt non sine ingenti certamine. Ita nos quoque habemus eundem baptismum, eundem consolatorem Deum, spiritum sanctum Paracletum, qui proponit nobis in verbo multiplicem consolationem. Ac historiam quidem de certaminibus et victoriis sanctorum libenter audio, sed eadem non possum praestare. Ideo appraehendendum est verbum: 'Sustine DOMINUM, viriliter age, confortetur cor tuum.' Deus etiam infirmum in fide non abiicit. Quin nec Apostoli ipsi et Prophetae in fide fortes fuerunt, praesertim magna facturi per fidem. Moses ad mare rubrum trepidat, et clamat. Quia caro contra eum non solum militavit, sed captivavit eum. Vides enim, suggessit ei caro, quod in utroque latere sunt montana: retro est Aegyptus, ante nos est mare, per quod cum pueris et mulierculis ac pecudibus non poterimus transire. Sic quasi ad desperationem cogebatur, lex enim carnis et membrorum hoc ei dictabat: En sumus destituti omni auxilio. Quid egi educendo populum? pereundum erit nobis omnibus. Ibi tum gemitus inenarrabiles, ut vocat Paulus, incipiunt. Hic clamor non potest scribi literis, nec ullius sermone enarrari. Quia hoc verbum: CORDIS GEMITUS nimis grande est, quod replet coelum, et penetrat nubes, ac pertingit ad aures maiestatis divinae, ut respondeat Deus: quid clamas? Atqui non clamavit, sed obstupuit, steteruntque comae et vox faucibus haesit.[1] Is vero, qui scrutatur corda, intelligit, quid velit spiritus ingemiscens.

Ps. 27, 14

Röm. 8, 26

Röm. 8, 27

Haec ideo repeto et diligentius inculco, quia fides apparet coram ratione quasi levis res et vacua opinio, quam quilibet animo concipere possit. Cogitant esse rem historicam, quae sit facilis. Sed quando obiicitur mare rubrum, mors, victoria peccati, mortis, inferni per nos, tum fit copula et coniunctio virtutis Dei cum infirmitate humana, omnipotentia coniungitur cum nihilitudine et extrema imbecillitate, ac tandem eo perducit infirmum, ut faciat impossibilia et incredibilia. Sicut inquit Christus Ioan[nis 14.: 'Maiora his faciet.' Sic enim Ecclesia licet infirma omnia facit, orat, portat et absorbet omnem vim et furorem Diaboli et hominum, haurit etiam et tollit infirmitatem, peccata, mortem etc.

Joh. 14, 12

Hanc virtutem et potentiam fidei probat Rebecca periculosissimo facto, ubi agebatur de aeterna maledictione, aut benedictione aeterna: Quia benedictio est aeterna vita: Maledictio est mors. Est disceptatio, an filius Iacob sit aeternaliter maledicendus, an non, et cum eo ipsa mater. In tanto et tam arduo certamine proponit sibi Rebecca regnum coelorum apertum, et se matrem benedictionis constituit. Unde? Ex verbo.

---

[1]) *Virgilius, Aeneis 3, 48, Unsre Ausg. Bd. 34[1], 315, 19.*

Nemo enim aliquid foeliciter facit, aut credit sine verbo. Hic textus: 'Maior serviet minori', addidit ei animum, inde statuit benedictionem competere minori: non maiori. Isaac quidem non intellexit: Sed mater diligenter perpendit, et spiritus sanctus cooperatus est, qui nemini dat fidem per nudas speculationes, sed per verbum. Quia caro pugnat contra spiritum, et ad cogitationes sive speculationes carnis nihil sequitur. Cum enim nihil appareat eorum, quae sunt spiritus sancti, omnia videntur contraria et mortua. Sed quando cor appraehendit verbum, ibi sequitur illuminatio spiritus, virtus et potentia rerum admirabilium.

27,23a Et non cognovit eum, eo quod manus eius essent sicut manus Esau, fratris sui, pilosae.

Potuit id etiam secundum naturam et communem rationem fieri, ut non cognosceret filium, quanquam vocem audiret, prae nimio studio et intentione ad benedicendum. Homo enim uni alicui negotio intentus non curat alias res, etiam visas et omnibus sensibus compraehensas. Hoc non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter solet fieri. Sicut videre est in Melancholicis. Illi aliis loquentibus, bibentibus, ingredientibus aut egredientibus nihil audiunt, nec vident: quia cordis cogitationes sunt abstractae a sensibus. Ideo animus Melancholicus occupatus cogitationibus aliarum rerum non animadvertit ea, quae palam sensibus obiiciuntur, adest aliis confabulantibus, recitantibus historias et fabellas, et tamen nihil horum audit, quin animus quasi peregrinatur. Saepe comedens et bibens. Melancholicus, quid comedat aut quid bibat, nescit, cerevisiamme an vinum. De Bernardo narrant, quod biberit oleum pro vino, cum esset meditabundus. Ac multo magis id fit, quando accedit spiritualis obumbratio, et animus spiritualis totus in res spirituales intentus est.

Idem cogitabimus accidisse Isaac, qui audit et agnoscit vocem Iacob, neque id dissimulat, dicit enim: vox Iacob, vox Iacob: et tamen rapitur alio, quia unica illa cogitatio animo observatur, quomodo velit benedicere filium primogenitum, et quanta res sit ista benedictio, simul perpendit, et in unum colligit omnes promissiones Abrahae factas. Itaque Isaac occupatus est non solum naturalibus cogitationibus, ut amantes et melancholici solent: sed etiam spiritualibus. Rebecca autem etiam antea in eo eiusmodi melancholiam depraehendit: saepe apposuit marito cibum, ipso non sentiente. Postremo fuit persuasissimus Isaac matrem cum filio nec posse, nec velle sibi imponere. Ideo dicit: vox quidem vox Iacob, et tamen relabitur a sensu, et absorbetur spiritualibus cogitationibus. Iudaei non recte imaginantur Isaac scientem et depraehendentem fraudem dissimulasse, quia ignorant virtutes spiritus, quae sunt fortiores, quam melancholicae cogitationes, quibus si fuerit occupatus animus hominis, reddunt eum prorsus stupidum et *ἐκστατικόν*.

Et benedixit eum. 27, 23 b

Nondum incipit benedictio, quia sequitur: 'Es tu filius meus Esau?' Sed hoc vult Moses. Isaac, cum tetigisset et palpasset manus Iacob, totus fuit raptus, stupidus et mente captus, et conclusit, animoque suo hanc benedictionem firmavit, quod deberet esse rata et firma, quasi diceret: benedictio iam est facta et certa. Sicut infra dicet ad Esau: 'Et erit benedictus.' Quia spiritus sanctus est, qui per Isaac benedicit. Igitur non licet revocare aut mutare quicquam. Fuit hic impetus et motus singularis spiritus sancti, quo conclusit apud se, postquam palpavit manus et collum, se velle benedicere filio. Nec mutavit sententiam, licet multis obiectis argumentis.

Hoc vult Moses praefatione ista ('Et benedixit ei') quasi diceret: Benedictio destinata Iacob iam est rata et confirmata, quicunque eam posthac expetiverit, spe sua frustrabitur, quia spiritus sanctus non revocat suos motus, 'nec est', ut inquit Malachias, 'qui mutetur'. Ego enim Dominus, Mal. 3, 6 et non mutor: Et numeri 23.: 'Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, 4. Mose 23, 19 nec ut filius hominis, ut mutetur.' Quando Deus tulit aliquam sententiam, non mutat aut retractat eam, sicut homines solent. Ita hic spiritus sanctus tetigit cor Isaac, et dixit in corde eius: Ego nunc benedico: 'Sine poenitentia autem sunt dona et vocatio Dei.' Romanorum 11. Ideo ait Moses: Röm. 11, 29 'Et benedixit ei', hoc est, Es war geſchehen.

Dixitque: es tu filius meus Esau? Respondit: Ego sum: Ait ille: 27, 24—27
Adfer mihi cibos de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima, obtulitque ei et comedit. Obtulit ei etiam vinum, et bibit. Et dixit ad eum Isaac, pater suus: accede, quaeso, et osculare me, fili mi. Et accessit atque osculatus est eum. Et ille odoratus est fragrantiam vestimentorum eius, benedixitque eum, et ait: Ecce, odor filii mei, sicut odor agri, quem benedixit Dominus.

Anima est spiritus vel vita hominis in sensibus exterioribus. Anima videt, audit, loquitur, flet, ridet. Hoc vult Isaac dicere: Intus in corde est conclusum, quod tibi velim benedicere: Nunc benedicet tibi anima mea, id est, externis sensibus tibi benedicam. Spiritu benedictus es, iam anima tibi benedicam. Ideo adduntur ceremoniae. Non enim possunt etiam spirituales res externae sine externis ceremoniis administrari. Quinque sensus et totum corpus habent suos gestus et ritus, sub quibus corpus quasi sub quibusdam larvis oportet vivere. Ideo non tantum in corde benedixit, sed etiam sensibus et ceremoniis exterioribus. Oportuit filios benedicendos adferre patri cibum delicatiorem et vinum: Postea accesserunt et osculati sunt patrem. Hae ceremoniae vere politicae sunt, et hodie inter Reges

11 ei *fehlt Erl.* *38* vivum *Erl.*

et Principes, quando feuda offeruntur, retinentur. Nos etiam in scholis eas servamus, quando promovemus Doctores Theologiae.

Post ceremoniam servatam rursus ait Moses: ‘Et benedixit ei’, videlicet externe, cum odoratus esset fragrantiam vestimentorum eius. Semper enim adest sensus, qui movet spiritum sanctum, et spiritus sanctus movet corda per externa, ut per verbum, per ceremonias et obiecta, quae per sensum externum movent cor. Post motus autem istos spiritus sancti sumit animum Isaac, et iam quasi raptus plane persuasum habet, esse hunc filium primogenitum, fragrantia enim vestimentorum prorsus confirmatur. Fuerunt autem hae vestes Abrahae et Isaac sacerdotales: quas ipsi summa cura asservarunt, adhibita casia et aliis rebus odoriferis, ne a tineis arroderentur. Sicut nos hodie nardum aut similia adhibemus. Cogitavit itaque Isaac: Hic est Esau, primogenitus filius meus, quia indutus est vestibus sacerdotalibus. Sic spiritu deceptus est, et iam sensu decipitur.

Utitur autem eleganti similitudine: ‘Odor filii mei sicut odor agri, quem benedixit Dominus.’ Qualis enim et quam suavis sit odor agri appetente messe, agricolae norunt optime. Similiter et vinearum, appetente vindemia, est odor iucundissimus et plane vivificus. Gratulatur igitur sibi Isaac, et animam suam laetificat propter filium benedicendum. Nunc habeo haeredem, cogitat, et successorem, quo ita acquiesco et tam suaviter adficior, ac si in agro aut vinea aliqua odorifera deambularem, cuius odor et fragrantia totum corpus et animum meum reficeret. Nunc libens et in pace moriar: relinquo enim post me dominum et Doctorem domus, patrem generationis futurae, sacerdotem. Ita delibutum gaudio Isaac, et quasi ebrium optimis et laetissimis cogitationibus de filio successore describit Moses. Bibit vinum, et est hilaris, sed magis spiritu sancto et spiritualibus cogitationibus: ut ita dicam, inebriatus. Unica enim et praecipua consolatio est nosse, quod habeat haeredem benedictionis illius, quae erat expectanda per Christum. Atque hoc haud dubie addidit, promissionem Abrahae factam nunc procedere et propagari in tertium haeredem.

Haec longe alia et sublimior benedictio est, quam aquae benedictae, de qua multa mentiuntur Papistae. Fuerunt benedictiones de aeterna vita adversus mortem aeternam, sacerdotales et regiae, pertingentes in vitam futuram. Quanquam non possint illae administrari sine hac vita, et necesse est, ut habeamus etiam corporales benedictiones. Non enim possumus sine temporalibus aeterna benedictione frui. Oportet Deum agrum benedicere, suppeditare panem, carnes et alia omnia ad victum necessaria. Sed non in solo pane vivit homo, et benedictiones corporales dantur propter illam aeternam. Idcoque semper includunt spirituales promissiones etiam temporales.

Sic ad discipulos dicit Christus, cum mittit eos ad docendum Euan-
Luk. 10, 8 gelium: ‘In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud

illos sunt.' Item: 'manducate, quae opponuntur vobis.' Dominus enim dat benedictionem corporalem, panem et vinum: siquidem haec vita non potest istis corporalibus benedictionibus carere. Euangelium est principalis benedictio, sed caetera adiiciuntur quaerentibus regnum coelorum. Prima benedictio est aeternae vitae: Secunda est corporalis, de qua inquit Christus Matth[aei 6.: 'Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut Matth. 6, 31 f.
quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim pater vester coelestis, quia hic omnibus indigetis.' Ita hic quoque videbimus hanc externam benedictionem addi per Isaac ad benedictionem aeternae vitae, quae non potest haberi sine corporali.

Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae, et abun- 27, 28. 29
dantiam frumenti atque musti. Serviant tibi populi, et incurvent se tibi nationes. Sis dominus fratrum tuorum, et incurventur ante de filii matris tuae. Maledicens tibi sit maledictus, et benedicens tibi benedictus.

Haec est forma benedictionis, cuius prima pars pertinet ad victum corporalem, quia sine eo non possumus vivere etiam in regno Dei, quod attinet ad hanc vitam. Corpus enim alendum est, si debemus docere et gubernare Ecclesiam. Prima igitur pars pertinet ad oeconomiam et ad domesticas facultates, ut uxor, liberi, familia habeant necessaria ad quotidianam vitam, quod in petitione dominica dicitur 'panis quotidianus', hoc est, universa, quae ad corporis sustentationem requiruntur in domo. 'Det tibi Deus, inquit, de rore coeli et pinguedine terrae, det abundantiam frumenti et vini.' Haec sunt temporalia. In terris opus est nobis rore coeli, id est, pluvia coelesti, et pinguedine terrae, id est, foecunditate soli. Frustra enim seritur in petram, in aquam aut in silvam. Oportet sementem fieri in terra fertili et foecunda, deinde etiam pluvia opus est. Et hanc partem facit satis locupletem et delicatam, dicit enim eum victurum de frumento et musto copioso: non tantum de aqua parce et duriter, sed abundanter et laute. Habebis, unde corpus cures egregie, non ut tenuiter tantum alatur, sed satis crasse et in abundantia omnium rerum, ut Moses loquitur Deut[eronomii 32.: 'Incrassatus est dilectus, et recalcitravit impin- 5. Mose 32, 15
guatus, incrassatus, dilatatus est.'

Certus est igitur Iacob pro se et posteris de victu domestico, et eo non tenui, sed lauto et delicato. Idque sane videre est in libris Regum, quomodo haec promissio sit impleta. Agnoscant ergo pii se habere corporalia donante et benedicente Deo, neque somnient, sicut Ethnici et infideles, casu nobis sive bona, sive mala in hac vita obiici, sed divinitus haec tanta dona contingere, ut pro his beneficiis Deo grati sint. Sicut concionantur Apostoli Acto[rum 14.: 'Benefacit de coelo nobis, dans pluvias Apg. 14, 17
et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra.'

Monachi et alii indocti ante haec tempora docuerunt contemptum temporalium bonorum, vinearum, agrorum, et ipsi tamen ad ea maxime inhiarunt, comederunt et biberunt lautissima et optima. Contra haec somnia Monachorum discamus etiam corporalia beneficia esse benedictiones divinas.

Altera pars benedictionis est Politica, quae ad regnum spectat, constituitur enim Dominus populorum et gentium, quod futuri sint posteri principes et reges: non tantum patresfamilias. Servient enim populi ei, cum subiicientur non patribus familias, sed principibus et regibus. Neque unus tantum populus serviet, sed pluraliter populi et tribus multae. Haec etiam impleta sunt tempore Iudicum et Regum, cum filii Israel terram Canaan occuparent, cum non solum Idumaeos subigerent, sed et omnes populos et reges illius terrae exterminarent.

Tertia pars benedictionis est spiritualis et sacerdotii. Fratres ex eodem patre et matre eadem nati adorabunt te: qui in politia et oeconomia forsan eadem dignitate possunt frui. Sed sacerdotalem dignitatem tu solus obtinebis, Atque haec praecipua pars est benedictionis. Prius dixit: ‘servient tibi populi, et adorabunt te tribus terrae.’ Id adorare est politicum. Hoc aliud est, et pertinet ad fratres et filios eiusdem matris. Quanquam posset referri ad politiam, sed rectius de tertia parte benedictionis accipitur, cum politiae antea meminerit.

Hae igitur sunt tres hierarchiae, quas saepe inculcamus, videlicet oeconomia, Politia et Sacerdotium, sive Domus, Civitas et Ecclesia. Domus habet panem quotidianum, et est quasi diurnum regnum. Politia habet temporalia, et est plus, quam diurnum: quia durat toto tempore exclusa aeternitate. Sed sacerdotium supra domum et civitatem Ecclesiasticum, coeleste et aeternum est. Ad hunc modum filio Isaac pulchre prospectum est. Constitutus enim est haeres, ut habeat cum posteris suis domum suam, regnum et Ecclesiam. Estque opulenta et magnifica benedictio, qua confirmatus est de futura haereditate, quam sine ulla disceptatione certo sperare et expectare potuit.

Neque vero haec benedictio inanis tantum sonus verborum est, aut verbalis quaedam imprecatio, qua alius alii bona dicit et comprecatur, ut cum dico: Det tibi Deus sobolem pulchram et morigeram. Haec verba sunt tantum optativa, quibus nihil alteri confero, sed tantum exopto, estque benedictio pure eventualis et incerta. Haec vero benedictio Patriarchae Isaac est indicativa et certa in futurum. Non est exoptatio, sed donatio boni, qua dicit: Accipe haec dona, quae verbis promitto. Aliud enim est, quando dico: optarim te habere robustum et sanum corpus, esse praeditum bono ingenio: ubi verbum habendi non sequitur: Aliud est, quando porrigo
Matth. 9,6 sacculum pecuniae, et dico accipe mille aureos, quibus te dono. Aut cum Christus dicit Paralitico: ‘Tolle grabatum tuum, et ambula.’ Usitata bene-

dictione diceret, utinam esses sanus et viribus integris: sed morbus non tolleretur, nec sequeretur restitutio virium, ideo est verbalis tantum.

In scriptura sancta autem sunt reales benedictiones, non imprecativae tantum, sed indicativae et constitutivae, quae hoc ipsum, quod sonat re ipsa largiuntur et adferunt. Cuiusmodi etiam nos in novo Testamento habemus per sacerdotium Christi, quod est nostra benedictio, cum dico: accipe absolutionem peccatorum tuorum. Si dicerem: utinam essent tibi remissa peccata, utinam esses bonus et in gratia Dei: aut precor tibi gratiam, misericordiam, regnum aeternum et liberationem a peccatis, haec charitatis benedictio dici posset. Sed benedictio promissionis et fidei et praesentis doni haec est: Ego absolvo te a peccatis tuis in nomine patris et filii et spiritus sancti, hoc est, reconcilio animam tuam cum Deo, aufero a te iram et indignationem Dei, et constituo te in gratiam, do tibi haereditatem vitae aeternae et regnum coelorum. Ista omnia sunt potestatis praesenter et vere tibi donantis, si credis, quia non sunt opera nostra, sed Dei per ministerium nostrum. Non igitur benedictiones imprecativae sunt, sed collativae. Quando baptiso te in nomine patris et filii et spiritus sancti, perinde est, ac si dicerem: rapio te ex manibus Diaboli, et offero te Deo, idque vere et realiter.

Ad eundem modum Patriarchae habuerunt in manu potestatem benedicendi, id est, tradendi certa promissione, quod habituri essent posteri victum, regnum et sacerdotium. Non aliter ac si diceret Isaac: Do tibi frumentum, trado tibi regnum et sacerdotium. Iudaei nimis frigide has benedictiones tractant, tantum enim accipiunt eas more humano et modo optativo: non in definitiva sententia: Benedictio vero talis sententia est, quae definit et concludit aliquid, ein entlicher[1] ſpruch oder urtheil. Talis potestas magna profecto res est, vere enim confert ac largitur bona corporalia pro domo, temporalia pro regno, aeterna pro sacerdotio, pro hac potestate laudaverunt ipsi Deum, qui eam hominibus concessisset, per quos benediceret et donaret omnis generis beneficia.

Verum ingens et deploranda haec miseria est, quod videmus sanctissimos Patriarchas tam certa fide ista tradere et accipere: nos vero nostram benedictionem in novo Testamento tam frigide et oscitanter curare. Me profecto mei vehementer pudet pigetque, quoties me cum illis comparo. Vide enim mulierem istam Rebeccam, quae vivit in carne et sanguine, perinde ac nos, similiter et Isaac et Iacob. At quam certa, viva et firma fide rapiuntur in illa futura bona? ut ipsam praesentiam carnis non curent, imo videntur dormire, stertere in corporali hac vita, respectu futurorum, quae ipsis promittuntur.

Nos opulentius donum aut certe non minore mensura et copia habemus, sed eandem fidem non habemus, sumus stertentes, semimortui, oculi

[1]) = *endgiltiger, entscheidender; vgl. Unsre Ausg. Bd. 38, 288, 18.*

caligant, aures graviter audiunt, corda nutant et vacillant, habent, et non curant, quod habent. Nam dicere absolutionem, porrigere Sacramenta baptismi et coenae Domini, pronunciare remissionem peccatorum ex Euangelio longe maius est, quam si Isaac benedicat Iacob. Perinde enim est, ac si dicerem: Do tibi regnum coelorum, dominium super Diabolum, ac ut maxime moriaris, tamen servo te, ne pereas. Non quidem nostra virtute id facimus, sed authoritate et mandato divino, qui dedit hominibus hanc potestatem, ut alius alium perducat in vitam aeternam sacerdotio Christi.

Ita nos quidem longe uberiores promissiones habemus, quam ipsi, sed magis etiam stertimus et negligimus thesaurum istum divitiarum et bonitatis divinae. Non enim sumus grati Deo: non laetamur, non exultamus toto pectore et corde ad istam foelicitatem. Habemus in magna copia, sed negligimus et contemnimus, cum sint tam certa omnia, quam illae Patriarcharum benedictiones, imo quod est omnium horribilissimum, quo abundantius habemus, hoc magis furit et persequitur mundus.

Excitet igitur animos nostros, et excutiat veternum istum patrum vigilantia, qui maiore spiritu et fide promissiones et benedictiones amplexi sunt. Deinde nostra dona amplificemus, quae sunt aequalia ipsorum donis, aut maiora, etiamsi ea quoque sint maxima et excellentissima. Nos non habemus patres loquentes nobiscum, sed ipsum filium Dei, ut ait author
Hebr. 1, 2 Epistolae ad Hebraeos, hunc audimus dicentem, absolvo te, do tibi claves regni coelorum, potestatem baptisandi, salvandi, daemones conculcandi ac infernum. Hanc divinam potestatem vobis trado, ut faciatis eadem, quae ego facio, et maiora his.

Sed nos oscitantes et somnolenti sic cogitamus: Christus est verus Deus et homo. Non igitur mirum est, quod ista dona impertit hominibus, sed quod homines alii aliis debent dona huius et futurae vitae conferre, id absurdum, impossibile et incredibile videtur. Sic vero non fuerunt adfecti sancti patres, sed plurimi fecerunt benedictiones divinas, et Deo laeti gratias egerunt, ideo ad eorum collationem nos erubescere, et oscitantiam nostram repraehendere et corrigere debebamus.

Sequitur nunc sancta Crux in postrema particula, sed simul tamen victoria per crucem et in cruce. Ita enim ait Isaac: 'Maledicens tibi sit maledictus.' Iste locus sumptus est ex capitibus 12. et 22. Ubi dicit Dominus ad Abraham: 'Eris maledictus, sed vertam in benedictionem.' Magna vero haec potestas est, quod Isaac illam sententiam pronunciat, ad quam cogitur tremere infernus cum daemonibus, et totus mundus cum universa sua potentia. Hoc enim vult dicere: Scio istas benedictiones futuras Diabolo, mundo et carni invisas, hoc certo futurum scio, o Iacob. Magnis quidem donis te cumulo, exalto et glorifico. Eris enim pater sine penuria: Rex sine impedimento: Sacerdos et salvator animarum, invitis portis inferorum. Sed memento haec omnia esse in promissione posita,

non esse completa in plenam victoriam, quae est adhuc in spe et expectatione. Proinde sic ista habebis, ut videaris prorsus nihil habere. Impugnaberis enim in oeconomia, in politia, in Ecclesia. Haec omnia invidebunt tibi impii, et maledíceris ab eis, ita ut maledictio parata sit iuxta benedictionem. Ego quidem tibi benedico, sed veniet Diabolus et mundus, venient fratres, et maledicent tibi, persequentur te et conabuntur benedictiones tuas turbare et evertere.

Ac respondit tandem eventus vaticinio: Quanta enim passus est Iacob statim a principio benedictionis? Frater Esau minatur ei mortem. Ibi statim imponitur ei crux oeconomica. Est pater futurae posteritatis, sed dies noctesque in periculo vitae versatur, expositus parricidio fratris: et magna cura parentum et difficultate subducitur, ut evitet hoc periculum: cogitur exulare in Syria circiter viginti annos. Bellam vero benedictionem? Potuit sane ei in mentem venire: Quomodo conveniunt ista, quae dixisti, pater: 'De rore coeli et pinguedine terrae', cum tantis difficultatibus? Nam ne micam quidem panis habet, cum proficiscitur in Syriam, pauper et egenus servit quatuordecim annis, et in illa servitute multa indigna patitur. Ideo monet eum pater, futurum, ut sentiat maledictionem pro benedictione.

Postea vero, cum fames orietur in terra Canaan, gravissime periclitabitur cum universa familia ad extremum vere discrimen vitae. Tandem in Aegypto quam crudeliter et indigne tractantur filii Israel? Ubi igitur benedictio? Respondeo: 'Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, Matth. 4, 4 quod egreditur de ore Domini': verbo erigitur, verbo sustentatur homo. Tametsi igitur in praesentia non adest panis in oeconomia, tamen non moritur, non derelinquitur. Sed fides in verbo Dei pascit in media penuria et corpus et animam, ac tandem etiam famem cum saturitate et abundantia commutat. 'Inquirentes enim Dominum non minuentur omni bono.' Pſ. 34, 10. 11 Econtra vero de divitibus dicitur: 'Divites eguerunt et esurierunt.' Item: 'tanquam foenum velociter arescent.' Pſ. 37, 2

Sed fide haec accipienda et expectanda sunt. Sicut Iacob fide statuit sibi nihil unquam in sua domo defuturum: et eventus tandem pulcherrime respondit. Cum enim sequeretur benedictio, ditior factus est suo socero Laban: sed per tentationes. Tentabatur enim, sed non deserebatur. Quia benedictio impugnatur: sed non expugnatur, pulsatur et impellitur: sed non deiicitur. Sicut inquit Psalmus: 'Impulsus sum, ut caderem, et Dominus Pſ. 118, 13. 14 suscepit me. Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.' Dominus dat benedictionem mixtam cum pacientia, et ornatam reliquiis sanctae crucis: ut erudiamur in tentationibus, et discamus: non solum in pane, sed in quolibet verbo Dei vitam nostram positam: panem vero tandem subministrat Deus certo et infallibiliter, postquam sumus exercitati in fide, an velimus Deo credere in eius promissionibus. Promittit enim, sed tentat et subducit benedictionem, quasi nulla expectanda sit.

Sed tum vere benedictionem cogitat et sentit, cum nos sentimus maledictionem. Potest ergo impugnari et premi benedictio, sed submergi et expugnari non potest: sicut de veritate dicitur.

Atque haec maledictio sive crux oeconomica fuit, quae satis duriter Patriarcham exercuit. Sed et politiam vide in posteritate. Inspice Davidem, qui primus Rex fuit secundum benedictionem, quoties, quaeso, regnum eius concutitur et periclitatur, quasi iam iam ruiturum. Primum Saulis temporibus, deinde per filium Absolonem et improbum consiliarium Achitophelem: et quidem Absolonis tempore accedebat mala conscientia. Sed erigebat tamen et sustentabat se promissione divina. Sicut dicitur 20. Psalmo: Ps. 21, 2 Ps. 63, 12 'Domine, in virtute tua laetabitur Rex.' Item: 'Rex vero laetabitur in 2. Sam. 15, 25 f. Deo, laudabuntur omnes, qui iurant in eo' etc. Et 2. Regum 15.: 'Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, si autem dixerit: non places, praesto sum, faciat mihi, quod bonum est coram se.' Erat enim ei promissum et stabilitum regnum, sed non sine maxima molestia et tentationibus.

Ad eundem modum in Ecclesia plus maledictionis, quam benedictionis conspicitur. Id enim nos quoque experientia discimus, qui sumus in eadem professione. Quibus datus est Baptismus, potestas clavium, Sacramentum altaris. Sed quam multi sunt etiam optimi, quos Sathan ita impugnat et infatuat, dum ex oculis removet istas coelestes benedictiones, ut videantur nihil prorsus harum benedictionum retinere, imo magis sentiunt infernales maledictiones et angustias, quam benedictiones divinas et coelestes. Alii ruunt in manifesta scelera et contemptum manifestum, et abiiciunt benedictiones. Illi vero, qui retinent et amant eas, adeo infirmi sunt, ut habeant opus multis et crebris admonitionibus et iterationibus, quibus 5. Mose 6, 7 excitentur, et acuatur in eis, ut Moses loquitur, verbum Dei.

Nihil autem interea decedit de benedictione, sed manet rata, firma, opulentissima ac maior sensu nostro. Paulus idem queritur, esse tibi 2. Kor. 12, 7 datum stimulum carnis: item per multas tribulationes oportere nos ingredi Apg. 14, 22 regnum coelorum. Non igitur deerunt maledictiones, sed contra audentior ito, esto fortis et persiste in benedictione, ut maxime omnia plena maledictione videantur. Sic enim statuamus: certum est me esse baptisatum: Audivi verbum ex ore ministri: Usus sum Sacramento altaris. Haec est divina et immutabilis veritas, etiamsi ego infirmus sum: tamen illa est certa et rata. Res sunt potentissimae et locupletissimae: sed cor est lubricum et vacillans in appraehendendo. Atqui hoc tantum caveamus, ne abnegemus: ac si non confiteri possumus magno clamore, at parvo murmure utcunque sonemus. Si non possumus canere laudando Deum, saltem hiscamus, ut in his benedictionibus, in quas nos collocavit filius Dei, perseveremus: quae sine ingenti certamine et variis tentationibus retineri non possunt. Sic enim patres habuerunt benedictiones certas et firmas. Sed

non sine tentatione. Et Christus ab eam causam tam sedulo ad perseverantiam nos hortatur: 'In pacientia possidete animas vestras': Filii regni Luk. 21, 19
estis, peccata vobis sunt condonata, Diabolus est victus et prostratus sub pedibus vestris, peccatum et mors nihil nocebunt, sed estis innocentes. Ferte igitur aequis animis maledictiones contrarias.

Postquam vero posuit maledictiones, hoc est, crucem et tentationes, quae comitantur illas tam insignes et opulentas benedictiones, addit amplius: 'BENEDICENS TIBI SIT BENEDICTUS.' Ac si dicat: Non maledicent aut impugnabunt vos omnes. Sed multi accedent, qui vos benedicent et participabunt vestris benedictionibus. Hic erit fructus tentationum, si perseveraveritis in fide. Sicut inquit Christus: 'Amen, amen Joh. 12, 24
dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum adferet.' Unus Christianus tentatus plus prodest, quam centum non tentati. Quia in tentationibus crescit benedictio, ut multos possit docere, consolari, consiliis iuvare in corporalibus et spiritualibus. Sic in mundo estis maledicti, sed simul etiam repleti benedictione coelesti.

Iam et vocabulorum quorundam grammaticam explicationem videamus. Adorare significat incurvare, inclinare corpus, et reverentiam alteri praestare, eius vocabuli usus late patet, adorantur enim reges, fratres, proximi. Supra adorat Abraham filios Heth. Deinde transfertur ad spiritualem adorationem, quae est incurvari coram creatore. Aliter enim creator, aliter creatura adoratur. Sed cur dicit: 'Eris dominus fratrum', cum unum tantum fratrem habeat Esau? Est singularis phrasis scripturae sanctae, qua omnes nepotes vocantur filii: et fratrum filii vocantur fratres. Qui nati sunt ex Rebecca et filiabus, dicti sunt filii. Ita Esau est pater filiorum et nepotum. Fratres vero in scriptura sancta appellantur non solum uterini: sed etiam posteri et nepotes.

Factum est autem, cum Isaac cessasset benedicere Iacob, et 27, 30. 31
egressus esset Iacob foras a facie Isaac, patris sui: venit Esau, frater eius, de venatione sua. Et fecit quoque ipse cibos, et intulit ad patrem suum, dixitque ei: Surgat pater meus, et comedat de venatione filii sui, ut benedicat mihi anima tua.

Finita benedictione sequitur nunc lamentatio, et contraria benedictio Esau. Atque haec altera pars est historiae huius. Diligenter vero verba orationis Esau considerentur: Iacob enim non dixerat in tertia persona, surgat pater, sed surge, quaeso. Sed hypocrita ille utitur singulari Rhetorica: quemadmodum solet id genus sanctorum uti verbis ad ornatum, elegantiam et splendorem accommodatis. Iacob simpliciter et nude more Dialectico suam petitionem proposuit. Hic adhibet Rhetoricas amplificationes, quae Iacob nunquam in mentem venissent. 'Surgat, inquit, pater

meus, et comedat de venatione filii sui.' Tam superbe Rhetoricatur, ac si solus et unigenitus sit filius: Iacob vero non sit filius. Sic enim solent hypocritae, vocant se Ecclesiam, ut maiorem larvam ac splendidiorem ornatum habent, quam vere pii. In piis vero neque audaciae, neque splendoris tantum est. Sicut Iacob non audet tam arroganter patrem compellare. Vestium hic nullam mentionem facit Moses, quibus tamen haud dubie usus est. Rebecca eas fortassis iterum in suum locum clam reposuit, nihil amplius sollicita de iis asservandis aut custodiendis. Eat sane, cogitavit, vestiat et ornet se rhetorice, quantum volet, meus filius benedictionem iam est adeptus.

27, 32. 33 Et dixit illi Isaac, pater suus: Quis es tu? ait ille: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Et expavit Isaac pavore magno valde, et ait: Quis ille, et ubi est ille, qui cepit venationem, et attulit mihi, et ego comedi ex omnibus, priusquam tu venires, et benedixi ei, eritque benedictus.

Hic incipit gnaviter mentiri, ac utitur sane verbis splendidis et magnificis. Ego sum filius tuus primogenitus, inquit: Amplificat suam orationem egregie, ut decet talem rhetorem. Iacob est simplex Dialecticus, is est in oculis Esau contemptissimus, neglectissimus et maledictissimus: non est dignus, ut vocetur filius, multo minus primogenitus Isaac. Sed spiritus sanctus contrarium statuit: Iacob enim iam habet benedictionem, tu vero Esau nequaquam es primogenitus. Num enim oblitus es, quid feceris? cum diceres: 'Ego vado ad mortem, quid ad me primogenitura? da mihi pulmentum.' Ac vendidit primogenita, et abiit, postquam comedisset, et contempsit, pro nihilo duxit. Haec nondum est oblitus spiritus sanctus, ut tu somnias. Si vendidisti fratri tuo, iuste es condemnatus. Ideo mentiris te filium primogenitum, quia abligurivisti eam per edulium, et abiecisti per insignem contemptum. Deus vult glorificari pro suis beneficiis, et qui ei honorem habet, eum vicissim glorificat, contemnentes autem erunt ignobiles. 1. Reg[um 2. eius sententiae hoc horribile exemplum est. 1. Sam. 2, 30

Isaac vero exhorrescit et terretur pavore magno et vehementi ad istam vocem Esau, veritus, ne forte divina dispositione alienus quispiam rapuisset benedictionem, atque ea posteritas sua privaretur. Non levis hic pavor fuit, timuit enim, ne illa gloria benedictionis, regni et sacerdotii divino quodam consilio transferretur a sua domo. Sicut idem etiam periculum obiicitur, cum minatur Esau fratri Iacob mortem: ne, si periret Iacob, alienis tribueretur benedictio. Neque tamen movetur, ut benedictionem semel collatam mutet. Sed quicunque tandem is sit, qui rapuit, ait, est benedictus, et erit benedictus, quia dona Dei non possunt revocari. Postea vero re diligentius in memoriam revocata cogitavit: En, audivi, vocem Iacob, is decepit me obductis pellibus collo et manibus, certe is est, cui benedixi.

Cum audiret Esau verba patris sui, irrugiit clamore magno, et 27, 34. 35
vehementer consternatus est, dixitque patri suo: Benedic etiam
mihi, mi pater. Qui ait: Venit frater tuus cum dolo, et surripuit
benedictionem tuam.

Quaeritur hoc loco, quare Isaac non revocaverit benedictionem, cum Iacob dolose nam rapuerit. Lyra Iudaeorum opinionem recitat: quod Isaac audita querela Esau voluit retractare benedictionem: sed tunc ex voluntate Dei vidit gehennam apertam et sibi paratam, si retractaret: propter quod expavit, et non retractavit, sed magis confirmavit. Haec Lyra de sententia Iudaeorum. Verum isti non explicant verba Scripturae, sed magis obscurant. Non igitur sentiendum est Isaac tametsi vehementer consternatum cogitasse de revocatione, quia scivit hanc benedictionem esse opus et donum Dei simpliciter immotum et immutabile, ut quando ego Baptismum alicui trado, tunc animus meus et voluntas est certissima, quod vere volo baptisare. Quod si ille, qui baptisatur, dolose agit, tamen ego ministravi verum baptismum, qui non est meus, sed vere divinum opus est.

In hunc modum et Isaac dixit: 'Benedixi ei, et erit benedictus.' Idque serio secum antea constituit, et non sine singulari consilio ad finem vitae suae distulit. Ideo certus fuit se, cum benediceret, proferre sententiam definitivam, authoritate divina pronunciatam et confirmatam. Fuitque eadem benedictio, quam haereditario iure a patribus acceperat, ab Adam, Noah, Abraham et aliis. Tales sententiae non possunt, nec debent mutari: quia Deus non mutat sua dona. Non revocat baptismum, non absolutionem et alia, quae per verbum suum impertit. Si remittit mihi peccata, tum vere sunt remissa.

Disputant etiam de dolo. An patres sancti dolose egerint, et an peccarint dolose agendo. Saepe enim audivimus eos egregie mentitos esse, non tantum officiose, sed etiam realiter. In hoc facto autem nullum peccatum inest. In re quidem et in conspectu humano est fraus et dolus: Quia Iacob delusit patrem pilosis manibus et collo obducto pellibus. Sed coram Deo non est fraus, quia debebatur ei primogenitura et benedictio, quam et a fratre emerat, et iam ante authoritate divina habeat sibi destinatam, iuxta oraculum: 'Maior serviet minori.' Ergo struere insidias, et per fraudem alteri rapere, quod Deus tibi dedit, non est peccatum. Sicut Aegyptiorum spolium est quidem vere spolium secundum iudicium humanum. Sed non peccaverunt Israelitae spoliando Aegyptios, siquidem iusserat Deus, ut dicerent Aegyptiis: 'Commoda mihi argenteum vasculum 2. Mose 11, 2
et vestem', quibus exornem festum Domini, cum ipsi fugam meditarentur. Habebant manifestum praeceptum Dei: Volo, ut defraudes, ut spolies Aegyptios: Quia debebant Aegyptii Israelitis mercedem pro servitute et

pro tyrannide durissima. Quanquam levis sane et exigua compensatio erat pro oppressione populi tam diuturna, proque filiis occisis.

Ad hunc modum de hac fraude Iacob etiam iudicandum est. Quando enim sancti fraudem faciunt, et habent de ea mandatum Dei, tum est quidem fraus in conspectu hominum, sed est sancta, iusta et religiosa fraus. Itaque non opus est quaerere et disputare, quomodo et an peccarit Iacob. Sed eo respiciendum est, quod authoritate divina ipsi fuit concessum antea, quod per fraudem fratri eripuit. Sic in bellis sancti saepe hostes fefellerunt, sed illa sunt mendacia, quibus licet uti in ministerio Dei adversus Diabolum et hostes Dei.

Sic piscator piscem fallit inescando: quam similitudinem non incommode patres ad Christum accommodaverunt. Is enim venit in mundum vestitus carne, proiectus est in aquam, quasi hamus, eum postquam momordit Diabolus, subito a Deo retractus est ex aquis, et in siccum coniectus et protritus. Hoc est, Christus obtulit Diabolo infirmam humanitatem, tegentem illam aeternam et insuperabilem maiestatem, ibi impegit Diabolus in hamum divinitatis, qua devicta est universa ipsius et mortis ac inferorum potentia.
Kol. 2, 15 Sicut dicitur Colłossensium 2.: 'Expolians principatus et potestates, palam triumphans illos in semetipso. Non iniuria autem queri potuisset Sathan, se indigne delusum et deceptum esse. Siquidem putasset se occisurum hominem, et ab eo in fraudem illectus ipse occideretur. Verum idem ei mirando consilio Dei accidit, quod vulgo dici solet: Ars ut artem falleret.[1]

27, 36 Et dixit Esau: vere vocatum est nomen eius Iacob. Nam supplantavit me iam duabus vicibus: primogenituram meam tulit, et ecce, nunc quoque accepit benedictionem. Et ait: Nunquid reservasti et mihi benedictionem?

Hic incipit odium adversus fratrem. Recte dicitur Iacob, inquit: quia supplantavit me duabus vicibus: sed utrumque falsum est. Tu Esau mentiris. An ignoras, quid antea feceris? Vendidisti tua sponte primogenita, cum diceres: Vado ad mortem, ad quid mihi primogenitura? Benedictionem contempsisti, quae valet etiam post mortem Deinde et authoritatem divinam neglexisti, qua dictum est: 'Maior serviet minori.' Ideo non amplius es primogenitus, sed emptor ille est primogenitus, et habet benedictionem summo iure: quam non licet ab eo repetere, quia donum Dei est, quod non mutatur. Tu vero mentiris, et falso fratrem insimulas, quod rapuerit utrunque: primogenituram et benedictionem.

Atque hinc apparet, quomodo sit intelligendus locus ad Hebraeos 12.:
Hebr. 12, 16 f. 'Ne quis fornicator aut prophanus, ut Esau: qui propter unam escam vendidit primogenita sua. Scitote enim, quoniam et postea cupiens haeredi-

[1]) *Nicht bei Otto und Thiele; vgl. Otto l. c. S. 38, 5.*

tare benedictionem reprobatus est. Non enim invenit poenitentiae locum: quanquam cum lachrimis inquisisset eam.' Causa enim haec est, cur nihil poenitentia et lachrimis suis profecerit: quia non fuit vera poenitentia. Verum id quidem et immotum est, quod Deus, qui non fallit, nec mentitur, proposuit omnibus hominibus, qui vere poenitent, misericordiam suam: et peccati poenitentia semper invenit locum apud Deum. Id firmiter retinendum et defendendum est, sicut id testatus est Deus multis exemplis et libris scripturae sanctae.

Sed alia est poenitentia non vera, sed ficta, quam Germani vocant: Ein galgen rew[1]: Quando videlicet sic poeniteo, ut non pudeat me offendisse Deum: sed quod mihi ipsi nocuerim. Talis poenitentia valde usitata est, et ego ipse saepe sic poenitui, et dolui me stulte, insipienter et cum damno egisse aliquid. Magis puduit me stultitiae et damni, quam peccati, quam culpae aut offensionis. Dolere autem tantum de damno dato poenitentia est, quam ignorat Deus, imo etiam corda nostra eam nesciunt, ut apparet in Esau. Non enim dicit: Nunc sentio me peccasse. Quare offendi Deum vendendis primogenitis? Iam libenter carebo benedictione, tantum mihi ignoscat Deus peccatum hoc. Haec vera fuisset poenitentia, qua sollicitus fuisset de placando Deo propter peccatum commissum. Vera enim poenitentia intuetur iram Dei propter peccatum, cum exoptat esse placatum, fugit iram Dei. Non solum parit dolorem propter damnum, nec iram et odium adversus fratrem, sed sic dicit: Si tantum Deus vellet mihi esse propitius, quidvis damni et mali libenter ferrem.

Horum nihil audis ex Esau, habet poenitentiam poenae, non peccati: Ideo non invenit poenitentiam poenae, quia non quaerit poenitentiam peccati, sed est pertinax in peccato. Quemadmodum Saul quoque faciebat post transgressionem mandati, quo iussus erat occidere Amalec cum viris et mulieribus, cumque gregibus universis et armentis: Ipse autem Regi et armentis parcebat: Cumque increparetur a Samuele, respondebat: 'Pepercit populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino, Deo tuo.' Id non erat agnoscere peccatum, sed excusare et defendere sub praetextu sanctitatis. Ideo Propheta graviter commovetur, et annunciat ei tristissimam sententiam: 'Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te, ne sis Rex.' 1. Sam. 15, 3 ff. 1. Sam. 15, 23

Sic et Adam conabatur peccatum suum excusare, et culpam reiiciebat non in mulierem tantum, sed etiam in Deum: 'Mulier, inquit, quam tu mihi dedisti sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.' Sic et Heua se excusabat: et accusabat serpentem, qui eam decepisset. Haec nequaquam poenitentia dici debet. Sensus enim verae poenitentiae talis est: Ah, cur Deum offendi? cur iram et iudicium eius adversum me concitavi? statuat in me, 1. Mose 3, 12

[1]) *S. Unsre Ausg. Bd. 7, 355, 25, Tischr. Unsre Ausg. 1, 223, 31.*

quodcunque voluerit exemplum, tantum ignoscat et condonet peccatum. Richt. 10, 15 Sicut in libro Iudicum precantur filii Israel: 'Peccavimus, redde tu nobis, quicquid tibi placet: tantum nunc libera nos.' Talis oratio decet vere et serio poenitentes: faciat sane mecum, quod voluerit Dominus: modo sit mihi propicius. Atque ibi Deus ad veniam dandam et ad ignoscendum est paratissimus, ac statim offert remissionem peccatorum.

Quantum vero absit Esau ab hac vera humilitate et agnitione peccati, testantur eius verba, quibus impudentissime mentitur se primogenitum, cum non sit: et suam primogenituram dicit, quam antea sponte proiecerat. Denique, quod multo gravius est, fratrem, innocentem accusat et damnat: se nocentem excusat et laudat: 'Vere, inquit, vocatur Iacob, quia supplantavit me.' Ne verbo quidem meminit sui peccati. Non dicit: Ego peccavi, hactenus non sensi, nec intellexi me peccasse. Nunc erudior ipsa poena et iudicio divino. Iam tempus est, ut agnoscam peccatum, sentio enim Deum horribiliter offensum mea venditione, meo contemptu. Neque vero invideo fratri, sed ex corde ei faveo, et gaudeo ei obtigisse hanc benedictionem. Ego peccavi, et doleo ex animo, non tam ob amissam benedictionem, quam ob iram Dei in me concitatam. Nihil minus dicit aut cogitat: Imo gloriatur in malicia sua. Ego sum iustus, Frater est impius, rapuit mea fraudulenter, et possidet aliena, quod illi male vertat. Ita alienam iustitiam damnat, et peccatum suum defendit. Postremo horribile odium concipit adversus fratrem, non favet ei gratiam, quam Deus ei donavit, et ipse iure et sua culpa amisit. Insuper et mortem ei minatur. Bellam vero poenitentiam.

Proinde aliud nihil est, quam dolor de amisso bono et accepto damno. Sic etiam fures et malefici de suis sceleribus dolent, non quod serio resipiscant aut ea detestentur, sed quia poenae metu et sensu cruciantur. Quemadmodum nos sub Papatu pro peccatis poenitentiam egimus, cum ad confessionem singulis annis adigeremur, libentius enim etiam tum indulsissent peccatis homines, si licuisset. Ac mox post Pascha ad ingenium redibant, et gaudebant se liberatos esse carnificina illa confessionis. Poenitere igitur est serio sentire iram Dei propter peccatum, ita ut animo angatur peccator, et excrucietur desiderio salutis et misericordiae Dei. Hunc vero erigat et consoletur, qui potest, ne desperet et pereat: sicut Iudas desperabat. Talis enim animus non aliter adfectus est, quam ut omnium rerum libens iacturam faciat, tantum ut consolationem inveniat, ut habeat auxilium, etiam a minimo puero annunciante promissionem salutis. Modo enim liberer ab ira divina, qua miserabiliter crucior, cogitat, nihil ero sollicitus de iis recuperandis, quae amisi. Si egi stulte, feram sane precium vel poenam ob stultitiam, tantum ut mihi Deus sit propitius. Esau vero sic sentit: Si haberem ego meam primogenituram, non morarer, sive propitius esset Deus, sive non.

Sic igitur intelligatur locus illa ad Hebraeos: 'Non invenit locum Hebr. 12, 17
poenitentiae', quia non fuit vera poenitentia. Sed de damno accepto doluit et de stultitia sua, qua perdidit primogenituram et gloriam suam. Ideo ruit horribiliter in odium fratris et Dei, qui benedixit Iacob per parentem Isaac.

Estque haec insignis Idaea et exemplum falso poenitentis, quod ideo observandum est, ut discamus discernere veram poenitentiam a ficta et simulata, quam nos dicimus ein galgen reu. Fur enim, cum videt sibi supplicium crucis imminere, etiam dolet, et libenter diutius viveret. Sin autem Deus dat ei hanc gratiam et lucem, ut vere agnoscat peccatum et iram Dei, nihil amplius sollicitatur de vitā, tantum ut iuvetur, ne de animae salute in dubium veniat. Atque ibi docendus et erigendus est misericordia et gratia Dei in Christo exhibita, non confessione aut satisfactione Papistica. Alioqui actum de ipso fuerit.

Respondit Isaac, et dixit ad Esau: Posui tibi illum in dominum, 27, 37
et omnes fratres eius constitui illi in servos. Frumento et vino
stabilivi eum: et tibi iam quid faciam, fili mi?

Benedictio Iacob includit tres Ierarchias: domesticam, regiam et sacerdotalem. Pro his tribus administrandis attribuit ei etiam bona mundi. In politia habet regnum et gubernationem in populo: In Ecclesia habet administrationem remissionis peccatorum et vitae aeternae. Est igitur Iacob Episcopus, habet prophetiam, habet verbum, remissionem peccatorum et cultuum Dei. Deinde addit: Subieci ei fratres in politia. Et subiiciet ipse sibi populos: id sub Davide factum est, qui primus implevit benedictionem subiectis Syrijs, Palestinis, Arabibus, Edomitis. Quid ergo nunc faciam, ait Isaac? ultra has tres benedictiones quid dabo tibi? Ipse tulit omnia: et factum est hoc haud dubie singulari Dei consilio et voluntate, cuius fuit haec benedictio: ideo non possum mutare. Sed non cessat Esau. Imo instat apud patrem orando et obscurando, ut sibi quoque benedicat.

Dixit vero Esau ad patrem suum: Num unam tantum benedic- 27, 38
tionem habes, mi pater? benedic etiam mihi, mi pater.
Et levans vocem suam flevit.

Hinc illud est, quod in Epistola ad Hebraeos dicitur: 'quanquam cum Hebr. 12, 17
lachrymis inquisisset eam.' Haec enim est anxia et ardens illa obsecratio cum lachrymis, qua multum et anxie inquirit, sed sero ac frustra. Cum enim semel recessit Deus, cumque semel ablatum est verbum et gratia divina, non facile invenitur iterum. Romae olim fuit Ecclesia pulcherrima,

18 Ierarchias = hierarchias

maiore numero confessorum et martyrum, quam usquam alibi in toto orbe terrarum, verum ea sublata quam horribiles tenebrae et abominationes successerunt? Nunc adeo si vel clamando et eiulando tabescerent, aut prorsus emorerentur cum Esau: nihil tamen proficiunt ad recuperandam priorem illam lucem et gratiam Dei.

Nos ante haec tempora in Papatu clamavimus pro salute aeterna, pro regno Dei, vehementer adfliximus, imo occidimus corpora nostra: non gladio nec armis: sed ieiuniis et macerationibus corporis, quaesivimus, pulsavimus noctes atque dies. Ego ipse nisi liberatus fuissem consolatione Christi per Euangelium, non vixissem biennium, ita excruciabar, et fugitabam ab ira Dei: nec deerant lachrymae, gemitus, suspiria, sed nihil pro-
2. Kor. 6, 12 movebamus. Itaque non frustra tam diligenter monet Paulus: 'Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis.' Utamur ergo oblata gratia, dum licet, aperiamus os et cor, et sinamus nobis infundi benedictionem. Ea enim sublata actum est de nobis.

Germani proverbiali imprecatione utuntur non mala: Gott geb faulen Henden die drůfs.[1] Male sit manibus remissis ac ignavis. Monent enim, ut praesenti occasione sine cessatione utamur. Ita quando docetur Euangelium,
Joh. 12, 35 f. audiamus illud et discamus gratis animis. Sicut inquit Christus: 'Dum lucem habetis, ambulate, ut non vos tenebrae compraehendant. Adhuc modicum lumen in vobis est. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.'

Ac sane Iudaeorum exemplum satis testatur, quam horribiles tenebrae eos compraehenderint, postquam non crediderunt in eum, qui tanta signa fecit coram eis. Illi enim egregie implent figuram istam Esau: clamant dies ac noctes, macerant corpus ieiuniis et orationibus, iam sesquimille annis, orant ardentissime: Domine Deus, mitte Messiam propter nomen, propter verbum, propter regnum tuum, quibus precibus et querelis vel saxa et rupes moveri possent: sed non inveniunt poenitentiae locum. Non quod non sit poenitentiae locus: sed quod perversa via ad coelum incedunt, ac suis meritis benedictionem acquirere volunt, quod est impossibile. Peccatum suum non agnoscunt, sed iustificant se, perinde ac Esau. Nos sumus Israel, dicunt. Sicut Esau dicebat: 'Ego sum filius tuus primogenitus.' O Deus, gentes rapuerunt primogenituram et benedictionem etc. Sentiunt quidem iram Dei: sed peccatum nolunt agnoscere. Sentire autem peccatum et iram Dei propter peccatum est maxima gratia, et
Ps. 51, 6 prope est salus talibus peccatoribus, ut facile ad poenitentiam perducantur. Sed defendere et excusare peccatum est 'Deum iudicare', id est, damnare in sermonibus suis. Psalmus 51. Ideo Esau exemplum est omnium Iudaeorum.

Nos quoque cum monachi essemus, ideo nostris macerationibus nihil

[1]) *Vgl. Thiele S. 190, Unsre Ausg. Bd. 15, 32; Tischr. F. B. 4, 696.*

proficiebamus, quia nolebamus agnoscere peccatum et impietatem nostram. Imo ignorabamus peccatum originis, nec sentiebamus incredulitatem esse peccatum, quin et dubitationem de divina misericordia statuebamus et docebamus. Itaque quo magis currebam et desiderabam ad Christum venire, hoc longius ipse a me recedebat. Post confessionem ad missationem nunquam poteram acquiescere animo, quia conscientia non potest firmam consolationem ex operibus habere. Fruamur itaque praesenti benedictione, et oblata gratia post renatam lucem Euangelii, nec simus negligentes aut ingrati. Si enim semel ablata est benedictio: non est id in nostro arbitrio, ut eam recuperemus, sed in donatione Dei gratuita, atque ita, ut nullius lachrymis, clamoribus, laboribus moveatur.

Ego id primum bene videbam, omnino opus esse gratuita donatione ad lucem et vitam coelestem consequendam, atque anxie et sedulo laborandam de illa sententia intelligenda. Rom⌊anorum 1: 'Iustitia Dei revelatur in Euangelio': ibi diu quaerebam et pulsabam. Obstabat enim vocabulum illud ('Iustitia Dei'), quod usitate sic exponebatur. Iustitia Dei est virtus, qua ipse Deus est formaliter iustus, et damnat peccatores. Sic omnes Doctores hunc locum interpraetati fuerant, excepto Augustino. Iustitia Dei, id est, ira Dei. Quoties vero legebam hunc locum, semper optabam, ut Deus nunquam revelasset Euangelium. Quis enim possit diligere Deum irascentem, iudicantem, damnantem? Donec tandem illustrante spiritu sancto locum Abacuc diligentius expenderem: 'Iustus ex fide vivit.' Inde colligebam, quod vita deberet ex fide existere, atque ita abstractum referebam in concretum, et aperiebatur mihi tota sacra scriptura et coelum ipsum. Hoc vero tempore ingentem istam lucem videmus clarissime, ac licet ea nobis abunde frui. Sed contemnimus et fastidimus gemmam et thesaurum illum coelestem. Olim igitur rursus eo adempto iterum clamabimus et pulsabimus, sicut de fatuis virginibus in parabola dicit Christus, sed frustra. Ideo timeamus Deum, et simus grati. Moveat autem vos in primis meum et aliorum exemplum, qui viximus in morte et inferno, nec habuimus benedictionem tam copiose, ut vos habetis. Diligenter igitur exercete et cogitate doctrinam de benedictione, ut eam et retinere ipsi, et in alios quoque propagare possitis. Nos, quod debuimus, fecimus.

Röm. 1, 17

Hab. 2, 4

Respondit ei Isaac, pater suus, et dixit: Ecce ubertates terrae habitatio tua erit, et de rore coeli desuper. In gladio tuo vives, et fratri tuo servies: eritque, quando dominaberis, et rumpes iugum eius de collo tuo. 27, 39. 40

Dat ei portionem de domestica benedictione. Politica enim et Ecclesiastica penes fratrem Iacob sunt. Non est autem haec benedictio. Tantum enim dicit: Tu debes habere terram frugiferam, hoc est, victum et amictum. Ne populus carnalis Iudaicus prorsus nihil haberet, attribuit ei carnalem

promissionem. Deinde addit: 'In gladio tuo vives', id est, defendes te gladio tuo: sed non vinces, nec regnabis. Omnia intelligenda sunt sine benedictione. Non constituit te Deus dominum super alios populos, multo minus super fratrem, quem ante excepit, et ipsum Iacob dominum super fratres constituit. Eris contentus tua habitatione in terra fertili, et defendes te gladio, ut sis tutus ab hostibus, ita tamen, ut fratri subditus sis eique servias. Haec duo iam inter se conferantur. Iacob est Doctor Ecclesiasticus et politicus magistratus super fratrem Esau. Et eius benedictio vocatur benedictio. Huius vero Esau benedictio non dicitur benedictio. Non enim habet textus: Erit benedictio tua, Sed sic: De pinguedinibus terrae erit habitatio tua, estque eadem vox, quae in primo Psalmo ponitur: Ps. 1, 1 'In sede derisorum.' Diligenter hoc cavit scriptura sancta, ne vocaretur Esau benedictus, quia benedictio extenditur in latum, longum, pingue et omnia bona. Nec dicitur: Det Dominus Deus tibi. Si enim additur: Dominus, fit benedictio. Hoc igitur vult: Deus non benedicet tibi ex virtute huius benedictionis, sed in eventum aliquid habebis, quod dabit tibi Deus, sicut Arabibus, Aegyptiis, qui fortuitam alimoniam et defensionem habuerunt, non agnoscentes divinam benedictionem. Hoc diligenter notandum est. Illa duo vocabula: Deus et Benedictio, non ponuntur in textu, ideo non est benedictio.

Addit amplius: 'Eritque, quando dominaberis ei' etc. Haec etiam singularis particula est. Libenter enim plura ei daret Isaac, et diligenter quaerit, quid amplius in eum conferat. Pertinent autem haec ad Herodem et eius generationem. Iudaei exponunt de tempore regis Ioram sub Heliseo, a quo defecerunt Idumaei propter impietatem Regis. Et non est mala sententia. Tum enim rupit Edom iugum, et liberavit se a dominio Israel. Sed existimo rectius intelligi de Herode, qui fuit filius Idumaei Antipatri, qui sub Iulio Caesare fuit in magna authoritate et dignitate, ac regnum Israel duriter adflixit. Factum est igitur, ut excuteret iugum de cervicibus suis, et etiam dominaretur.

Inde vero quaestio emergit, quomodo sit impleta Prophetia sive promissio: quod Iacob sit benedictus, et maior sit serviturus minori: minor autem dominaturus. Et infra sequetur, quod Iacob adorat Esau, et ipse et familia, filii et uxores. Ordinabit ibi quatuor acies, quae omnes prosternunt se coram Esau, et adorant eum. Deinde longo tempore dominantur Idumaei in Israel. Ac Herodes cum posteris suis regnat potenter, pene usque ad vastationem Ierosolimorum. Et tamen Iacob accepit ex hoc loco
1. Mose 49, 10 f. benedictionem. Gene|sis 49. Quomodo igitur conciliantur haec duo?

Respondeo: una hora aut uno die dominari non recte dominium dicitur: Sic populus cum esset captivus in Babilonem abductus, potuisset etiam dici amisisse regnum, sed revera non amisit, quia tantum castigatus est: non fuit amissum regnum, sed dilatum. Ad eundem modum Iacob

adorat Esau, luctatur cum angelo, ita: ut pene desperaret de regno et benedictione. Non aliud enim sensit in illa lucta, quam se subiectum iri fratri, et fratrem se et familiam et coniugem trucidaturum. Sed post luctam vocatur ab Angelo Israel, et tum maxime constituitur Rex in illa lucta, cum subiacet. 'Si enim cum Deo luctatus es, inquit angelus, magis cum hominibus luctaberis.' Id non est amittere benedictionem aut regnum, quando tentatur aliquis in fide de regno et benedictione. Sicut Abraham tentatur ad horam de filii vita, quando dicit ad eum Deus: 'Immola mihi filium tuum', sed propterea non amisit filium, sed copiose et cum fructu recepit: perinde ut Angelus insuper confirmat benedictionem Iacob ad petitionem eius: 'Non dimittam te: nisi benedixeris mihi.' Non igitur cecidit, aut sublata est benedictio, sed tentata est et impugnata, ut fortior et magis rata fieret. 1. Mose 32, 29 1. Mose 32, 27

Sed quid de Herode, qui sane regnavit super Ierusalem et Iuda magna insolentia et crudelitate? Respondeo. Ibi fuit impleta prophetia Iacob: 'Non auferetur sceptrum', etc. Iam enim nata erat Maria, mater Christi, et vivebant etiam parentes Ioannis Baptistae, post sextum aut decimum annum ad summum regni Herodis: quanquam non fuit confirmatum ante Christum natum. Sicut Philo testatur eum sex annis legitimo, et 31. annis tyrannico imperio regnasse, quod regni appellatione neutiquam dignum est. Pater vero Antipater ante eum praefectus tantum Iudeae fuit. Deinde non habuit quietum regnum, quia assiduo rebellabant Iudaei propter promissionem, quam pertinaciter tuebantur, et videbatur indignum, cum dictum esset: Tu debes fratri tuo Iacob servire, quod ipsi Iudaei servo suo Herodi cogerentur subiecti esse. Regnavit itaque Herodes. Sed non legitimo imperio. 1. Mose 49, 10

Postremo sic etiam responderi potest, obtinuisse eum regnum non authoritate divina, qua ante in Israel et Iuda reges constituti fuerant: sed per tyrannidem Romanorum ex ira Dei, ut diriperet regnum illud, quod iam ad finem tendebat, ac paulatim dissolvebatur. Ideo eius dominatio non est contra promissionem, quia fuit illud ipsum tempus terminus regni, quo nasciturus erat Christus.

Atque hae sunt contrariae duae promissiones duorum fratrum. Iacob domesticam, politicam et Ecclesiasticam benedictionem adeptus est. Esau nullum prorsus habet: sed tantum habet promissionem, qualem caeterae gentes habuerunt: ut Syri, quorum dominium interdum Iudaei tulerunt. Regnum autem non amiserunt nisi in fine, ut impleretur Prophetia Iacob, qui praedixerat, si veniret Silo, finiendum esse regnum cum sacerdotio et lege. 1. Mose 49, 10

---

31 quia] qua *Erl.* *36* Syri] Syrii *L.*

27, 41 Oderat itaque Esau Iacob propter benedictionem: qua benedixit eum pater eius, dixitque Esau in corde suo: appropinquabunt dies luctus patris mei, et occidam Iacob, fratrem meum.

Diximus de poenitentia istius impii hominis Esau, quod ploraverit, et, ut Hieronymus vertit, irrugierit clamore valido propter surreptam sibi benedictionem, quam tamen ipse antea sua sponte vendiderat. Nunc sequuntur verba digna tali poenitente: qualis enim poenitentia, talis est et fructus poenitentiae et satisfactio. Sic enim ait: 'Prope sunt dies luctus patris mei.' Quare? Quia interficiam fratrem. Pulchram vero poenitentiam, irascitur non solum fratri, sed et parentibus et Deo ipsi, cuius novit esse benedictionem, atque adeo ab eo solo expectandam. Sic scilicet poenitendum est. Antea plorabat, clamabat: O pater Isaac, benedic et mihi, filio tuo. Nunc in furorem versus triplicatum parricidium cogitat. Primum enim vult fratrem occidere. Hoc scilicet est Deo satisfacere pro delicto in poenitentia. Inde autem utrunque patrem in luctum gravissimum vult coniicere, quo et illi extinguantur. Fratrem fuste vel gladio, parentes luctu et moerore necabit. Hoc scit futurum impius Esau. Ideo prudens et sciens dicit, se hoc dolore parentes enecaturum.

Id nimirum est Diabolico furore et malicia correptum esse, dum sic cogitat. Si mihi benedictione carendum erit, efficiam, ut et caeteri omnes ea priventur. Nec frater, nec parentes, neque tota Ecclesia eam retineat. Nam duo tantum fratres sunt, ad quos pertinet benedictio, sive successio regni et sacerdotii. Et si Iacob fuisset occisus, non tamen rediisset ad Esau haereditas benedictionis. Aut enim ad supplicium raptus esset, aut in exilium eiectus, sicut Cain. Gravissime itaque periclitabatur Ecclesia et benedictio divina in domo Isaac. Atque ibi vides, qualis fuerit poenitentia Esau. Est simpliciter furor Diabolicus, quo ex animo abiicit omnem reverentiam et timorem Dei et parentum: atque omnis pietatis et honestatis prorsus obliviscitur: Ita ut, si posset, deletam vellet benedictionem cum patre et matre cumque universa Ecclesia. Si enim processisset furor eius, et esset interfectus Iacob, profecto Isaac, senex tenerrimi cordis, et mater Rebecca miserabili et acerbo moerore essent extincti. Sicut Adam, nisi divinitus et miraculose servatus esset, impossibile fuisset vivere propter caedem filii factam a Cain. Ita hos parentes dolores tam acres confecissent.

Videtis itaque, quomodo grassetur Diabolus in oeconomia et familiis etiam sanctissimorum hominum. Non frustra toties monemus, toties exhortamur et clamamus, ut diligenter et sine intermissione oretis. Propterea quod Diabolus non procul abest, sed est in medio nostrum. Vide, quam turbam dederit in sanctissima Ecclesia patrum, in domo Isaac, ubi Esau machinatur interitum fratris, necem parentum, totius Ecclesiae eversionem

et vastationem. At vero iustus hic dolor est, et habet causam iustam, cur adeo commoveatur Esau. Sed sua ipsius culpa, ipse enim peccavit, cum parvipenderet et contemneret id, quod nunc tantopere desiderat. Ac iam cum sentit iram Dei, ad insaniam adigitur prae dolore et impacientia.

Hanc ingentem maliciam DIABOLI agnoscamus, qua in domibus sanctissimorum hominum habet proprios liberos, qui fratrum et ipsorum parentum vitae insidiantur. Isaac est Patriarcha sanctissimus, pater promissionis. Rebecca sanctissima mulier et mater eiusdem. Ex horum autem carne et sanguine natus est Esau, qui ipsorum mortem exoptat et meditatur ipse. Quid nobis non erit timendum? Parentum autem luctus longe est acrior et acerbior, quam filiorum, quam fratrum aut cognatorum. Sunt enim maximi et gravissimi adfectus, quos in tota rerum natura Deus creavit, et indidit parentibus erga sobolem. Ac si quando sauciantur eorum animi dolore aut moerore propter calamitatem liberorum, ea praesentissima pestis et venenum est vitae ipsorum. Ideo facile necantur parentes, si non gladio, tamen moerore et luctu. Ego ipse vidi multos honestissimos parentes ab improbis liberis moerore animi interemptos esse. Iuventus hoc nec cogitat, nec intelligit, sed docendi et monendi sunt liberi, ne fiant matricidae et patricidae. Manet enim eos atrocissimum iudicium et vindicta divina: Sicut inquit Paulus: 'Lex est posita patricidis et matricidis.' Saepe filii secure in varia scelera prolabuntur, nulla ratione habita reverentiae erga parentes. Filiae pudicitiam prostituunt, et probro adficiunt bonos et honestos parentes, sed hisce flagitiis occidunt patrem et matrem: quia sunt praediti tenerrimo illo sensu ac *στοργῆ* erga prolem, quam liberi tam acrem et ardentem non habent, imo ne intelligunt quidem. 1. Tim. 1, 9

Caveat igitur iuventus, et discat colere et revereri parentes, et haec vocabula, pater et mater, habere pro sanctissimis reliquiis. Quin mortem potius oppetendam ducant, quam ut parentes offendant. Nihil enim habent ipsi in hac vita, quo adficiantur magis, quam liberorum amore et charitate: ideo facilime laeduntur. Tametsi tu non sentias, sed es submersus in peccato, in carne, et parvipendis ipsorum erga te curam et solicitudinem. Vae autem tibi sii, non responderit tua reverentia et observantia, sic enim subito fies patricida aut matricida, priusquam cogites. Ac frustra expectabis deinde benedictionem: quin potius crucem aut gladium et horribilem maledictionem tibi accerses. Ita enim ait vox divina: 'Maledictus, qui non honorat patrem suum et matrem suam.' Item: 'qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur.' Item: 'patri matrique qui maledixerint, sanguis eius sit super eum.' Esau hic vere maledicit suo patri, si non verbis, tamen re ipsa. Hoc enim vult, cum ait: 'Appropinquabunt dies luctus patris mei.' Usitata translatio habet: Venient dies, sed Hebraea vox significat, prope sunt, hoc est, non diu aberit, quando interturbabo laetitiam patris et matris ac fratris Iacob, sicut ipsi mea gaudia perturbarunt. 5. Mose 27, 16 — 2. Mose 21, 17 — 3. Mose 20, 9

Miscebo eis fel et absynthium, ut vulgo dicitur.[1] Haec sane sunt verba atrocissimae maledictionis, quae testantur eum agitari a diabolo et furiis.

Haec igitur una est de maximis calamitatibus generis humani. Stultitia nimirum et improbitas filiorum, qua occidunt parentes, antequam intelligunt magnitudinem sui peccati: Quia non sciunt, quanto dolore, quanta aegritudine adficiantur parentes propter ipsorum improbitatem: parentes vero sentiunt, ac dolore animi tabescunt, et consumuntur. Non frustra ergo usus est Deus in quarto praecepto vocabulo honorandi. Non enim dicit: obtempera, audi parentes, sed honora: vult haberi hoc nomen sacrosanctum: quia novit Deus maliciam originalis peccati, cuius tanta vis est, ut impellat homines ad caedes parentum suorum, utque in suum sanguinem saeviant. David hoc malo duriter conflictatus est, et didicit, quantus sit dolor, quanta angustia ex malicia liberorum. Sensit enim hostem filium Absolonem, qui saluti et vitae eius corporali et aeternae insidiabatur, sed incidit is tandem in horrendam maledictionem, cum factis suis dignum exitium invenit.

Hortor itaque et oro ex animo omnes adolescentes, ut fugiant et detestentur hoc peccatum, et adsuefaciant animos ad reverentiam parentum, ac ad eam rem assiduis precibus auxilium divinum implorent. Si hoc in domo Adae, in domo Abrahae inter Ismael et Isaac: in domo Isaac inter Iacob et Esau usu venit, omitto iam gentilium plurima exempla, quid nos non expectabimus parentes, et quid vos filii non timebitis? Videtis enim Diabolum esse in medio nostri: Videtis etiam tristissima exempla poenarum omnibus aetatibus, quibus adficiuntur contumaces liberi, qui parentes contumelia adficiunt et sua contumacia excruciant. Quam misere et subito ruit Esau, antequam praevideat aut cogitet de tam tristi casu. Et quomodo cogitaret: cum unus ipse imperet in domo patris politice et Ecclesiastice, cum sit dominus et princeps domus.

Haec enim est Idaea domus et familiae Isaac. Senex pater est defunctus omnibus officiis patrisfamilias, omni administratione sive domestica, sive politica seu Ecclesiastica. Captus enim est oculis, non, ut ego existimo, senectutis vicio, sed alio quodam casu aut tentatione, id quoque cumulo adflictionum et crucis ipsius, ut accederet. Fuit enim vir sanctus et dilectus Deo, ac propterea multis tentationibus exercitatus. Privatus igitur usu oculorum cogitur abstinere ab omni gubernatione, nisi forte voce aliquid monendum aut imperandum sit. Rebecca est materfamilias, sed sine authoritate: Similiter et Iacob spretus et contemptus est. Solus Esau est Dominus, habens uxores duas et multos liberos, quia tricesimo septimo anno demum post nuptias ipsius, quas quadragesimo aetatis suae celebravit, benedicitur Iacob. Ac uterque iam habet septuaginta septem annos. Interea vero multos liberos generavit Esau.

[1]) *Nicht bei Thiele, vgl. Jerem. 9, 15; 23, 15.*

Etsi igitur Rebecca sustinuit partem gubernationis tanquam materfamilias, tamen id cum maxima difficultate et maximis molestiis fecit, quia duae nurus erant ethnicae et impiae dominae, quae contemnebant socrum quasi deliram anum. Et usitatum est, ut omnes nurus aegre paciantur dominium socruum. Istae vero non erant peregrinae, sed indigenae in hac terra, quae nupserant homini peregrino Esau, pauperi et abiecto. Ideo superbe et magno contemptu opposuerunt se Rebeccae. Ita misera Rebecca vixit in magnis angustiis et summo contemptu. Sicut supra 26. dictum est: 'Ambae erant *Maroth*, amaritudo utrique parenti', 1. Mose 26, 35 adfligebant et excruciabant assiduo optimam mulierem, quia erant reginae in domo. Esau war ein Jungcker, adfinitate iunctus nobilibus et magnatibus in terra. Iacob erat exul propediem eiiciendus, quia Esau liberos suos cogitabat haeredes instituere: et habuit haud dubie ad eam rem hortatores adfines et duas coniuges. Ideo est certissimus de dominio et pontificatu, regit enim domum loco patris tanquam Vicetenens patris. Sanctissima autem mater Rebecca ambulat in luto aquarum multarum, et multa indigna patitur a nurubus, Pater enim senex et privatus lumine abdicavit omnem gubernationem.

Quanta interea passa est Rebecca? quantum iniuriarum et contumeliarum ferendum et mussitandum fuit? Proinde non sine causa fovet et tuetur Iacob, ut is benedictionem acquirat: tam superbe imperantes Esau in domo, tanto fastu exultantibus affinibus, ac sese iactantibus, quod per hunc principem Esau vellent et ipsi Hithei regnare. Ibi haud dubie Rebecca anxias et ardentes precationes cum lachrymis coram Deo effudit, cum videret transferendam esse gloriam promissionis ad gentes, ad Hithaeos. O Deus, clamavit: prohibe tu, ne succedat ipsorum conatus.

Sic igitur florente Republica et principe Esau superbissimo: Contempto autem et abiecto Iacob cum matre sanctissima, non aliter sibi persuasit Esau, quam se esse regem omni iure divino et humano. Et accedit patris Isaac studium, favor et beneficentia, quae est confirmatio et argumentum certissimum, quo fretus nihil amplius sollicitus est de venditis et repudiatis primogenitis. Securus est de omnibus, ac si in coelo ipso et paradiso esset constitutus.

Vide autem, quam subito et inopinato eum opprimat ira et iudicium Dei. Mandat enim pater, ut exeat venatum, et adferat sibi cibos delicatos, cum esset benedicendus: Ibi haud dubie habuit comites affines et alios necessarios Esau, Atque ita egreditur cum canibus et reliqua turba venatorum, qui ipsi gratulati sunt. Et familia quoque iactavit: Cras benedicet Isaac principem et sacerdotem nostrum Esau, plena fuerunt omnia gaudio et exultatione, sed quid fit? Redit Esau cum pompa et magnifica expec-

9 *Maroth*] מרת

tatione domum, offert patri cibos, quos paraverat. Ibi repente omnes res et spes omniaque gaudia concidunt, et prosternitur ipse quasi subito fulmine coelitus ictus. Ideo magnam causam irascendi habuit. Tantam enim laetitiam et pompam tam subito mutari? Quas ibi diras, quantas execrationes in fratrem coniecit? Qui fletus, quae perturbatio, querelae et consternatio totius familiae, uxorum et affinium? qui enim mane hora sexta fuerat Dominus, Rex et Sacerdos, vesperi factus est servus. Ita omnes subito tanta de spe decidunt contra omnem spem et expectationem.

Caro in eiusmodi casu non potest patiens esse. Quid nunc faciam? cogitavit Esau? maior est ignominia, quam ut eam sustinere ac perpeti queam, tanta contumelia Rex ego et sacerdos in domo patris mei adfectus sum. Et frater meus, qui fuit hactenus abiectissimus, nunc erit mihi dominus. Et addidit diras et execrationes: Ey da ſchlag der Teuffel in der hell zu, das helliſch fewr etc.[1] Illa insperata deiectio de tanta spe non potuit non commovere eum vehementissime.

Vides igitur, quantum et quam horribile malum sit peccare secure, et non poenitere: id enim causam praebuit huic casui Esau, qui per iram Dei omni benedictione coelesti sicut Lucifer coelo excidit, antequam praevideret aut cogitaret. Cum enim amitteret benedictionem, qualis tunc erat, simul etiam patrem et matrem, haereditatem universam cum regno et sacerdotio amittebat. Ideo furenter irascitur et fremit, cum ait: 'Appropinquabunt luctus patris mei.' Sic enim locutus est ad affines, cum quibus consilia sua contulit, et ad familiam, quae vidit eum ira et furore ardentem. Accessit fletus et lachrymae liberorum, qui viderunt se privatos esse et frustratos spe superbissima. Hi fuerunt ei stimuli ad furorem. Num hoc patieris, dixerunt, tot bona tam repente tibi eripi? Non patiar, dixit, sed interturbabo illam laetitiam etc. Talia iactavit haud dubie inter affines et uxores, duo illa carcinomata Rebeccae, quae insanientem iam prae iracundia magis inflammarunt.

Atque haec est facies et Idaea domus Isaac, sanctissimi Patriarchae, quae est perturbatissima per consilium spiritus sancti, quod Rebecca executa est, ut benedictio transferretur a filio maiore in minorem. Necesse enim fuit sequi maximam perturbationem, cum essent confusae omnes illae magnificae spes et rationes Esau. Erat enim iam in possessione sacerdotii et dominii, nec poterat timere ruinam aut eiectionem. Sed est insigne hoc exemplum poenae divinae, qua subito ruit princeps ille et dominator superbissimus. Ita ut propemodum uno momento ad restim redigatur[2], qui paulo ante aeternum regnum sibi promiserat. Hoc diligenter nobis ob oculos ponamus. Ea enim est ingenii humani perversitas: dum peccamus, sumus securi, cum vero sentimus iram et poenam divinam, sumus miseri et

[1]) *Vgl. Thiele S. 189 ff., Unsre Ausg. Bd. 33, 384, 28; Bd. 47, 325, 2.* [2]) *Vgl. oben S. 510, 7.*

desperati. Sicut in domo Esau fuit luctus et eiulatus maximus, ploraverunt uxores, liberi, tota familia. Ipse ad desperationem et in furorem adigitur, quia res magna est et horribilis ira Dei, quod usque adeo incenditur, ut velit et parentes occidere, et delere Ecclesiam.

Nunciata vero sunt Rebeccae verba Esau, filii sui maioris, et 27,42
mittens vocavit Iacob, filium suum minorem, dixitque ad eum:
Ecce Esau, frater tuus, consolatur se de te, ut occidat te.

Non clam habuit comminationem istam Esau, sed flentibus liberis et uxoribus, atque affinibus furentibus prae ira et indignatione palam dixit: Sinite modo, non erunt diuturna gaudia Iacob et parentum: faciam, ut et ipsi nobiscum doleant et lamententur. Haec verba cum quispiam ex servis, prae caeteris bonus ac fidelis, audivit, mox accurrit ad Rebeccam, et ei nunciavit. Nec potuit ipsa aliud cogitare, quam eum vehementer commotum iri, et habere iustissimam causam irascendi, siquidem in certa spe benedictionis possidendae totos septuaginta septem annos vixerat, et pater eam ipsi destinarat summo studio et benevolentia, quibus omnibus nunc excidit. Quin et illud Rebeccae in mentem venit, se omnium horum malorum et horribilis turbae caput et causam esse, quanquam re vera non erat. Sed peccatum Esau, et principaliter oraculum Dei, quo dictum fuerat: 'Maior 1. Mose 25, 23
serviet minori', in causa fuit. Itaque Esau sua culpa hoc malum sibi accersivit, quia offendit et contempsit Deum, gloriam et honorem primogenituraе vilipendit, et vendidit vilissimo precio, pro edulio rufo.

Vide igitur, quantum malorum ex hoc uno peccato ortum sit. Nam post oraculum divinum totius huius turbae causa est peccatum Esau. Et his duobus consolata est se Rebecca. Primum oraculo divino, deinde peccato Esau, qui postquam etiam ad cognitionem et sensum irae Dei pervenit, incipit furere, et non poenitere. Atqui peccare et sentire poenam, neque eam agnoscere, quod Dei iusto iudicio infligatur, sed tantum indignari et irasci de amisso bono, id non est poenitere, sed fremere contra Deum. Perinde ac nos hodie, cum adfligimur bello Turcico, peste, fame aut aliis modis a Diabolo vexamur, omnes querimur de magnitudine calamitatum: Sed neminem audias, qui dicat: peccavimus, inique egimus, Domine Deus, vgl. Ps. 51, 6 ff. Ps. 25, 6
misercre nostri, memento misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt. Non convertimur ad Deum punientem. Sicut idem queritur Isaias 9.: 'Populus Isa. 9, 13
non est reversus ad percutientem se, et Dominum exercituum non exquisierunt.'

Clamamus igitur et querimur omnes miserabiliter de poena, saevitia, crudelitate Barbari hostis et malis, quibus obruimur, sed de peccato non dolemus: ideo nostra poenitentia est Esauitica poenitentia. Tandem vero audiemus id, quod Proverb[iorum 4. [!] scriptum est: 'Quia vocavi et Spr. 1, 24—28

renuistis, extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus vester quasi tempestas ingruerit, quando veniet super vos tribulatio et angustia: Tunc invocabunt me, et non exaudiam' etc. Quid enim est indignius, quam nos a Deo flagitare salutem, liberationem, benedictionem in corporalibus et spiritualibus: ac interea tamen idolatriam exercere, occidere fratrem, parentes, ac omnis generis cupiditatibus frenum laxare? Non abibunt ista sine certis et tristissimis poenis. Eadem enim comminatio in Isaia extat capite 65.:

Jes. 65, 12 f. 'pro eo, quod vocavi, et non respondistis: locutus sum, et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis, et quae nolui, elegistis. Propter hoc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis' etc.

Habent vero et pii ac innocentes suas calamitates et adflictiones, ac saepissime publicis malis implicantur, semper enim in tot millibus, sive in tanta multitudine superesse aliquos pios necesse est. Illi vero quando orant, non abiiciuntur aut deseruntur, perinde ac impii. Sed id eis accidit,

1. Petri 4, 17 quod 1. Petri 4. dicitur, ut iudicium a domo Dei incipiat. Impiis vero exhauriendae sint feces. Certissimum enim argumentum est, quando hi patiuntur, qui orant, et ex animo Deum colunt impendentis exitii impiis et securis. Atque illi quidem tantum paululum gustant de calice furoris. Horum vero quis erit exitus, qui non crediderunt Euangelio? Sicut nos hodie sumus in congregatione eorum, qui meriti sunt interitum et perditionem, et experimur iam iudicium incipere a domo Domini. Sustinemus enim communes aerumnas satis graves. Quemadmodum Daniel et alii pii in exilio Babilonico communem calamitatem ferebant. Sed longe tristiora Tyrannis et hostibus denunciantur. Sicut testatur vox divina in Ieremia

Jer. 49, 12 contra Ammonitas, Idumaeos et alios: 'quia haec dicit Dominus: Ecce, quibus non erat iudicium, ut biberent calicem (hoc est, qui non erant meriti) bibentes bibent: et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens: sed bibens bibes.'

In talibus ergo aerumnis praeparandus est animus ad pacientiam, ut boni consulamus iudicium Dei. Nihil enim nocebit nobis, qui poenitentiam agimus, et peccatis impiorum non participamus et serio oramus. Sed vae illis, quibus feces exhauriendae fuerint. Nam tales ex poena irrogata peiores fiunt, et non agnoscunt peccatum, quod commiserunt, clamant et fremunt propter calamitatem, non dolent de peccato. Si propter peccata clamares, exaudiret te Deus, sed quia dissimulas, excusas, defendis peccatum, non audiam clamorem tuum de poena, dicit Dominus. Haec de causa huius tristissimae et subitae ruinae Esau cogitanda sunt, ut causas poenarum intelligere et fugere discamus. Et in communibus periculis

spem et invocationem retineamus, ne fracti calamitatibus ad impios deficiamus.

Postquam igitur Rebecca accepit nuncium de Esau irato et spirante caedem fratris, alloquitur filium Iacob: 'Frater tuus consolatur se de te, ut occidat te', quaerit vindictam, qua se consoletur et ulciscatur, quae est sane pessima consolatio. Fuge igitur ad fratrem, ne tentemus Dominum, caede ad tempus furori Esau, ne detur locus irae. Ita interponit se mediatricem, nec dum desperat de placando Esau, sicut charitas omnia credit et sperat. Deinde etiam oravit, ut placaretur cor eius, idque haud dubie etiam blanditiis et muneribus apud affines et uxores egit, ut ipsi iratum Esau reconciliarent. Ipsius etiam Esau animam tentavit blandis verbis: ne saeviret tantopere, 'sis contentus eo, quod pater tibi attribuit', dixit, 'sat habes'. Deus alia et maiora dabit. Eiusmodi consiliis et blandimentis usa est ad componendam turbam hanc, quia fuit astutissima et prudentissima mulier, sed cum pietate et timore Dei.

Nunc igitur, fili mi, audi vocem meam: et consurgens fuge ad Laban, fratrem meum in Haran. Manebisque cum eo diebus paucis, donec aversus fuerit furor fratris tui: donec avertatur ira fratris tui a te, et obliviscatur eorum, quae fecisti ei: et ego postea mittam, et assumam te inde, quare orbabor utroque vestrum uno die? 27, 43—45

Hebraea vox (*Hamath*) significat vehementem iram, quae est quasi aestus et fervor quidam. A JAHAM. Calefacere, exaestuare. Sicut apud Poëtam[1] ira describitur: Ignescunt irae, et duris dolor ossibus ardet. Ita Esau quoque exarsit ira. Igitur fuga consulendum putat Rebecca filio, ne, si retineret eum apud se, videretur eum temere periculo exponere. Nihil enim non audet designare animus incensus ira. Sicut dici solet: Ira furor brevis est.[2] Caedendum igitur est furori, ne iratus in te saeviat, et damnum det, quod nunquam postea sarciri queat. Haec prudenter cogitata et dicta sunt a Rebecca. Non volumus Deum tentare, et dicere: Qui benedixit tibi, servabit te quoque. Facit quidem Deus, quae proposuit, sed per media. Credit igitur defendendam esse Ecclesiam et benedictionem, sed tamen utitur mediis a Deo concessis ad evitandum periculum.

Hoc exemplum diligenter notandum est propter eos, qui omnia referunt ad praedestinationem, et ita tollunt omnes actiones et media, quae ordinavit Deus. Sic enim dicunt: Si debent haec fieri, tum fient necessario, etiam sine mea opera. Aut si etiam non necessaria pericula adeant, custodiam et defensionem sibi promittunt, quia Deus hoc necessario faciat iuxta suam

---

22 (*Hamath*)] חֲמַת 23 JAHAM] יָחַם

[1]) *Virgil, Aeneis 9, 66.* [2]) *Horatius, Epistolae 1, 2. 62.*

promissionem. Hae cogitationes prophanae et impiae sunt, quia vult Deus te uti mediis, quibus potes, vult te oblatam occasionem amplecti et ea uti, siquidem per te ea vult efficere, quae ordinavit. Sic enim voluit, ut pater te generaret, mater te aleret: cum quidem potuisset te creare et alere sine parentibus. Sic in communi vita necessariae operae faciendae sunt, seminandum est, plantandum est, quaerendus est victus etc. Postea faciet Deus, quod vult. Sed si dixeris: Non praebebo lac puero, si enim debet vivere, vivet: Falleris, et graviter peccabis. Ideo enim Deus dedit ubera matri ad lactandam prolem: posset quidem sine lacte infantem alere, sed non vult. Utendum igitur est mediis ab ipso ordinatis.

Sic Rebecca potuit certo statuere: Filius meus Iacob non occidetur, nec benedictio revocabitur, tamen non negligit, quod sui est officii. Sed dicit ad Iacob: Fuge ad fratrem Laban, donec cesset et defervescat ira fratris, posset quidem Deus te defendere, Verum non est praebenda occasio Diabolo, sed praecidendá: vides, quomodo frater nunc furibundus domi oberrat, et si appraehenderet te, haud dubie occideret. Aut si ipsius animus per patrem leniretur, tamen ab affinibus, uxoribus et liberis non minus periculum est, qui non tam facile placari poterant, et placato etiam Esau tibi malum machinabuntur, cum sciant se rem gratam facere patri Esau. Cum igitur possis fugere ad fratrem meum, et declinare hoc periculum, utere occasione et consilio isto. Interea placabimus et affines, et nurus. Docebimus eos de divina voluntate, quod Deus hoc ita praesciverit et ordinaverit: tu tantum ad tempus discedas. Ego dabo operam, ut leniantur animi, adibo ipsos, colloquar, et Deum orabo.

Haec insignis prudentia est sanctissimae mulieris, qua in tanta turba, quam concitavit, et in tanto periculo sibi et filio pulchre cavet. Est enim et domus et Ecclesia Isaac vehementer perturbata et confusa. Nec potuerunt tam repente animi iusto dolore exacerbati mitescere. Hoc videt Rebecca, et tamen non tentat Deum, nec desperat. Utrunque enim praestandum est. Non est tentandus Deus in periculis, et non est desperandum de salute.

Haec ad doctrinam et consolationem Ecclesiae pertinent, cuius hic imago proponitur. Semper enim in maximis et inextricabilibus humana ratione periculis et malis versatur, estque haec usitata eius vox et titulus:
Matth. 8, 25 'Salva, nos perimus', sed tamen non perit: Assiduis fluctibus et procellis agitatur, ut ob oculos nihil aliud obversetur, quam perditio, et nos clamemus: perimus, et tamen salus est in Deo. Sicut Rebecca et Iacob in tantis difficultatibus ex Dei promissione pendent, et tandem eluctantur et vincunt.

Deinde hoc quoque discendum est ex hoc exemplo, ne statim desperemus de hominibus peccantibus: Sed cogitemus verbum illud Christi, quod respondet discipulis suis, cum dehortarentur ipsum, ne rediret in Iudaeum,

18 poterant *L. M. O.*] potuerunt *N. Erl.*

propterea quod paulo ante Iudaei ipsum voluissent lapidibus obruere: 'Nonne duodecim sunt horae diei?' hoc est, tempore mutantur animi, miti- Joh. 11, 8. 9
gantur, placantur, ut corrigant maliciam suam. Tempore defervescit furor ille et fervor irae. Et est sane verisimile, quod Esau multum placatus sit illis duodecim aut amplius annis, quibus mansit Iacob in Mesopotamia. Et accessit successus temporalis, de quo nihil diminutum fuit. Imo aucta est impia praesumptio, quod nihilo minus retineret benedictionem, siquidem plane contrarium fiebat ab eo, quod erat in benedictione Iacob. Is enim erat quidem institutus haeres regni et sacerdotii, sed parum succedit: quia eiicitur in exilium, et maledictioni similior eius fortuna et tota vita videtur, quam benedictioni. Esau vero manet in possessione, cum Isaac captus oculis abdicasset gubernationem familiae et Ecclesiae. Ideo manet dominus domus absente Iacob, et usitatas operas, sicut hactenus, obit.

Haec cum viderent duae nurus et affines, ipsi quoque facile acquieverunt, cogitantes: Eat sane benedictus ille, nos manemus in domo, ipse est profugus. Et multum aucta est haec fiducia, cum tot annos abesset Iacob: forsan, dixerunt, deliravit senex Isaac, inductus in fraudem per stolidam Rebeccam. Non placuit haec benedictio Deo. Et magnum signum est, quod non sit benedictus, quia cogitur exulare. Nos sumus uxores principis, sacerdotis, nurus Isaac, cui promissio facta est. Non igitur curabimus fugitivum istum. Sic haud dubie senserunt omnes, qui fuerunt in familia Esau. Quando enim res secundae sunt, et accedit falsa persuasio de benedictione, statim dicitur: Deus est propicius. Prosperitas vero et impia opinio faciunt superbos et securos. Sic potest fieri, quod Esau etiam mitigatus sit cum uxoribus et liberis, cum cogitaret, imo esset persuasissimus irritam esse benedictionem Iacob, siquidem non defendebatur divino miraculo. Sed deserebat eum Deus, sinebat eum eiici domo, etiam per matrem et patrem. Ideo non potuit aliud statuere, quam irritam esse factam hanc benedictionem a Deo.

Neque vero putabimus haec sine gravi tentatione summoque dolore parentum gesta esse. Certe Rebeccae fides iterum coepit laborare, vehementer enim hoc doluit, quod Esau maneret in priore dominatione absente Iacob. Quanquam parentum tam piorum adfectus non possunt satis explicari aut cogitari. Mea profecto fides tantum non posset ferre. Est iam mater septuaginta septem annorum. Tot enim anni sunt, ex quo prolatum est oraculum, cum haberet adhuc gemellos in utero: 'Maior serviet minori.' 1. Mose 25, 23
His annis expectavit anxie benedictionem et Iacob cum ea, et propterea celebs vixit, sine coniuge et liberis, tanquam abiectus et repudiatus. Esau interea quadragesimo anno aetatis duxit duas coniuges. Iamque liberos, et ex liberis nepotes habet. Est dominus et princeps et sacerdos in domo. Haec ferre et aspicere quotidie cogitur tam longo tempore Rebecca. Tamen

2 diei *fehlt Erl.*

perdurat etiam regnantibus duabus nurubus, quae erant ipsi duae amaritudines, excruciantes senem Isaac et veram matremfamilias. Illis enim oportuit Rebeccam tradere claves et omnem administrationem. Vide igitur, an non sit haec insignis fides et spes Rebeccae, expectantis tam longanimiter benedictionem.

Quid Isaac? Huic ad varias tentationes et vexationes accessit miseria et crux pene intolerabilis, ut senex privaretur lumine. Illa venerabilis senectus non videt solem, non alia, quae ipsi et necessaria et iucunda aspectu erant. Audit quandoque querelas ab uxore Rebecca, a filio Iacob aut a reliqua familia de superbo imperio et iniuriis Esauitarum, de his dolere et queri potest, emendare non potest. Et ex antecedente colligitur consequens, degenerasse prorsus filium Esau, Ethnicorum religione et moribus magis captum, quam pietate et doctrina patris. Nurus etiam quod essent gentiles, fuisse alienas a vera doctrina et insolentiores ob mariti dominium.

Itaque fides horum sanctissimorum parentum ita tentata et exercitata est, ut animi nostri nec compraehendere, nec cogitando assequi queant: idque non decem aut viginti, sed amplius centum annis duravit. Quanta vero miseria est, tot annos sedere in tenebris, in luctu et omnis generis vexationibus tantum virum, quem Deus ita dilexit, ut benediceret ei, et promitteret haereditatem regni coelorum et vitae aeternae, hunc Deus permittit oculis et lumine privari, ac tot et tantis difficultatibus excruciari. Cur igitur murmurabimus? Cur irascemur Deo? si quid adversi, si quae calamitates nobis accidunt. Nihil quidem illae Patriarcharum adflictiones sunt ad Christi passionem collatae: sed magis tamen movent animos nostros. Quia Christi passio nobis non est perfecte cognita: neque credimus eum fuisse tam miserum hominem et abiectum, sicut revera fuit. Deinde quilibet cogitat Christum, cum esset Deus, facile omnia ferre et superare potuisse. Neque vero quisquam est, qui possit se cum Isaac conferre, qui eandem tolerantiam et constantiam in adversis praestare possit. Certe fides horum parentum probata est, et inventa purior quam aurum. Et in hac fide et spe tandem obtinuerunt, quod desiderarunt.

Quod reddidimus diebus paucis, in Hebraeo est, diebus unis, Germanice ein oder zwen tage. In fine subiungit causam, cur iubeat eum discedere: ‘Quare orbabor utroque vestrum uno die?’ Videt enim sapientissima mulier, si Esau occideret fratrem, quod ipse quoque capite plectendus esset iuxta legem universaliter sancitam ab initio, ut homicida: aut in exilium ageretur, sicut Cain: aut per hominem, id est, magistratum occideretur. Videtur autem Rebecca hoc loco dubitare de veritate promissionis et benedictionis divinae, cum ableget filium metu irati fratris. Cur enim non retinet eum, cum sciat divinitus ei conservationem certo expectandam esse?

Respondeo, ut supra, potuisset sane sic dicere Rebecca: manebis mecum, nihil metues iratum Esau, quia Dominus erit pro te solicitus, is custodiet te iuxta benedictionem, sed non facit hoc: quia vult docere suo exemplo credere et sperare omnia de Deo: sed non tentare Deum. Fides est certissima et firmissima propter verbum et promissionem, quam habet. Ac potuisset sic statuere: Filius habet benedictionem, fiat, quod debet fieri, non potest perire, relinquam eum domi. Sicut ante dictum est de impiis et prophanis hominibus, qui reiiciunt omnia in fatalem quandam gubernationem Dei. Sed pia et prudens mulier utitur remediis, quae sunt ad manum, subministrata divinitus. Sicut non est dicendum: Nolo edere, nolo bibere, si erit mihi vivendum, vivam. Si non erit vivendum, nil proderit cibus aut potus. Item: Ego sum masculus, igitur futurus sum pater, etiamsi non duxero uxorem, hunc quis non iudicet furiosum, qui sic sentiat? Debes enim uti donis Dei oblatis ad manum: non debes reiicere in praedestinationem vel promissionem. Nobis non est disputandum de eventu rerum sine verbo: et tamen de promissione non est dubitandum. Ubi non est promissio, ibi nihil tentandum est, sed sequendum est exemplum Rebeccae, quae poterat niti hac promissione: Iacob vivet, quia debet fieri pater posteritatis, sed non contemnit oblatum medium, imo utitur eo, ut possit effugere periculum filius. Id nimirum est credere, et tamen non tentare Deum.

Caeterum non credere promittenti, et tentare Deum, in aequo posita sunt, et utrobique gravissime peccatur, quia Deus vult nos creaturis uti: quas dedit, et ideo dedit, ut iis utamur. Non igitur tentandus est Deus, sicut Iudaei in deserto tentabant Deum, et atrociter puniebantur, quod exemplum etiam a divo Paulo allegatur 1. Corin[thiorum 10. Et detestanda 1. Kor. 10, 9
est insania illa hominum fanaticorum admodum pestilens, quae tamen late hodie serpit, ut dictum est antea. Tales enim subvertunt universam pietatem, cum sine verbo in praedestinationem omnia reiiciunt.

Porro Rebecca ablegat Ioseph, non solum ut declinet furorem fratris, sed ideo etiam, quia cogitat de uxore filio prospicere, sicut sequetur postea. Neque sic cogitat fanaticorum more: Habet benedictionem, sive maneat in terra, sive non, perinde est: Sive duxerit uxorem, sive non, tamen erit pater seminis, et habebit aeternam posteritatem. Aut etiamsi Cananaeam duxerit, quas ego indignas iudico hoc honore, Dominus tamen efficiet, ut fiat digna mater istius prolis. Nequaquam hoc cogitat, sed vitat istas Cananaeas, quas semper aversata est, et id agit quantum potest per Isaac, ut ducat Iacob uxorem ex sua generatione.

Admoneat igitur nos hoc exemplum Rebeccae, ut in omnibus rebus et actionibus nostris faciamus, quod in nobis est, hoc est, utamur mediis iuxta promissionem, et postea Deo commendemus eventum et praedestinationem. Habes enim Dei verbum et praecepta: secundum ea noveris

tibi ambulandum esse, ne impingas. Sed qui extra promissionem evagantur, et fingunt sibi peculiarem eventum ex promissione divina illi et praeceptum et promissionem Dei amittunt. Id vero est contemnere Deum praecipientem et promittentem. Hoc ingens peccatum ut vitaret Rebecca, mulier exercitatissima, tametsi iam de promissione certa erat, tamen quia de eventu sollicita est, utitur mediis, quibus erat utendum, adit maritum, docet, unde petenda sit uxor filio, ablegat Isaac filium, ut esset occasio vitandi Cananaeas, et ducendi aliam ex sua stirpe natam. Porro, quod promittit se missuram et revocaturam Iacob, eius postea non meminit amplius Moses. Ac videtur mortua esse intra illos viginti annos, quibus Iacob servivit Laban. Haec enim postrema mentio est Rebeccae in hac tota historia.

27, 46 Et dixit Rebecca ad Isaac: Tedet me vitae meae propter filias Heth: si acceperit Iacob uxorem de filiabus Heth, ut sunt istae de filiabus huius terrae, ut quid mihi vita?

Rursus vide prudentiam et astutiam piae mulieris, quae non ostendit patri causam, cur ableget filium: non indicat, quanta sit calamitas et perturbatio domus, quod velit frater occidere fratrem, sed pia astutia caelat maritum tragoediam hanc. Sumi autem hinc debet doctrina moralis, optima sane et pulcherrima, ut discamus esse pacifici, et aliorum etiam perperam dicta et facta simpliciter, candide et dextre interpraetari, ornare, tegere, sanare. Das beſt zu den ſachen reden[1], Non exacerbare, sed excusare et mitigare causam etiam pessimam. Qualis haec est, cum frater insidiatur vitae fratris. Hanc in se recipit Rebecca sola, suis cervicibus imponit, et sic ei medetur: ut et consilium, et conatus impius impediatur, et veneranda ista canicies senis Isaac non contristetur. Si enim rescivisset Isaac, moerore animi consumi et extingui potuisset. Verisimile enim est, sicut supra ex historia ostendimus, ipsum tot annis multa indigna passum a filio tam superbe imperante, quibus si accessisset hoc extremum malum, dolore et aegritudine animi contabuisset.

Proinde aliam causam adfert Rebecca huius discessus Iacob, nempe connubium, quod velit eum contrahere non in ista terra cum filiabus Heth, sed cum alia, quae ex sua familia oriunda sit. Quia pius et fidelis homo
Spr. 12, 18 debet habere salutarem linguam, sicut dicitur proverbiorum 12.: 'Temere loqui perinde est, ac gladio fodere: at sapientum lingua salutaris est.' Adsuefaciamus itaque nos, ut ad exemplum Rebeccae simus boni mediatores in malis causis: neque nimium noceamus peccanti et ei, qui reus est, sicut ipsa sapienter cavet filio Esau: non vult eum accusare apud patrem, et simul parcit optimo marito, seni et oculis orbato, ne eum perturbet, ipsa potius suffert et devorat hoc malum.

[1]) = *wohlwollend beurteilen, raten; vgl. Sir. 6, 5.*

Si fuisset improba mulier, insufflasset in ignem: atque oleum et picem flammae suffudisset.[1] Sic enim solent perversae naturae ad calumniandum et ad maledicendum nimium proclives. Lingua autem iusti lingua vitae est, quia bene loquitur de Deo, et utitur lingua ad componendas discordias, ad offensiones leniendas et sanandas: ad animos adflictos erigendos et confirmandos. Sicut recitatur pulchrum exemplum de Monica, Augustini matre, si quando rixae ortae fuerant inter vicinas mulieres, et ipsa audiret utrinque multa acerbe et aspere dici, non spargebat ea, neque ab alia ad aliam deferebat, sed sedulo celabat: et fingebat interim, cum ad unam ex iis, quae mutuo se oderant, veniret, optimam et honestissimam eius mentionem ab altera factam esse. Ita mitigabatur haec, altera inscia et ignorante, ut omnem offensionem et simultatem animo eiiceret. Sic etiam piorum hominum linguae debent esse salutares, linguae curationis, mitigationis et misericordiae, sicut Ecclesiast⌊ici 36. dicitur.

Lingua autem aspera et maledica saepe ex una guttula et ex una scintilla ingens mare et incendium ingens exuscitat. Ideo fugiamus vicium id, et sequamur exemplum Rebeccae et Monicae, ut, cum audimus pessima, nos optima loquamur et optime interpraetemur. Nisi id eveniat, ut salus alicuius periclitetur propter odium implacabile alterius, ibi is, qui periclitatur, admonendus est, ut possit cavere vim aut insidias adversarii. Sicut iste, qui Esau prodidit in hoc parricidiali bello apud Rebeccam matrem, optime fecit. Et eo ipso salutaris lingua fuit, quia iussit eum cavere sibi loco, cui imminebat periculum. Insidiae igitur et homicidia non sunt reticenda: sed aperienda. Non debuit hic nuncius dicere, qui Rebeccae periculum Iacob a fratre nunciavit: Esau bene est contentus, nihil mali cogitat, amat fratrem etc. Sed fuit accusandus et retegendus Diabolus, qui in altera aula instigavit et incendit principem suum ad caedem faciendam. Nisi enim indicasset, adiuvisset homicidam: quia vero nunciavit, prohibuit homicidium. vgl. Jak. 3, 3 ff.

Haec est doctrina moralis, quae utiliter hoc loco traditur, et diligenter notanda est, utrumque enim videmus in hoc exemplo, caventur insidiae et caedes intentata Iacob: Et mira prudentia omnia teguntur, ne ad senem parentem parricidiales minae Esau deferantur. Ac sane optima causa est, quam adfert Rebecca. Iam enim haeres institutus erat Iacob, erat ei benedictio collata et tota Ecclesia commissa. Nunc porro id restat, dixit ad Iacob: ut detur ei baculus in manum, quo nitatur, hoc est, ut habeat coniugem sociam et adiutorium coram ipso. Honestissima oratio est, non solum ab utili et honesto: sed etiam a necessario, si enim debet uti benedictione, oportet eum habere uxorem. Hactenus vixit celebs, cum esset abiectus et extra numerum. Nunc Esau abiectus est, danda igitur vgl. 1. Mose 2, 18

[1]) *Vgl. Otto l. c. S. 253 s. v. oleum 2.*

est uxor Iacob, qui benedictionem adeptus totam gubernationem deinde sustinebit. Hac rhetorica persuadet Isaac, ut dimittat filium, quia est argumentum necessitatis, quod superat omnia argumenta ab utili et ab honesto: Sicut in Gellio[1] extat honesta vox Metelli: Si volumus habere cives, necesse esse habere etiam uxores etc. propter posteritatem enim conservanda sunt connubia.

Sed quare non despondes ei aliquam ex Cananaeorum virginibus? Non placent istae, inquit: et alia rhetoria utitur ab utili et ab honesto. Nolo, ut ducat talem, quales sunt istae duae nurus nostrae. Vidisti, mi Isaac, quanta passi simus hisce triginta annis ab uxoribus Esau: quomodo me conculcarint: te vero despexerint, et superbissime, imo tyrannice se gesserint. Si igitur me salvam vis, prohibe, ne ducat gentilem de filiabus huius terrae vel aliis Cananaeis, quia oderunt nos, cum audiant nos habere promissionem huius terrae: id ipsis est intolerabile, et propterea cupiunt nos excutere vi et omnis generis iniuriis.

Porro scriptura non facit mentionem nominatim fratris Laban, ad quem ablegatura erat filium. Forsan autem quaesivit Isaac: unde ergo eligemus ei aliquam virginem? Ibi ipsa respondit: Eat ad fratrem meum Laban. Huic consilio acquievit senex Isaac, et ipsius arbitrio permisit omnia. Rebecca enim iam gubernat domum, sed magna difficultate et periculo, rebus sic perturbatis et adflictis.

Sic igitur post consultationem istam mittitur Iacob in exilium. Is qui iam benedictus est, et institutus haeres, eiicitur domo, et fugit iratum fratrem. Bellam vero benedictionem, et initium tentarum promissionum egregium scilicet. Ego enim instituor haeres, potuit cogitare, et eiicior: Et is, qui eiectus est, manet: et rerum omnium potitur in domo. Quomodo conveniunt haec cum promissione et tam ampla benedictione?

Hoc ergo unum de mirabilibus exemplis est gubernationis divinae, quo ostendit Deus se exigere fiduciam verbi et promissionum, etiamsi contraria fiunt ab iis, quae in promissione continentur. Ut adsuescamus confidere Deo in rebus absentibus, et procul extra conspectum nostrum positis. Sic enim Iacob habet promissam benedictionem. Sed secundum fidem, quae non est apparentium, sed sperandarum rerum. Sic ego credo promittenti Deo, quod diligat et respiciat, curet et exaudiet me, idque in praesenti et in promptu habeo: tametsi non appareat. Vivit igitur Iacob in sola fide, eiectus misere, solitarius et inops. Nihil habens in manu, nisi baculum et buccellam panis in sacculo.

Hoc est initium benedictionis, quia, quod per fidem incipitur, id nondum habetur: sed speratur. Sicut nobis promisit vitam aeternam Deus, dedit absolutionem, dedit Baptismum. Hanc gratiam praesentem habeo per Christum, sed expecto vitam aeternam, quae promittitur in verbo.

[1]) *Aulus Gellius Noctium Atticarum I, 6.*

Hoc verbo qui vivunt, sunt sancti et beati. Impii vero tantum pane, non verbo vivunt. Ideo nec credunt, nec expectant aeternam vitam. Iacob expectavit 77. annis futuram benedictionem. Iam postquam eam adeptus est, cogitur exulare, atque incipit regnum et sacerdotium eius cum maxima cruce, maxima calamitate et extrema penuria. Cogitur carere dulcissimis parentibus, et parentes charissimo filio carent tam longo tempore.

Si quis autem haec obiter tantum aspicit et audit, putat levia et facilia esse, sed experiundo discitur, quam sit res difficilis et plena tentationibus relinquere parentes, benedictionem, haereditatem, et fugere in locum miseriae et paupertatis. Haec enim est mirabilis illa gubernatio Dei, quam caro neutiquam ferre potest, quia in fide consistit. Scribuntur vero ista nobis in exemplum, ut discamus pendere ex invisibili Deo, et eo acquiescere, quod saltem huius invisibilis et incompraehensibilis Dei verbum compraehensibile habemus. Atque ita vitam nostram instituamus, ut nihil de invisibili creatore nostro habeamus praeter verbum et Sacramenta. Parentes item et magistratus, per quos secundum verbum gubernatur haec vita. Et expectemus in spe et longanimitate promissionem ipsam, quia Deus non mentietur, nec fallet nos. Caro quidem difficulter credit, quia est adsueta rebus praesentibus, et movetur his, quae sentit et videt. Oportet autem crucifigi et mortificari carnem, et abstrahi a sensibilibus, ac docere, ut possit vivere et agere secundum invisibilia et ea, quae sensu non percipiuntur. Haec est mortificatio sensus carnis, quae simpliciter vult dormire secura in utramvis aurem, in rebus praesentibus et visibilibus. Ideo cum sensit contrarium, ringitur et dolet.

Ideo proponendum est hoc exemplum ob oculos, quomodo Iacob constituatur Rex et Sacerdos, quomodo investiatur in regnum et sacerdotium suum. Miserabilis enim haec pompa et ritus est regem inungendi et investiendi. Non induitur stola, non ornatur infula aut corona regia, non sceptrum traditur in manus, sed pera et baculo instruitur, et eiicitur in exilium. Benedictio autem relinquitur fratri Esau, ad quem ea minime pertinebat. Tandem vero mortificato Iacob per fidem invisibilis Dei, sequitur etiam res visibilis, et possidetur terra per semen Iacob, et nascitur Christus ex isto semine, aeternus Rex et Sacerdos, cuius regnum et sacerdotium benedictione hac continetur.

Sic David ungebatur in regem super Israel, reprobato et abiecto Saule divinitus. Sed contra haec omnia Saul manet in regno, sicut antea, gerit res foeliciter domi et adversus hostes, quin ipsum David tanquam seditiosum ac insidiantem regno crudeliter persequitur. Ac David interea vagatur in terra, ubi Rex a Deo declaratus fuerat, tanquam profugus et exul. Sicut testatur historia toto decennio eum sic errasse, quotidie persequente et insidiante Saule. Num id regnum videtur, in terra propria decem annis exulare? Quid possit esse mirabilius? quid indignius, quam

regem declarari sine regno, sine sceptro, sine certa sede, imo non terra tantum et regno, sed etiam domo propria, coniuge et liberis orbari?

Sed superat haec omnia Christi exemplum. Nonne is novissimus virorum et despectissimus iuxta Prophetam factus est, cum vult ascendere in coelum, et intrare in gloriam suam? mortem, peccatum ac Diabolum superaturus adfigitur cruci, moritur et in sepulchrum conditur: tanquam abiectissimus omnium hominum et Daemonum. Num id est intrare in gloriam, aut vincere et triumphare de morte? Est sane, quia hae sunt viae Dei absconditae, quae intelligendae sunt non secundum carnem et sensum humanum, sed secundum scripturam et Christum ipsum, qui ait ad
Luk. 24, 29 discipulos: 'Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?'

Ad eundem modum Iacob oportuit viginti annis exulare, et postea demum fieri regem et sacerdotem. David oportuit decem annis hinc inde agitari, et diversissima diverticula quaerere, ubi lateret tutus unam noctem, interdum unam horam: Num is Rex est divinitus constitutus et confirmatus? Atqui sic audis eum canentem, et mirifice suum regnum praedican-
Ps. 63, 12 tem: 'Rex vero laetabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua', hoc est, illi exultabunt, qui sentiunt eum regem esse a Deo constitutum et inunctum. Sed ubi erant illi? Totum regnum enim et omnis potestas erat penes Saul, ipso ne vestigium quidem pedis in terra possidente.

Ita nos, qui credimus verbo Dei, sumus Ecclesia, habentes certissimam promissionem, in quam vocati et baptisati sumus, qua alimur et sustentamur: habemus Sacramentum altaris et potestatem clavium. Non autem sumus Christiani, nec ideo baptisati sumus, ut possideamus hanc terram. Nec in hanc vitam baptisati et renati sumus: sed in vitam aeternam. Quid fit autem de nobis quoque? Id nimirum, ut cum glorificanda est Ecclesia, et ad illa aeterna gaudia, quae expectat in verbo et spe, adducenda est, tum subiicitur infinitis persecutionibus Tyrannorum et Diabolorum: exagitatur et laceratur per falsos fratres multis et miserrimis modis. Num hoc est ducere in vitam aeternam? Imo aeternae miseriae obiicere est. At vero animi erigendi et confirmandi sunt contra hanc viam crucis. Quia enim habemus verbum et promissionem, ideo certo secutura est gloria, quae est promissa. Et vivit interim Ecclesia et servatur fide, quae firmiter statuit, DEUM non mentiri. Et discit hanc admirandam sapientiam carni et rationi absconditam: quod Deus est mirabilis in suis sanctis, et quod mirabilia sunt consilia eius. Unde et nomen habet Dominus et dux noster,
Iesa. 9, 5 Iesus Christus, ut dicatur ADMIRABILIS, Isaiae 9.

Pertinent igitur ista ad nos erudiendos, ut, si velimus pie vivere, aliter rationem vitae nostrae instituamus, quam mundus et caro solet. Oportet enim, ut simpliciter pendeamus ex invisibili Deo, et cum gaudio

agamus Deo gratias, quod habemus verbum Dei promittentis, de quo inquit Petrus: 'Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris.' Verbum enim est lux vitae nostrae, alioqui nihil habemus de gloria. Scio me esse baptisatum, scio me manducasse corpus et sanguinem Christi, esse absolutum, vocatum et doctum verbo Euangelii. Amplius de vita aeterna nihil habeo. Nondum habeo corpus clarificatum, superans splendorem solis et stellarum, sed habeo animum adhuc praegravatum multis magnis malis et terroribus, circumfero corpus obnoxium multis infirmitatibus et morti. Nihil minus igitur cum in corpore, tum in anima apparet, quam vita aeterna. Sed promissio non fallet nos. Haereamus igitur et persistamus in fide et in spe, et simus contenti verbo promittente. Postea habemus externam hanc vitam et societatem, habemus parentes, magistratus, externum ministerium verbi et externa bona ad hanc vitam necessaria, quae omnia praeparatio et aditus quidam sunt ad vitam futuram. 2. Petri 1, 19

Haec est doctrina Ecclesiae propria et praecipua, tradita a spiritu sancto, mundo et carni ignota: qua docemur, quod simus Domini et haeredes vitae aeternae non alia ratione, quam Iacob fuit haeres benedictionis, qui, cum eam esset adeptus, e terra et domo patria in exilium mittebatur. Hic est enim processus divinae maiestatis cum suis sanctis, et haec fides est sanctorum, de quibus hactenus. Sequuntur iam moralia et fructus fidei.

Caput XXVIII.

28, 1. 2 Vocavit itaque Isaac Iacob, et benedixit eum, praecepitque ei, et dixit ad eum: Noli accipere uxorem de filiabus Chanaan. Surge, vade in Mesopotamiam, ad domum Bethuel, patris matris tuae, et sume tibi inde uxorem de filiabus Laban, avunculi tui.

Prima particula huius capitis non est Theologica. Non enim tradit exempla aut doctrinam spiritualem, de fide et aliis cultibus spiritualibus. Quanquam, quae hic aguntur, et fidem et timorem Dei requirunt et includunt. Sed moralis locus est de coniugio, qui in Ecclesia retinendus, et diligenter urgendus est propter necessitatem et dignitatem coniugii. Nam post doctrinam Euangelii et fidei, quae est propria Ecclesiae doctrina, in primis debet honorari et ornari coniugium, idque vel ob hanc causam, quia mundus et caro, quid sit coniugium, et quanti sit faciendum, non intelligunt. Ita quidem usitate definiunt: Coniugium est coniunctio aut consuetudo masculi et foeminae, retinens individuam vitae consuetudinem. Sed haec non est integra definitio, quia desunt causa finalis et causa efficiens. Tantum a causa materiali sumpta est, coniunctio enim masculi et foeminae est materiale. Verior autem et integra definitio haec est: Coniugium est legitima et divina coniunctio unius maris et unius foeminae ordinata ad invocandum Deum et conservandam et educandam sobolem ad administrationem Ecclesiae et politiae.

In doctrina igitur Christiana, qua docemus post Euangelii et fidei doctrinam, quomodo pie et honeste nos gerere in hac vita debeamus, Coniugium est primum et principale, quia initium et origo est totius vitae. Et nihilo minus saevit in hoc vitae genus Sathan, quam in Ecclesiam. Quod inde apparet: quia admodum rara res est commodum et salutare coniugium ac mutuus amor, cum inter ipsos coniuges, tum vero, quod ad liberos et vicinos attinet. Est enim septum spinis et tribulis: quod initio quidem non apparet adolescentibus, cum amore et libidine caeca impulsi temere irruunt in coniugium. Postea vero cum sentiunt et experiuntur molestias et difficultates omnis generis, sero et frustra poenitent.

Proinde Christiani ita se comparent, atque ita vitam suam instituant, ut cogitent coniugium non esse temerariam aut fortuitam rem, pendentem ex nostro arbitrio et fortuito eventu, sed esse legitimam et divinam coniunctionem. Cuius rei hoc illustre argumentum est, quia creavit Deus masculum et foeminam. Et non solus vir, aut mulier sola nascitur: sed uterque vir et mulier. Itaque coniunctio haec statim in prima nativitate suam originem habet. Ac propterea vere legitima est et divina. Deinde Deus non instituit coniugium propter voluptatem et delicias carnis. Haec

non est finalis causa, sed duplex finis est coniugii: Primus, ut sit remedium adversus libidinem. Secundus et magis principalis, ut sit fons et origo generis humani, ut nascatur proles et propagetur genus hominum: Sive, ut Iureconsulti dicunt, ad replendam civitatem. Sed ex sacris literis hic finis addi debet, ad educandos liberos in disciplina et timore Domini, ut sint idonei ad gubernationem Ecclesiae et politiae.

Hoc igitur caput diligenter tenendum et observandum est piis, quod uterque sexus a DEO conditus est ad coniunctionem et consuetudinem individuam vitae. Hoc est, DEI voluntas est, qua vult nos masculos et foemellas legitime coniungi: ut educemus prolem, quae Ecclesiae et Deo serviat. Hoc ubi firmiter retinebimus, facilius etiam feremus et superabimus omnes molestias et difficultates, quae in hac calamitosa vita coniugibus obiiciuntur. Postquam enim homo per peccatum originale morti et potestati Sathanae subiectus est, non cessat Sathan coniuges et corpore et anima horribiliter vexare et adfligere. Hoc illud est, quod hoc genus vitae tantopere deformat, ac tam molestum, odiosum et invisum reddit, ut natura a coniugio non aliter atque a cruce abhorreat. Sicut testantur Ethnicorum exempla et voces turpissimae. Et hodie multos audias, qui studiose omnia incommoda et omnes difficultates colligunt, quibus abduci se paciuntur, ne animum ad coniugium adiungant.

Neque vero invitos et nolentes ad coniugium cogendos arbitramur. Si enim datum est, ut possis abstinere et vitare sine peccato: abstineto sane, si id sine peccato potes facere. Si vero non potes absque peccato vitare coniunctionem cum foemina: utere remedio divinitus ostenso. Ac si non quaeris generandi officium: At remedium quaere adversus peccatum: ut vitetur fornicatio et adulterium, vitentur pollutiones et vagae libidines. Plus satis enim miseriarum est, quod sumus oppressi omnis generis calamitatibus, peccato et morte. Ne insuper addas peccatum peccato, et malam conscientiam tibi aliis sceleribus accumules. Atqui, inquiunt, nimis miserabile et nimis molestum vitae genus est? Respondeo. Est duplex genus vitae, alterum est peccati, alterum est poenae. Iam considera, utrum sit melius: vivere in poena sine peccatis: an econtra in peccatis sine poena. Ratio sic corrupta est, ut poenas illas peccati non possit aequo animo ferre. Ideo appetit ea, quae suavia, laeta et iucunda sunt: crucem autem et molestias fugit. Sicut Socrates interrogatus, utrum melius esset, ducere uxorem, an non? Respondit: utrumvis feceris poenitebis. Si duxeris deformem, habebis poenam, si formosam duxeris, habebis communem. Ille in poenam tantum et abusum respexit.

Christianus autem sic in animum inducat suum. Contemnenda est poena, et omnis molestia ex oculis removenda, atque audendum est in nomine Domini: quia cogitandum est de vita sine peccatis, sine immundicia, sine pollutione et maculis, ut possis habere bonam conscientiam

coram Deo. Non enim sperandum est regnum, non beatitudo aut vita aeterna in hac vita. Non sinunt hoc peccatum originis, infirmitas carnis et Diabolus. Si autem omnino ferenda est miseria, cum Deo potius perferamus, quam cum Diabolo. Qui enim fugiunt coniugii onera, vivunt quidem suavem et iucundam vitam, habent sua scorta, quae modo abiiciunt, modo recipiunt pro arbitrio, sed cuiusmodi conscientiam tales habere putabimus? sane pessimam: Et quod longe est gravissimum, sustinent hi quoque easdem, imo plures molestias, quibus adficiuntur a scortis indignius, quam a coniugibus. Ita duplicem poenam sustinent: communem illam, et illi addunt poenam aeternam.

Haec igitur post Ecclesiastica dogmata de coniugio quoque docenda et diligenter inculcanda sunt in Ecclesia, ut sciant homines, quomodo vivant in hac vita sine peccato. Deinde etiam piorum animi erigendi et exhortandi sunt contemnendas illas molestias coniugii. Oportet enim coniugem se virum praebere, non noctu tantum, sed alias etiam ad poenas et ad voluntatem Dei sustinendam, ad ferendam et devorandam improbitatem familiae, iniurias vicinorum et alia, quaecunque incidunt incommoda. Ideo deligendi sunt ad coniugium optimi viri et optimae mulieres. Sicut Abraham et alii sancti patres fuerunt robore et corporis, et animi praestantes. Alii, qui onera et molestias coniugii metuunt, et propterea ab eo abstinent, idem faciunt, quod in proverbio dicitur: De fumo ad flammam tendunt.[1] Quia quaerunt aliud genus vitae, quam id, quod natum est in peccato. Ibi vero inveniunt Diabolum et infernum, quia non possunt effugere concupiscentiam, morbum originis, peccatum et mortem in carnem et animo haerentem.

Sume igitur animum, et cogita hanc vitam nihil aliud esse, quam ipsam miseriam, cuius aerumnas, labores et difficultates ita superabis, si respexeris in Deum creatorem et patrem tuum, cuius voluntati et ordinationi te cum humilitate et pacientia submittas, sic statuens: Ego credam in Deum, qui creavit me masculum, agam ei gratias, quod habeo eius verbum, quod placuit ei me esse maritum, esse uxorem, ut educarem sobolem, gubernarem familiam, quod per Euangelium habeo promissionem vitae aeternae, et consolationem in hac praesenti vita. Sicut inquit Paulus
1. Tim. 4, 8 1. Timo[thei 4.: 'Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae,
Röm. 15, 4 quae nunc est, et futurae.' Et Roman[orum 15.: 'Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per pacientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.'

Ad hunc modum rectius de coniugio sentire et iudicare discamus, quam caro et mundus solet: Ac hortemur iuvenes, ut aequo animo paciantur et ferant, si qua incidunt mala. Adsuefaciant se ad invocatio-

[1]) *Amm. Marcell. 14, 11. 12; vgl. Otto l. c. S. 137.*

nem, et dicant: Domine Deus, ego sum tua creatura, a te conditus masculus, et ordinatus ad hoc genus vitae, in quo iam haereo multis malis et difficultatibus implicitus, sed da, ut vere agnoscam, me esse creaturam tuam, te mihi esse patrem et conditorem, utque a te auxilium et defensionem expectem.

Talis precatio necessaria est omnibus coniugibus, quia omnes experimur crucem et molestias nobis impositas. Atque utinam tolleretur aliquando coelibatus e Collegiis sacerdotum et Episcoporum, et concederetur aut mandaretur eis coniugium. Sicut nostrarum Ecclesiarum ministri pie et honeste in coniugio vivunt: non ita inhiarent ad Episcopatus et Canonicatus. Neque enim tanta foret potentia et opulentia Collegiorum. Sed frustra haec optamus, sunt pecora campi et feces terrae.

Haec initio huius capitis dicenda fuerunt de coniugio, quia narrat Moses, quomodo Isaac vocaverit Iacob filium, ac cum eo locutus sit de constituenda re familiari, de ducenda uxore. Atque initium coniugii fuit virtute, ordinatione et vocatione divina. Quales autem habiturus sit miserias et molestias in coniugio, in sequentibus videbimus. In toto enim coniugio nihil habet proprii, nihil laeti et iucundi praeter prolem: alioqui est miserrimus, vivit in exilio, et servit socero Laban, qui eum indignis modis tractat.

Ordinatio autem et vocatio ad coniugium haec est. Cum praecipit Deus per os parentis ipsi Iacob, ut ducat uxorem. Addit autem pater alterum mandatum: ne ex Cananaeis unam deligat, sed potius ex filiabus Laban sibi accipiat uxorem. Pertinet igitur hic locus ad doctrinam de authoritate et consensu parentum necessario ad iungenda connubia. Nos enim clandestina sponsalia et connubia reprobavimus et damnavimus, quia post renatam clarissimam lucem Euangelii scimus, quod coniugium sit res sancta et licita, ac divina ordinatio. Non est turpe aut inhonestum fieri coniugem, sicut ante haec tempora in errorem per Monachos inducti sensimus: sed est honorificum et sanctum. Scimus quidem horribiliter deformatum esse concupiscentia: qua de causa multi turpe duxerunt ambire puellam, contrahere nuptias, tanquam foedam et impuram rem. Non enim discernebatur opus illud generationis ab aliis peccatis, scortatione et adulteriis. Verum iam didicimus et certi sumus Dei beneficio, quod sit coniugium honorabile. Sicut dicitur Hebraeorum 13.: ‘Honorabile con- Hebr. 13, 4
nubium in omnibus, et thorus immaculatus’, et quod sit Dei voluntas et institutio, ut quisque habeat certam coniugem, legitime sibi iunctam. Proinde nulla causa est, cur abhorreamus ab hoc vitae genere: aut pudore et verecundia deterriti, clam et furtim illud ineamus contra honestatem et parentum voluntatem. Non vereatur puella adire parentes, et petere sibi in matrimonium honestum adolescentem. Et parentes nunc recte instituti sunt, et prompti ad consulendum liberis: sunt et pii Pastores

et Magistratus, qui possunt parentibus persuadere sua authoritate, ne praebeant se duros et difficiles.

Fugienda itaque sunt sponsalia illa furtiva, et cum honore Dei et reverentia parentum ineundum est sanctissimum foedus coniugii. Huius doctrinae illustre exemplum hoc loco proponitur. Praecedit enim authoritas et iussus parentis Isaac, qui mandat filio: ne ducat Chananaeam, et huic summa voluntate obtemperat Iacob. Esau diversum fecit, duxit duas coniuges Hithaeas, invitis parentibus, quo facto vehementer eos offendit, ut et Isaac et Rebecca cum dolore quererentur se a nurubus misere excruciari. Hoc gravissimum peccatum et scelus fuit: At vero alioqui plus satis molestiarum in coniugio sustinemus, cur insuper per peccatum et contemptum parentum alia et graviora mala ac iram Dei nobis accersimus? Quin potius contrahimus coniugia in nomine Domini, ut Iacob faciebat, et tamen non deerunt difficultates et omnis generis aerumnae. Facilius autem eas tolerabis, si hanc conscientiam ad coniugium adferes, ut possis dicere: sic placuit parentibus, amicis, tutoribus et Deo. Non enim accedis tua ratione et sapientia nixus, posthabita authoritate et consensu eorum, quos Deus te revereri voluit, ideo certus es de defensione et benigna voluntate Dei. Nisi vero id feceris, ad communia mala etiam accedit mala conscientia, quae omnes molestias augebit et aggravabit. Hoc quid aliud est, quam malum malo accumulare, et saeviciam Sathanae adversus te augere?

Sed hunc locum supra etiam et alibi[1] tractavi copiosius, et est diligenter inculcandus: quod clandestina matrimonia sint prohibita: non tantum legibus civilibus Caesarum, sed etiam exemplis et testimoniis divinis. Propter Iurisperditos, qui decreta iuris Pontifici praeferunt sacrarum literarum et civilium legum authoritati. Et pudet eos fateri et agnoscere, quod aliquando docuerint absurda. Atqui Theologica professio longe est sublimior: et tamen cogimur agnoscere infinitos et crassissimos errores Theologiae scholasticorum. Isti vero Iurisconsulti scienter et prudenter manifestum errorem conantur retinere et defendere, quod est indignissimum. Reclamant enim aperte iura civilia, et testantur filios familias parentum in nuptiis contrahendis habere consensum oportere. Refragantur exempla sacrae scripturae. Quid igitur ad nos stolidus Papa cum suis decretis?

Isaac prohibet filio, ne ducat gentilem, et iubet eum ire ad fratrem matris Laban, ibique uxorem ducere. Non cogit quidem Iacob, ut ducat eam, quae patri placet, sed vult tamen eum eligere honestam, quam ipse amet et ducat: Patris enim iussus debet praecedere: filius debet parere. Nec cogendus est, ut ducat, quam odit, sed sponsalis amor debet esse
vgl. Matth. 6, 34 liber, et pater non inhibeat: sed promoveat et adiuvet. Hic verus ordo et ratio est contrahendi matrimonii, quae non est pervertenda, quia sufficit

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 30, III. S. 198ff.: 'Von Ehesachen 1530'.*

diei adflictio sua, hoc est, ipsa miseria coniugii, quas abunde satis habebis: cum ingressus fueris hoc genus vitae. Vitabis igitur, quantum poteris, offensiones parentum et Dei, ac potius cum bona gratia et bona voluntate Dei et parentum incipe, ut totius vitae curriculum si non absque poenis et molestiis: tamen sine culpa: si non mero gaudio: tamen cum innocentia cordis, sive bona conscientia et beneplacito divino possis absolvere. Sufficit tribulatio carnis: Ac servet nos Deus a tribulatione spiritus.

Ex altera autem parte, qui prorsus abhorrent a coniugio: sive praetextu sanctitatis, sive ut liberius vivendi potestatem habeant, exhortandi sunt ad hoc sanctissimum vitae genus, ne se polluant libidinibus infandis et usitatis collegiis Canonicorum et Cardinalium. Si non habes donum castitatis, ducas uxorem in nomine Domini. Si non potes ditescere, sis contentus quotidiano victu. Non potes esse Rex et Dominus, sis servus. Crede in Deum, et expecta aeternam vitam in hac misera et calamitosa vita, quae non est perpetua, sed brevis admodum. Aut si etiam centesimum annum attigeris, quid est tam exigui spacium temporis collatum ad aeternitatem? Nos Christiani scimus restare aliam et meliorem vitam, quam expectamus, ad quam semper nobis est respiciendum. Et quia interea hoc nostrum corpus non caste et continenter vivit, feramus sane leges spinarum et tribulorum in coniugio. Et simus laeti, quod Deus in his miseriis benigne nos respicit et tuetur. Placet enim Deo, quod laboras, quod sudas in spinis coniugii. Sufficiat tibi gratia ipsius, neque difficultates te absterreant. Ad haec collige labores et aerumnas sanctissimorum Patriarcharum, et videbis, quantas vel solus Iacob sustinuerit in coniugio.

Deus autem omnipotens benedicat tibi, et faciat te crescere, 28, 3–5
atque multiplicet te, ut sis in congregationem populorum. Et
det tibi benedictionem Abrahae, tibi et semini tuo tecum, ut
possideas terram peregrinationis tuae, quam dedit Deus Abra-
ham. Dimisit itaque Isaac Iacob ad Laban, filium Bethuel
Syri, fratrem Rebeccae, matris Iacob et Esau.

Isaac supra dedit filio Iacob benedictiones, eas hoc loco repetit cum imprecatione. Est autem benedictio, ut supra etiam monuimus, res ipsa tradita et donata praesenter: Sicut mihi traditur Baptismus in praesenti, traditur remissio peccatorum, quia non spero remissionem peccatorum, sed habeo eam in fide praesenter. Non credo Christum passurum pro me, sed per fidem certus sum, quod iam pro meis peccatis sit passus, et resurrexerit propter iustitiam meam. Igitur non est nuda oratio aut imprecatio, sed qua trado tibi in praesenti per virtutem clavium remissionem peccatorum, gratiam et favorem Dei, ut certo possis statuere te habere Deum, cui sit de te beneplacitum. Hoc tibi trado tanquam certam possessionem. Sic Ecclesia habet praesenter faventem et arridentem sibi

divinam maiestatem, patrem, filium, spiritum sanctum, Christum et Angelos congratulantes, et universas creaturas applaudentes atque expectantes
Röm. 8, 19 redemptionem ipsius, sicut dicitur Ro[manorum 8.

Longe igitur alia res est benedictio, quam imprecatio: quae tamen hoc loco additur: Deus benedicat tibi, hoc est, faciat te crescere etc. Supra dicta est benedictio. Hic additur oratio. Saepe enim dictum est, duo esse et fuisse semper officia sacerdotalia a principio mundi. Alterum est docere, quod fit pro concione aut in absolutione, in qua trado gratiam Dei sanguine Christi confirmatam. Alterum est orare pro se et aliis, quod fieri solet finita concione. Quamlibet enim concionem sequi debet precatio. Auff eine gute predig, ſol ein gut vater unſer folgen, quia orandum est pro incremento fidei, ut crescamus in benedictione, ne Diabolus eam a nobis auferat. Utrunque igitur est faciendum: docendum et orandum est. Quia haec sunt duo officia sacerdotalia: audire loquentem Deum, et loqui cum Deo audiente nos, descendere et ascendere. Per benedictionem, per concionem et per administrationem Sacramentorum descendit Deus, et loquitur mecum. Ibi audio ego. Et rursus ascendo, et loquor in aures Dei, audientis orationem meam.

Notanda est et appellatio Dei singularis hoc loco. *SCHADAI.* A *Schad,* hoc est uberibus, mammis. Hoc nomine dignatur appellari Deus, et convenit cum appellatione graeca *πολύμαστος*, mammosus. Ab alendo et fovendo vult celebrari, quia fovet universas creaturas. Non solum est creator, sed etiam nutritor et altor. Supra eadem appellatione ad Abra-
vgl. 1. Mose 17, 1 ff. ham usus est: 'Ego sum Deus omnipotens, qui facio omnia crescere, augeri, vivere et ali'. Invocat igitur Iacob illum Deum, qui non est creator tantum, sed etiam altor et nutritor, ut det filio terram peregrinationis. Est tua terra, vult dicere, sed tu es hospes et peregrinus in ea. Alius tenet eam, tametsi tu pro tua habeas, et debeatur tibi iure divino. Iacob igitur terram sibi debitam non possidet, quod fuit sane grave et difficile: nobis autem prorsus intolerabile esset: Si haberem propriam domum, et alius eam inhabitaret. Ego hospes panem, vinum et omnia necessaria mea pecunia cogerer emere, ut peregrinum illum alerem et vestirem. Magna igitur fides fuit sanctissimorum Patriarcharum, id quod haec verba Isaac plena fide testantur. Ac haud dubie intellexerunt illis promissionibus corporalibus terrae Canaan includi aeternas et spirituales. Ideo speraverunt aliam patriam, siquidem promittuntur temporalia, et dantur tamen aliis. Atque hactenus de fide et promissione benedictionis, item de coniugio satis.

28, 6–9 Videns autem Esau, quod benedixisset Isaac Iacob, et quod misisset eum in Mesopotamiam, ut inde uxorem duceret, atque praecepisset ei, cum benediceret eum, dicens: Non accipies

19 SCHADAJ] שַׁדַּי *Schad*] שַׁד

uxorem de filiabus Canaan. Et quod Iacob obedisset patri suo et matri suae, et abiisset in Mesopotamiam. Videns etiam Esau, quod non libenter aspiceret filias Canaan pater suus: ivit ad Ismaelem, et accepit Mahalath, filiam Ismaelis, filii Abraham, sororem Nebaioth, super uxores suas sibi in uxorem.

Videtur furiosus Esau aliquanto mitior factus esse, postquam videt cessisse fratrem Iacob ex domo paterna, cogitavit enim: Sat habeo, dummodo ego in domo et possessione maneam. Ille meus frater benedictus abiit, et reliquit benedictionem. Et putat fuisse tantum accidentalem benedictionem, qua benedixerit ei pater, ut haberet portiunculam aliquam, qua in exilio et peregrinatione se sustentaret. Fuitque ei gratissimum, quod Iacob non repugnavit parentibus, sed tam facile obedivit, et contentus modico cessit in exilium: potuisset patrem urgere, cogitavit, ut ampliorem benedictionem impertiret, sicut ego urgendo et instando extorsi, ut nunc in domo maneam. Sed sunt simplices homines pater et mater et frater Iacob. Parentes mittunt filium in exilium, filius obedit summa voluntate, quia trepidat ad meas minas et iram meam, ideo prudenter sibi fuga consulit. Ego enim sum dominus et princeps: Iacob est et fuit hactenus semper servus.

Pulchrum sane exemplum impiorum, qui sibi sic blandiri et se consolari solent etiam scripturis sanctis, quae tamen ipsis summopere adversantur. Sicut econtra homines pii et timentes Deum sententias et dicta pro se et in suam ipsorum vitam et consolationem invertunt, et accipiunt tanquam in sui perditionem prolata, metuit pius iram Dei, ubi speranda erat misericordia, econtra impii ad se detorquent locos misericordiae et gratiae divinae. Sicut Papistae et Turci somniant se solos esse filios Deo dilectos et acceptos, somniant se residere in sinu Dei patris, exempla poenarum et comminationes procul a se amotas volunt. Ea vero nos pertimescimus, et putamus ad nos et nostri perditionem pertinere, cum non velit nos terrere Deus, sed consolari, confirmare et exhilarare.

Sic Esau vidit, et vidit cum singulari voluptate, quod parentes metu irati filii ablegant Iacob: nihil potuit ipsi accidere iucundius. Vult igitur patri vicissim benefacere et gratificari: ne videatur ingratus aut inobediens erga parentes. Cum enim audit displicere patri uxores Hithaeas, cogitat: En ducam unam, quae patri placebit. Ac vadit ad patruum suum Ismael, et ducit filiam eius. Utrum vero placuerit patri simulatio et dolus iste, an non, scriptura non significat. Ego non puto, quia Isaac non sensit benedictionem in Esau haerere, sed scivit eam deberi Iacob. Et vidit etiam Esau, quicquid ageret, simulanter et dolose agere. Est autem hoc insigne et pulcherimum exemplum impiorum hominum et hypocritarum, qui florent in hac vita, et omnibus rebus abundant. Investiuntur cum gloria et pompa in regna et opes mundi, perinde ut Episcopi nostri. Sed in fine videbitur, cuius Toni.[1]

[1]) *Sprichw.; vgl. Unsre Ausg. Bd. 34[1], 542, 27.*

Hactenus vero Moses historiam Isaac et Rebeccae paucis complexus est, in qua recitavit gravissimas tentationes et certamina, quas uterque domi et foris magno animo, in verbo et fide sustinuit. Accepta enim promissione de multiplicatione seminis, totos viginti annos vivendum fuit Isaac cum conjuge sterili: et ea cum exauditur, tamen non sine tentatione et periculo vitae fert uterum, et edit geminos. Postea, impetrata sobole, propter famem novae sedes quaerendae sunt, peregrinandum est cum liberis et familia inter Philisteos, ubi pudicitia Rebeccae periclitatur, ac deinde pastorum, imo et Regis ipsius iurgia et odia ferenda sunt. Sed in his omnibus verbo et promissione eriguntur et sustentantur sancti homines, et Regis quoque et adversariorum animi rursus placantur et reconciliantur.

Tandem vero cum iam defuncti essent externis tentationibus, accedit insuper domestica crux ex improbitate et contumacia filii Esau et duarum nuruum, quas audivimus admodum duriter exercuisse senes parentes. Ac in primis Rebecca hoc gravius tulit, cum accederet solicitudo, ne primogenitura et benedictio in Esau transferretur contra sententiam oraculi divini, id quod et pater ipse agebat, et Esau superbe sibi arrogabat. Sed lucet ibi mirabilis et divina potentia verbi in promissione, quod necesse erat manere immotum et firmum, etiam ipso Isaac per errorem repugnante. Itaque consilio et astutia Rebeccae, quae retinebat veram sententiam promissionis, pulchre decipitur, ut praeter omnem opinionem et inscius benedictionem debitam Iacob conferat. Esau vero benedictione excidit, et dignas poenas impietatis et contemptus luit. Haec exempla mirabilium certaminum et aerumnarum, quarum plena est tota vita huius Patriarchae extare in Ecclesia prodest, ut accendantur mentes piorum ad similem tolerantiam, expectationem, fidem et invocationem in adversis.

Sequitur porro historia Patriarchae Iacob, cui non incommode QUINTUM LIBRUM Genesis tribuemus. Postquam enim adeptus est benedictionem a patre, et eius consilium et monita de ducenda uxore audivit, nulla deinceps mentio fiet Isaac et Rebeccae usque ad trigesimum quintum caput, ubi commemorabit Moses, quomodo senex et plenus dierum
1. Mose 35, 28 f. Isaac mortuus sit, et collectus ad populos suos. Etsi vero Esau interea dominatur in Ecclesia et domo Isaac, et fratrem profugum hostiliter persequitur: tamen Iacob propter promissionem et benedictionem solus est Patriarcha, et, ut ita dicam, Lux mundi: caeteris omnibus defunctis, et patre Isaac per aetatem ad gubernationem Ecclesiae minus idoneo. Videbimus igitur, quomodo Deus hunc quoque Patriarcham mirabiliter ducat, et exerceat per ingentia pericula et difficultates, in quibus praesentiam et defensionem Dei experietur non secus, atque Abraham et Isaac experti sunt, et de omnibus malis et aerumnis fortiter in fide promissionum Dei triumpharunt.

Egressus itaque est Iacob de Beersaeba, ut veniret in Haran. 28, 10. 11
Et cum venisset ad locum quendam: pernoctavit ibi, nam occiderat sol. Et tollens de lapidibus illius loci, posuit pro capitis sui cervicali, dormivitque in loco illo.

Primus locus admodum insignis est, et accurata tractatione dignus. Continet enim multiplicem et amplissimam doctrinam et fere ampliorem, quam nos explicando adsequi possimus. Iacob enim proficiscitur in exilium, coactus fugere fratris furorem, et ipsi fratricidae sibi debitam benedictionem relinquere. Quanquam is eo ipso placatus est, quia possessor benedictionis fugit, et relinquit ipsi possessionem integram tot annis. Haec nimirum in administratione divina stulta et inepta sunt corum oculis nostris, quod haeres, qui futurus est lapis in caput anguli, reprobatur ab aedificantibus. Ad id destinatus erat, ut esset dominus in domo, et est ei commissa divina authoritate gubernatio domus et Ecclesiae: sed hoc non est possidere domum, aut gubernare familiam et Ecclesiam, fugere haec omnia et deserere. Ideo ratio concludit esse mera et inania verba in promissione divina, quia res non sequitur, sed in oppositum et contrarium ducitur. vgl. Ps. 118, 22; Matth. 21, 42

Pertinent autem haec ad nostram doctrinam, quia Theologia non est Philosophia, quae res praesentes spectat: rebus prosperis inflatur, et iisdem ablatis frangitur. Estque hoc argumentum rationis et omnium Epicureorum, quod Deus videtur mendax, quia promittit benigne, et profert bona verba, sed dat malas res. Dat Iacob benedictionem, et rursus eam sinit auferri. Contra, maledictus Esau manet in domo cum suis liberis, uxoribus et tota affinitate, et gubernat omnia: sicut antea est paterfamilias et sacerdos Ecclesiae. Iacob vadit in exilium, et deserit suam benedictionem. Haec nimirum est administratio rerum divinarum. Angularem lapidem oportet reprobari, ut discamus discernere inter gubernationem divinam et humanam. Et quod non sit amissa benedictio Iacob, sed sit tantum tentatio, an firmiter eam fide tenere et expectare velit. Sic enim et Abraham iubetur immolare filium, tanquam amissurus, sed mox eum recipit maiore gloria et fructu. Sic David unctus in regem exulat decem annis, est servus servorum, et Rex solo titulo et inanibus verbis, quae audivit ex Samuele: sed durat tamen et perseverat in fide et expectatione, donec eventus promissioni cumulatissime respondet.

Hic cursus perpetuus est Ecclesiae omnibus temporibus, promittere, et postea ita tractare eos, qui credunt promissionibus, ut cogantur expectare invisibilia, credere, quae non vident, sperare, quae non apparent. Hoc qui non praestat, non est Christianus. Christus enim ipse sic intravit in gloriam suam, ut descenderet prius ad inferos. Regnaturus crucifigitur:

glorificandus conspuitur. Primum enim oportet pati, deinde demum glorificari.

Facit autem hoc ideo Deus, ut probet corda nostra, an promissis bonis ad tempus carere velimus: in aeternum non carebimus, hoc certum est. Et nisi tentaret nos Deus, ac differret promissa, non possemus eum diligere ex toto corde. Si enim statim obiiceret omnia, quae promittit, non crederemus, sed immergeremur praesentibus bonis, et oblivisceremur Dei. Sinit igitur Ecclesiam adfligi, et pati penuriam, ut discat non solum in pane, sed etiam in verbo sibi vivendum esse, et ut augeantur in piis fides, spes et expectatio auxilii divini, verbum enim est vita et salus nostra. Et si in hac vita ab Adae filiis dici et credi potest, quod vulgo dicitur: Quod differtur, non aufertur[1]: Cur idem nos Christiani non sentiamus et credamus?

Difficile quidem est et molestum hanc opem et consolationem reti-
Spr. 13, 12 nere. Sicut inquit Salomon Proverb[i]orum 13.: ‘Spes, quae differtur, adfligit animam’, sed res tamen promissa consolatur et sustentat animum. Itaque muniendus est et confirmandus diligenter adversus indignationem carnis, quae in hac expectatione pugnat adversus fidem et spiritum, sicut murmur illud carnis describitur in exemplis duarum coniugum, Tobiae et
Tob. 2, 22 Hiob. Sic enim ait uxor Tobiae: ‘Manifeste vana facta est spes tua, et
Hiob 2, 9 Elemosinae tuae non apparuerunt.’ Et uxor Iob: ‘Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo et morere.’ Idem et amici obiiciebant: ubi nunc fides tua? Si placeres Deo, non ita te adfligi sineret etc. Haec sunt ignita tela Diaboli, quibus nos percellere conatur, ut desperemus et deficiamus a Deo. Sed opponenda est consolatio toties repetita. Est dilatio, non est perditio. Est mortificatio nostri, non est perditio nostri: sed aedificatio. Benedictio differtur: sed expecta et persevera in fide.
Ps. 115, 2 Neque cantes illud in Psalmo: ‘Ne dicant in gentibus: ubi est Deus
Ps. 42, 6 eorum.’ Sed illud potius cogita: ‘Quare tristis est anima mea, et quare conturbas me? Spera in Domino: quoniam adhuc confitebor illi.’ Es wird noch gut werden. Ibi enim pugnat contra se ipsum David. ‘Anima mea, inquit: conturbas me’, quia non adest, quod vis. Expecta saltem, et acquiesce, quia Deus adest et verbum suum.

Si igitur carnales homines possunt se consolari et erigere hoc Symbolo: Quod differtur, non aufertur[2]: Quare non idem nos faciamus? Et talibus exemplis etiam humanarum rerum administratio plena est. Saepe enim Princeps aliquis promittit per literas et sigilla se donaturum fundos, arcem, aut simile aliquid. Ibi quoque non subito id donatur, sed expectanda est oportunitas, expectandus est locus, persona, tempus. Quanto magis expectemus bona promissa a Deo, qui non est vanus, nec mentiri

[1]) *Vgl. Otto l. c. S. 114. Luther denkt wohl an das deutsche ‘Aufgeschoben ist nicht aufgehoben’. Dieses bei Luther nicht belegt.* [2]) *s. Anm. 1.*

potest, sed certo servat et praestat promissa. Sicut Iacob firmiter credit promissioni ipsius, et tamen interim sustinet moram et dilationem hanc. Scit se factum esse dominum Ecclesiae et totius orbis terrarum. Quia ab Abrahae domo translata est benedictio in domum Iacob. Et tamen pergit in exilium, et vivit apud eos, qui sunt Idolatrae.

Talibus exemplis nos quasi nube quadam sumus circundati. Tota enim Ecclesia et quilibet Christianus. Quin Christus ipse, Dominus noster, tolerat hanc voluntatem et gubernationem divinam, quae est tentare: sed non damnare, differre: sed non auferre. Haec igitur Christianorum doctrina propria est, quae pendet ex verbo, et certo statuit Deum infallibiliter daturum, quae promisit. Sed hanc mirabilem gubernationem Diabolus et caro non possunt ferre. Facilius possumus tolerare dilationem promissae rei apud homines, quam apud Deum, quia obstat peccatum originis, ne feramus in divinis rebus, quod in humanis non adeo molestum est ferre.

An non igitur turpe est, quod habentes tam certas et firmas promissiones de vita aeterna et benedictione: tamen dubitamus de voluntate Dei, aut certe infirmiter credimus? Sum baptisatus, et habeo spem vitae aeternae: Neque tamen possum tam firmiter credere, ac si princeps aliquis promitteret praedium aliquod, et promissa literis et sigillis confirmaret. Quo magis laudandum est robur illud et firmitudo fidei in hoc nostro Patriarcha. Is enim suscepturus gubernationem domus, quam habet ex institutione et benedictione divina, fugit et relinquit adversarium et hostem Esau in regimine et possessione, qui fungitur et fruitur omnibus his, quae ad Iacob pertinebant. Nihil movetur tamen fides ipsius, ut vacillet aut deficiat, tametsi appareat, benedictionem prorsus irritam et nihili esse. Quanquam non dubito, imo libenter sic cogito, illos sanctissimos Patriarchas fuisse homines, habuisse carnem et sanguinem, perinde ac nos habemus. Si enim Petrus, Paulus et alii Apostoli habuerunt carnem et sanguinem: ergo et illi humani aliquid passi sunt. Caro enim et sanguis luctatur contra spiritum.

Non est igitur dubium, quin Iacob senserit interdum dubitationem, et tentatus sit, utrum esset benedictio irrita an rata. Caro enim eius fuit vera caro: et Diabolus fuit ei hostis. Non igitur externam tantum tentationem sensit, cum cogeretur ire in exilium, et pelleretur domo et possessione propria, sed accessit etiam interna tentatio longe gravior et sublimior, cum veniret ei in mentem: Quid, si mater te fefellit? Vides enim fratrem manere in possessione, et potiri benedictione. Quid, si Deus mutavit sententiam? Esau enim habet rem ipsam. Ego nihil praeter nuda verba habeo. Ac propter geminam istam tentationem consolabitur eum postea Deus novo verbo.

Discenda igitur est pacientia ex patrum exemplis, qui tentati sunt per omnia: non tamen sine peccato, quo solus Christus caruit. Certe

Iacob non fuit tentatus sine peccato. Non fuit Christus ipse, nec habuit carnem carentem peccato. Et tentatus est nobis in exemplum, ut discamus, quid sit fides, quid vita Christiana. Talis enim est, quae habet promissionem certam, quae non solum differtur, sed in contrarium ponitur. Iacob debet esse Rex et Sacerdos dispensatione divina, sed longe diversum fit ab eo, quod promissum est. Ibi cogitavit: Nihil fiet unquam, non respondebit eventus promissioni. Sed fides luctata est adversus carnem. Tu caro et Sathan mentiris, quia Deus dixit et promisit, is non mentietur, sive fiat contrarium, sive ego interim moriar. Sic fides dixit, et ex tenebris iussit splendescere lumen. Proinde non est ridicula aliqua et frigida qualitas, stertens et ociosa in corde. Sed agitatur et vexatur horribilibus tentationibus de nihilitudine et vanitate promissionem divinarum. Ego enim credo in Christum, quem non video, sed habeo eius Baptismum, Sacramentum altaris, consolationem per verbum et absolutionem. Atqui nihil video eorum, quae promittit: Imo sentio contrarium in carne? Ibi ergo luctandum est et pugnandum adversus diffidentiam et dubitationem.

Sed fides informis nihil valet, nec potest sustinere et ferre illos impetus. Vera autem et vivax fides quae vincit dubitationem, revera est vivacissima qualitas. Si tamen ita appellanda est: et est irrequietum bonum in corde nostro, quod Diabolus singulis momentis impetit et oppugnat. Sicut in primis in agone mortis discitur et sentitur, utrum sit fides informis: an vera et viva fides. Christianus enim subit mortem, ingreditur sepulchrum, absumitur a vermibus, breviter in nihilum redigitur, quod sane contrarium est omnibus promissionibus divinis. Quid igitur faciat? Ibi nimirum experitur fidem non esse nudam qualitatem, siquidem terrores mortis vincit, et dicit: Tametsi non mortem tantum, sed et mille Diabolos et infernum ipsum cervici impositum sustineres: tamen non faciam Deum mendacem. Sic enim adfecti sunt animi piorum in eiusmodi agone. Etsi effunderet infernus omnes flammas, et evomeret in me, quicquid est mali: tamen maneo in fide illa. Credo in Iesum Christum, filium eius unicum: Domine Deus, serva me per Christum, ne oriatur blasphemia illa: Tu mentiris. Contrarium quidem sentio, sed verbum tuum habeo, quod non fallit, imo est mihi omnia in omnibus.

Ad hunc modum scriptura sancta commendat Patres, et proponit exempla fidei ipsorum luculenta. Neque est ulla alia doctrina in mundo praeter scripturam sanctam, quae docet solam fidem esse victricem mundi: quae fides est, habere verbum in corde et non dubitare de verbo. Atque interim pati simpliciter contraria, non frangi, non fatigari usque in finem, hoc est, donec veniat promissio. Hiob ad uxoris exprobrationem duravit
Hiob 2, 10 fortiter. Respondet enim: 'Quasi una de stultis locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?' Si habuimus vitam, si comedimus et bibimus hactenus Deo alente et sustentante, cur non

etiam adversi aliquid feramus? Tobiae uxor etiam cecidit. Sed David manet firmus et constans toto decennio, cum esset quidem Rex sine corona, sine terra, sine populo: Imo a Saulitis esset hostis declaratus et seditiosus. Postea cum Absolon regno eum eiicit, tantum dicit: 'Si pla- 2. Sam. 15, 25. 26
cuero, reducet me. Si autem dixerit mihi, non places: praesto sum, faciat mihi, quod bonum est coram se.' Id nimirum est firmiter retinere promissionem: 'Non in solo pane vivit homo' etc. Haec de fide et pro- 5. Mose 8, 3
missionibus, quae et hoc loco et saepe alias repetenda et diligenter inculcanda sunt, quia caro semper reluctatur.

Porro quaestio hic nascitur: Quare sanctissimi parentes Isaac et Rebecca mittunt filium ad Idolatras. Quia audiemus infra Laban habuisse argenteos deos etc. Coniiciunt igitur filium in apertum periculum, et videntur sic tentare Deum. Quando enim certum et manifestum periculum adeo, tunc recte iudicor tentare Deum.

Quomodo igitur stat fides cum illa tentatione, qua involvunt filium periculo idolatriae et aliorum pessimorum exemplorum? Siquidem Laban non solum coluit deos argenteos, sed etiam fuit avarus, sordidus et plenus viciis, sicut infra apparebit. Potuit igitur Iacob ex eius conversatione corrumpi, et multis viciis contaminari contra fidem et bonos mores? Respondeo: Quo iret? Ducenda erat uxor, paranda gubernatio Ecclesiae et domus. Erant autem Cananeae foeminae prorsus idolatrae, sine omni verbo. Illic vero in domo Nahor reliqua fuit aliqua cognitio pietatis: Quia linea sive series patrum a Noah usque ad Abraham, in qua numeratur Nahor, frater Abrahae, habuit verbum. Quanquam enim in Abrahae domum est translata Ecclesia, mansit tamen etiam in familia Nahor verbum et verae pietatis studium. Patriarchae Loth scriptura nullam amplius mentionem facit. Nahor vero habuit familiam sive posteritatem, in qua natus fuit Hiob, qui fuit de terra UZ: Quidam de Edom descendisse eum contendunt. Sed Hieronymus et alii deducunt eius originem a Nahor, fratre Abrahae. Est ergo Hiob patruelis ipsius Isaac, quia est ex familia Nahor oriundus. Dicunt et Bileam ex eadem familia natum esse, qui fuit primum sanctus vir et pius sacerdos: sed postea corruptus et subversus largitionibus regis Moabitarum lapsus est. Et volunt eum, qui in Hiob dicitur Elihu esse Balaam, sed illa relinquimus tanquam incerta. Consentaneum tamen est, quod illa linea Patriarcharum servaverit cognitionem Dei etiam extra Ecclesiam Abrahae, et manserit in puriore et vera religione. Hoc primum responderi ad illam quaestionem potest.

Deinde etiamsi retinetur sanae doctrinae professio: tamen semper sunt admixti hypocritae, et coguntur vere pii ferre in suis coetibus eos, qui colunt Mammona, aut aliis viciis dediti sunt, et tamen consentiunt de doctrina et usu Sacramentorum. Sunt Christiani nomine, quia non pugnant contra doctrinam, nec persequuntur, sed habent suam carnalem sapientiam,

et sunt plerunque animalia ventris. Quod si illi omnes cavendi, et tantum cum piis habitandum esset, ubi nulli essent hypocritae, tum ex hoc mundo exire nos, ut inquit Paulus, oporteret. Ecclesia non potest prohibere, ne sint in suo coetu hypocritae, hoc est, falsi fratres, modo non impugnent doctrinam, non damnent nos, quales Babilonii tempore Abrahae erant: modo sinant nos cum ipsis vivere, sinant nos docere veritatem. Sint sane Mammonistae et propriarum opinionum: maneant modo quieti, et servent fidem et pacem publicam. Si veri hostes sunt, erumpent, ut aut ferre nos amplius nolint, aut nos cum ipsis habitare non possimus. Illos vero hypocritas cavere non possumus. Et est aliqua spes, quod possint emendari. Qui avarus est, aut aliis vitiis deditus, et sentit suum peccatum, non defendit, de eo sperabimus, quod possit corrigi. Est quaedam stultitia vel infirmitas huius vitae et naturae humanae. Neque nos per omnia possumus esse perfecti, quia secundum carnem non facimus ea, quae vult spiritus. Ac propterea oramus: 'Dimitte nobis debita nostra.' Non defendimus peccata. Non serimus errores et pravas opiniones pro vera doctrina. Caeterum quilibet Christianus vexatur a Diabolo et carne, et agnoscit maliciam et corruptionem naturae. Sicut de se queritur Paulus Romano-
Röm. 7, 19 rum 7.: 'Quod nolo, malum, hoc ago.'

Ita Nahor retinuit promissiones factas patribus, licet non tam pure, ut Abraham, qui segregatus erat ab aliis, ut esset pater Ecclesiae: tamen aliquam lucem habuit. Non potuit igitur meliorem locum, in quem se conferret, Iacob invenire. Et servandum fuit illud, quod vulgo dicitur: arandum esse cum bobus, si desunt equi.[1] Homines enim sumus, homines cogimur ferre, qui si etiam peccant, tamen admittunt admonitionem et correctionem. Ergo non est tentare Deum conversari cum talibus, qualis Laban fuit, cum quo habitavit Iacob. Haud dubie enim multi ex hac domo Nahor salvati sunt, qui inter caeteras gentes tanquam lux quaedam fuerunt docendo et propagando veram cognitionem Dei. Sicut Hiob fuit egregius vir, item amici Hiob. Et Bileam fuit excellentissimus Propheta, principio vere pius, et habuit singularia dona spiritus: vere et recte populo Israel initio benedixit. Postea Diabolus subvertit eum, sic enim potest fieri, ut doctrina pura et sincera maneat, etiam illis subversis, qui primum erant sinceri.

Civiliter ergo non possumus vitare consortium etiam manifeste impiorum. Ecclesia non potuit vitare Romanorum Tyrannidem. Abraham non potuit cavere Ur. Verum quando novi aliquem avarum et aperte aliis iniuriam inferentem, hoc faciendum est, ut ne admittatur ad Ecclesiam et

---

18/19 Romomanorum *L. Druckf.*

[1]) *Unsre Ausg. Bd. 20, 979f. 24:* Proverbium: qui non habet equos, das mufs mit ochsen pflugen; *Thiele Nr. 363.*

ad communionem: inde potest et debet excludi. Sic igitur potest responderi ad quaestionem, cur miserint Isaac et Rebecca filium in Haran, videlicet: quia adhuc in doctrina consentiebant, ex parte, tametsi sua vicia quoque haberent. Et fuit perpetua et constans necessitudo inter Nahor et Abraham eorumque posteritatem. Fuerunt eo tempore quasi luminaria illius saeculi, apud quos fuit promissio et verbum, et non apud Cháldaeos. Ubi autem est ministerium verbi, ibi est Ecclesia. Et econtra, ubi est vera Ecclesia: ibi est verbum.

Sed videamus verba et grammaticam. Cum magno enim adfectu et significatione ingentis tristitiae ista dicuntur, quod Iacob, institutus dominus et haeres, egreditur de Beersaeba, et procul usque in Haran proficiscitur. Quilibet autem ex se coniecturam faciet, quanto dolore bonus et sanctus ille Patriarcha sit contristatus. Haud dubie enim emensus est iter illud tam longinquum multis lachrimis, crebris suspiriis et singultibus, quia clam aufugit, ut occultet se a furore fratris Esau: ne insequeretur ipsum, et in itinere occuparet, et vim aliquam faceret. Proficiscitur igitur solus sine servo, sine duce aut comite. Sic ire in exilium et tenebras, et discedere a patre, a matre, relinquere dulcissimam illam parentum consuetudinem, permittere, ut furiosus frater cum uxoribus dominetur se absente in ista peregrinatione, profecto magna fuit miseria. Et fuit Iacob homo et humanis adfectibus obnoxius, non aliter atque nos sumus. Imo quo fuit spiritualior, hoc magis adfecit et excruciavit animum eius malicia pessimorum hominum, et sua ipsius peccata et aerumnae. Sunt enim tenerrimi homines sancti, ac magis et vehementius commoventur, quam caudices et stipites illi Monachi et iusticiarii. Fuit igitur profectio satis tristis et molesta praeter periculum, quod imminebat a fratre. Non fuit iucunda deambulatio, nec quievit aut progressus est tardius, sicut securi et tuti ab omnibus insidiis solent. Sed festinavit, cucurrit. Neque adiunxerunt ei parentes socium: ideo, ut facilius fratrem Esau caelaret discessum suum. Potuisset enim praecludere viam, et, quod constituerat Iacob occidere. Est autem usus Moses figura, quam dicunt *ὕστερον πρότερον*, Prius enim aufugit Iacob, quam resisteret Esau eum aufugisse.

Postremo accesserunt ad hanc ingentem animi perturbationem Diaboli ignita tela, quibus instigavit eum, ut cogitaret: En, quid feci? rapui benedictionem fratris, turbavi domum, irritavi fratrem et totam eius familiam et affinitatem. Hac tentatione haud dubie Iacob non caruit: et quanquam eas vicit, tamen valde excruciarunt et anxerunt animum ipsius. In hac igitur tanta moestitia, turbatione, curis et lachrymis perrexit sanctus Patriarcha. Singulae enim circumstantiae tales sunt, ut non immerito lachrymas ipsi excusserint.

32 resisteret *L. Erl.*] rescisceret *M. N. O.*

Haran civitas est, in quam Thare, pater Abrahae, fugit ex UR Chaldaeorum, et habitavit ibi. Atque inde vocatus est Abraham in terram Canaan. Nahor autem, frater Abrahae, et posteri eius manserunt illic. Hieronymus dicit vocatum esse Charran, et sita est in Mesopotamia inter Tigrim et Euphraten, quo loco populus Romanus ingentem cladem accepit duce Crasso adversus Parthos, qui aquilas et signa Romanis rapuerunt, et crassum ipsum miserabiliter trucidarunt.

(*'VENIT AD LOCUM'*) etc. Moses in Hebraeo singulari verbo usus est (*PAGA*) quod non potest reddi Germanice. Idem enim sonat, quod dicimus, es trafft eben an, vel occurrit ei locus, Begegnet. Significat
1. Mose 23, 8 ff. etiam verbum id intercedere, ut supra 23. apud Ephron: 'intercedite pro me, ut vendat mihi agrum.' Non igitur significat proprie venire, sed occurrit ei locus, incidit in illum locum. Inde refertur ad intercessionem: propterea quod is, qui intercedit, occurrit ei, qui placandus est, Germanice dicimus: Er kam on gefer an den ort. Casu in locum illum veniebat. Perinde igitur est, ac si diceret Moses: Iacob tristis et perturbatus, non cogitaverat illo loco quiescere, sed ita accidit praeter opinionem. Multo minus cogitavit visurum se ibi apparitionem ea nocte, sed in fuga voluit aut progredi ulterius, aut citra illum locum consistere. Non destinaverat eo loco pernoctare, es gerieth alſo, Nihil minus cogitans, quam se ibi pernoctaturum, et visurum apparitionem istam, sed quia Sol eum praeoccupat suo occasu, cogitur ibi manere.

Significat igitur Moses fuisse Iacob perturbatum et solicitum de suo periculo, de parentum, quos deseruerat, statu et incolumitate, atque in illa moestitia festinasse, ut cito in locum optatum perveniret, et tamen ibi constitisse propter noctem ingruentem. Qui autem fessi sunt tristitia, fuga, solicitudine, defatigatione corporis, facile sopiuntur, et suaviter obdormiunt. Sicut discipulos in horto invenit Christus dormientes prae tristitia. Alii interdum prae moerore somnum oculis capere non possunt. Sed Patriarcha noster curis et ex itinere lassus obdormit.

At qualis lectus? quod cubile aut stratum? Humi recumbit, et capiti cervical supponit saxum, quod eo loco invenit. Non videtur ausus se credere ulli civitati aut pago, quia habuit suspectos omnes homines. Ideo pernoctat in agris, loco deserto et caliginoso post solis occasum. Non habuit foenum aut stramen, quod substerneret, sicut et discipuli in horto nec plumas, nec pulvinaria habebant. Sed ut quilibet in terram procubuerat, ita aut recumbens, aut sedens quiescebat, et somnum capiebat non minus dulcem gt gratum, ac si habuisset plumas aut foenum substratum. Ita prorsus Patriarcha Iacob quiescit in solitudine ista, constitutus in summo periculo et dolore propter fugam et avulsionem a dulcissimis

9 (*PAGA*)] פָּגַע

parentibus. Sunt enim maximae et gravissimae tentationes, quarum gravitate adflictus et oppressus animus opus habet quiete, ut respiret paululum, et mitigetur dolor.

(*MERAESAH*) significat hoc, quod capiti supponitur, et vox est a capite dicta. Iudaei dicunt, sicut Lyra recitat: Iacob supposuisse capiti tres lapides, qui, cum evigilasset, conjuncti fuerint in unum. Nam hic lapides dicit plurali numero, postea autem lapidem dicit in singulari. Utrum hoc ex patribus habeant Iudaei, an non, nescio. Satis pulchra cogitatio esset, si esset orta ex patribus. Videretur enim voluisse relinquere indicia futurae fidei in Christum. Somnium autem Iacob, quod sequitur, prorsus non intelligunt Iudaei.

Et habuit somnium: et ecce, Scala erat posita in terra, cuius culmen pertingebat usque ad coelum: et ecce Angeli Dei ascendebant et descendebant per eam, et dominus innitebatur Scalae, dixitque: Ego, Dominus Deus Abraham, patris tui, et Deus Isaac: terram, super quam tu dormis, tibi dabo et semini tuo. Eritque semen tuum sicut pulvis terrae. 28, 12—14ª

Haec est pulcherrima concio et insignis gemma huius totius historiae, quae accurate et diligenter inspicienda est: propterea, quod saepe diximus, in Legendis sive Historiis Patrum et Sanctorum praecipue id spectandum esse, quod Deus cum ipsis loquitur, qua de causa sancti sunt, et sancti appellantur. Duplex enim est sanctitas. Prima, qua sanctificamur per verbum. Altera est, qua per opus et vitam sancti sumus. Sed hae duae sanctitates sunt accuratissime distinguendae. Illa enim prior et purissima sanctitas est verbum, in quo non est vicium, nec macula, nec peccatum: Sed ita sanctum est, ut non indigeat ulla remissione peccatorum, quia est veritas Dei, juxta illud Ioan[nis 17: 'Sanctifica eos in veritate: Sermo tuus est veritas.' In illa sanctitate nos gloriamur, qui vocati sumus per verbum, et est extra nos, non est opus nostrum. Non est formalis iustitia. Sed coelestis sanctitas, communicata nobis per verbum, et quidem vocale. Illam ergo iustitiam praedicamus, et opponimus omnibus iusticiis, sanctitatibus Papae et omnium hypocritarum, quia est sanctitas impolluta. Ego habeo verbum: ego sum sanctus, iustus et purus, absque omni crimine et accusatione: in quantum habeo verbum. Sicut Christus ipse inquit: 'Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.' Joh. 17, 17 Joh. 15, 3

Sed hanc sanctitatem ignorat Papa, et contemnunt omnes iustitiarii, et haerent in justitia legali. Non ascendunt ad coelestem sanctitatem, qua coram DEO grati sumus propter suum verbum. Ideo legendae sanctorum Patriarcharum inprimis hac parte observandae sunt, quando Deus loquitur

4 (*MERAESAH*)] מְרַאֲשָׁה

cum eis. Nam ex verbo cognoscis, quam magni sint Sancti. Si etiam nullum unquam miraculum ederent: quanquam id est impossibile. Sed antequam caro aliquid facit, sumus sancti per verbum. Sic igitur concludo, verbum non est opus meum: ergo, quando glorior in meo opere, amitto verbum. Econtra: si glorior in verbo, perit opus meum.

Hoc nemo potest persuadere Papistis, qui perpetuo vetus illud obganniunt: Ratio deprecatur ad optima etc. Sed nos meminerimus duplicem esse sanctitatem. Una est verbum, quod est ipsa sanctitas. Habentibus autem verbum imputatur ista sanctitas. Et persona simpliciter reputatur sancta, non propter nos aut opera nostra. Sed propter verbum. Atque ita constituitur tota persona iusta. Quamobrem Ecclesia vocatur sancta, et nos vocamur sancti, quia habemus sanctitatem irrepraehensibilem, non ex nobis: sed ex coelo. Et haec sanctitas non est contemnenda, nec pudeat nos appellari sanctos. Nisi enim gloriamur de hac sanctitate, facimus iniuriam vero Deo, qui nos sanctificat suo verbo. Sed sum peccator, inquies. Scio te esse peccatorem, et si non esses, non vellem te sanctificare, non opus haberes verbo. Ideo autem, quia peccator es: sanctifico te.

Altera sanctitas est operum. Charitas gratum faciens. Ibi non solum Deus loquitur, sed studeo ego sequi loquentem Deum. Quia autem haeret in nobis infirmitas: ideo non est pura iustitia. Sed regnat (pater noster) et orandum est: Sanctificetur nomen tuum. Id ad nostram et operum sanctitatem pertinet, quae est formalis, et pertinet in sanctitatem decalogi et Pater noster sed prior in Symbolum, in Credo referenda est, quia per decem praecepta non appraehendo promissionem verbi. Nec per Pater noster, sed meam charitatem et opera mea illis amplector, per fidem autem appraehendo verbum, id est, ipsam puritatem.

Haec non satis possunt dici et inculcari, et est tamen facilis distinctio praecepti et promissionis. Aliud est verbum, quod absque charitate et iustitia mea iustificat credentem. Aliud est, quando praecepta Dei appraehendo, ut non furtum faciam, non committam adulterium etc. Sed Papistae ita tenebris suis submersi sunt et obruti, ut audientes doctrinam hanc non audiant: neque nos ipsi satis firmiter retinemus. Discite igitur vos ex lectione harum historiarum: quod nos inter legendum semper soliti sumus haerere in hoc loco, quando Deus loquitur cum patriarchis, quia ibi legenda est optima et praeciosissima.

Iam concionem ipsam videamus. Et vel hinc apparet, in quanta moestitia et angustia animi fuerit constitutus Iacob. Versatur enim in tenebris (ut ita dicam) exterioribus, eiectus domo, patria, desertus et solitarius, incertus, ubi tuto latere possit. Et accessit insuper Diabolus, qui miris et mille modis adflictos animos excruciare solet. Ita ut vere
1. Petri 5, 8 illud vulgo dicatur: Nulla calamitas sola[1]: quia circuit Sathan tanquam Leo

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 16, 326.*

rugiens, et quaerit, qua parte sepem facillime transcendere, quibus machinis inclinatum currum possit evertere: Wo der zaun am nidrigſten iſt, da ſteigt er hinüber[1], und wenn der wagen wanckt, ſo ſtöſſet er in gar umb.[2] Sic adflictis et tentatis addit et accumulat tentationem, ut praecipitet eos in desperationem, in blasphemiam aut impacientiam.

Haec sunt opera, hae insidiae usitatae et perpetuae Diaboli. Ideo haud dubie Iacob praeter corporalem crucem et exilium impetitus fuit ignitis telis Diaboli. Forsitan cogitavit de rapina primogeniturae, de patre decepto. Ita enim solet Diabolus ex optimo opere pessimum et ingens peccatum facere. Et huius gravissimae tentationis hoc signum est, quod Deus cum ipso loquitur. Non enim solet frustra sermones et verba sua profundere, nisi magna et necessaria causa eum ad loquendum impellat. Nec solet alloqui aut consolari eos, qui rident ipsum, qui exultant et ferociunt adversus eum in voluptatibus aut sapientia carnis, qui vivunt secure sine timore et reverentia Dei. 'Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium', inquit Hiob. Sed sub cruce oppressorum, et conflictantium cum spiritualibus tentationibus. Ibi et causa et locus est consolationis, ibi adest Deus et consolatur adflictos, 'ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas'. Psalmi 125. Item: 'loquetur ad servos suos pacem': Si enim nimis diu abesset, nemo posset sustinere et perseverare in istis tentationibus et furiis. Magna igitur haec consolatio est in tristissima et ingenti perturbatione, qua magis sopitum esse Iacob apparet, quam defatigatione corporis. Accessit enim ad fugam et exilium Diabolus, perterrefaciens eum intus in corde. Hiob 28, 13 Pſ. 125, 3 Pſ. 122, 8

Somnium vero Iacob hoc est. Scala statuta est super terram, quae summitate coelum attingit, et super ea Angeli ascendunt et descendunt. Et ipse Dominus supra Scalae incumbit, et loquitur illam promissionem huic tertio Patriarchae. Non per hominem loquitur, sed per se ipsum, id quod in historiis patrum diligenter observandum diximus.

SCALA autem est pictura sive imago quaedam, necessario aliquid significans. Quia Angeli sunt spiritus et ignis, iuxta illud Psalmi 103. 'Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem': Ideo non opus habent Scala, in qua ascendant, vel descendant, multo minus Deus ipse, ut incumbat Scalae, cum loquendum est ad Iacob haeredem promissionis. Varie autem expositae sunt imagines sive picturae huius Scalae, quas omnes colligere et recitare non est operae precium. Pſ. 104, 4

Lyra dicit per gradus significari Patriarchas, qui initio Euangelii Matthaei in genealogia Christi recensentur. Vtrunque enim latus significat Christum tam ex peccatoribus, quam ex iustis descendere. Angelos dicit

7 impetitus *L. N. O.*] impeditus *M. Erl.*

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 41, 43, 22.* [2]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 45, 630, 19.*

significare revelationem incarnationis Christi per Patres, Prophetas et Apostolos. Ascensum interpraetatur sanctorum devotionem, quando orant. Haec non est impia cogitatio, sed non videtur esse primaria expositio aut allegoria.

Glossa ordinaria interpraetatur Angelos ascendentes beatos in coelo ministrantes Deo. Deinde descendentes: ut ministrent hominibus. Sicut
Hebr. 1, 14 scriptum est Hebreorum: 'Nonne omnes sunt administratorii spiritus: in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis'? Et
Dan. 7, 10 Danielis 7: 'Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei'.

Gregorius vocat Angelos praedicatores, qui ascendentes contemplentur de Christo. Postea descendentes ad Ecclesiam serviant membris Ecclesiae. Sed quis omnes speculationes enumeret: Sunt quidem piae, sed non in tempore aut loco dictae, ut multa sunt in patribus. Verum est, quod concionator primum ascendere debet per orationem, ut accipiat a Deo verbum et doctrinam, debet item studere, discere, legere, meditari. Postea debet descendere et docere alios. Haec gemina officia sunt sacerdotum, converti ad Deum oratione: ad populum autem doctrina. Sed haec in suo gradu et loco relinquantur.

Quia vero huius scalae mentio fit in Euangelio Ioannis capite 1., illum potius textum inspiciamus. Ibi enim videtur Dominus ipse interpraetari hanc picturam: Quando Philippus adducit Nathanael ad Christum,
Joh. 1, 47 inquit: 'Ecce verus Israelita.' Ibi, ut Augustinus ait, revocat nos ad memoriam istius Scalae Iacob, qui etiam Israel appellatur. Christus sic
Joh. 1, 50 ait: 'Quia dixi tibi: vidi te sub ficu, credis: maiora his videbis.' Et
Joh. 1, 51 addit: 'Amen, amen dico vobis, videbitis coelum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra filium hominis.' Huic expositioni salvatoris nostri oportet nos credere et acquiescere: Quia melius intelligit, quam omnes alii interpraetes, qui tamen in hoc omnes recte consentiunt, quod hoc somnium significaverit infinitum illud, ineffabile et admirandum misterium incarnationis Christi, qui descensurus erat de Patriarcha Iacob. Sicut dicit Deus: In semine tuo etc. Revelavit igitur ipsi Iacob, fore eum patrem Christi: filium hominis nasciturum esse de semine ipsius. Hoc Deus non frustra locutus est. Imo pinxit illam Scalae imaginem ad Iacob confortandum et consolandum in fide futurae benedictionis. Sicut supra Abrahamo et Isaac eandem promissionem dedit, ut docerent et propagarent eam ad posteros, tanquam certam et infallibilem, et expectarent salvatorem de sua carne. Ita miserum et adflictum Iacob in peregrina terra tanquam truncum inutilem confirmat Deus: et transfert omnes benedictiones in ipsum, hac nova pictura, ut certum faciat eum esse hunc Patriarcham, ex quo venturum sit semen promissum Adae.

Ergo oportet nos accipere Angelos in propria significatione, ut Christus vocat Ioannis 1. Angelos Dei, id est, beatos. Illi ascendunt et

descendunt in Christo, vel super Christum. SCALA significat ascensum et descensum, qui fiunt per Scalam, per gradus. Si removeas Scalam, nihil aliud significat: quam ascensum et descensum. Angeli autem non utuntur materiali Scala, nec imaginaria, sed tamen est ascensus et descensus, id est, angelica quaedam Scala. Haec primaria significatio est, sicut Christus ipse sine Scala exprimit descensum et ascensum angelorum super filium hominis.

Sed quis est iste ascensus et descensus? Respondeo: Hoc ipsum mysterium: quod in una illa et eadem persona et verus DEUS et Homo. Unitas igitur personae implet hoc mysterium. Et nos credentes implemus verbum Christi: 'videbitis Angelos ascendentes et descendentes', quia credimus in unum Dominum, filium eius unigenitum, natum ex Maria virgine, verum Deum et hominem. Hoc tantum mysterium est, tam grande, tam ineffabile, ut Angeli ipsi non satis mirari, nedum compraehendere queant. Sed ut 1. Pet[ri 1. dicitur: 'in quae desiderant in aeternum usque prospi- 1. Petri 1, 12
cere.' Quia Angeli non possunt satis laetari et admirari illam ineffabilem coniunctionem, et unitatem diversissimarum naturarum, quam non attingunt, neque ascendendo, neque descendendo. Si sursum oculos erigunt, vident incompraehensibilem Dei maiestatem supra se: Si infra respiciunt, vident Deum et divinam maiestatem subiectam daemonibus et omni creaturae.

Ista sunt admiranda, videre hominem et infimam creaturam, humiliatam infra omnes: et eandem sedentem ad dexteram patris, elatum supra omnes Angelos, videre eum in sinu patris et mox subiectum Diabolo. Sicut Psalmo 8. dicitur: 'Minuisti eum paulo minus ab Angelis.' Item: Pſ. 8, 6
'delapsus ad inferiores partes terrae' Ephes[iorum 4. Haec est mirabilis Eph. 4, 9
ascensio et descensio Angelorum: Videre in eadem et una persona summa et infima coniunctissima: Summum Deum iacentem in praesepi. Ideo ibi adorant Angeli, laetantur, canunt: 'Gloria in excelsis Deo.' Et contra cum humilitatem humanae naturae considerant, descendunt, et canunt: 'Et in Luk. 2, 14
terra pax.'

Nos quoque cum in altera vita idem videbimus, longe aliter sentiemus et loquemur, quam nunc, quia iam talia sunt, quae nec Angeli comprachendunt, nec possunt satiari, imo semper desiderant prospicere in illam ineffabilem bonitatem, sapientiam, clementiam, misericordiam effusam in nos. Quando, quae summa persona est, tremenda supra omnes creaturas in maiestate, ea fit infima et contemptissima. Hoc mirabile spectaculum cernemus in illa vita, eritque perpetuum gaudium beatorum. Sicut est angelorum unicum desiderium et laetitia, quia vident Dominum omnium, qui idem et nihili, id est, infimus est.

Nos carnales et rudes non intelligimus, nec aestimamus magnitudinem harum rerum, vix lactis potum, non solidum cibum gustavimus de illa ineffabili coniunctione et consortio divinae et humanae naturae, quae est talis, ut non solum humanitas sit assumpta: sed talis humanitas morti,

inferno obnoxia facta et subiecta: et tamen in ea humiliatione devoraverit Diabolum, infernum et omnia in semetipso. Haec est communio idiomatum. DEUS, qui creavit omnia, et est supra omnia, est summus et infimus, ut oporteat nos dicere: Ille homo, qui flagris caesus, qui sub morte, sub ira Dei, sub peccato et omni genere malorum, denique sub inferno est infimus, est summus Deus. Quare? quia eadem est persona. Duplex quidem est natura, sed persona non est divisa. Utrunque igitur verum est, summa divinitas est infima creatura, serva facta omnium hominum, imo ipsi Diabolo subiecta. Et econtra infima creatura, humanitas vel homo sedet ad dexteram patris, summa facta, et subiicit sibi Angelos, non propter humanum naturam, sed mirabilem coniunctionem et unionem, quae constituta est ex duabus naturis contrariis et inconiungibilibus in una persona.

Hic est igitur articulus ille, quo offenditur totus mundus, ratio et Sathan, sunt enim in eadem persona maxime contraria. Is, qui est summus, ut Angeli non capiant, non modo compraehenditur, sed ita compraehensus, ita finitus est, ut nihil magis sit finitum et conclusum: et econtra. Sed non compraehenditur, nisi in verbo illo tanquam uberibus, in quibus lac propositum et infusum est, quod fides appraehendit, nimirum: Credo in filium Dei, Dominum nostrum, Iesum Christum, qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine (haec sunt ubera), passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in coelum, sedens ad dexteram Dei, patris omnipotentis, subiectis sibi omnibus angelis. Ibi est Deus et Homo: summus et infimus, infinitus et finitus in una persona, evacuans et implens omnia.

Hic nimirum est ascensus et descensus Angelorum Dei et beatorum, qui in hoc intuentur, in hoc incumbunt, hoc praedicant, sicut videre est in die nativitatis. Descendunt, quasi nullus Deus sursum in coelo sit. Veniunt
Luk. 2, 10 f. ad Bethlehem: 'Ecce, annuncio vobis gaudium magnum: Natus est vobis Dominus.' Et Hebraeorum 1. Cum introducit primogenitum in mundum,
Hebr. 1, 6 dicit: 'et adorent eum omnes Angeli Dei', nimirum iacentem iam in praesepi ad ubera matris adorant. Imo in cruce, descendentem ad inferos, subiectum peccato, inferno, portantem omnia peccata totius mundi adorant, et submittunt se perpetuo huic infimo. Sic igitur ascendunt Angeli, et vident filium Dei ab aeterno genitum. Et contra descendunt, cum vident eum in tempore ex Maria natum. Et sive ascendentes, sive descendentes adorant.

Ad hunc modum Christus hanc scalam exponit. Et hanc iudico principalem et propriam interpraetationem esse huius loci. Et haec est illa ingens et inenarrabilis dignitas humani generis, quam nemo potest eloqui, quod Deus hac miranda coniunctione copulavit sibi humanam naturam. Ambrosius et inprimis Bernardus admodum delectantur hoc loco prae omnibus dulcissimo, et opere isto incarnationis, et quidem recte et pie.

Nam talis delectatio erit gaudium supra omne gaudium, et beatitudo aeterna, cum illic vere intuebimur nostram carnem per omnia similem nobis, et in summo pariter et infimo loco. Haec enim omnia fecit pro nobis, descendit ad inferos, et ascendit ad coelos. Hoc conspectu Angeli perpetuo fruuntur in coelis, et hoc illud est, quod ait Christus: 'Angeli Matth. 18, 10 eorum vident faciem patris, qui in coelis est', assiduo intuentur divinitatem, et nunc descendunt de coelo, postquam homo factus est, et intuentur Christum, admirantur opus incarnationis, vident hominem factum, humiliatum, positum in gremio matris: et crucifixum et abiectum hominem adorant, et agnoscunt filium Dei

Bernardus valde dilexit incarnationem Christi, item Bonaventura, quos duos maxime laudo propter illum articulum, de quo tam libenter et praeclare cogitant, et magna laetitia et pietate in se ipsis exercent. Bernardus existimat, et satis pie imaginatur Diabolum lapsum esse invidia illa, qua invidit hominibus tantam dignitatem, quod Deus futurus esset homo. Vidisse enim Sathanam, cum esset bonus angelus in facie Dei, futurum aliquando, ut divinitas descenderet, et appraehenderet hanc miserabilem et mortalem carnem: et non angelos assumeret, illa indignitate et invidia commotum fremuisse adversus Deum, ut coelo eiiceretur. Hae sunt cogitationes Bernardi non inutiles: quia fluunt ex admiratione immensi amoris et misericordiae divinae. Diabolus fuit formosissimus Angelus et praestantissima creatura: Cum autem videret ita praefinitum esse, ut Deus non assumeret angelicam, sed humanam naturam, incensus est invidia, ira et indignatione contra Deum, quod se, qui esset pulcherrimus spiritus, non vellet assumere, nec posset ipse particeps fieri divinitatis et tantae maiestatis. Doluit illam miseram massam carnis humanae sibi praeferendam esse, cum sibi melius conveniret, quam huic peccatrici carni, obnoxiae morti et omnibus malis. Et quod maxime mirandum est, irrepsit opinio haec in Alcoranum, quocunque tandem authore aut occasione: videtur certe Diabolus ipse suggessisse authori Alchorani, quod ideo Daemones facti essent ex Angelis bonis, quia noluerint adorare Adam. Hoc suum peccatum non potuit caelare Sathan: Ideo suo illi organo indidit ad invidiam movendam Deo. Et veram causam lapsus depravavit, quasi Angeli sint coacti adorare Adam, hoc est creaturam: ideo cum recusassent praecipitatos esse ex coelo, et factos Angelos.

Haec fere congruunt cum imaginatione Bernardi, et suo ipsius indicio prodit Diabolus, in quo peccaverit. Voluit esse similis Deo, cum videret aliquando ita se submissurum DEUM, ut indueret hominem, putavit sibi rectissime convenire hunc honorem. Sicut veteres illum locum Isaiae 14. intelligunt, et ad hunc lapsum et peccatum Diaboli referunt: 'qui dicebas Jes. 14, 13 in corde tuo, in coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.' Vere enim tunc factus esset similis Deo, si Deus assumpsisset

ipsum in unitatem personae, sicut hominem assumpsit. Quia nunc assumpta humanitas, facit hunc hominem filium Dei, quia est una persona. Hic homo natus ex Maria virgine est ipse Deus, qui creavit coelum et terram. Eadem gloria fuisset ornatus Angelus, si filius Dei esset inangelatus, ut ita dicam, et suscepisset formosissimum illum spiritum, sic enim dictum esset: Lucifer ille est verus Deus, creator coeli et terrae.

Hoc videtur ambiisse, inquit Bernardus. Sed cum repulsus esset, magno odio, ira et invidia exarsit adversus Deum, quod sic honoraret humanam naturam cum divina, et ipse cogeretur adorare humanam naturam in divinitate. Hinc illud odium et furor Diaboli et mundi, quo insidiatur et molitur exitium naturae nostrae, quibuscunque potest telis et machinis, quia est summa immanitas odii adversus semen mulieris, filium Dei: umb den iſts zuthun. Estque antiquum et inveteratum odium, conceptum in coelo et radicatum: ita ut in aeternum non queat extirpari. Est igitur Scala admirabilis coniunctio divinitatis cum carne nostra. Ubi ascendunt et descendunt Angeli: et non possunt satis admirari in aeternum. Hic est historicus, simplex et literalis sensus.

Postea alia coniunctio est nostra et Christi, sicut Ioannes pulcherrime
Joh. 14, 10 coniungit: 'Ego in patre, et pater in me', hoc prius est: Posterius: 'vos in me, et ego in vobis.' Haec est allegorica Scala. Allegoria autem debet alere fidem: non docere de rebus nostris, aut operibus nostris. Nos ergo per fidem rapimur, et efficimur una caro cum ipso, sicut inquit Christus
Joh. 17, 21 Ioan[nis 17.: 'Ut omnes unum sint, sicut tu, pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.' Ita in ipsum ascendimus, et rapimur per verbum et spiritum sanctum, et ipsi adhaeremus per fidem unum existentes corpus cum eo, et ipse nobiscum. Ipse caput: nos membra. Rursum ipse descendit ad nos per verbum et Sacramenta docendo et exercendo nos in sui cognitione. Prima igitur coniunctio est patris et filii in divinitate. Altera divinitatis et humanitatis in Christo. Tertia Ecclesiae et Christi.

Haec est vera sententia, quam odit Diabolus, et fortasse praevidit in coelo. Ideo non cessat pugnare contra Scalam et hunc ascensum et descensum, ut ab eo nos abstrahat. Id molitur per omnes sectas et haereses, ut avocet homines a cognitione Christi, ab eius divinitate et humanitate: utque distrahat totam Ecclesiam et membra a Christo. Voluit igitur Deus huic sanctissimo viro obscure significare hoc grande Sacramentum incarnationis filii Dei. Non tantum pro ipsius consolatione, ut in tantis miseriis et ingenti tribulatione haberet respiraculum fidei suae, sed ut esset prophetia in futurum pro omnibus posteris. Quia, quae Moses scripsit de Patriarchis, non propter illos praecipue scripsit, quibus neutiquam opus fuit his scriptis: et iam mortui sunt, et collecti ad suos patres. Sed ut erudiantur et confirmentur Ecclesiae usque ad finem mundi. Neque enim satis diligenter agitare et docere, nec ulla meditatione assequi illam

ingentem miserationem et dignitatem nostram possumus, qua dignatus est pater coelestis mittere filium suum in carnem. Imo ne Angeli quidem satiari possunt, ut dictum est, ascendendo et videndo in coelo filium Dei, et rursum descendendo, ubi vident iacentem in praesepi, crucifixum, mortuum, descendentem ad ima tartara. Iterum vero exaltatum ex inferis sedentem ad dexteram patris.

Breviter, hoc discendum est, Deum et hominem esse unam personam. Qui credit hunc articulum, iam novit omnia esse compraehensa et abscondita in illa persona. Sicut ait Paulus Collossensium 2.: 'In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Et in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.' Huic vero cognitioni et dignitati nostrae quod invidit et adhuc irascitur Sathan, non est mirum. Est enim superbissimus spiritus, qui non potest in illam humilitatem respicere, ut boni Angeli, sed perpetuo in coelum suspicit, et vult esse similis altissimo. Ideo etiam tam horribiliter lapsus est. Kol. 2, 3. 9

Porro quae sunt in concione ista, supra saepe tractata sunt, et confirmantur subinde in sequentibus. Primum est, quod Deus plurali numero appellatur, quia *Elohim* dicitur. Deinde quod Deus non sit mortuorum, sed vivorum Deus. Isti tres Patriarchae: Abraham, Isaac, Iacob etiam mortui vivunt: ergo et nos mortui vivemus, siquidem habemus eundem Deum. Haec semper repetuntur et confirmantur. Matth. 22, 32

Postremo terra Canaan tertio Patriarchae promittitur, cum tamen ne passum quidem pedis tenuerint in ea. Actorum 7. Sed promissione accipiebant et sperabant aliam terram. Et intelligebant Deum loquentem Abrahae et aliis patribus sub istis promissionibus corporalibus promittere etiam mortuis: qui non solum hanc terram habituri erant, sed etiam futuram patriam in fide. De semine dicit: erit quasi populus terrae. Supra ad Isaac stellis coeli comparavit, Item arenae maris, hic pulverem terrae nominat, de quibus supra etc. Apg. 7, 5

Et tu dispergeris usque ad mare occidentale et ad orientem: ad septentrionem et meridiem. Et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae. Et ecce, ego tecum sum, et custodiam te, quocunque perrexeris, et reducam te in terram hanc: neque deseram te, donec fecero, quae loquutus sum ad te. 28, 14b. 15

Hic novum vocabulum ponitur: quod antea non est usurpatum in promissione ista (*Parazta*) Infra 38. etiam utitur eo Moses, quando nascitur *Parez*, filius Iuda, et ait: Obstetrix: 'quare (*Parazta*) rupta est propter te maceria.' Et 2. Regum 5. Cum profligasset David Philistaeos, inquit: 1. Mose 38, 29

---

27 populus terrae *L. Erl.*] pulvis terrae *M. N. O.* [*Erl.*] 36 (*Parazta*)] פָּרַצְתָּ

2. Sam. 5, 20 'Divisit Deus inter me et hostes meos, et vocavit nomen loci illius (*Bahal-*
Ps. 17, 4 *perasim*). Inde *Pariz* latro, grassator, Psalmo 17. Et inde orta est appellatio aviculae: *Parix* ein Maisen: quia est crudelis avis. Mirabilis igitur significatio est huius verbi divideris, erumpes, grassaberis in omnes quatuor partes orbis terrarum. Hoc iam aliud est et plenius, quam quod supra dixit: 'Dabo tibi hanc terram.' Neque tu solus grassaberis, sed tu et semen tuum grassabimini et irrumpetis, vel erumpetis ex isto angulo in omnes quatuor partes terrae. Contrario autem modo eas enumerat. Primum nominat occidentem, hoc enim significat mare, deinde orientem, postremo loco meridiem. Ibi significatur non solum possessio terrae Chanaan et futurae benedictionis ex promissione, sed quod Iacob regnaturus sit in quatuor partibus mundi, et hoc exponet postea.

Inserit autem insigne membrum: 'Benedicentur in te omnes familiae terrae.' Non solum possidebis terram, in qua dormis. Sed erumpes ita, ut sine ulla resistentia procedat, et per vim dispergatur semen benedictum in totum orbem terrarum. Sic valde familiariter loquitur Deus cum Iacob, quasi diceret: Serpens conabitur sese opponere, et resistere huic benedictioni. Et non unam tantum partem oppugnabit in terra Canaan, quae occupabit regnum et benedictionem corporalem. Sed etiam huic parti adversabitur, quae dilatabitur per orbem terrarum in omnes quatuor partes. Ibi summis viribus impugnabit spiritualem benedictionem. Non cessabit: quia non est finis inimicitiae illius, de qua supra in prima promissione dictum est. At vero miserrima illa turba, quae habet benedictionem spiritualem, est infirma et adflicta, 'est exiguus et pusillus grex', ut inquit
Luk. 12, 32 Christus Luce 12, abiectus, contemptus, non dignus, qui censeatur pro Ecclesia. Imo pro aliquo populo, multo minus pro Dei populo. Quid illa exigua turba? Cogitabit Diabolus. Ego devorabo eos in ictu oculi. Sed sine modo rapiat, laceret, persequatur, resistat, impediat (dicit Dominus, et vicissim opponit verbum grassandi). Ego contra grassabor: Ero *pariz* contra *pariz*.

Ad hunc modum consolatur Deus Iacob, et in eo universam Ecclesiam, ut certus sit de posteritate. Quantumvis enim dominetur Esau, abjecto et eiecto Iacob in exilium, et sit sane Rex et sacerdos interim. Adeo ut videantur omnia desperationis plena, et nihil minus verisimile sit, quam quod Iacob sit futurus haeres et gubernator in domo aut Ecclesia, tamen parum id refert, esto fortis et perdura. Non solum enim haeres eris in domo, et benedictio Abrahae et possessio huius terrae tibi attribuetur. Sed et hoc adfirmo te fore Patriarcham totius orbis terrarum, et patrem seminis benedicti, per quem omnes gentes benedicentur. Et tum quidem hoc perficiam, quando ego grassabor contra grassatorem.

1/2 (*Bahal perasim*)] בַּעַל־פְּרָצִים *Pariz*] פָּרִיץ

Significat igitur Deus se velle per fortitudinem Dei et spiritus sancti adversus omnem sapientiam et potentiam principis mundi perrumpere. Idque sic impletum esse scimus, et etiamnum impleri experimur. Horribili furore semper grassatus est Diabolus contra populum Dei a tempore Iudicum, Regum et Apostolorum usque in finem mundi: adeo ut nihil atrocius et crudelius cogitari possit isto principe mundi, et Deo huius saeculi. Sed ego vicissim ero *Pariz*, vicissim perrumpam et grassabor, inquit Deus: ut sentiat in isto *Pariz* vim et potentiam insuperabilem. Idque sua virtute efficit Deus, nulla nostra sapientia, nulla potentia. Quidquid enim in nobis est, infirmum est et nihili, sed tamen in illa, ut ita dicam, nullitate et nihilitudine Deus ostendit suam virtutem, iuxta illud: 'Virtus mea in infirmitate tua perficitur.' Quando putabitis vos esse absorptos et perditos, perrumpam ego et efficiam, ut surgatis et regnetis. Perinde ac Christus cum esset mortuus et infirmissimus, erat fortissimus: quia in ista infirmitate condemnavit mundum et principem mundi cum omni sua potentia et sapientia. 2. Kor. 12, 9

Hoc igitur verbum diligenter notandum est. Et Moses haud dubie bene intellexit, et plurimum eo delectatus est. Patriarchae item accurate inspexerunt emphatica ista et illustria ac significantia verba. Potuisset uti simpliciore, sicut antea simpliciter dixit: 'dilataberis'. Sed maluit uti pleniore, militari et castrensi verbo. Et divus Paulus huc respexit, cum ait 2. Corin[thiorum 10: 'Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem monitionum etc. Et omnes ministri verbi, milites et duces dicuntur. Et Deus ipse in Scriptura appellatur Deus exercituum, militum, pugnatorum, *Parizim*. Et tamen sine vi carnis, sine virtute, sine sapientia humana: Sed virtute spiritus sancti, in summa infirmitate, humilitate, modestia. 2. Kor. 10, 4

Sed quis erit eventus huius pugnae? 'Et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae.' Non erit carnalis aliqua Tyrannis. Non sic grassabor, ut noceam, ut perdam homines, quod potentes in mundo faciunt, qui Tyrannide grassantur per gladium et furorem: tantum ut alii aliis dominentur, et crudelitatem in inferiores exerceant. Sed mea grassatio, mea virtus, mea victoria debet esse salutaris, benedicta, vivifica, benigna, misericors, quae non noceat aut malefaciat hominibus, sed omnibus benedicat, omnes salvet et liberet a peccato, a morte et Diabolo. Et per illam grassationem destruam Tyrannidem et grassationem Diaboli, quae victoria toti orbi terrarum proderit per tuum semen. Sic igitur declarat Deus istam eruptionem per haec verba: 'In te benedicentur'.

Supra autem dixit omnes gentes: hic familias dicit, quae vox minus late patet, quam gentis appellatio, quia unaquaeque gens habet multas

---

25 *Parizim*] פְּרִיצִים

familias. Illa igitur benedictio propagabitur non tantum ad gentes in genere, sed etiam ad familias inter gentes, in specie. Non quod omnes de omni familia benedictionem accipiant: Sed aliqui de omnibus familiis eam amplectentur. Itaque hoc loco benedictio clarior et expressior est, et plenioribus et magis significantibus verbis expressa. Non ponitur hic verbum in quarta coniugatione: benedicent sese, sed simpliciter passivum: benedicentur. Illud, quò supra usus est, fortius est: Et tamen, cum hic dicit: Benedicentur, satis expressit, quod erupturus esset in quatuor partes mundi. Significat enim Benedicentur, idem, quod praedicationem audient. Differunt autem audire praedicationem, et credere ac recipere auditam. Sicut illud superius verbum non tantum praedicationem auditam designat, sed etiam eos, qui recipiunt auditam. Quemadmodum Psalmo 34 dicitur: Ps. 34, 3 'In Domino laudabitur anima mea', id est, Non solum laudor in Domino, sed transitive. Ego anima laudata animor, vel anima mea audiens benedictionis praedicationem gloriatur, admittit et accipit illam benedictionem.

Significat igitur benedictionem illam invulgandam esse, quae venit ex ipso Iacob. Quia non potest praedicari Euangelium de salvatore Christo, quin illud quoque addatur, quod natus sit ex Abraham, ex Iacob. Oportet enim nos habere certam demonstrationem, quod fuerit verissimus filius hominis, naturalis homo, et non spectrum, non phantasma, ut Manicheus delirabat. Ideo habemus eius maiores, qui fuerunt veri homines. Nec potest nominari sine his patribus, sine Abraham, Isaac, Iacob, Adam, ut habeat certam progeniem, verum patrem, veram matrem, et certum sit esse eum de semine humano. Non Angelos, non ullam aliam creaturam, sed humanam naturam induisse. Ideo certus locus nativitatis Christi definitus est patribus et Prophetis, certae personae nominatae sunt, ex quibus debeat descendere: ut non possimus dubitare ipsum verissime esse carnem et sanguinem nostrum, os ex ossibus nostris. Itaque cum ipse praedicatur et laudatur, simul parentes nominantur, ex quibus carnem assumpsit. Et nos quoque simul compraehendimur, propter quos factus est semen Abrahae, Isaac, Iacob, non semen Angelorum. Ideo tam diligenter hoc inculcat et toties repetit: In semine tuo, quasi diceret: Certo scias, quod sis habiturus posteros. Iam es solitarius sine uxore, sine liberis, es extorris: Sed postea habebis filios filiorum, et illum filium, qui faciet filios Dei.

Magnifica igitur haec promissio est: non tantum vitae praesentis: quamvis hanc quoque complectitur, sed etiam futurae. Quia, si debet implere quatuor partes orbis, nequaquam debet esse mortuus, aut si moritur, oportebit eum resuscitari. Est igitur ingens promissio et ardua, atque maior omnino, quam Iacob potuerit compraehendere. Sicut nec nos magnitudinem eius animis complecti possumus, quia cor humanum est angustius, quam ut possit assequi et appraehendere. Et ego arbitror Patriarcham Iacob, postquam experrectus est ex somno, cogitantem de

hac promissione, ita perfusum esse gaudio et laetitia, ut extra sese raptus sit totus attonitus et Extaticus.

Transferenda autem haec sunt ad nostrum usum, ut magnitudinem gratiae Dei, quae per Euangelium nobis patefacta et donata est, agnoscamus. Absolvimur enim per verbum, et dicitur nobis authoritate Christi: Baptiso te, porrigo tibi corpus et sanguinem Christi, et animam tuam per vim grassando rapio ex potestate Diaboli, libero te ex aeterna morte et damnatione, ac constituo te filium Dei, et haeredem vitae aeternae. Haec verba, quae Deus nobiscum loquitur, tam grandia, aeterna et infinita sunt, ut non possimus capere, quia natura mea infirmior est, quam ut possit sustinere. Et ea infirmitate retrahimur et impedimur, ut non sentiamus tantum gaudii et laetitiae, quantum revera verba illa et promissionis divinae adferunt. Si enim ita possem appraehendere, sicut cupio et opto, nihil mirum esset, si prae gaudio subito extinguerer. Cogita enim, quanta res sit, verbo hominis, impositione manuum annunciari et conferri regnum Dei et victoriam adversus Diabolum, peccatum, mortem, constitui in caetum Angelorum et in possessionem coelestium atque aeternorum bonorum. Sed quotusquisque est, qui haec pro eo, ac debet, credit? Multo minus vero compraehendimus, sed tantum appraehendimus utcunque. Et tamen verissima sunt. Ac profecto in hac fide moriendum est nobis: aut excidemus salute nostra, et ne unico quidem momento contra Diabolum salvi et incolumes persistemus: quia horribiliter furit, cum audit haec ita doceri, et persequitur eos, qui praedicant, aut doctrinam audiunt et amplectuntur.

Nos verbo gratis animis et cum laetitia audiamus, et credamus saltem infirmiter. Modo non impugnemus, blasphememus, persequamur, abiiciamus aut abnegemus. Quod non firmiter et perfecte compraehendimus: in causa est miseria carnis nostrae, et angustia cordis, quod non potest capere illam incompraehensibilem gloriam. Sicut Paulus 2. Corinthiorum .8. loquitur: ‘Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius.’ Laboramus tamen et ad- 2. Cor. 9, 15
nitimur, ut tandem compraehendamus, sicut compraehensi sumus. Ac sane infirma, fide quantum, possumus appraehensum tenemus: et illa consolatione nobis acquiescendum est, quod iubet Deus infirmum in fide suscipi. Lex enim membrorum in nobis repugnat, militat et captivat me, non permittit, ut appraehendam firmius tot et tanta bona. DEUS enim promittit et donat thesaurum inenarrabilem, remissionem peccatorum, vitam aeternam, gratiam DEI, haereditatem coelestium bonorum, victoriam et potestatem conculcandi Diabolum. Ego igitur miserrimus homuncio et vermis debeo pugnare contra tot angelos, adversus principes et postetates, adversus rectores tenebrarum. Et quidem sine gladio carnis, sini viribus, sine sapientia, sine virtute? At quomodo? Crede in semen Abrahae, filium Dei. Ista fides est victoria nostra, quae vincit mundum, et superat Diabolum, et destruit portas inferorum: sed est adhuc tenuis appraehensio et exigua

scintilla fidei. Ideo in illa tenui apprachensione nondum apparet, quanta res sit, quam credimus. Dominus det, ut in fide perduremus in finem.

Haec itaque duplex promissio est de semine Iacob, in quo benedicendae sint omnes gentes, id est de Christo, quam in promissionem temporalem tanquam viliorem includit: Sicut puer panniculis involvitur, gemma auro inseritur aut thesaurus preciosus vase testaceo continetur. Temporalis benedictio satis magna et ampla est. Sed illa est maior de grassatione in orbem terrarum. Repetit autem temporalem, et colligat fasciculum promissione hac temporali de posteritate. Sic enim ait: ('Et ecce ego tecum sum' etc.). Habes aeternam promissionem et temporalem de posteritate. Iam hoc tertium addam: Ero in hac profectione et exilio tecum, Quo ad tuam personam, et te ipsum etiam defendam, ut enim ista impleantur, quae promisi, oportet te vivere et defendi. Insidiatur tibi frater Esau: Diabolus te dormientem et vigilantem odit, sed volo tecum ambulare, et ero tuus comes. O optandum et fortem comitem. Ego non solum tecum vadam, ut te deducam: sed ero murus tuus, protector tuus, pugnabo pro te, qui suum futurus filius tuus ex semine tuo, per quem omnes familiae terrae benedicentur. Tecum ero, protegam et tuebor te.

Haec sane ingens consolatio est, quam tenet et credit Iacob: sed satis infirma fide, sicut infra audiemus, cum exercebitur gravissimis tentationibus, et plane contraria specie ab aliis, quae promisit Deus. Cogetur enim pati et ferre iniurias et vexationes a Laban 20. annos. Num hoc est custodire dies et noctes? Servavit tamen Deus promissionem, et respondit tamen eventus: quanquam secundum carnem diversum fieri videretur.

Est igitur insignis promissio, et, ut antea dixi, accurate consideranda, quia haec pars praecipue in Legendis patrum observanda est, ubi audiunt Deum loquentem. Nostra enim vita consistit in sanctitate interna, quae est verbum vel benedictio nobis applicata. Non consistit, sicut ex adversariis etiam optimi contendunt, in nostris operibus. Quanquam non negamus esse bene operandum, macerandum corpus, resistendum concupiscentiis carnis. Et mundus sane capitur ista hypocrisi et speciebus operum, ut verbum Dei ex oculis removeant. Non potest enim humana stultitia distinguere inter verbum Dei et opus nostrum, quae tamen facilis distinctio est et valde necessaria. Hypocritis autem difficilis et impossibilis non intellectu, sed appraehensione.

Nostri adversarii clamitant opus esse aliqua formali iustitia operum. Hoc admiratur mundus. Sed estne id satis? etiamsi sanctissimum virum mihi praedices. Sunt sane magna et laudabilia opera sanctorum, et fatemur necessariam esse dilectionem, abstinendum esse a concupiscentiis malis, mortificandam esse carnem etc., sed ista non facitis, inquiunt: Atqui si omnia haec faceremus, num ideo essemus iusti? Et quare tu ista tant-

opere extollis et admiraris? Nimirum ut opprimas illam alteram sanctitatem divinam. Concedimus sane iustitiam operum, sed ita, ut ea non praeferatur priori. Et ut distinguatur inter preciosum et vile, inter maius et minus, quae distinctio necessaria est cum in tota vita, tum vero in hac doctrina. Imo bruta animantia intelligunt discrimen inter pabula. Canis intelligit carnem meliorem esse pane. Sit igitur aliquid sanctitas operum, et sit necessaria, sed nolumus super eam efferri et praeferri sanctitatem verbi, id est promissionis, quod vivimus coram Deo non formali et intrinseca sanctitate, sed verbi et fidei sanctitate.

Fiat igitur distinctio legitima: Aliam esse sanctitatem operis, aliam verbi vel fidei. Haec est victrix Diaboli, et constituit me filium Dei, quod non fit sanctitate carnis vel operum, etiam decalogi, in quo ne comprae-hendimus quidem illam. Tantum enim initia quaedam habemus de ea. Haec igitur sit prima et principalis praedicatio, quae non est extenuanda. Sicut adversarii operum sanctitatem insidiose urgent, ut obscurent sanctitatem verbi vel fidei. Laudamus Patriarcharum virtutes, modestiam, pacientiam, humilitatem, castitatem, charitatem, peregrinationes cum obedientia Dei susceptas, et alia officia pietatis docemus et imitamur. Sed tamen hoc longe praeferamus, ubi Deus cum ipsis loquitur: Audire verbum Dei promittentis et benedicentis longe aliud est, quam audire praeceptum, quo iuberis aliquid facere aut pati.

Id satis perspicuum et manifestum est differre verbum promittentis et praeceptum iubentis aliquid facere. Ergo et Legendae sanctorum et tota vita distinguatur in haec duo: In verbum Dei, et opus nostrum. Illud Dei solius est, hoc nostrum est, videlicet charitas, pacientia, maceratio et crucifixio carnis. Haec est vita, sed operum, quae non appraehendit sanctitatem verbi, quae est vitae anima: Ideo necessario praecedit, quia est verbum et promissio Dei benedicentis, promittentis, recipientis nos in gratiam, remittentis peccata. Id nimirum debet praecedere: Remittuntur tibi peccata: Ego sum Deus tuus, noli timere diabolum, ego tecum sum, custodiam te, non deseram te. Post remissionem autem peccatorum sequitur: Tolle grabatum, et vade in domum tuam. Praecedit: confide, fili, hoc est, primum agnosce me propicium, placatum, faventem, absol- Matth. 9, 6
ventem. Prius meum beneficium accipias, ut libereris a peccato et a morte: Postea sanatus, tolle grabbatum, et ambula, doce, fac opera. Ita Iacob confirmatus primum fide de gratia et benedictione postea ambulat, operatur et patitur, sicut sequitur: 'Evigilavit de somno, et dixit' etc.

Hactenus igitur audivimus magnificam istam promissionem datam Patriarchae Iacob non solum de benedictione posteritatis et de Christo: sed etiam de praesenti gubernatione et defensione in exilio, ut certus sit

8 nolumus *L. M. N. O.*] volumus *dürfte zu lesen sein* *32* grabatum *L.*] crabbatum *Erl.*

de vita, de victu, de reditu et victoria omnium passionum et tribulationum futurarum. Quia infra videbimus ingentibus malis conflictatum esse, antequam haec implerentur. Et tamen per illa genera omnia mortis et infinitorum malorum debet reduci, et manere benedictus et haeres posteritatis et haereditatis futurae. Memorabilis igitur inprimis haec exempla sunt: quia non solum ostendunt Deum locutum cum patribus: Sed testantur etiam, quod Deus loquens non mentiatur, tametsi omnia in contrarium ferri et fieri videantur, mundus furere, caro, adversarii, Diabolus grassari cum omnibus portis inferorum. Ipse enim dixit et facta sunt. Sed difficile est perrumpere nobis credentibus, quia totus furor Sathanae in hoc unum incumbit, ut nos separet a verbo, ut defatigati et fracti vel multitudine, vel diuturnitate tribulationum deseramus et abiiciamus verbum. Coniunguntur igitur haec duo, omnipotentia verbi et infirmitas, sive, ut ita dicam, inomnipotentia cordis humani, quod tam diu debet sustinere, ferre, durare, donec impleatur verbum.

Sic Bernardus de fide virginis Mariae loquitur cum esset ipsi annunciatum ab Angelo, quod futura esset mater Christi, non fuisse minus miraculum virtutem illam fidei in virgine, quae potuerit credere verbis Angeli, quam ipsam incarnationem verbi. Proinde res maximae sunt in historiis sanctorum verba, quae Deus loquitur, cum sanctis. Sunt quidem virtutes et facta eorum celebranda, et ea quoque requirit Deus, sed infimo loco collocentur, tanquam pedes. Caput vero in vita sanctorum est ipsum eloquium divinum. Quod autem omnia in contrarium cedunt, sicut apparet, ab iis, quae promittit Deus in verbo, id fit potentia Diaboli et infirmitate nostrae carnis, quae dubitat de perpetuitate et veritate verbi promissi. Sicut infra videbimus magno impetu impugnari istas potentissimas et opulentissimas promissiones: ‘Tecum ero, custodiam te’ etc.

Nos, qui non versamur in iisdem periculis et difficultatibus, quibus Iacob conflictatus fuit, legimus ista oscitanter et obiter, cogitamus esse facilia et levia, sed si ipsius loco essemus, aliter sentiremus. Qui enim credimus Deo promittenti, et sumus redempti Christi sanguine, videmus omnia fieri apud Christianos per modum desperationis et impossibilitatis: Ita ut oporteat hominem simpliciter mortificari cum carne, cumque universa sapientia et ratione: et ex solo verbo pendere: sicut videre est in sanctis Patriarchis. Qui non praefert verbum suis consiliis, imo suae ipsius vitae, ille valeat, et fiat gentilis et Epicureus. Nunquam enim fructificabit nec sibi, nec aliis, quia vult gubernare res impossibiles et incomprahensibiles sua sapientia et consilio. Ideo actum est de eo. Non fluent igitur omnia ad nostram voluntatem et praescriptum. Id simpliciter discendum et statuendum est.

Sic nos quando absolvimur a peccatis, habemus verbum, quod est fundatum et firmum in promissionibus Dei. Sed an non patimur contraria,

et sustinemus certamina maxima contra Diabolum, mortem, infernum et nostrum sensum? Atque id quidem vehementer dolet carni: Tamen Deus interim fideliter implet promissa iis, qui credunt, et per pacientiam expectant. Sicut dicitur in Epistola ad Hebraeos: ‘Per fidem sancti vicerunt Hebr. 11, 33 regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.’ Sic patriarchae Iacob fuit inprimis necessaria consolatio, cum in exilio isto, tum infra, cum a Laban graviter adfligitur: quam tamen non sine ingenti certamine retinere potuit, licet clare et certo promittat Deus: Non deseram te, donec fecero, quae loquutus sum ad te. Sicut discipuli Christi verborum et omnis consolationis tempore passionis prorsus obliviscuntur. Prolixe ipsis fuerat concionatus, sicut tribus capitibus illa Concio describitur, cum inquit: ‘Haec locutus sum vobis, ut, cum venerit hora, non scandalisemini.’ Sed Joh. 16, 1 quid profecissent tam insignes consolationes et exhortationes, tum apparebat, cum crucifigeretur. Ibi nihil prorsus eorum recordabantur, quae audierant et viderant Christum dicentem et operantem. Haec autem ideo nobis proponuntur, ut discamus, quanta res sit fides, quod non sit frigida et ociosa qualitas, sicut somniant Papistae.

Evigilavit autem Iacob de somno suo, et ait: Vere Dominus est 28, 16
in loco isto, et ego nesciebam.

Fuit haec apparitio vel visio non vigilantis, quales pleraeque apparitiones sanctorum sunt. Sicut supra apparuit Dominus Abrahae in Mamre per Angelos. Hae sunt apparitiones vigilantium, et certiores sunt, quam illae: quae in somniis exhibentur. Et tamen, nisi hae quoque habeant suas analogias aut motus cordium et fidem, non sunt verae. De somniis autem non facile possum disputare, quia sunt communia impiis et piis. Sicut et Ethnicorum historiis describuntur somnia Iulii Caesaris, Galbae, Bruti, Cassii et aliorum, quibus sic oblata sunt somnia, ut sequeretur veritas et res ipsa. Neque tantum eventus responderet: sed etiam intelligerent somnia, postquam evigilassent. Et similia his sunt somnia Pharaonis et Nabuchodonosoris, quae in sacris historiis extant.

Sic igitur distinguemus inter somnia. Quaedam sunt politica vel privata, hoc est privatarum vel publicarum rerum somnia. Haec habent suum genus et suas species, ideo in suum ordinem referenda sunt. Neque de iis hoc loco dicemus. Quaedam somnia sunt, de quibus scriptura sancta loquitur, pertinentia ad res Ecclesiasticas et aeternas. Haec vera somnia sunt, de quibus hic dicendum est.

Pharaonis somnium pertinebat ad annos sterilitatis et fertilitatis. Est igitur politicum et privatum. Sic et Nebucadnezaris somnium corporale erat, pertinens ad regnum illud. Talia multa sunt, quae dispergit Deus inter gentes, sicut alia dona multa, iuxta illud Acto[rum 14.: ‘Benefaciens Apg. 14, 17 de coelo nobis, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia

corda nostra.' Ita dispersit regna et coronas inter pios pariter et impios. Observandum tamen est in universum de politicis somniis, quod ea quoque debeant habere analogiam cum re praesenti, et tantam etiam impressionem, ut somnians permoveatur et concitetur. Non sint somnia melancholica, nihil
Sir. 34, 4 ad rem pertinentia, de quibus dicitur Ecclesiastici 34.: 'Ab immundo quid mundabitur, et a mendace quid verum dicetur?' Ibi vocantur omnia somnia immunda, quibus qui credit, fallitur. Et extat vox Catonis: Somnia ne cures.[1]

Semper autem disputatum est de somniis: Sitne eis credendum, an non? Falsi Prophetae solent somnia sua praedicare. Ideo saepe prohibet Deus, ne credatur eis, si enim non habet suam analogiam somnium, polluitur is, qui credit: et somnium vanum est. Nihilominus tamen constat immitti somnia etiam prophanis hominibus, quae sunt vera, et habent congruentes significationes. De his certas regulas tradiderunt. Primum non sint vagae et evanidae imagines sive cogitationes: sed habeant analogiam ad rem praesentem. Deinde ita moveant animum, ut somnians angatur et
Dan. 2, 29 turbetur. Sicut inquit Daniel ad Nobuchodonesor: 'Tu Rex cogitare coepisti in statu tuo, quid esset futurum post haec' etc. Significat regem fuisse anxium et sollicitum in somnis de regno et futuro statu post se. Oportet igitur adesse solicitudinem quandam: deinde maximam commotionem, vel impressionem, qua is, qui somniat, commovetur et adficitur. Sed haec non disputo. Ea enim somnia nobis consideranda sunt, de quibus Moses loquitur, cum quidem alias damnet somnia.

4. Mose 12, 6—8 Sic enim ait Dominus ad Aaron: 'Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei', hoc est, si quis praeest gubernationi rerum Ecclesiasticarum, ei loquar per sermonem, vel visionem, vel somnium. Ad Mosen autem dicit se loqui longe alia et sublimiore ratione: non per sermonem concionatoris sive discipuli Prophetarum, non per visionem, sive imagines, neque per somnium, sed 'ore ad os, inquit, loquor ei'. Ibi tamen approbat
Jes. 6, 1 Deus suas revelationes. Primum verbalem, deinde visionem, qualis Isaiae 6. describitur, tertio somnium. Has tres species probat Deus, sed in Prophetis, hoc est, iis, qui funguntur officio Ecclesiastico, et praesertim si somnia ad verbum pertinent, et cum verbo congruunt. Ibi observandum est, an commoveant somniantem, an habeant suam analogiam, et non pugnent cum verbo. Ac perinde valet, ac si verbum ipsum sive per visionem, sive per vocem vigilantium offeratur. Quemadmodum Iacob habet verbum et rem certam. Accepit enim benedictionem, et est divinitus vocatus ad Patriarchatum: est constitutus Episcopus, dominus et

[1]) *Cato, Disticha L. 2.*

gubernator Ecclesiae et domus verbo divino, per benedictionem patris Isaac. Hoc fundamento posito inspiciatur somnium: Congruatne cum fundamento, an non. Videatur, utrum sit stipula, an aurum, quod superstruitur fundamento. Sicut loquitur Paulus 2. [!] Corinthiorum 3. 1. Kor. 3, 12

Ad eundem modum in politica functione fundamentum est positum: Quanquam Ethnici verbum non habent, tamen rem habent et vocationem, qua ad gubernationem et imperium in bello et pace ordinati sunt. Si iam Imperatori aut duci Ethnico offertur somnium, quod habet analogiam, hoc est, consentit cum re ipsa et cogitationibus suis, id neutiquam inane duci debet. Multo magis igitur somnium Iacob pro vero et significante habendum est, quia praecessit institutio et manifesta vocatio divina ad Pontificatum et primogenituram, et fundamentum verum est promissio. Angitur autem de futura consummatione totius structurae super fundamentum. Siquidem occurrunt multae adversitates, ut appareat totum aedificium ruiturum, ibi animus fluctuare et dubitare incipit de successu et impletione promissionis. Ideo adest Deus, et immittit clarissimum somnium, quod consentit cum re, quodque habet analogiam cum fundamento. Accedit praeterea commotio, sicut dicit Textus: 'Timuit', id est, ad reverentiam fuit impulsus, cum videret congruentiam somnii cum fundamento.

Haec vera et significantia somnia sunt, quae nunquam abeunt sine effectu, sicut nec verbum ipsum. Et ferunt secum fundamentum verum, et motum cordis, qui concordat cum fundamento: et accedit simul fides cum utroque congruens. Sin autem inania somnia sunt, qualia iactant falsi Prophetae: respiciendum erit ad analogiam, an vere fuerit perculsum et commotum cor tuum, quanquam id quoque possit Sathan efficere: tamen cum verbo conferes. Si aliter somniaveris, quam verbum ipsum sonat, memineris esse fallax et vanum. Hoc vero somnium Iacob pulcherrime concordat cum voce divina, quam audit caelitus demitti: 'Ego Dominus' etc. Errant igitur impii in interpraetandis et accipiendis somniis. Sicut etiam in expositione signorum ac prodigiorum hallucinantur, quia non observant, nec habent verbum. Quemadmodum Monasteriensibus anabaptistis accidit, qui viderant arcum in nubibus, et iuxta eum manum cruentatam. Id pro se arripiebant tanquam signum victoriae: cum tamen ipsis minaretur exitium, sicut exitus ostendit. Errabant autem in interpraetando, quia non attendebant fundamentum nec vocationem. Non enim habebant verbum nec potestatem gladii: siquidem non gerebant magistratum ordinatione et vocatione divina. Si tale aliquid exhibitum esset vel ostento vel somnio in regno Alexandri aut Iulii Caesaris, facilior fuisset interpraetatio, propterea quod habebant verbum et ordinationem Dei. Proinde etiam politica somnia, quae vaga et extra fundamentum sunt, hoc est, quando persona non est publica, aut in magistratu, et quando non accedit commotio et analogia, sunt irrita.

Sed Ecclesiastica certiora sunt, quae habent verbum, habent verum fundamentum et analogiam. Sicut Christianus hoc potissimum nititur, quod est baptisatus: cum hoc fundamento si congruit somnium, pertinens ad confirmationem piorum et terrorem impiorum, id tuto amplecti poterit. Sic enim Iacob confirmatur somnio, quod habet analogiam benedictionis suae. Scit se benedictum esse, et futurum sibi Deum patrem et protectorem, iuxta verbum promissionis, sed quia angitur et trepidat cor ipsius metu insidiarum et mortis: ideo in tanta moestitia apparet ei Dominus, et loquitur ei per somnium, quod concordat cum re, et veram analogiam habet, quia loquitur cum eo idem Dominus, et eadem loquitur, quae antea in benedictione audiverat. Idem Dominus est, idem verbum, quod in domo patris audivit.

Sed multo magnificentius colloquium est, quam quod habuit cum patre. Experrectus igitur e somno miratur et dicit: Putabam Dominum tantum esse in domo patris. Ideo in Ecclesia patris audivi hactenus verbum Dei. Verum et hoc loco invenio Deum. Idem enim Dominus, quem praedicari audivi in domo patris, hic mihi loquitur. Imo hoc colloquium longe est excellentius: adeo ut hic potius, quam in domo patris, videatur esse domus Dei. Et tamen locus iste est in medio inimicorum. Discit igitur Iacob Ecclesiam Dei esse etiam in medio inimicorum. Sicut
Ps. 110, 2 dicitur Psalmo 110.: 'Dominare in medio inimicorum tuorum.' Id profecto insigne est: Ibi enim debet esse Ecclesia Dei, ubi nos putamus esse infinitos diabolos. Sicut locus iste, ubi dormit Iacob, est circa Ierosolimam, ubi dominabantur Cananaei et potestas Sathanae, ut nihil minus videretur esse, quam domus Dei. Et Iacob sic tantum cogitabat: Si potero unam noctem salvus et incolumis hic manere, sat habebo, cras mane surgam, et fugiam. Non aliud potuit ei in mentem venire, quam se dormire in medio inimicorum, ubi regnaret princeps mundi et Deus saeculi. Ecce autem hic Deus est, inquit: quod ego nesciebam. Non enim putabam esse Deum extra domum patris mei Isaac, ubi ipse pastor est, ubi data mihi est benedictio. Sed revera video et experior Deum mirabiliter implere promissionem suam, qua dixit: Hanc terram tibi dabo. Iamque intelligo me futurum dominum huius terrae, in qua iaceo, quod in tanto terrore et moestitia minime futurum speraveram. Ad hunc modum Deus opulenter consolatur Iacob per somnium hoc. Et Iacob conterritus et commotus somnio habente analogiam, et consentiente cum re ipsa, mirifice confirmatur. Est igitur verum somnium.

Disputant porro de loco isto Bethel, ubi fuerit, quia est celeberrimus
Hos. 12, 5 in Prophetis et tota scriptura sancta, praesertim in Hosea: 'In Bethel inveni eum' etc. Et postea perpetuo in populo Israelitico celebratus et cultus est, adeo ut Ierobeam, sapientissimus et maxime industrius vir, hunc
1. Kön. 12, 29; Hos. 10, 5 locum sibi delegerit, ubi alterum vitulum aureum erigeret prope Ierosoli-

mam. Sicut alterum in Dan statuit versus aquilonem. Hos duos enim Deos sive Idola sapientissimo consilio secundum rationem effinxit rex, et collocavit in duabus extremitatibus provinciae. His postea accesserunt vituli Samariae.

Est autem Bethel in extremis finibus regni Israel, in Ephraim: et templum Ierosolymitanum, aedificatum a Salomone, aberat duodecimo lapide a Bethel, hoc est, tribus parvis milliaribus. Sic igitur astute ratiocinatus est Ieroboam: Instituam Idolatriam duobus locis, ut populus mei regni utrinque cultum et locum certum habeat, per quem detineatur intra fines regni. Tantum scandalum excitat loco valde opportuno prope Ierosolimam, ad quem fiebat concursus a multitudine, relicto verbo et templo Dei. Quanquam multi etiam ex Israelitis contemnebant, sed Prophetis perpetuum certamen erat cum idolatris illis usque ad destructionem et excidium regni. 'Nolite ire in Gilgal, in Bethel', clamabant, 'in Bethaven' Hos. 4, 15 (sic enim Bethel appellabant). Ibi enim quaerebant singulares cultus, sàcrificia, incensiones, invocationem: tantum ut contemneretur templum et cultus in Hierusalem, de quo dixerat Deus: 'Hic habitabo' etc.

Mirifica autem specie sanctitatis tuebantur idolatriam suam. Iactabant enim tam illustrem apparitionem factam Patriarchae Iacob hoc loco. Hic visam esse Scalam, locutum esse Deum cum Iacob in hoc loco: non in Ierusalem. Prophetae igitur et praesertim Hoseas, magno studio contradicebant et damnabant idolatriam hanc, sed nihil proficiebant: sicut nos, quando doctrinam de sola fide iustificante toties et tam clare inculcamus, obiiciunt adversarii sua Bethaven, Ecclesiam, authoritatem patrum, quae profecto non est exigua tentatio, qua multi a vero cognitione et studio Euangelii seducuntur.

Significat autem Bethel idem, quod domus Dei, Hie wonet Gott, Gotteshauß, Gotta. Ille magnificus titulus et nomen insigne mirabiliter movit populum, ut diceret: Vides haec revera sic gesta esse, attestante ipso Mose. Hic locus est Bethel et domus Dei, Ierusalem non est verus locus cultus. Hic enim apparuit et locutus est Deus: Igitur hic est adorandus, sicut Iacob adoravit, et vovit se velle instituere cultum, et dare decimas. Hoc ingens fuit scandalum, de quo graviter queruntur Prophetae, et in primis Hoseas. Nos in Papatu nullum habemus simile, quod tantam speciem habeat.

Variant autem ab hac sententia plerique omnes commentatores, qui dicunt hunc locum Bethel esse Ierosolimam, imo templum ipsum. Sicut de monte Morija, cuius supra Cap[ite 22. facta est mentio, dicunt esse hunc ipsum locum Bethel. Ubi Sem et alii Patres adoraverunt, sacrificarunt, et postea etiam templum aedificatum est: ita ut ante Patriarcham

6 Ierosolymitanum] Ierosolomitanum *L. Druckf.*

Iacob fuerit Bethel et domus Dei, ubi Patres adoraverunt et sacrificaverunt, ubi Abraham filium Isaac immolare voluit. Nec dubium est, quin locus ille fuerit destinatus conventibus Ecclesiasticis, sed quod hic locus sit ipsa Ierosolimorum urbs, non facile persuadebunt: et quantum historiae et Prophetae testantur, situs fuit extra Ierusalem, et abfuit ab urbe ad duodecimum lapidem. Lyra[1] recitat duos versiculos, quibus compraehensa sunt octo nomina urbis Ierosolimorum.

Solymo, Luza, Bethel, Hierosolyma, Hiebus, Helia,
Urbs sacra Ierusalem dicitur atque Salem.

Sed de Luza et Bethel ego dubito. Et haec mea sententia est de ista disputatione. Mutationes civitatum sunt mirabiles et variae. Ac si eorum opinio vera est, qui hanc appellationem urbi Ierosolimorum tribuunt, tum sane concedo ad tempus esse vocatam civitatem istam Bethel: Sed ita, ut non retinuerit hoc nomen, sed translatum sit in urbem Ierusalem. Aut ea appellativo nomine Bethel dicta sit: non proprio, quia repugnat descriptio
Jos. 8, 9 ff. locorum in Iosua, qui significat Ai et Bethel fuisse vicinas urbes, si modo haec civitas Bethel mansit usque ad tempora Iosuae, et videtur fuisse
1. Mose 12, 8 parvus vicus prope Ai. Sicut supra dictum est: Abraham inter Bethel et Ai castra metatum esse. Si igitur Iacob vocavit Ierusalem Bethel, fecit id appellativo nomine, non proprio, quasi diceret: hic habitat Deus: alioqui non possum conciliare aliorum opinionem cum Prophetis. Consentiunt etiam historiae Iudicum et Iosua, quod mons Morija fuerit locus in Bethel, ut conveniat cum verbo Iacob: 'hic est domus Dei'. Alioqui certum est appellationes urbium varie et saepe mutari.

Sed haec omitto. Libenter sic velim imaginari: Hunc locum esse montem ipsum Calvariae, si non certis et firmis, attamen piis cogitationibus: ubi Dominus ipse dormivit. Et arbor ligni vetiti stetisse eodem loco dicitur. Ideo voluit Deus, ut ibi Christus crucifigeretur et moreretur. Et locus, ubi vidit Iacob Scalam, esset idem locus, ubi Christus, verus Iacob, dormivit in sepulchro, et resurrexit, et Angeli descenderunt et ascenderunt. Ita recte et vere hic locus Bethel vocaretur: Sed haec imaginatio tantum est: si non vera, tamen sine periculo. Neque quicquam etiam periculi est, si non habeamus certas appellationes locorum. Inter Ierusalem et Bethel, tempore Abrahae et Iosua, fuit distantia trium milliarium, sive propria appellativis mutata sunt, sive non: parum refert. Octo illa nomina, quae recitat Lyra: idem significant, quia ibi visus est Dominus visione pacis.

Haec relinquo Grammaticis. Satis nobis est, quod scimus Iacob hic confirmari in fide promissionis, quod eundem Dominum Deum hic vidit, idem verbum audivit, eandem Ecclesiam vidit in somno, quam domi audivit

[1]) *Vgl. Biblie iampridem renovate pars prima: complectens pentateuchum: una cum glossa ordinaria: et litterali moralique expositione Nicolai de Lyra (1501) S. 90.*

et vidit. Quanquam ipse solus hic adest, et praeter eum nemo alius, ut discamus ibi esse Ecclesiam Dei, ubi verbum Dei sonat: sive in media Turcia, sive in Papatu, sive in inferno. Sermo Dei enim est, qui constituit Ecclesiam, is est Dominus omnium locorum: ubicunque illud auditur: ubi Baptismus, Sacramentum altaris et absolutio administrantur, ibi certo statue et conclude: Hic certe est domus Dei: hic est apertum coelum. Sicut autem verbum, ita et Ecclesia nulli loco alligata est. Non est dicendum: Romae est Pontifex maximus: Ergo ibi est Ecclesia. Sed ubi Deus loquitur, ubi est Scala Iacob, ubi Angeli ascendunt et descendunt, ibi est Ecclesia, ibi aperitur regnum coelorum.

Timuit igitur et dixit: quam terribilis est locus iste: non est hic aliud nisi domus Dei, et hic est porta coeli. 28, 17

Haec admodum mirabilis oratio est, cuius similem non habet tota scriptura sancta, neque in veteri, neque in novo Testamento. Appellatur enim locus iste domus Dei et porta coeli: quod hoc uno tantum loco, et nusquam alibi dicitur. Ac nihil hoc aliud est, quam regnum coelorum, et ipsum coelum dicere: Quia domus Dei est locus, ubi habitat Deus. At ubi habitat Deus? nonne in coelis? Coniungit igitur terram cum coelo, et coelum cum terra. Constituit coeleste habitaculum et regnum Dei in illum locum terrae, et dicit: hic est regnum coelorum, est porta coeli, qua patet aditus in coelum, et exitus e domo Dei. Distinguit enim inter coelum et terram, id est, inter praesentem et futuram vitam, quia promittit sibi post hanc vitam aeternam vitam et regnum coelorum, quod in praesenti inchoatur, imo sentit iam nunc Iacob se esse et vivere in eo. Ex hac igitur locutione haud dubie Prophetae plurimas et insignes revelationes hauserunt. Hinc manarunt illae promissiones in Daniele et alibi, ubi assimilatur Ierusalem regno coelorum. Caput 8. Danielis: 'Magnificatum est usque ad exercitum coeli, et deiecit de exercitu et de stellis et conculcavit eas.' Dan. 8, 10 Ibi enim nihil aliud significatur, quam Ecclesia et Doctores et auditores in ea.

Deinde definitur hic Ecclesia, quid sit, et ubi sit. Ubi enim Deus habitat, ibi est Ecclesia, et nusquam alibi, quia Ecclesia est domus Dei et porta coeli, ubi patet introitus in aeternam vitam, et egressus ex terrena in coelestem. Ubi autem non fuit locutus, nec habitavit Deus, ibi nec Ecclesia fuit unquam. Nobis hodie ingens certamen est cum perditissimis hominibus Papistis de Ecclesia: cuius nomen et titulum sibi confidenter arrogant, et iactant apud se esse Ecclesiam, et quidem in suis doctrinis et ceremoniis. Etsi vero fatemur esse apud eos Ecclesiam, quia habent Baptismum, absolutionem, textum Euangelii, et sunt inter eos multi pii, tamen si hoc adiunctum volunt, quod Papa et pompa illorum sit vera Ecclesia, Hoc neutiquam concedemus. Et opponimus hunc textum: Domus

Joh. 14, 23 Dei et Ecclesia Dei sunt idem. Iuxta illud Ioannis 14.: 'Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus': oportet adesse mandata, et ea diligere. Non enim facit mansionem Deus, nisi habuerimus mandata eius. Si Ecclesia debet esse domus Dei, necesse est, ut habeat verbum Dei. Et ut Deus solus sit paterfamilias in hac domo.

Non autem accipimus illam additionem Papisticam: qui clamant: Habetis a nobis claves, Sacramentum altaris, vocationem et ministerium, quae sunt notae verae Ecclesiae. Sed unum deest, quod non vultis agnoscere Papam et Cardinales esse Ecclesiam. De hoc igitur certatur inter nos et Papistas. Nos nolumus admittere hostem iuxta patremfamilias. Non enim possunt simul eandem domum regere Christus et Sathan. Quae
2. Kor. 6, 15 enim est conventio Christo cum Belial? Si igitur colendus est Papa, necesse est, ut abnegemus Christum. Non enim patitur is Sathanam regnare in sua domo. Si volumus habere Ecclesiam, non oportet eam pollui et permisceri ulla Sathanica doctrina. Sunt autem traditiones Papisticae impiae, et pugnantes contra verbum Dei, propter quod verbum solum Deus vult apud nos mansionem facere. Ergo fugiendae sunt traditiones illae, quia Belial et Christus non possunt unius domus Domini aut patresfamilias esse.

Proinde hic locus et alii similes diligenter observandi sunt, unde discamus Papam cum suis non esse Ecclesiam. Quodsi obiicitur: tamen habent Baptismum, coenam Domini etc. Respondeo. Quia habent purum verbum et Baptismum, pertinent ad nos et ad veram Ecclesiam. Qui vero coniunctam pompam habent, non sunt Ecclesia, ut maxime habeant Baptismum, textum Euangelii etc. Habent tamen frustra, quia Christus et Belial non concordant, coangustatum est enim stratum, ita ut alter
Jes. 28, 20 decidat, et pallium breve utrunque operire non potest. Isaiae 28.: 'Lectus nec ferre, nec operire ambos simul potest.' Atqui hoc unum ipsi unice student, ut subintroducant et defendant suas abominationes. Ideo semper
1. Kön. 18, 21 hoc opponendum est: 'Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.' Dominus et Baal non conveniunt, quos tamen Ahab studebat coniungere: volebat servire Deo in puro verbo, et miscere simul traditiones humanas. Contraria autem non possunt simul consistere, sed tollunt se mutuo.

Sic igitur inquit Iacob, hic locus, in quo dormio, est domus et Ecclesia Dei. Hic Deus ipse erexit cathedram, et ipse prior concionatur de posteritate et perpetuitate Ecclesiae. Iacob vero cum sua posteritate in lumbis suis est auditor, et Angeli in coelis. Si enim vel una tantum persona est, quae verbum audit cum Angelis, qui adsunt una, satis est.

Describit vero gloriam huius Ecclesiae admodum magnifice, videlicet

---

19 patresfamilias *Erl.*] paterfamilias *L. M. O.*

quod pateat ibi introitus in regnum coelorum. Sic enim nos gubernat Deus, ut hic in terris, ubicunque nobiscum loquitur, pateat aditus in regnum coelorum. Haec sane insignis consolatio est: Ubicunque audimus verbum, et baptisamur, ibi ingredimur in vitam aeternam. Ubi vero invenitur locus iste? In terra, ubi stat Scala tangens coelos: ubi Angeli descendunt et ascendunt, ubi dormit Iacob. Est locus corporalis, sed est ibi ascensus in coelum sine scalis materialibus, sine alis et pennis. Fides sic loquitur: Vado ad locum, ubi docetur verbum, ubi porrigitur Sacramentum, administratur Baptismus. Et omnia illa, quae fiunt me vidente in loco corporali, sunt coelestia et divina verba et opera. Non est locus iste tantum humus aut terra, sed est magnificentius et augustius quiddam: nimirum regnum Dei et porta coeli. Hic itur ad astra, ut apud Poetam[1] dicitur: Non est, quod curras ad S. Iacobum, aut in angulum secedas, sive abdas te in Monasterium, ne quaeras novum et stultum introitum: sed fide intuere locum verbi et Sacramentorum. Eo dirige gressum: ubi sonat verbum, et administrantur Sacramenta: Atque ibi adscribe titulum: PORTA DEI. Sive id fiat in templo et publicis congressibus, sive in cubiculis, quando consolamur et erigimus aegrotos, sive assidentem nobis in mensa absolvimus: Ibi est porta coeli. Sicut inquit Christus: 'Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum': ibi est domus Dei et porta coeli per totum orbem terrarum, ubicunque verbum cum Sacramentis pure docetur. Matth. 18, 20

Non autem, ut mundus solet, carnalibus tantum oculis, et brutorum in morem locum externum intueamur. Nec verbum ipsum inanem quendam sonum esse arbitremur. Est quidem vox humana et homo est, qui loquitur verbum: Templum ipsum est constructum ex lapidibus et ex lignis. Et templum nostrum: quando non habentur ibi congressus, non est templum Dei: Nisi relative sic dicatur. Sed quando habentur ibi conciones, quando administrantur Sacramenta, ordinantur ministri ad docendum: Tum dic: Ibi est domus Dei et porta coeli, quia Deus loquitur, iuxta illud 1. Pet[ri 4. 'Si quis loquitur, tanquam sermones Dei loquatur: Si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus.' 1. Petri 4, 11

Sed coecitas et stupor mentium nostrarum quasi nubes quaedam oculis est obiecta, ut tantam gloriam non videamus. Magna vero dignitas et maiestas haec est, quando dicitur: Hoc est verbum Dei, audio hominis vocem, video gestus humanos, panis et vinum in coena sunt res corporales. In ordinatione fit impositio manuum carnalium hominum. In Baptismo aqua est aqua. Sic enim et non aliter iudicat caro de his omnibus, sed si aspexeris oculis spiritualibus illam additionem Nimirum cuius verbum illud sit, quod ibi dicitur et auditur: Non hominis quidem (si enim hominis

[1]) *Virgilius, Aeneis 9, 641.*

verbum est, tum Diabolus loquitur), sed Dei, ibi intelliges esse domum Dei et portam coeli. Domus lignea aut terra per se non meretur hoc nomen: sed terra, in qua sonat verbum, est Dei terra, non creatoris, sed gubernatoris suae Ecclesiae, qui suos sanctos hoc modo gubernat, ut ingrediantur in regnum coelorum. Sic aqua, quae funditur in Baptismo, est aqua non creatoris, sed Dei salvatoris.

vgl. Röm. 7, 23 At vero video aliam legem in membris meis repugnantem fidei. Scio enim esse verum: et tamen non possum adsentiri certo et plena fiducia. Non possum tantum credere, quantum vellem. Ita est sane. Sed ne ipsi quidem Angeli possunt appraehendere et perspicere, quanta res sit, quae hic geritur et dicitur. Ita ut non possint eo aspectu et consideratione satiari. Optarim tamen me tantum appraehendere, quantum velim nunc: sed ne id quidem fieri potest. Resistit enim caro et sanguis,

Hebr. 12, 1 sive pondus illud et circunstans nos peccatum, de quo Hebraeorum 12. dicitur: quod deprimit spiritum, qui libenter vellet illa capere et haurire ad plenum, ut inebriaretur: sed modico contentum esse oportet, tantum ut lingua refrigeretur.

Interea vero adsuescendum est, ut illam additionem possimus facere, quam hoc loco Iacob et Angeli in coelo faciunt: Caro enim tantum defigit oculos in aquam, in panem, in vinum, in terram, ubi dormivit Iacob: sed spiritus debet videre aquam, manum, verbum Dei, et Deum in aqua. Caro tam acute videt, ut iudicet aquam esse aquam, et excludat Deum, sicut Sacramentarii et Anabaptistae faciunt. Discendum igitur est contra prospectum carnis non esse verbum simplex et inanem tantum sonum: sed esse verbum creatoris coeli et terrae. Sic impositio manuum non est traditio humana: sed Deus facit et ordinat ministros. Nec pastor est, qui te absolvit: sed os et manus ministri est os et manus Dei.

Agnoscamus igitur et magnifaciamus Dei immensam gloriam, qua se nobis patefacit in sua Ecclesia. Non enim talis domus est, in qua creat, sicut initio ex nihilo condidit omnia: sed in qua nobiscum loquitur, nobiscum agit, pascit, curat dormientes et vigilantes. Quotusquisque autem est, qui hoc credat? Res vera est et verbum maximum, quo Angeli in coelis delectantur, et audientes implentur gaudio et laetitia propter cognitionem hanc Ecclesiae. Neque tamen aspicere, considerare, admirari ad satietatem possunt, Ecclesia enim compraehendit in se Deum, conversantem nobiscum: Ita ut vivificet, custodiat et sanet nos. Et ista cohabitatione hoc operatur, ut sit domus Dei et porta coeli in hac vita.

Haec profecto immensa sunt et admiranda: Ideo discamus gloriam Ecclesiae pro dignitate amplificare et magnifacere: non vilipendamus eam, neque veram eius dignitatem in rebus ludicris et nihili collocemus, sicut sacrilegi Papistae solent, qui fingunt Ecclesiam esse debere corporalem congregationem constitutam in potu, cibo, vestitu etc. Quanquam nostra

quoque Ecclesia habet corporalia et externa multa, ut est panis, aqua, terra etc., sed magna diversitas est inter ea, quae iactant Papistae, et quae nos habemus corporalia. Illa enim sunt contra Deum suscepta et usurpata, non pro Deo aut secundum Dei verbum: ideo tantum inanis fucus, imaginatio et falsa species est Ecclesia ipsorum. Econtra maxima res est, quod Iacob definit esse hic domum Dei, ubi Deus cohabitat nobis, ubi nos sumus familia, imo filii et filiae, et ipse pater noster, qui nobiscum loquitur, agit, operatur familiarissime, ut Ecclesia sit etiam porta coeli. Ideo enim nobiscum habitat, ut intremus in regnum coelorum. Et quod est dulcissimum, ipse prior venit et apparet nobis in Scala, descendit et conversatur nobiscum, loquitur et operatur in nobis.

Sic constituitur Ecclesia inter homines, quando fit cohabitatio DEI cum hominibus: hoc fine, ut sit porta coeli, et ut egrediamur ex hac terrena vita in aeternam et coelestem. Quis potest haec satis mirari aut compraehendere, quod habitat Deus cum hominibus? 'Haec nimirum est coelestis illa Ierusalem, quae descendit de coelo a Deo, habens claritatem Dei': ut in Apoca[l]ypsi 21 dicitur: Et est essentialis definitio: Ecclesia est locus vel populus, ubi Deus habitat, ideo ut faciat nos intrare in regnum coelorum: quia est porta coeli. Et sequitur inde optima consequentia: Ergo in Ecclesia non debet audiri, videri, nisi quod facit Deus, iuxta illud: 'Si quis loquitur, tanquam sermones Dei loquatur: Si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus'. Sin autem incertus sum de verbo aut administratione divina, tacendum est. Sed quandocunque ministro, hoc est, baptiso aut absolvo, debeo certus esse, quod meum opus non sit meum: sed Dei operantis per me. Baptismus est operatio Dei: quia non est meus, quanquam accommodo manus et os tanquam instrumenta. Sic quando absolvo te, aut voco ad ministerium, et impono manus, non dubitabis, quin Dei virtus sit, iuxta sententiam Petri. Ut sit integra definitio Ecclesiae, quae est habitatio Dei in terra, non ut in terra maneamus: Sed ideo administrantur Sacramenta, ideo docetur verbum, ut introducamur in regnum coelorum, et per Ecclesiam ingrediamur in coelum.

Offb. 21, 2

1. Petri 4, 11

Hoc vidit Iacob, viderunt et posteri eius, videmus nos quoque et omnes, qui nunc sunt, aut post nos erunt Ecclesia, quod sit domus Dei, inducens ex terra in coelum. Estque locus Ecclesiae in templo, in schola, in domo, in cubiculo. Ubicunque duo aut tres conveniunt in nomine Christi, ibi habitat Deus. Imo si quis secum loquitur et meditatur verbum, ibi Deus adest cum Angelis, et sic operatur et loquitur, ut pateat ingressus in regnum coelorum. Econtra in traditionibus humanis non habitat Deus, quia non loquitur ibi. Semper enim ad illud respiciendum est, quod Iacob Deum audit loquentem et operantem. Ea sunt vere Ecclesiastica officia, introducentia in regnum coelorum. Ecclesia autem Papistica non est regnum coelorum: quia quaerit aurum, argentum, regna, coronas mundi. Hae sunt

vgl. Matth. 18, 20

claves ipsorum: Quaecunque ligaveris super terram, id est, deposueris Reges, eripueris Regna etc. Illac iter est ad infernum. Audiamus itaque cum Patriarcha Iacob: non Papae, non traditionum humanarum vocem: sed Dei verba. Quando enim is loquitur, tum patet porta et ingressus ad regnum coelorum.

28,18. 19 Consurgens igitur Iacob mane tulit lapidem, quem posuerat pro cervicali capitis sui, et posuit illum in statuam, effundens oleum super summitatem eius. Et vocavit nomen loci illius BETHEL, quae prius Luz vocabatur.

Ps. 2, 2 (*MAZECHAH*). In statuam sive erectionem. Est eadem vox, quae ponitur 2. Psalmo: ‘Adstiterunt reges terrae.’ Erexit lapidem, ut staret, non iaceret: in modum altaris aut columnae. An dormiverit vero Iacob in civitate Luz, an in campo extra civitatem, non possum adfirmare. Alii volunt eum in campo dormivisse, alii in Luz civitate, sicut propemodum videtur textus sonare.

Bethel autem significat eum locum, qui supra dictus est Moriia. Ac habuit nomen hoc domus Dei ab initio. Ideo verisimile est saepe a Diabolo vastatum, et subinde restauratum esse, quia perpetuum bellum geritur inter Diabolum et Deum. Nunc Deus eum eiicit et pellit: Nunc rursus depravata doctrina speluncam latronum in locum Ecclesiae substituit Sathan, et concacat locum templi Dei. Tempore Davidis tenebat hunc locum Arafna Iebusaeus, et construxerat ibi horreum, sive aream, in quo terebat triticum:
2. Sam. 24, 24 quod Sathana sic impellente factum fuerat, odio et contemptu istius loci: sicut antea eum saepe conspurcaverat. David vero emebat eum post luem, quae in populum grassata fuerat, et aedificabat ibi templum sive altare, et immolabat Domino, quod esset exauditus 2. Reg|um 24. Existimo enim fuisse eum locum, in quo Iacob dormivit, et Deus singulariter eum dilexit propter Patres, propter Sem, qui ibi praedicavit, et miracula fecit, et alios ante et post Sem: Abraham, Isaac, Iacob et Christum ipsum.

Diabolus autem est superbus spiritus, ideo libenter occupat loca sancta et munda, qualis iste fuit, Sicut testatur vox Iacob: ‘Terribilis est locus iste’, quasi diceret: Moriia est venerandus locus propter Deum colendum et venerandum, cuius cultus fuit hoc loco et adhuc est. Eamque ob causam nominavit eum Bethel, qui prius dicebatur Moriia. Propterea quod Deus ibi apparuit. Interea autem, dum habitat Iacob in Aegypto cum familia, postea etiam toto tempore iudicum occupatus fuit a gentibus et Diabolo, donec a Davide restitutus, et a Salomone templum ibi conditum est. Quanquam potuit fieri, ut prorsus vastaretur hic ipse locus, in quo recubuit Iacob. Siquidem Hoscas et liber Iudicum manifeste ostendunt Bethel civitatem abfuisse 12. lapide ab Hierusalem. Si igitur Moriia est locus,

7 effundens *M. N. O. Erl.*] effudens *L.* 10 (*MAZECHAH*)] מַצֵּבָה

ubi dormivit Iacob: tum amisit nomen, et alius locus postea fuit Bethel. Quanquam ego appellative accipio Bethel, hie wonet Gott.

Sed unde habuit oleum, quod effudit super lapidem? Respondeo. Si fuit ibi civitas, sicut Textus ostendit, facile invenit, a quibus emeret. Nihil aliud autem significare voluit hac effusione olei, quam quod dicavit et consecravit hunc locum in futuram domum et habitationem Dei: propterea quod ibi locutus est Dominus, et Angeli fuerunt auditores. Quia vero desunt homines, qui haec quoque audiant et cognoscant, cogitavit se in reditu ex Mesopotamia aedificaturum ibi sacellum, aut aram excitaturum et celebraturum tam insignem et illustrem apparitionem Dei. Oleum designat unctionem et consecrationem, qua Reges et sacerdotes ungebantur, vasa item et vestes, ut ab usu prophano ad sacrum segregarentur. Unde et nostrae simiae pontificiae oleo usi sunt, sed sine verbo. Iacob autem non elegit ipsum locum istum, sed casu in eum incidit, et ibi audivit verbum Dei. Itaque locus consecratus est a Deo ipso, cui placuit hic habitare. Pronunciat igitur Iacob hunc locum esse sacrum, et ut suum testimonium relinqueret posteris, fundit desuper oleum, et promittit se consecraturum in domum Dei, si foeliciter absolvisset peregrinationem. Non proprio instinctu, neque traditionibus aut consiliis hominum motus. Sed quia timet ibi, hoc est, colit Deum, in loco terribili et colendo propter sermonem Domini, quem ibi audiverat. Allegoriam de spirituali consecratione omitto.

Vovit quoque Iacob votum dicens: Si fuerit Deus mecum, et 28, 20—22
custodierit me in via ista, quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum: Reversusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi dominus in Deum. Et lapis iste, quem erexi in titulum, erit domus Dei: cunctorumque, quae dederis mihi, decimas offeram tibi.

Postremus locus huius capitis est votum Iacob, de quo Lyra prolixe disputat. Primum omnium autem quaeritur, quare sanctissimus Patriarcha dubitat, vel saltem, in modum dubitantis loquitur: Si Deus me cibaverit, si me reduxerit etc. An non enim debebat certus et persuasus esse accepta promissione, sibi haec omnia nunquam defutura esse? Deus enim non potest mentiri, qui promisit posteritatem. Quod si futurus est pater multarum gentium: necesse est eum vivere. Mortui enim non possunt esse aut fieri parentes. Si igitur debet vivere, necesse etiam est, ut habeat victum et alia ad hanc vitam necessaria. Quare autem ita loquitur, ac si dubitaret de his omnibus? Quin etiam confirmatus est illa illustri visione, ubi Deus repetivit promissionem: non deseram te, donec omnia perfeceris, quae dixi. Unde igitur tanta dubitatio post certissimas illas promissones Dei?

Omitto sublimiora, quae possent hoc loco adferri, et haerebo in inferioribus. Supra enim et saepe alias dixi, mihi admodum placere, et esse nobis salutare, audire infirmitates sanctorum. Quia haec exempla infirmitatis magis necessaria sunt nobis, et plus consolationis adferunt, quam heroicae illius et summae fortitudinis aliarumque virtutum exempla. Sicut non multum me aedificat, quod David occidit Goliath, Ursum, Leonem etc. Talia enim ego non possum imitari, siquidem superant vires meas et omnem cogitationem meam. Commendant quidem sanctos in sua virtute et heroica fortitudine. Sed nihil ad nos: qnia sunt sublimiora, quam ut assequi aut imitari queamus. Quando autem exempla infirmitatis, peccatorum, trepidationis, tentationum in sanctis proponuntur, ut quando lego Davidis querelas, gemitus, pavores. desperationes, illa me mirifice erigunt, et praebent ingentem consolationem. Video enim, quomodo ipsi pavidi et perterrefacti non perierunt, sed erexerunt se promissionibus acceptis, unde mihi quoque non desperandum esse colligo. Nam in lucta ista inferni, in pavoribus et certaminibus conscientiae ita sentiunt ac loquuntur, ac si nullas prorsus promissiones habeant, et tamen servantur et sustentantur tandem verbo.

1. Kor. 2, 3 Vide enim Paulum, qui de se dicit: 'Ego in infirmitate et timore et
2. Kor. 7, 5 tremore multo fui apud vos.' Item: 'foris pugnae, intus timores.' Itane loqueris, Paule? Num id decet electum illud organum, habens promissionem, quod debeat portare nomen Christi coram gentibus? Quo vadis, Paule, in carcerem inferni, pavoris, desperationis? Ubi nos manebimus, si tu dubitas, et propemodum diffidis de certissima vocatione tua? Sed sic oportet fieri, etiam cum summis sanctis. Promissiones enim divinae non sic dantur, ut securos nos faciant. Sed sic, ut Paulus alio loco dicit:
2. Kor. 12, 7 'Datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Sathanae, ut me colaphiset.' Quare? 'ne magnitudo donorum, gratiae et misericordiae divinae extolleret me.' Ideo immittit Deus luctas, tentationes, certamina, ut indies clarius ac certius promissiones Dei intelligamus et retineamus: quod non fieret, si semper heroicam illam fortitudinem exercerent sancti: quin tandem promissionem et omnem expectationem securi amitterent. Ideo oportet eos exerceri, ut retineant fidem, spem et expectationem promissionum. Atque haec demum nos aedificant et consolantur, quando videmus Patriarchas et Prophetas similes nobis fuisse, tentatos infirmitate, dubitatione et quasi desperatione et amissione fidei.

Quid potest nobis utilius et ad consolationem aptius proponi exemplo petri? Is super aquas Christo obviam procedit. Ac primum quidem descendens de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Iesum: Sicut inquit Euangelista, currebat magno impetu, heroico et principali spiritu,

26 nos *L. M. N. O.*] non *Erl.*

quia norat Christum adesse, et habebat verbum et promissionem verbi ad petitionem ipsius: 'Si tu es, jube me ad te venire super aquas.' Sed mox Matth. 14, 28
spirante ventulo labascit et mergitur. Quid nunc? ubi ille ingens spiritus? Quare dubitasti? Sed placuit hoc Christo, ut tantaretur in hunc modum. Nisi enim esset tentatus, esset inflatus. Atqui melius est tentari, quam inflari. Sic enim retinentur promissiones, et sic discimus intelligere gemitus illos sanctorum: 'Domine, ne in furore tuo arguas me', Psalm 6. Nam Ps. 6, 1
is quoque talis et tantus vir erat, ut testimonium ei perhiberetur: 'Inveni 1. Sam. 13, 14
David, filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas', et tamen sic orat, et luctatur cum tentationibus diffidentiae et desperationis.

Ita nos quoque vocati sumus, et habemus promissiones multo clariores et illustriores, quam patres habuerunt, sicut praedicat istam foelicitatem Petrus: 'Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis atten- 2. Petri 1, 19
dentes, quasi lucernae lucenti' etc. Multo magnificentius nobis promissa et oblata est gratia et vita aeterna, quam illis. Filius enim venit, et impletae sunt omnes promissiones. Filium ipsum audimus, habemus Sacramenta, absolutionem et Euangelium dies noctesque nobis annunciat: Sanctus es, sanctus es, remissa sunt tibi peccata, beatus es etc. Sed quid facimus? trepidamus adhuc, et haeremus in nostra infirmitate per omnem vitam. Cur autem non excitamur Patriarcharum exemplo, qui crediderunt perfectissime? Respondeo. Fuerunt illi quoque infirmi, perinde ac nos sumus, quanquam nos opulentiores promissiones habemus, quam ipsi. Sed ita fit, quemadmodum ad Paulum vox divina sonuit: 'Virtus mea in infirmitate tua per- 2. Kor. 12, 9
ficitur.' Alioqui enim Deus non posset retinere et implere promissiones suas in nobis, nisi occideret illam stupidam, superbam et securam carnem in nobis.

In hunc finem supra propositum fuit exemplum Isaac et Rebeccae, qui etiam metuebant, et metu cogebantur filium mittere in exilium: quod tamen pugnabat contra promissionem et benedictionem datam: Sed non erat tentandus Deus, et filius temere in periculum coniiciendus, ut maxime firmae essent et certae promissiones. Sic enim ego quoque sum absolutus per verbum, usus sum Sacramento altaris. Num dicam igitur: Non laborabo, sedebo ociosus, si debeo vivere, vivam? etc. hoc esset tentare Deum. Imo debes uti datis et concessis divina benignitate, debes gubernare, operari et quaerere, ut non tentes Deum. Non debes te praecipitare in periculum, aut Albim ingredi neglecto ponte, quod promissionem habes, Deum non velle te deserere. Sic enim Isaac et Rebecca non voluerunt tentare Dominum, sed stante certissima promissione sequuntur consilium, quod Deus inspiraverat. Deus enim implet promissiones suas certis mediis. Non est dicendum cum fanaticis illis, qui statuunt esse omnia praescita: Si sum praedestinatus, salvabor, sin minus, peribo. Si est moriendum, nihil proderit

cura corporis et vitae: Si sum futurus doctus: fiam etiam sine libris etc. Sed non dedit Deus promissiones suas hoc ordine. Sic enim dicitur
Röm. 8, 30 Ro|manorum 8: 'Quos praedestinavit, eos vocavit, quos vocavit, hos iustificavit' etc. Ipse finem promissionum suarum non vult implere immediate, sed per media. Dedit usum creaturarum, quibus est utendum Christianis, donec veniamus ad finem promissionum divinarum. Sicut Iacob septus promissionibus utitur tamen loco, tempore, personis.

Haec exempli causa dico, quo posset aliquis fortasse excusare sanctissimum Patriarcham, quod non voluerit tentare Deum. Sed non volo eum excusare, sicut nec alios sanctos, quasi nunquam dubitarint aut peccaverint. Quia nobis salutare et plenum consolationis exemplum est, ac longe gratius, quam si Simsonis aut Davidis heroica facta proponantur, de quibus ipsi nullas habebant promissiones: sed spiritum fidei heroicum habebant.

Iam de voto Iacob dicendum est. Hunc enim locum et exemplum Iacob allegant Papistae adversus nos, qui vota monastica impugnamus. Iacob vovit votum et servavit: Igitur qui voverit, debet servare. Et addunt
4. Mose 30, 3 locum Numeri 30: 'Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod
5. Mose 23, 21 f. promisit, implebit.' Item Deut|eronomii 23: 'Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus a te, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris' etc. Haec et alia multa loca et exempla adducunt Monachi contra nos, ut stabiliant et confirment abominationes suorum votorum.

Sed ut eas refutare possimus, primum omnium haec regula diligenter tenenda est, quod iustificatio, remissio peccatorum, gratia vel misericordia est prima, et veluti lapis angularis. Atque ea est simpliciter gratuita et nullis operibus impetrata. Hanc regulam semper in conspectu habeamus, quod neque ex operibus, neque ex lege iustificamur, sed gratuito, praeveniente gratia omnia nostra opera et merita. Sicut apud Isaiam dicitur:
Jes. 65, 1 'Inventus sum a non quaerentibus.' Hic sit lapis angularis, et Deus sit initium nostrae salutis, qui manifestet et revelet se nobis, ut ipsum agnoscamus. Hoc caput est et fundamentum, quod in tota scriptura proponitur. Primum omnium est ipsum verbum Dei, ut et ipsa creatura est verbum
Röm. 1, 19 vocale, quo omnes gentes agnoscant Deum. Rom|anorum 1. Necesse est aliquid esse sive verbum, sive factum, praecedens, quod nos movet, hunc primum motum oportet esse a Deo. Hoc certum est: Persona primum fit accepta, accepta, inquam, gratia iustificante et dono spiritus sancti, quo agnoscit homo Deum talem salvatorem. Haec est vere prima gratia, ubi nos nihil facimus, sed tantum patimur: audimus Deum loquentem verbum, et sentimus operantem per verbum vocale et Sacramenta, per quae in nobis exuscitat cognitionem sui.

Iam hoc posito, quod est certum et primum, sequitur altera sententia: quod bona opera necessario nihil aliud sint, quam gratiarum actio et glorificatio, qualiacunque sint: sive elemosinae, sive vota, sive passiones, sive mors denique ipsa. Illa omnia debent numerari inter sacrificium gratiarum actionis: Quia Deo nihil possumus dare, nihil mereri aut efficere, ut personae nostrae iustificentur. Iam vota monastica tantum sunt operis operati. Ego enim et omnes monachi vovemus Deo castitatem, paupertatem etc. Quare hoc facimus? Quia volumus mereri remissionem peccatorum et salvari. Pugnant igitur cum articulo iustificationis tanquam abominationes et blasphemiae, pessimae, et sunt omnia vota monachorum impia et sacrilega. Quia Monachi sunt de numero illorum, qui quaerunt Deum, quos damnat Deus, et econtra dicit per Esaiam: 'Inventus sum a non quaerentibus.' Item: Jes. 65, 1 'tollite vos ipsi sacrificia vestra, et comedite.' Non volo vestra sacrificia: Non curo vestra vota. 'Nunquid manducabo carnes taurorum?' 'Quam Ps. 50, 13 domum mihi aedificabitis?' Ubi prius habitavi, antequam conderem coelum et terram? Sed hoc dixi: Audite vocem meam, audite verbum Domini, omnis Iuda. Meum verbum sit apud vos: ut sim ego initium salutis vestrae. Quia inventus sum a non quaerentibus, ut scias, quid sit gratuita iustificatio sive remissio peccatorum, qua persona est accepta, non propter aliquod opus, qualecunque illud sit. Sicut Iudaei hodie se mirabiliter macerant, ut inveniant gratiam Dei, ut placent iram Dei: sed nihil proficiunt. Hoc iam satis certum et firmum est.

Plurimum igitur differunt votum Iacob et vota monastica. Votum Iacob non est votum iustificationis vel remissionis peccatorum. Imo nisi iam antea persona per remissionem peccatorum esset accepta et filius Dei, non fieret per votum iustus, quin ne faceret quidem votum. Votum non facit arborem: sicut fructus arboris non est arbor, sed votum est fructus fidei. Sic ergo damnamus in universum vota monastica et sacrificia omnia, etiam illa, quae sub lege et Mose praescripta erant. Nam de iis quoque dicit DEUS: Nolo sacrificia vestra. Quare? Quia vos facitis *ὕστερον πρότερον*, vultis me quaerere vestris sacrificiis et placare, hoc non feram ego, ut aliquid fiat ad me placandum: sed agnoscite me iustificatorem et datorem. Tunc opus placebit, si fiet vel in gratiarum actionem, vel in commodum et bonum exemplum proximi. Sed si me voletis cibare carne taurorum et hircorum, aut oblationibus vestris, ibi frustra laborabitis. Non enim comedam carnes, non accipiam cultus vestros, quibus quaeritis, ut dem vobis meam gratiam. Etenim gratia debet esse gratuita, sive gratis oblata. Sie ſol umb ſonſt ſein, ſonſt heiſſets nicht gratia. Postea acceptabo sacrificia vestra, holocausta et oblationes vestras, quia non offers eo fine, ut me places, sed ut agnoscas me largitorem et iustificatorem omnia gratis tibi dedisse. Accipiam igitur pro gratitudine et glorificatione mei: Sicut Paulus inquit Roma⌊norum 1: 'Deum cognoverunt gentes, sed non ut Deum Röm. 1, 21

glorificaverunt.' Deus manifestavit et dedit illis, sed cum deberent gratias agere et laudare, ibi aliud egerunt: *ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς* etc. Primum donum est cognoscere Deum, id sequi debet gratiarum actio et laus: sed stulti facti sunt in consiliis suis, et fecerunt sibi alios Deos idolatricos, quibus ipsi dent et offerant, non accipiant ab eis. Hoc est idolum fingere, et relinquere verum Deum, et se ipsum glorificare, non Deum. Sic enim cogitant: Deus dabit mihi vitam aeternam pro meritis, pro cucullo meo, pro operibus supererogationis. Haec est horribilis blasphemia.

Ostendit igitur hic Textus, quod Iacob non voverit tam stultum et impium votum, sed gratiarum actionis. Ita enim inquit: 'Si reversus fuero' etc. Quasi diceret: Obligabo me iam ad debitum, et reddam ac satisfaciam, ubi rediero. Quid? aedificabo ibi Scholam et Ecclesiam, et ad eam constituendam et conservandam dabo decimas boum, caprarum, pomorum, lactis item et butiri decimam partem. His quidem Deus non indiget: Non enim edit panem, nec bibit vinum. Sicut inquit Psalmus 50.:
Ps. 50, 13 'Nunquid carnes boum manducabo?' Quid igitur facis? Respondeo. Iacob est iam iustus. Non igitur vovet, ut Deum placet per hoc, sed vult hoc facere, ut gratias agat, ut glorificet Deum, qui deducat et reducat eum iuxta promissionem. Quis decimas illas accipiet? Non Angeli, non Sol, non Luna: sed faciet illud insigne et praeclarum opus ad conservationem ministerii, fundationem Ecclesiarum et Scholarum, ubi vivant et alantur Prophetae et Prophetarum filii: qui esuriunt et sitiunt, sunt nudi et miseri. Sicut hodie videre est, quam pauci miseria illa adficiantur, et quam maligne praebeant hi, qui abundant opibus ad educandam et instituendam iuventutem, quae succedat in locum eorum, qui nunc docent. Ideo valde delectatus sum voce Illustrissimi Principis et Ducis Saxoniae Henrici: qui defuncto fratre Georgio [1] successit in imperio: et hoc in primis mandavit, ut stipendia honesta constituerentur Scholis et Ecclesiis, sic dicens: Ich muß dennoch meinen Pfaffen zu eſſen und zu trincken geben.

Paucissimi vero sunt sive Principes, sive privati, qui laudatissimam hanc vocem aut sonent, aut sequantur. Ideo Scholae et Ecclesiae in magno periculo sunt, siquidem aliquanto post deerunt, qui Scholas et Ecclesias foveant ac sustentent. Ideo non solum laudandum, sed neces-
5. Mose 23, 24 sarium votum hoc Iacob fuit. Et sic intelligatur Moses, quando dicit: 'Si quid Domino voveris, redde.' Quid significat Deo vovere, aut quem sic appellat: Dominum Deum tuum? Est dare decimas Prophetarum discipulis, filiis, uxoribus, pauperculis et egentibus. Isti sunt alendi decimis Deo oblatis, per eas alitur Deus. Quicquid enim (inquit Deus) dederis filiis sacerdotum et Prophetarum, per quos doctrina propagatur, hoc mihi datum cogitabis. Non ut te propter hoc opus iustificem: sed pro gratia-

[1]) *Georg von Sachsen † 1539.*

rum actione et sacrificio laudis, quod te iustificavi, et in temporalibus etiam tibi benedixi: et insuper amplius benedicam, si audiveris, si alueris et foveris miseros filios Prophetarum.

Magna res est, quod toties repetit scriptura in Mose, Salomone et Psalmis: 'Si quid voveris, redde.' Et pertinet id praeceptum maxime ad Sacerdotes, ut conservetur ministerium. Si voveris aut promiseris tutelam Scholarum, vide, ut reddas. Et Christus inquit: 'Pauperes semper habetis vobiscum': praesertim tempore revelati Euangelii. Accidit enim verbo Dei et professoribus eius, quod aliis artibus omnibus, ut dicitur Germanico proverbio: Die kunſt geht nach brot.[1] 'Beatus igitur, qui intelligit super egenum et pauperem', inquit promissio divina. Primam enim gratiam habes, et es iustificatus gratis, id agnosce et sis gratus, tunc ita tibi benedicam, ita locupletabo et cumulabo te, ut abunde tibi satisfactum sentias. Et monere nos in primis hoc debebat, ut studia discentium et docentium libenter iuvaremus: quia illae elemosinae appellantur hoc loco decimae, non illis: sed Deo datae. Et Christus inquit: 'Amen dico vobis: quicquid fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.' 5. Mose 23, 24 Ps. 76, 12 Pred. 5, 3 Matth. 26, 11 Ps. 41, 1 Matth. 25, 40

Levitae et sacerdotes in lege Mosi partem et haereditatem cum Israel non habebant, et nihil accipiebant de possessione fratrum suorum. 'Ego enim pars et haereditas tua in medio filiorum Israel', inquit Dominus. Sed quid habebat Dominus, aut quomodo erat portio ipsorum? Vota, sacrificia, decimas. Ista, inquit, do vobis, ut vos et vestram familiam sustentare et alere queatis, ut possitis vacare meo ministerio, docere et discere, et conservare meum verbum. Nihil igitur possidebant nec habebant partem inter filios Israel sacerdotes. Nihil habebant ipsi, quod ederent ex suis agris aut possesionibus: sed edebant cum Deo, aſſen mit unſerem Herrgott de decimis Dei. Et hae vocantur divina oblatio et divina vota, als wens unſer Herrgott ſelbs ſolt eſſen, und můſt ſonſt hungers ſterben. 4. Mose 18, 20

Si quid igitur scholasticis confers, Deo ipsi contulisti, ac scias Deo gratissimum cultum et sacrificium te praestitisse, ornatum magnifico hoc et summo titulo, ut dicatur votum Dei. Sed haec qui credit et praestat, sciat singulare donum Dei esse. Mundus enim non curat. Ideoque Turca venit, et rapit ea, quae corradimus, et illis, quibus debebamus, praebere denegamus. Vult enim Deus nobiscum edere, aut nihil eorum relinquere, quae possidemus. An non autem magnifica et omnibus expetenda gloria est, quod Deum ipsum alo et cibo, si quando Doctorem aut discipulum alo. Tum enim das decimas pro domo Dei, quae sine Scholis et scholasticis conservari non potest. Sicut Iacob vidit in hoc itinere filios Sem habitantes ad montem Morija, qui habuerunt filios, filias, nepotes, neptes, amitas materrteras, pauperculas et inopes. Cum enim fuisset antea vastatus

[1]) *Vgl. DWtb. 2, 401; Glosse zu Sirach 51, 34; s. Thiele S. 412.*

per Tyrannos, Eber forte eum restauravit, post Eber Abraham et Isaac, si viderunt eum desolatum, etiam instaurarunt et excoluerunt. Ita Iacob iam videt filios et filias Patriarcharum esurire et egere in loco deserto. Ideo vovet, si reduceretur incolumis a Domino, se daturum decimas, hoc est scholam Patriarcharum se instauraturum, conferendo ea, quae sunt necessaria ad eius sustentationem. Vota legalia, qualia Nazareorum erant, fuerunt extraordinaria et superflua. Sed illud verum votum est, quod sequitur iustificationem, et dici potest votum charitatis: quale hoc Patriarchae Iacob votum erat. Summum enim et principale votum est in primo praecepto, quo paciscimur cum Deo, quod velit nobis esse Deus: et nos credere velimus in Deum patrem. Hoc est pactum primae tabulae figuratum illis Leviticis votis et sacrificiis, et est gratiae et iustitiae votum. Sed haec sunt vota charitatis, et sunt naturalia et perpetua, de quibus
5. Mose 23, 22 f. dicitur: 'Si non voveris, absque peccato es, Sin autem vovisti, redde.' Non sumus obligati, nec cogimur ad certum modum vel praescriptum voti. Sed si ministri Ecclesiae non aluntur, tum votum hoc fit naturale et morale praeceptum, ut adiuvemus singulo suo loco conservationem ministerii. Sicut Illustriss[imus] Princeps, Ioannes Fridericus, Dux Saxoniae Elector, confert quotannis ter mille aureos ad conservationem Academiae Witenbergensis. Id verissime est votum Iacob. Etsi enim non dicit conceptis verbis, se Deo dare aut vovere: tamen revera est Dei votum, quo tantum impendit, ut possint ali pastores, magistri, professores artium et facultatum. Et tenetur reddere, licet non sit de facto votum: tamen est votum de iure, quia omnes tenemur vi religionis Christianae vovere et dare scholis, etiamsi non vovemus de facto.

Lyra dicit, quae necessaria sint non cadere sub votum, sed esse votum in re libera. Sicut Monachi vovent obedientiam, castitatem, paupertatem, quae quidem ante votum non sunt de necessitate: sed post votum fiunt maxime necessaria. Tale est votum charitatis, quo promitto alicui egenti decem aureos, quibus opus habet: Ibi teneor servare promissa: imo alioqui debeo, cum video egere proximum, ut inopiam eius sublevem: Non enim debeo pati, ut Christus esuriat, ut sit nudus aut egens.

Ad hunc igitur modum vovet Iacob se scholam in Morija velle instaurare, et discipulis et filiis Patriarcharum praebere necessaria ad vitam. Si reversus fuero, inquit: dabo vobis filiis Eber decimas propter domum Dei, qui me benedixit, et hanc visionem et portam coeli ostendit.

Hinc in Psalmis vota passim appellantur gratiarum actiones, quae alioqui opera necessaria et mandata sunt omnibus hominibus. Neque verbalia tantum opera sunt, sed etiam rerum et verorum officiorum. Sicut
Spr. 3, 9 dicitur: 'Honora Deum de tua substantia': quod non de verbis tantum: et cultu oris, aut de genu flexione intelligendum est, sed de re ipsa. Sicut honor parentum non hoc tantum exigit, ut aperiamus caput, reverenter

alloquamur, simus morigeri. Sed eos etiam alamus, et re ipsa honoremus. Et Paulus inquit: 'Qui bene praesunt, duplici honore digni sunt.' 1. Tim. 5, 17 Item ad Galatas 6.: 'Communicet autem is: qui catechisatur verbo, ei, Gal. 6, 6 qui se catechisat, in omnibus bonis.' Quando igitur vult Deus se honorari, tum vult offerri sacrificia, non oris tantum, sed etiam cordis reverentiam, imo factum ipsum. Vult nos adiuvare ministerium, et conferre singulos, ut studia discentium sustententur, et propagetur doctrina. Ibi tum vere laudatur et glorificatur Deus, ibi fac votum, et dic: Promitto me velle aliquid conferre ad iuvandas Ecclesias. Illud est votum S. Iacobi.

Duplex igitur votum et figuratum votis legalibus, unum est fidei erga Deum, qui nobiscum paciscitur, quod velit nobis esse in Deum, sicut supra de voto primi praecepti diximus. Alterum est votum charitatis, ex praecepto et verbo, liberum quidem, quando ego nescio egere, aut non eget meo auxilio proximus. Sed fit necessarium, quando opus habet meo auxilio, et alii id ferre recusant, tametsi non interposui nomen Domini, tamen est dandum, quia Christus praecipit: 'Da omni petenti te.' Luk. 6, 30

Mundus haec officia et vota non tantum negligit, sed etiam rapit et spoliat Ecclesias et scholas decimis ab aliis collatis, idque agit, ut strenue esuriamus et egeamus. Ideo hoc exemplum diligenter inculcandum est, quod Iacob vovet decimas, non ut Deus ipse comedat aut locupletetur: sed dat pauperibus ministris et iis, qui semper sunt minimi fratres aut discipuli Christi in terris. Omnes enim aliae artes quaestuosae sunt, et habent sua lucra. Haec sola professio indiget donatione et largitione. Vivendum est nobis de altari, ut inquit Paulus: Qui igitur pius est et amans verbi Dei, confert aliquid. Qui odit doctrinam cum docentibus et discentibus, rapit et spoliat.

Caeterum sic ordinavit Deus, ut vivamus ex votis, sacrificiis et elemosinis, quae debentur nobis iure divino. Et pii cum vident inopiam et egestatem ministrorum Ecclesiae et Scholae, vovent et tenentur dare decimas, sicut Iacob dedit, qui magnitudinem et dignitatem huius officii praeclare intellexit. Vidit enim Ecclesiam tum adflictam et desertam vagari, et saepe duriter a Tyrannis concussam esse et laceratam, praedicante ibi Sem et aliis etiam promissionem de venturo semine. Deinde scivit Iacob hanc esse lineam et seriem, unde Christus descensurus esset. Sicut supra capite 10. dictus est: 'Sem pater omnium filiorum Eber', propterea quod ex posteritate Eber 1. Mose 10, 21 nasciturus esset Christus. Habuit enim Eber duos filios: Peleg et Iaketan. Ex Iaketan autem nati sunt tredecim filii, quorum omnium Sem vocatus est pater. Ex his nepotibus Eber multi facti sunt sacerdotes, qui Scholas et Ecclesias docuerunt de venturo semine: quanquam saepe dissipatae sunt: ut apparet in exemplo horum Patriarcharum Abrahae, Isaac, Iacob, qui toties locum mutare coguntur, et iam in Gerar, iam in Aegypto, iam in Canaan peregrinantur. Sicut semper Ecclesiae et Scholae in mundo

Nomadum in modum errant. Ideo opus habuerunt sacrificiis, decimis, elemosinis et aliis officiis: quae cum videret Iacob desiderari in hoc coetu,
1. Mose 35, 1 vovet et promittit se in reditu daturum decimas. Et infra capite 35 iubetur divinitus redire in hunc locum, et extruere ibi altare Deo.

Caput XXIX.

29, 1–3 Levavit itaque Iacob pedes suos, et pervenit in terram filiorum orientis. Et vidit, et ecce puteus in campo, iuxta quem accumbebant tres greges ovium. Nam ex puteo illo potum dabant gregibus illis: et erat lapis magnus super os putei. Mosque erat, ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, potarentque oves, et reducerent lapidem super os putei in locum suum.

Hactenus deduxit Moses sanctissimum Patriarcham per sublimiora illa et vere Ecclesiastica exercitia fidei et verbi Dei: qui locus dignissimus est observatione in omnibus historiis sanctorum: nimirum quando audiunt verbum Dei, eique credunt, et exercentur in fide multis tribulationibus et vexationibus. Ibi enim etsi sunt infirmi in fide, tamen sunt plane divini et coelestes homines, simpliciter puri et sancti. Denique viventes et agentes in conspectu non hominum: sed Dei.

Haec est vera dignitas et sublimitas in sanctis patribus: sicut etiam in nostra vita, quando in templo exercemur verbo, utimur Sacramentis, exercemur variis tentationibus et probatur fides nostra, quemadmodum aurum in fornace: ea vera sanctitas est, a qua et sancti denominamur, et sumus. Quia spiritus sanctus per verbum fide appraehensum sanctificat,
Röm. 12, 1 et passionibus ac vexationibus mortificat carnem, ut vivificentur sancti, 'et exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem' etc., Romanorum 12. Hic summus gradus est vitae sanctorum.

Verum ne nos animum desponderemus, si sanctos illos patres non nisi in summo gradu et genere vitae proponi audiremus, ideo rursus deducit eos Deus de coelo in terram, et ita describit, ut abiectissimos et infimae sortis homines: ut nihil possit dici vulgarius aut abiectius, nisi quod peccata eorum non laudantur. Caeterum prorsus exiliter describuntur, quasi reptantes in pulvere oeconomicae et politicae vitae. Versantur enim et exercentur in operibus, quae prorsus nullius momenti, et sine omni sanctitate esse videntur. Cum econtra Papistae hoc solum genus vitae quaerant et admirentur, quod simpliciter est abstractum, et alienum a negociis saecularibus, a domesticis et politicis curis. Illam abstractionem a corporalibus et saecularibus officiis vocant sanctitatem et iusticiam: Sed valde et toto

27 desponderemus *N. O. Erl.*] disponderemus *L. M.*

coelo errant. Sic enim debemus fidem et iustitiam quaerere, ut decimemus mentam et anethum. 'Haec enim oportuit facere, et illa non omittere.' Matth. 23, 23 Sicut inquit Christus Mathaei 23. hoc est, quia habitamus et vivimus in carne, ideo habenda est cura carnis, excluso tamen peccato. Sunt administrandae Respublicae et res oeconomicae, siquidem nondum sumus in paradiso, nec sumus similes Angelis, sed vivimus in carne, vita animali, cui opus est cibo, potu, vestitu, domo, prole, agricultura: Opus est etiam politica gubernatione et defensione contra malos. Itaque necesse est retinere illas duas partes vitae huius: quae sunt nutrire et tueri. Domus nutrit et fovet prolem et familiam. Politia defendit et tuetur haec omnia.

Describuntur igitur sancti Patres humiliter et carnaliter in hoc inferiore gradu vitae, quo in Papistarum oculis nihil est neque sordidius, neque abiectius. Sicut dicunt nihil aliud proponi, quam quod uxores duxerint: procreaverint sobolem, mulserint vaccas, capras etc. quae sunt opera prorsus prophana et gentilia. Sed Dominus dedit nobis verum intellectum, pro quo simus grati: quia penitius haec introspicere possumus, quam Papistae, qui nihil aliud cernunt praeter ista carnalia: quae tamen non tam sunt carnalia ac opera ipsorum, quae gubernantur a Diabolo, et fiunt sine spiritu sancto. Etiamsi enim ieiunant, abstinent a coniugio, murmurant in templis: tamen in precibus eorum nullus spiritus, nullus affectus, nullus cultus Dei est, plena sunt omnia avaritia, idolatria, inani gloria et contemptu DEI.

Nos vero sic docemus: Primum omnium spectandam esse personam, an sit iusta et pia: id quod fit per verbum, quod credit. Tum vero exercet suum ministerium in Ecclesia, docet, exhortatur, orat, discit et audit verbum, fert crucem propter verbum, mortificatur carne. Illa est persona sancta, viva et beneplacens Deo, quae progreditur ad alia externa officia, postquam audivit verbum, credidit, oravit et fecit Ecclesiasticum officium. Sicut David post haec prodit ad administrationem regni, audit causas, gerit bellum, instruit exercitum, facit impetum in hostes, interficit, fundit sanguinem hostilem. Haec non sunt proprie Ecclesiastica, sed sunt politica. Si quis igitur dicat: David tunc non est sanctus, quia est miles, et portat gladium, ille nimis crasse iudicat, sicut Papistae. Quis enim est ille David, qui fundit sanguinem, et gerit bellum? Est iustificata persona in Ecclesia, verbo et fide: Sed postea habet sibi demandatam administrationem politicam: ideo iudicat, condemnat, iustificat, administrat Rempublicam, punit sontes, gerit bella. Et manet nihilominus homo fidelis et arbor bona: Illa autem effusio sanguinis placet Deo. Quanquam mundus et Monachi omnesque alii hypocritae vehementer offenduntur, propterea quod intuentur tantum in externam larvam operum, non vident verbum, non fidem, non spiritum et impetum Dei, qui gubernat personam: non solum in sublimibus, sed etiam in politicis et oeconomicis officiis: Quia ad hoc vocatus est divinitus,

sicut dicitur: ut faciat omnem voluntatem meam, quae etiam hoc mandat, ut humiliet Philisteos, Damascenos, Amalechitas, Ammonitas etc.

Quid isthuc vero? inquiunt Papistae, debebat orare, sacrificare et offerre in templo. Recte sane: Etiam Ecclesiastica suo loco et ordine facit: Mane orat, meditatur in verbo, credit, psallit, et diligenter ea obit, quae pertinent ad Ecclesiam: Postea etiam politica et oeconomica administrat, generat liberos, curat familiam, edit, bibit. Ita incedit David pie et sancte per omnes tres hierarchias: Ecclesiasticam, Politicam et Oeconomicam.

Ad eundem modum nostra quoque vita instituenda est, ut inveniamur in ordine et statu, qui placet Deo secundum verbum ipsius. Ante omnia credas in verbum, idque confitearis, et sis paratus pati et mori pro verbo. Postea sive magistratus es, sive paterfamilias, servias vocationi tuo loco. Talis vita placet Deo, et ornatur divinitus multis magnis premiis et successibus.

Sic igitur tractanda et aspicienda sunt exempla Patrum in sublimi illo gradu, ne contemnantur infima, carnalia et sordida exempla oeconomiae et politiae. Iam enim non sordent, nec vilia et abiecta sunt, quando fiunt a persona credente, accepta, sancta, divina, quae, quicquid fecerit, scit Deo placere: sic tamen, ne confundatur ordo, sed maneat et vivat in fide, postea placent etiam opera vocationis.

In hunc modum describit Moses Patriarcham Iacob, quomodo venerit in Haran, invenerit ibi filiam avunculi, amaverit puellam, duxerit uxorem, genuerit filios, paverit pecudes, quae omnia stulta et carnalia sunt, ut non magis apud Ethnicos ipsos carnalia inveniri queant. Quia nemo videt differentiam essentialem, quae maxima est inter gentilem et hunc Patriarcham Iacob. Esau enim et Ismael etiam colunt agros, pascunt oves, mulgent vaccas, habent familiam, praebent pabulum pecudibus, quae sunt similia opera sanctorum operibus: et tamen non sunt sancta. Quare? Quia magna et incompraehensibilis differentia est inter opera utriusque partis. Hic apud Iacob est fides et verbum. Illic nullum verbum est, sed incredulitas mera. Tantum igitur distant opera Iacob ab operibus Ismael aut Esau, quantum coelum a terra, quantumvis sint eadem opera in speciem.

Sic Erasmus magnifice Ethnicorum virtutes praedicat: Socratis, Ciceronis, Attici etc., et facit comparationem. Vix, inquid: invenias apud Christianos, qui praestiterint hoc, quod Pomponius atticus aut alii: Imo apud Christianos multi inveniuntur aperte mali et flagiciosi, quibus Ethnici hi longe fuerunt meliores. Respondendum est autem: Philosophice et in materia conveniunt, hoc est, in genere vitae, sed non in specie et differentia. Si enim vel Cicero vel Socrates sanguinem sudasset, tamen propterea non placeret Deo. Neque est quaestio, quae et quanta opera

fecerint Alexander magnus, Hannibal, Iulias Caesar, Scipio, quos quidem maiores res gessisse constat, quam ullum unquam Christianum. Illud enim robur militare, patientiam item et tolerantiam malorum et laborum non facile reperies in ullo Rege Christiano, imo ne quidem in populi Israelitici regibus: Davide aut aliis. Quare igitur non extollis eos, aut praefers omnibus Christianis regibus, Davidi et aliis?

Respondeo, si daretur mihi optio, eligerem unius Christiani rustici aut ancillae sordidissimum et maxime agreste opus prae omnibus victoriis et triumphis Alexandri magni, Iulii Caesaris etc. Quare? Quia hic est Deus, illic est Diabolus, quae est differentia essentialis. Materia operum est eadem, sed species et differentia in infinitum diversa est, quia Deus dicit: huius mulierculae opera et officia domestica, quod verrit domum, obtemperat matrifamilias, mihi placent. Quia respexit ad humilitatem ancillae suae: ubi etiam nihil magnorum et gloriosorum operum est, nisi quod domi humiliter fungitur officiis ancillae, sive in re culinaria, sive pecuaria. Tales erant istae duae, Lea et Rachel, quae pascebant greges patris, agebant aquatum, mulgebant vaccas et capras. Haec opera placebant Deo. Hannibal autem, Alexander, Scipio, Cicero non placent. Quare? Quia genere quidem conveniunt, vel superant potius, sed specie et differentia superantur.

Hoc non omnes possunt cernere: ne Erasmus quidem vidit. Soli credentes cernunt precium et pondus operum Christianorum. Pondus autem et precium maximum operum est fides et verbum. Ibi enim Deus ipse est et spiritus in operante. Homines vero, qui sunt sicut equi et muli, vehementer moventur externa specie. Ego quoque olim in monachatu longe eram sanctior, quam nunc sum, quoad externam larvam, plus orabam, vigilabam, abstinebam, macerabam carnem meam: breviter tota vita mea erat speciosissima in aliorum oculis: tametsi in meis non item, quia valde contritus et adflictus eram. Iam vero comedo et vestio generali et usitato modo, nihil praecipuum aut singulare prae aliis in vita mea eminet. Tum cum essem Monachus, nihil aliud feci, quam quod perdidi tempus, adflixi meam valetudinem, quin etiam conscientiam meam sauciavi illis iusticiis operum, ut etiamnum aegre sanari queat. Quia praeter naturam, cui insita est gloriatio de operibus, etiam comparavi habitum et consuetudinem respiciendi ad mea opera et dignitatem meam. Caeterum certo scio iam unam lectionem, unum Pater noster plus valere et Deo magis probari, quam omnes illas precationes, quas murmuravi totis quindecim annis: quia scio me exaudiri. Nec opus est ullis vigiliis aut singularibus ieiuniis et abstinentia, quia Deus dedit angelum Sathanae cum aliis difficultatibus et crucibus huius mundi, quae magis me, quam illa omnia exercent.

Atque hactenus de loco isto, quod sanctissimus Patriarcha tam presse

et exiliter describitur, ut nihil differat etiam ab infimo et abiectissimo inter Ethnicos. Sed inde discat lector discrimen inter Christianum et Ethnicum, et eorum opera. Si enim est Christianus, vide, an colat, audiat et serio amet verbum, an exerceatur etiam cruce et vexationibus: Quod si ita est, conveniet ad templum, libenter audiet verbum, delectabitur in eo, credet ex animo, orabit, gratias aget, habebit bonam conscientiam. Haec si videris, tum certo statue, et admirare eum tanquam sanctum et placentem Deo. Et quicquid postea rerum geret, sive in magistratu, sive in oeconomia, dices esse Deo gratum, quod remunerabitur Deus, non in hac
Off. 14, 13 tantum, sed etiam in futura vita. Sicut dicitur in Apocalypsi: ‘Opera eorum sequuntur illos.’ Non solum Ecclesiastica opera, sed etiam politica et oeconomica. Impiorum autem et Ethnicorum opera non placent Deo. Ideo non sequuntur eos, sed moriuntur sine gloria, sine memoria, sine admiratione. Nostra autem habent gloriam et inspectionem Dei et Angelorum, et sequuntur nos in illam vitam.

Sed videamus Textum: ‘LEVAVIT PEDES.’ Idiotismus est Hebraeae linguae, pro quo vulgata translatio habet: profectus est. Vide autem, quam dissimilis sit apparatus huius profectionis superiori illi legationi, quando Abraham mittit servum, ut adducat uxorem filio et haeredi promissionis Isaac. Mittitur enim tum servus instructus auro, argento, clinodiis, camelis et honesto comitatu. Quare idem apparatus non conceditur filio Iacob, cum ipse quoque accepta promissione et benedictione sit haeres institutus? Tantum pedibus ingreditur iter, sine comitatu, sine camelis, sine ullo sumptu, vix viaticum habet. Ideo hoc idioma Hebraei sermonis observandum est, propter collationem: ‘Levavit pedes’, hat ſeine füſs auffgehaben, pedes profectus est, nec tardavit in via, sed cum
Luk. 1, 39 festinatione perrexit *μετὰ σπουδῆς*, sicut de Maria dicitur eunte per montana.

Ita pauperem prorsus abiectum et humilem pingit Iacob sanctissimum Patriarcham et haeredem benedictionis, qui tamen iam quasi solus Papa est in mundo. Eber enim senuit, qui adhuc pracedente anno vixit. Isaac est cecus et inutilis ad gubernationem: Filius Iacob iam solus est Episcopus et princeps in domo, sed dimittitur cum summo contemptu, periculo et miseria ingenti, ita ut fugiat pedester et solus sine comitatu. Non defuerunt quidem famuli, cameli, nec aurum et argentum, sed oportet eum pauperrimum et miserrimum esse, et nihil in loculo praeter viaticum habere. Quae est causa? haec est, quam supra audivimus. Mater Rebecca dixit: Audi, fili mi, et fuge. Fuga est in causa et furor fratris, qui minabatur ei mortem. Sapienter igitur fecit Rebecca, quod clam eum adornavit et instruxit viatico, ut se posset inscio fratre et tota familia subducere, hat ſich müſſen heimlich hinweg ſtelen. Tace, dixit, et vade clanculum, fuge, quantum potes. Illa fuga periculi non est passa magnum

apparatum et comitatum, ne impediretur tarditate iumentorum et camelorum, et praehenderetur ab irato fratre.

Iudaei hic praeter rem nugantur, non esse verisimile, quod Isaac minus honorifice ablegarit filium, quam Abraham supra servum ablegavit. Ideo fingunt Eliphas, filium Esau natu maximum, cum manu armatorum insecutum esse Iacob, et praehensum spoliasse omnibus bonis. 1. Mose 36, 4

Haec Lyra approbat: sed sunt merae fabulae Iudaicae. Iacob enim non est missus a parentibus cum comitatu. Sicut servus Abrahae: qui erat tutus et extra omne periculum: non fugiebat. Iacob autem fugit clam, ignorantibus omnibus adfinibus, insalutato et inscio fratre, qui ipsum oderat et persequebatur. Ideo dicitur: 'Levavit pedes suos, fugit' etc. Et fuit sane prudentissimum consilium matris, quae magis de vita et incolumitate filii fuit solicita, quam de pompa et comitatu magnifico, ne temere filium in periculum praecipitaret. Et Iacob matri studiose obtemperat: non tergiversatur, nec cessat: sed pergit et festinat.

Hoc supra diximus urgendum esse contra illos audaculos et temerarios, qui dicunt: Si habeo promissionem, rem etiam ipsam habebo, tametsi nihil agam. Istae cogitationes sunt reiiciendae et damnandae ex hoc exemplo Iacob, qui audit matrem et fugit, etiamsi habet promissionem. Non dicit habeo promissionem, igitur salvus ero et incolumis, tametsi non sequar consilium matris. Non enim dantur promissiones ad stertendum et ociandum et dormitandum, aut ad facienda ea, quae etiam promissioni repugnant: sed ad laborandum, ad vigilandum et ad fructificandum. Sic non baptisor, non ideo utor coena Domini, aut absolvor, ut dormiam, et stertam domi ociosus: Sed si habes promissionem, baptismum, absolutionem: memento te vocatum esse ad vigilandum, ad solicite curandum ea, quae et fidei sunt, et vocationis. 'Si mortui sumus peccato', inquit Paulus, 'quomodo vivemus'? Non absolvimur a peccatis, ut eis vivamus et serviamus: sed ut repugnemus, et fortiter in promissione perseveremus: ut macerem et mortificem carnem, et feram aequo animo, quando Deus imponit crucem, ut purgemur, et fructum ampliorem feramus. 'In hoc, inquit Christus, Glorificatur pater meus coelestis, si fiatis mei discipuli', id est, si patiamini ut ego: si efficiamini mihi conformes. Qui enim non est Crucianus, ut sic dicam, non est Christianus: quia non est similis praeceptori suo Christo. Röm. 6, 2 Joh. 15, 8

Hoc ergo primum est: quod maximus Patriarcha, qui solus tum erat Episcopus et lucerna ardens in toto mundo, habens benedictionem, promissionem et verbum: tamen vivit et agit, ac si prorsus nihil haberet. Quare? Quia ibi non est Ecclesiasticus homo: sed Oeconomicus et miser-

---

5 Eliphas] Eliphat *L. M. O.*

[1]) *Vgl. oben S. 605f.*

rimus, facit oeconomica et vulgaria officia, de quibus Deus nihil determinavit in promissionibus, neque de modo auxilii et gubernationis, neque de eventu. Sicut nobis non dedit promissionem, quod hoc anno futura sit pax, et foelix annonae proventus. Non igitur dicam: Nescio, quid futurum sit: igitur nihil agam. Quin potius dicit Deus: Fac tuum officium, et mihi reliqua permitte, laſs mich das ander machen. Non dixit, es wirt gerathen, evenient omnia foeliciter: sed fac officium. Tu non debes scire, quomodo aut quid eventurum sit. Tu es iustificatus: vade igitur, et exerce fidem in oeconomia, in policia. Et pro hac cognitione voluntatis Dei et vocatione Deo gratiae agendae sunt: quod homo Ecclesiasticus, id est, habens verbum et fidem, scit se placere etiam in inferioribus gradibus, in politico et oeconomico vitae genere, sive famulus, sive famula sit, sive magistratus, sive subditus. Si modo potest esse pars politiae et oeconomiae, agat gratias Deo, et sciat se habere Deum faventem et propicium.

Deinde pertinet hoc ad consolationem nostram, quando proponuntur exempla sanctissimorum Patriarcharum, non tantum in sublimibus et heroicis virtutibus, sed etiam levissimis et vilissimis actionibus, in sordidis illis et contemptis vitae oeconomicae opusculis, ne desperemus, aut cogitemus, nos, quando his vitae officiis occupamur, a Deo abiectos et spretos esse: sed sciamus sanctificari omnia verbo et fide: Quanquam mundus hanc sanctitatem non cernit, sed quando etiam de sanctissimis hominibns vulgaria ista officia commemorari audit, omnem operam ludi putat et bonas horas male collocari in lectione harum Legendarum. Quia non est dignus, ut videat gloriam Dei, iuxta illud: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Soli credentes vident et intelligunt opera Dei. Ideo in nostris, imo Dei oculis sunt haec preciosa.

Neque est, quod cogites aut mireris, quare delectetur spiritus sanctus descriptione horum servilium et contemptorum operum. Sed audi divum
Röm. 15, 4 Paulum dicentem: 'Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per pacientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.' Si firmiter crederemus, sicut ego, licet infirmiter credo, spiritum sanctum ipsum et Deum, conditorem omnium rerum, esse authorem huius libri et rerum tam vilium, ut videntur carni: tunc haberemus maximam consolationem. Sicut ait Paulus. Imo cor nostrum posset in hoc gloriari et superbire, quod Deus dignatur recordari et meminisse horum Patriarcharum, quod noluit eorum oblivisci. Et non solum heroicas virtutes, sed etiam ipsas sordes operum voluit celebrari, et tanquam gemmis et auro his descriptionibus ornari, ac proponi toti orbi terrarum vulgandas, legendas, cognoscendas. Credentibus ergo omnia cooperantur in bonum, imo in gloriam, quae etiam vilissima, sordidissima, contemptissima erant. Quia vident Deum istis delectari, ut canat et psallat non solum magnificas et eximias sanctorum virtutes, sed etiam minima opuscula: quia sunt opera Dei. Ideo delectatur

Deus in operibus suis, sive maxima sint sive minima, nobis in maximam consolationem, iuxta sententiam: 'Beneplacitum est Domino super timentes eum.' Item in Psalmo 56 inquit David: 'Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, fugas meas numerasti.' Ps. 147, 11 Ps. 56, 9

Quid igitur? num nihil aliud habet, quod agat Deus, quam ut lachrymas et fugas Davidis numeret? An non occupatus est in administratione mundi, item audiendis choris angelorum laudantium et benedicentium sine fine? Quid potest dici mirabilius? et tamen verum est. Haec quoque cura incumbit Deo, ut numeret lachrymas et fugas Davidis. Sic alius Psalmus canit: 'Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamoris pauperum.' Item: 'Preciosa mors sanctorum in conspectu Domini.' Imo Moses ait ad Pharaonem: 'Ne ungulam quidem unam relinquemus.' Non modo viri, mulieres, parvuli, iumenta exibunt ex Aegypto: Sed quicquid habemus, etiam minimam ungulam non relinquemus. Non solum igiur preciosa sunt in conspectu Domini heroicae virtutes, magnifica opera, quae per nos operatur, sanguis item et mors ac gravissima certamina. Sed etiam ungulae ipsae vilissimae preciosae sunt. Quin Christum audi, der machts noch beſſer: 'Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt', Jr ſolt nicht ein har verlieren. Quid, quaeso, vilius et neglectius est in toto corpore humano, quam pilus, capillus, unguis? et tamen hi quoque numerati, et patri, qui in coelis est, curae sunt. Ps. 9, 13 Ps. 116, 15 2. Moſe 10, 26 Matth. 10, 30

Ad hunc modum tractanda sunt haec exempla vilium et sordidorum operum in sanctis, ut doceant et consolentur nos. Non enim negamus esse abiecta et vilia, si instrumentum tantum, in quo fiunt, aspiciamus, sed ad Deum ipsum authorem respiciendum est. Sive enim sordes, sive gemmas sanctorum et operum eorum videas: tamen placent Deo authori pariter vilium et honestorum operum, sunt enim opera Dei, et Deus est cooperator. Magna igitur et infinita haec consolatio est iis, qui credunt. Et ideo ista describuntur, ut videamus, quam tenere nos diligat et complectatur Deus: quantam et quam anxiam curam nostri gerat. So genau ſihet er auff mich, das er ſorg hat, ich verlier ein har. Quod si capillos numerat et curat, multo magis ergo corpus, animam, sanguinem et omnes passiones.

Sed haec nimis sublimia sunt, propterea non credimus, et quo viliora et sordidiora sunt opera, eo etiam minus credimus. Sordes ipsae et vilitas operum impediunt fidem nostram. Alioqui in immensum amplificaremus misericordiam Dei in his minutissimis et levissimis operibus: et fides nostra maxime corroboraretur. Tanta enim cura et solicitudo Deo est de nobis, ut non queat oblivisci unius capilli, unius lachrimulae aut perturbatiunculae, ut sic dicam. Et hoc vult spiritus sanctus, quando sic infirmiter incedit in describendis suis sanctis, quod omnium maxime minima opera sanctorum placent Deo. Es iſt ein köſtlich ding umb ein Chriſten menſchen, Es iſt nichts ſo gering an jm, es gefelt Gott. Sanguinem fundere, mori, sudare,

certare et luctari adversus Diabolum revera est magnum, et vehementer placet Deo. Sed sic statuas, quando es fidelis, tum placent Deo etiam physica, carnalia, animalia officia, sive edas, sive bibas, sive vigiles, sive dormias, quae mere corporalia et animalia sunt. Tanta res est fides.

Primum omnium igitur vide, ut fias Christianus et persona grata et accepta per verbum, per Baptismum et Sacramenta. Si persona credit, et adhaeret verbo, non persequitur illud, sed agit gratias pro eo: tum
Pred. 9, 7—10 nihil aliud facias, quam quod Salomo dicit: 'Vade ergo et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vita cum uxore, quam diligis cunctis diebus vitae vanitatis tuae, qui dati sunt sub sole omni tempore vanitatis tuae. Haec est enim pars in vita et in labore tuo, quo laboras sub sole.' Quid requires amplius? quid posset dici iucundius, suavius et clarius?

Verum est quidem placere Deo etiam in impiis sedulitatem et industriam in officio. Sed obstat incredulitas et vana gloria, ne possint opera sua referre ad gloriam Dei. Vicium et peccatum est in persona, quae Deo non placet. Merentur igitur etiam impiorum bona opera in hac quidem vita praemia sua, sed non numerantur, non colliguntur in utre,
Ps. 56, 9 iuxta Psalmi 55. sententiam. Sanctorum autem lachrymae, fugae, tentationes, opera minima, maxima numerantur in aeternum laudanda et celebranda.
Röm. 15, 4 Dulcissima igitur haec consolatio est, quam monstrat Paulus Romanorum 15. Quando dicit nihil frustra scriptum esse in scriptura sancta. Quia certum est haec infima et levissima ideo proponi: ut significetur beneplacitum divinum in sanctis suis. Semper enim manet remissio peccatorum et acceptatio, ac sub nube et umbraculo alarum et protectione Dei vivunt, quamdiu sunt in gratia. Atque haec nobis quoque applicemus. Si enim sumus Christiani et vere pii, scimus nos esse similes summis illis sanctis, si non in summo gradu maximarum virtutum: tamen his infimis et sordidis actionibus huius vitae, et quod ad curam et protectionem Dei attinet, non minus nos diligi atque illos. Cuius tenerrimae et ardentissimae dilectionis certum pignus habemus filium Dei, propter quem diligit nos pater et
Eph. 2, 6 'consedere nos fecit in coelestibus', sicut inquit Paulus. Sciamus etiam
Ps. 37, 23 f. ad nos pertinere, quod in Psalmo 36. dulcissime dicitur: 'A Domino gressus hominis dirigentur, et viam eius volet. Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.' Tantum credamus et assentiamur huic promissioni. Sicut enim parentes diligentissime observant filiolos, ne forte cadant, ne qua impingant aut offendant. Et si vident maculam aut pituitam genis adspersam, abstergunt et emungunt. Id quod hostis et alienus non facit. Si pluma capillis inhaeserit, pectunt et ornant. Tanta etiam cura, tantus amor et vera paternitas Dei est erga omnes, qui credunt in eum.

Haec in summa de doctrina huius capitis dicta sunt, quae sequuntur simpliciter sunt oeconomica, quae perlegemus, et ea, quae ad Grammaticam pertinent, excutiemus. Pervenit in terram filiorum orientis: Latine in terram orientalium, vel in orientem, usitata phrasis est Hebreae linguae. Sic enim filius mortis dicitur, qui est occidendus, filius pharetrae, id est, sagitta, filius superbiae pro superbo. Estote filii fortitudinis, hoc est, estote fortes. Filius Belial pro malo et nequam.

Profectus est igitur sanctissimus Patriarcha Iacob in terram filiorum orientis, sive orientalium: qua appellatione generali totius regionis, tecte significat scriptura sancta: quanquam servile et leve id videretur, fuisse tamen arduum et difficile opus, natum ex verbo et fide. Quia fuit peregrinandum in regione ignota, cuius nomen etiam non exprimitur. Non enim Haran appellat, sed orientem, qui nondum fuit cognitus aut cultus Arabibus et Syriis, nihil ibi fuit praeter Babel. Dicit igitur simpliciter eum profectum in orientem, hoc est, in Chaos quoddam ignotum et desertum. Sicut supra Abraham ex Chaldaea egressus est nesciens, quo tenderet, aut ubi locorum pedem figeret, wagets auff unſern Herrgott. Fuit igitur peregrinatio in speciem servilis, sed revera magnae et ardentis fidei opus, quia nescit, in quod Chaos hominum et locorum deferatur, nec homines, nec loca, nec diverticula viarum cognita habet. Nescit, ubi singulis noctibus idoneum habiturus sit hospitium. Ita supra modum periculosum iter et molestum fuit. Ac interea fide per totum iter luctatus est cum morte et Diabolo: incertus, quo iret, aut qua fortuna eo, quo tendebat, perveniret.

Forte autem conspicatur puteum in campo, ad quem applicat. Id quoque servile est, nisi quod hic incipit ei ostendi consolatio, cum venit ad locum, in quo est tutior et securior, et insuper audit de avunculo Laban. Nihil amplius, quod dicam, habeo: ideo nihil addam. Nam allegoriis non delector: quia litera nos certius et plenius erudit, quam allegoria. Satis est nos scire, quod ista sordida et servilia opera sanctorum Deo probantur. Unde nihil dubitamus nos, cum sumus in vocatione: quaecunque fecerimus, aut passi fuerimus, placere Deo, usque adeo ut voluerit Deus id in hunc librum referri et celebrari omnia ista opera sanctorum. Non passus est ea tradi oblivioni. Litera et textus ipse per se clarus est. Allegorice per tres greges ad unum puteum intelligunt Trinitatem. Mosen vero per lapidem illum magnum et gravem, sed nihil ad me, relinquo aliis.

Dixitque ad eos Iacob: Fratres mei, unde estis? Qui respon- 29,4–8
derunt: de Haran sumus. Et dixit ad eos: Nunquid nostis Laban, filium Nahor? dixerunt: novimus. Dixit rursus ad eos: Nunquid est illi pax? Responderunt: Pax. Et ecce Rachel, filia ejus, advenit cum grege. Dixitque Iacob: Est adhuc alta dies, nec

est tempus, ut reducantur ad caulas greges, adaquate oves et ite, pascite. Qui responderunt: non possumus, donec congregentur omnes greges, et amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus oves.

Haran civitas est Mesopotamiae, ubi postea crassus[1] ingenti clade a parthis victus est. Laban autem est nepos Nahor, non filius: et is iam erat mortuus. Bethuel, filius Nahor, fuit pater Laban et Rebeccae. Ideo autem nominatur Nahor, quia est pater et caput istius familiae. Quaerit Iacob, estne illi pax, id est, valetne. Hebraismus est.

De lapide putei Grammatici quaestionem movent. Utrum lege cautum fuerit, ne quis unus amoveret lapidem, et potaret gregem suum, priusquam omnes convenirent: an magnitudo et gravitas lapidis tanta fuerit, ut duorum aut trium robore coniuncto ad amoliendum eum opus fuerit. Ego non puto fuisse statuto aliquo prohibitum, sed tantam fuisse molem lapidis, ut unus aut duo non potuerint eum removere. In Mesopotamia autem, quia non fuit magna copia aquarum, diligenter fontes custodiverunt, et texerunt grandibus saxis obvolutis. Deinde pastores gregum non omnes robusti viri fuerunt: sed adolescentes et puellae, qualis Rebecca erat, adhibiti ad custodiendos et continendos greges. Illi convenerunt ad fontem, et expectaverunt validiores, per quos revolveretur lapis. Sicut Iacob accedit, et solus amolitur lapidem. Hanc ego existimo esse causam, cur plurium opera fuerit opus, salvo tamen aliorum iudicio.

29, 9–12 Adhuc ipse loquebatur cum eis, et Rahel veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat. Cum autem vidisset Iacob Rahelem, filiam Laban, fratris matris suae, et oves Laban, fratris matris suae, accessit ipse Iacob: et revolvit lapidem ab ore putei, et potum dedit gregi Laban, fratris matris suae. Osculatus quoque est Iacob Rahelem, et levans vocem suam flevit. Et indicavit ei, quod frater esset patris sui, et filius Rebeccae: Unde illa cucurrit, et nunciavit patri suo.

Commentarii Hebraeorum annotarunt, et idem textus videtur significare, Patriarcham Iacob irruente in ipsum spiritu sancto ita corroboratum esse, ut illo impetu spiritus sancti: solus potuerit revolvere lapidem. Deinde cum in exilio inveniret consanguineam Rahel, sumpsit animum, et magnam spem nactus est, se tandem hoc consecuturum, quod animo versabat, et quod pater mandaverat de ducenda uxore. Ideo statim ad primum intuitum amore accenditur, et exerit se *στοργὴ φυσικὴ* erga cognatam: Ita ut duplex impetus fidei et amoris corpus et animum redderet vegetiorem.

[1]) *M. Licinius Crassus Dives bei Carrae a. 54 vom Partherfeldherrn Surenas völlig geschlagen; vgl. Caesar: bellum civile 3, 21; Plutarch, Crassus 21 u. 25—31.*

Voluit enim se praebere virum robore et agilitate, ut caperet animum puellae, eamque in sui amorem illiceret.

Atque haec quoque tantum naturalia sunt, sed ideo scribuntur a spiritu sancto, ne quis putet ea turpia aut illicita esse. Est enim Christianum et pium, amare puellam, quam iungas tibi connubio: quia est naturalis στοργὴ et inclinatio sexus ad sexum, quae quanquam non careat prorsus peccato, tamen Deus non vult tanquam inhonestam contemni: quia est opus Dei conditum in natura hominis, quod non solum non contemnendum aut contumelia adficiendum est: sed etiam honorandum. Vult enim Deus glorificari in omnibus operibus parvis et magnis. Non vult contemni, ne in minimo quidem. Sicut inquit Christus: ‘Quod uni ex meis minimis Matth. 25, 40 fecistis, id mihi fecistis.’ Ita etiam praecepta et ordinationes Dei etiam minimas non debemus abiicere aut conculcare. Si vis aquam bibere, bene est, bibe, et gratias Deo age, si non libet eam bibere, ne contemnas.

Sunt igitur haec carnalia, iuvenilia et muliebria, merae sordes: et tamen recitantur a spiritu sancto, non ad provocandam libidinem, non ad accendendos turpes amores in animis adolescentum: sed ad alendam spem et dignitatem coniugii: Et ut testetur spiritus sanctus, quod non displiceat Deo coniugium, neque etiam amor sponsi et sponsae: siquidem Deus eum creavit et ordinavit. Non igitur blasphemes tanquam turpem et illicitum, sicut monachi coniugium impurum et periculosum vitae genus dixerunt.

Existimo igitur Iacob ea hora, qua aspexit cognatam fuisse quodam modo raptum et ita animatum spiritu, ut solus lapidem posset provolvere, quam ad rem alioqui quatuor aut quinque puerorum robore opus erat. Et hanc gratiam ac obsequium puellae voluit praestare, ut in tempore greges suos posset potare. Ipsa vero nondum scit eum sibi cognatum esse. Post lapidem revolutum accedit et figit osculum puellae, ignotus et peregrinus, antequam eam salutat, quod etiam videtur turpe, et his nostris moribus nec usitatum, nec decorum est. Sed audivit antea ex aliis pastoribus, qui dixerunt: Ecce Rachel venit etc. Scivit ergo eam sibi sanguine iunctam esse: et fuit in moribus istorum hominum, ut in congressibus et salutationibus adderent oscula, quod in Belgico hodie et in aliis etiam regionibus usitatum est. Nostri homines tantum porrigunt manum, et virgines aut matronas modeste et verecunde amplectuntur: So manch land, ſo mancher ſitt.[1] Fuit igitur significatio quaedam amoris erga cognatam et futuram coniugem, quam hoc osculo ostendit, perinde ac si manum porrexisset, aut obtulisset munus aliquod.

Atque inde ortum est robur illud in amoliendo lapide, videlicet ex στοργῇ erga consanguineam, deinde ex amore erga sponsam, quam vidit sibi divinitus destinatam et oblatam esse. Tertio accessit singularis laetitia,

[1]) *Sprichw., vgl. Unsre Ausg. Bd. 31[1], 238, 31.*

propterea quod videret se tandem attigisse portum post iter tam difficile et periculosum. Auxit autem haec omnia et confirmavit spiritus sanctus. Postremo dicitur Iacob frater patris Rahelis, Hebraeorum more, qui nepotem ex sorore appellant fratrem, sicut Moses ipse explicabit, cum dicet Laban audivisse rumorem de Iacob, filio sororis suae.

29,13 Factumque est cum audisset Laban rumorem de Iacob, filio sororis suae: Occurrit obviam ei et amplexatus est eum atque osculatus: et introduxit eum in domum suam, et ille narravit ipsi Laban omnia verba ista.

Vides haec prorsus Pastoralia et bucolicorum in modum descripta esse. Et tamen in his spiritus sanctus adeo verbosus est, ut lectori profano toedium et fastidium pariat. Alias historias de rebus maximis, de conflagratione Sodomorum, de immolatione Isaac paucissimis verbis, vix quinque aut sex versibus complexus est. Quando autem in haec sordida, carnalia et stulta incidit, supra modum copiosus est. Ideo nimirum, ut sciamus beneplacitum esse Domino super timentes eum. Si enim sumus fideles et certi de misericordia Dei gratuito oblata, nihil dubitemus, quin, quicquid agimus, Deo maximopere placeat: quod etiam capillos capitis in numerato habeat: Imo oscula et amplexus placeant, et amolitio illa lapidis, quae omnia tanquam summa et praestantissima opera in oculis Dei et angelorum hoc loco recitantur. Non potuit eorum oblivisci Deus: sed voluit scribi ad nostram doctrinam et consolationem.

Quantumvis igitur duriter in hac vita exerceamur, et multis calamitatibus, morti denique ipsi simus obnoxii: tamen sciamus esse omnia pre-
Ps. 116, 15 ciosa, iuxta illud: 'Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.' Idem de aliis operibus sentiamus, sive edimus, sive bibimus, sive dormi-
Kol. 3, 17 mus, sive vigilamus. Sicut inquit Paulus Col[l]ossensium 3.: 'Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo et patri per ipsum.' Et in his inferioribus exerceamur, ut paulatim progrediamur et adsuescamus ad sublimiora. Fides autem, quae maxima et heroica operatur, demittit se etiam ad domestica et servilia, pascit greges ovium, ducit aquatum, mulget capras, quia Deus fecit utrunque: stultum et sapientem, parvum et magnum, preciosum et vile. Aeque igitur placent famuli aut famulae ac domini opera, mulieris aeque ac viri. Tantum crede et honora Deum ante omnia
Joh. 15, 7. 8. 10 in Ecclesia, effice, ut maneas in verbo eius. 'Si manseritis in me, inquit Christus, et verba mea in vobis manserint, fructum plurimum adferetis, et fructus vester manebit.'

Spectanda igitur est fides et persona, quae est in gratia. Tanta enim magnitudo divinae bonitatis effusa est super nos, ut numeret et observet etiam minima opera nostra, quaecunque aut qualiacunque tandem sint,

omnia sunt laudabilia et grata, quia persona placet. Nec locum habet iudicium carnis, quae dicit pertinere ista ad profanum aliquem scriptorem, tanquam indigna sacris monumentis. Imo ne dignarentur quidem Graeci aut Latini authores talia de suis heroibus celebrare, quia non intelligunt, quid sit vita pietatis, quae placeant, quae displiceant eoD, secundum sententiam illam: 'Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.' vgl. Jes. 26, 10 f.

Legamus itaque haec cum reverentia, et gratias Deo agamus, quod scimus nos placere Deo etiam dormiendo, comedendo, bibendo, nubendo, cohabitando maritis, liberis, uxoribus, gubernando familiam, mulgendo capras. In his exerceamus nos, quia aeque grandia et mirabilia sunt, ac sublimia illa, propterea quod fiunt a persona grandi, quae credit et est haeres regni coelestis. Si Deo placuerit, veniet dies aut hora aliqua, in qua faciemus etiam magna et heroica.

Atque hanc suam voluntatem et beneplacitum etiam in adfectibus parentum erga liberos pinxit Deus. Videmus enim in oeconomia patrem et matrem magis adfici et delectari, si filiolus aut filiola adferat flosculum, aut aliud quippiam leviusculum, quam si servus aut ancilla adportet saccum aut trabem ingentem. Illa opera leviuscula, suavia et grata sunt in liberis, quae in servis et ancillis contemnerentur. Ideo aliud est describere Legendas hypocritarum et monachorum, quam vere sanctorum. Illi rident horum opera et vitam totam, tanquam impuram, et somniant se posse Deum suis factitiis et prodigiosis operibus placare: sed sunt damnata a Deo, quia non fiunt a persona grata aut accepta. Videamus igitur reliqua non minus stulta et carnalia iudicio hypocritarum. Et iam novus locus sequitur, quomodo Iacob factus sit sponsus.

Ad quem Laban ait: Utique os meum et caro mea es tu: et mansit cum eo per dies mensis. 29, 14

Bene habent sese principia: ut solent hypocritae. Talis enim describetur Laban per totam historiam: avarus, et *πλεονεκτικός*. Et pulchre convenit nomen Laban, significat enim album: Quia magnam speciem pietatis, disciplinae et morum habent hypocritae, ita ut nihil videatur illis sanctius, nihil honestius, nihil religiosius. Sed inversa voce rectius Nabal dictus esset. Magnam igitur pietatem et amorem erga fratruelem prae se fert. Sed interim cogitat: En nactus sum servum optimum et commodissimum, qui pro meo arbitrio omnia cogetur facere et ferre, quia est fugitivus et exul, qui nullum alium receptum potuit invenire: pauper est, famelicus et nudus. Hoc carcere et vinculis satis firmis detinebitur in mea domo. Absque me enim esset, fame ei pereundum foret.

Initio tamen, hypocritarum more ei blanditur: Os meum et caro mea es tu. Occurrit ei obviam, amplectitur, osculatur, ac si serio et vere eum diligeret. Sed mox prodit animum tectum et infidum: Sicut alioqui post

tres saepe dies vilescit piscis et hospes, ut vulga dici solet.[1] Describitur itaque Laban speciosissimus hypocrita, quod ad externa opera et verba attinet, sed qui intus alit idolatriam, superbiam, avaritiam, contemptum proximi. Et tantum spectat suum commodum. Cum isto vivendum est bono et sancto viro Iacob. Ac vide, quaeso, quam exigua sint initia tantorum honorum et dignitatis summi huius Patriarchae, ex quo tot Reges, tot Prophetae, Christus ipse et Apostoli orti sunt, penes quem universa maiestas est aeternae vitae: qui est Rex et Sacerdos, et universam benedictionem a patre consecutus est. Is est pauperrimus et abiectissimus, adeo ut non habeat, ubi figat vestigium pedis. Id nimirum est ex nihilo creare hominem.

29, 15 Dixit vero Laban ad Iacob: Num quia frater meus es, servies mihi gratis? indica mihi mercedem tuam.

Fuit Iacob mensem unum apud Laban, quo tempore non sane gratis ab eo alitus est. Quia haud dubie non fuit ociosus, sed fecit officium hominis pii et fidelis, non solum inopia et egestate impulsus, sed quia erat in eo spiritus sanctus, quo moventur sancti homines ad omnis generis honesta et pia officia: quibus etiam benedicit Deus, ut prosint pluribus. Sicut Ioseph, cum nihil haberet praeter victum et amictum: tamen ditavit dominum suum, et quidem sine ulla expectatione mercedis. Tales nimirum
Kol. 3, 23 sunt, de quibus inquit Paulus Col[ossensium 3.: ‘Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus.’ Id genus servorum est rarissimum, qui ita serviunt fideliter, non ut placeant hominibus, sed Deo. Talis autem fuit Iacob illo mense et toto tempore, quo servivit Laban: non fuit ociosus, sed sponte operas domesticas et summa sedulitate obivit, pavit pecora, praebuit eis potum, et similia omnia, qua potuit fide et diligentia, curavit. Id vero perplacuit avaro Laban, cum videret eum tam studiosum et excitatum esse ad serviles operas. Ideo statim cum eo de mercede paciscitur, quae est maxima commendatio diligentiae et industriae Iacob cum fidelitate insigni coniunctae.

Ac sane insignis et rarissima virtus est, praesertim inter consanguineos et cognatos, ubi paucissimos invenias, qui cognatis fideliter inserviendum existiment. Videntur enim iure quodam vorare, rapere, profundere ea, quae sunt cognatorum. Rarissimi sunt affines aut propinqui, qui sint similes Iacob et Ioseph, aut tales, qualis erat Naaman apud regem Syriae, cui possis committere rei familiaris curam et administrationem. Vidit igitur Laban se nactum esse servum ex animi sententia, sedulum et assiduum,

[1]) *Vgl. Plautus: Miles gloriosus 741:* Nam hospes nullus tam in amici hospitium devorti potest, Quin, ubi triduom (ibi) continuum fuerit, iam odiosus sit. *Düringsfeld I, n. 543: Dreitägiger Gast ist eine Last (bei Agricola).*

cuius opera pecoribus optime provisum esset, familia in ordinem redacta et pulcherrima disciplina instaurata in domo, cum magno incremento rerum omnium. Hoc testatur vox, quae sequitur: Modicum habuisti, cum venirem ad te. Et accessit simul benedictio divina propter servum fidelem, qui revera erat salus et columen familiae. Nolo igitur, inquit Laban, ut gratis mihi inservias. Quia videt eum non esse ignavum pecus, cuiusmodi hodie famulos et ancillas habemus: sed plus facere, quam mandatum esset, in usum et commodum avunculi sui. Sequitur igitur merces pro tam fideli servitio.

Habebat vero Laban duas filias: nomen maioris erat Lea, minoris vero nomen Rachel. Porro oculi Leae erant teneri: Rahel vero erat pulchra forma et venusto aspectu. Dilexitque Iacob Rahelem, et ait: Serviam tibi septem annis pro Rahele, filia tua minore. Respondit Laban: Melius est, ut tibi eam dem, quam alteri viro: mane apud me. Servivit ergo Iacob pro Rahele septem annis: et videbantur illi pauci dies prae amoris magnitudine. 29, 16–20

Haec vero prorsus puerilia et carnalia sunt. Quid enim est, quod sanctissimus vir, tantis promissionibus a Deo ornatus, cum Deus ipse apparuit illustrissima visione, hac aetate iuvenescit, et propemodum repuerascit. Videt duas puellas, et unam formosiorem altera, quarum hanc forma praestantem amat, alteram non amat. Num id decere videtur Iacob octogenarium? Certum enim est eum tum annum octogesimum, aut ad minimum septuagesimum octavum attigisse. Ea vero aetate incipit primum iuveniliter ludere et amare. Quare tandem scribit ista spiritus sanctus, et proponit nobis legenda, quasi aedificandi simus ex hoc facto tam turpi? Nam quod plus est, infra dicetur, dilexisse filium suum Ioseph, propterea quod natus esset in senectute sua. Id tempus non amplius quatuordecim annis abfuit: et tamen dicitur senectus Iacob. Non igitur decorum est tam sanctum virum sic ineptire et lascivire, ut spectet formam puellae, et magis amet formosam, quam deformem. Non enim potest dici, quod fecerit amore prolis, siquidem mulieres non formosae plerunque sunt foecundissimae, ut apparet in Lea. Et ea tamen nullo partu impetrare potuit, ut amaretur tantopere a Iacob, sicut Rahel amabatur. Non igitur potest excusari praetextu quaesitae prolis. Sed sunt haec simpliciter iocularia et ridicula, amare puellam propter formam, non propter prolem.

Iure id quidem debebat fieri, ut amaremus sexum simpliciter propter prolem et generationem, ad quam conditus est a Deo: non ut eo ad libidinem tantum abuteremur. Sicut aedificium totius muliebris corporis testatur, quod habet sua organa et membra, quibus concipiat, alat, gestet foetum. Sed pauci hoc considerant, et Iacob quoque ab hoc fine aberrat, amat

enim Rahel propter formam, et Leam minus formosam non amat, quod tamen senibus minus convenit, quam adolescentibus, ut fiant spectatores formarum.

Sunt autem haec docenda et agitanda in Ecclesia, ne abhorreamus a coniugio. Sicut Papistae id deformarunt suis deliriis, et damnarunt. Ideo enim scribit haec spiritus sanctus, ut testetur Deum non abiicere et reprobare etiam eos, qui spectant formam in coniuge, et quod electio illa sit sine peccato. Propterea nemo putabit se peccare, si praeferat formosam deformi. Ita haec quoque nos docent et aedificant. Deinde Iacob speravit prolem ex forma et viribus corporis praestante. Quia id sane debebat fieri in iungendis connubiis, ut deligerentur et iungerentur robusti cum robustis, industrii cum industriis. Sicut id discrimen servatur in brutis, in bobus, equis, ovibus, gallis et aliis animantibus omnibus. Inter homines non perinde fit propter corruptionem ex originali peccato conceptam. Inde enim fit, ut alii robusti, alii infirmi generentur, alias leprosi, alias ceci, alias fatui, vicio et culpa parentum. Quia ferendum est, ut copulentur robusti cum infirmis propter peccatum originale, cui malo occurrendum est remedio coniugii divinitus monstrato, quomodocunque aut quicunque iungantur.

Sic et animalia omnia habent stata tempora generationis. Solus homo habet errantes et vagos motus ex veneno morbi originalis, quibus non aliter potuit consuli, quam hac coniunctione, ubi qui potest formosam et viribus integris coniugem habere, habeat sane. Qui non potest delectum habere, ducat eam, quae offertur, sive sit formosa, sive non. Deinde coniugium post peccatum originale carni valde molestum et grave est propter coniunctionem indissolubilem. Etsi enim manet appetitus et amor sexus ad sexum, tamen vinculum illud, de quo Moses dicit, quod debeat uxor esse coram marito inseparabilis vitae socia, est admodum durum et difficile, Quaecunque enim calamitas accesserit sive corporum, sive fortunarum, sive prolis: manet tamen firmum illud et indissolubile vinculum. Et tollitur omnis electio, nec conceditur ulla permutatio, nulla reiectio aut repudium. Accedit insuper Diabolus, hostis omnium ordinationum Dei, qui variis modis molestat et excruciat coniuges. Propter tot et tantas molestias ac difficultates coniugii non est malum, si quis eligit formosam, et corpore et viribus integris, quo diutius et facilius possit hoc vinculum coniugii cum omnibus molestiis tolerare. Neque enim consultum est eligere eam, quae principio statim odiosa et molesta sit. Quia Sathan etiam forma praestantissimos et summo amore mutuo se complectentes alienare et distrahere solet.

Et spiritus sanctus hoc loco docet, non esse damnatam a Deo istam electionem. Commendat enim eam, vel potius indulget huic sanctissimo Patriarchae, ut iuveniliter amet formosam magis, quam deformem. Er

lefts geschehen. Quia coniugium eiusmodi vitae genus est, quod opus habet remissione peccatorum et indulgentia Dei, ut Deus conniveat non solum ad libidinem illam, modo sit legitima per coniugium, sed etiam ad errata et offensiones familiae, liberorum, coniugum, quae solent incidere in oeconomia. Sicut enim politiam et Ecclesiam sub remissione peccatorum esse necesse est: Ita et coniugum vita est sub indulgentia Dei et remissione peccatorum. Non vult damnari Deus coniugalia illa, quod maritus deligit et amat uxorem formosam, quod quidem principio non est difficile in primo fervore amoris, quo ardent mutuo sponsus et sponsa, sed paulatim defervescit. Imo quandoque post mensem degenerat in accerrimum odium, instigante Diabolo et fascinante animos coniugum variis et mirandis modis.

Haec igitur huius peccati, quod hypocritae exagitant in hoc patriarcha, non quidem excusatio est: sed est praedicatio divinae indulgentiae, qui non damnat istam reprobationem Leae minus formosae, et electionem alterius formosioris. Papistae lasciviam interpraetantur, sed non vident, quae causa ad coniugium eum impulerit. Incumbit enim Iacob habenti promissionem cura de posteritate: Ideo solicitus est, unde habeat uxorem commodam et placentem, potius quam ubi sedem certam et domum inveniat, contra omnes rationes Philosophorum et sapientum praecepta. Hesiodus[1] inquit: *οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα.* Hic noster Iacob nihil horum curat, non domum, non bovem, non alia necessaria, sed primum omnium uxorem eligit.

Deinde ne hoc quidem cernunt Papistae, quod lateat sub iuvenili isto amore senis Patriarchae insignis castitas. Cum enim per se spiritus sanctus non reprobat mutuum amorem sponsi et sponsae, tum vero simul indicat, quam castus fuerit Iacob. An non enim haec insignis castitas est, quando masculus vivit continenter et caste usque ad octogesimum aut 84. annum. Nam octogesimo quarto anno Iacob primum factus est maritus. Tam diu vixit celebs post primum florem aetatis suae usque ad annos senectutis. Nam quatuordecim annis post vocabitur senex. Si igitur hoc spectant Papistae, quod elegerit pulchram puellam: Cur non etiam hoc vident, quod vixit continenter usque ad octogesimum quartum annum? Ac fuit eo tempore natura validior et perfectior. Ita ut masculus esset idoneus ad generandum circa decimum quintum aut decimum sextum annum. Ab eo anno et in ipso flore aetatis ferre et vincere illam maliciam carnis et legem membrorum, quae vocatur libido, certe est magnum miraculum et acerrima pugna adversus carnem, quam pauci sustinuerunt. Longissime igitur errant Papistae, si cogitant patres vixisse carnaliter. Sicut sentiunt sane: Neminem enim iudicant caste vivere praeter celibes monachos et moniales, et offendit eos gravissime, quod fuerunt coniuges Patriarchae: nihil intel-

[1]) *Hesiodus: Ἔργα καὶ ἡμέραι v. 463.*

ligentes de excellentissima illa castitate. Sed non mirum fuisset, si tanto tempore continentiae Iacob prorsus mortificasset carnem, et extinxisset insitam vim ad generandum. Iam enim elapsi sunt anni adolescentiae, iuventutis et virilis aetatis, iam 84. annos habet, luctatus cum sua carne 68. annis. Et tamen mansit in eo *στοργὴ* et naturalis inclinatio ad sexum, ad iuvenculam, et quidem formosiorem, quam praefert minus formosae, iam senex et canus.

Superant ergo haec exempla castitatis omnem nostram continentiam, et praesertim Papistarum impurissimum celibatum in monasteriis, quae nunc sunt mera lupanaria. Aut si etiam servaverunt castitatem unquam, tamen ne comparanda quidem est ad patrum castitatem: in quibus sic mortificata est caro magna fide et spiritu, ne tamen extingueretur naturalis inclinatio et adfectus erga sexum. Sicut Iacob sponsam vero amore et unice diligit, ita ut septem illi anni vix trium aut septem dierum spacium aequare viderentur. Deinde quod omnium est maximum: Postquam factus est sponsus, expectat septem annos, donec iungatur sponsae. Si hodie aliquis tot annos deberet expectare diem nuptiarum, et interim servire pauper et mendicus, profecto et sponsam et socerum relinqueret. Sed haec porci isti Papistae non considerant, nec cernunt exemplum castitatis insigne et inaestimabile, quae simul est coniuncta cum mirabili pacientia, quae totos septem annos tolerat servitium hoc et moram cuivis alii profecto intolerabilem: et servit miser et inops, nihil habens proprii, ne ligulam quidem vel filum. Et omnia facit amore puellae, quo ita captus est, ut isti septem anni viderentur dies uni, hoc est, ac si tantum fuissent septem dies.

Augustinus etiam hanc pacientiam et expectationem admiratur, et quaerit causam, quomodo eam potuerit praestare, cum sit contra et supra naturam hominis. Hoc enim testantur omnes descriptiones amoris et amatorum, quod inquit ille: Impacienter amo. Et praesertim dilatus amor valde adfligit, et reddit homines impacientes. Cantica amatoria queruntur dies et menses nimis longos esse, ut ille apud Poetam[1] ait: Si mihi non haec lux toto iam longior anno est. Respondet autem Augustinus: hoc tempus et annos tam breves esse visos, quia labores non fuerunt graves et difficiles. Amor enim est omnipotens. Sicut econtra: qui odit, nihil potest ferre. Amor gratuito facit, quod alioqui nullo precio, nullis precibus adductus faceret. Sic saepe scorta aut adulteri plura patiuntur, quam coniunx aut maritus honestus ferret, et tantum valet amor furiosus. Multo plura ergo facit et perfert amor purus et honestus.

Sed non sufficit haec responsio: Addendum enim hoc est, quod hic significatur, quomodo ille amor sponsalis sit gubernatus a spiritu fidei in Iacob. Illo autem gubernatore omnia sunt bona et facilia. Si enim Deus

[1]) *Virgilius: Eklogen 7, 43.*

adest, et conversatur nobiscum in omnibus primaria illa et principali consolatione, tum possum omnia, inquit Paulus, in Christo, qui me confortat. Phil. 4, 13 Utcunque igitur haec sint carnalia et iuvenilia: tamen probantur in sanctissimo viro, nobis in exemplum et consolationem. Quia habuit ipse promissionem posteritatis, in quam principaliter respiciebat. Ideo necesse erat, ut duceret uxorem.

Iam et ea, quae ad Grammaticam pertinent, expediamus. Oculos Leae dicit fuisse (RAKES), quod nos vertimus: ein blöd geſicht, et puto satis bene redditum esse. Nam quod alii dicunt habuisse eam oblongos oculos, fabulosum est. Mihi videtur fuisse honestam puellam, bonis moribus et viribus integris, sed non formosam praesertim in oculis, qui maxime ornant hominem. Sicut Plinius[1] oculos vocat regem inter membra corporis humani, et sunt sane praestantissima pars corporis: Ideo rarum donum est in homine gratia et decor oculorum. Commendantur autem in primis oculi *χαροποί*, quos vulgo falconum oculos dicunt. De puellis dicitur: Sie ſicht wie ein falck. Sunt enim maxime acres et vivaces, ac prope modum fulgurantes, fein rein und hell. Ac utrunque depraehendi potest ex oculis, et vicium, et virtus animi. Ideo pulchri oculi sunt quasi miraculum in genere humano, quia significant ingenii et naturae praestantiam. Infra de Messia dicetur Genesis 49.: 'Rubicundiores sunt oculi eius vino', fein wie der ſchwartz rot wein. 1. Moſe 49, 12 Tales oculi valde ornant faciem, et quasi vitam et hilaritatem quandam praestant. Econtra oculi parvi et hebetes, qui non acres, non vivaces sunt, obscurant et deformant totam faciem. Tales Lea habuit, damit ſie nicht ſcharpff geſehen hat. Ideo propter oculos teneros sive debiles non fuit in gratia. Hebraea enim vox (*Rakes*) significat tenerum, ut supra Geneſis 18.: 'Tulit Abraham vitulum tenerum', 1. Moſe 18, 7 mollem. Mysterium, quod alii hic tractant, omitto, et sequor historicam sententiam. Causa enim haec simplex et plana est, quare Iacob alienior fuerit a Lea, quia habuit oculos minus acres et venustos.

Rahel vero fuit pulchra. Et refertur ea significatio in Hebraea voce (*Thoar*) proprie ad quartam speciem in praedicamento qualitatis, ad figuram, quae continet formam et proportionem qualitatis. Oculi Rahelis habuerunt iustam figuram, frons item et genae ac totum corpus habuit suam dispositionem et convenientiam membrorum. Haec vera pulchritudo et venustas est, quando facies habet aptam et convenientem proportionem oculorum, frontis, genarum et aliarum partium. Atque hactenus descripsit Moses sponsum istum et amatorem Iacob satis iuveniliter, qui amore lepidae et formosae puellae tam longam et duram servitutem sustinet, unde colligi magnitudo amoris potest. Et observandum est, quod scriptura

---

8 (RAKES)] רַכּוֹת *31* (*Thoar*)] תֹּאַר

1) Vgl. Plinius: Historia naturalis 18, 43: ideo maiores fertilissimum in agro oculum domini dixerunt.

sancta non damnat, sed praedicat istum amorem in sponso. Iam vero sequitur egregium et illustre specimen pacientiae Iacob in hac servitute et amore puellae.

29,21 Et ait Iacob ad Laban: Da mihi uxorem meam, quoniam impleti sunt dies mei, et ingrediar ad illam.

Appellat uxorem, cum tamen sit virgo. Scriptura enim non distinguit inter uxorem et desponsatam. Sicut videre est in Mose et Matthaeo, ubi virgines desponsatae uxores dicuntur. Habet igitur Iacob Rahelem pro legitima coniuge, et ardet erga eam vero et maritali amore, ut iuvenes et sponsi solent. Est autem vehementissimus ardor sponsi, quando tempus amplexus et copulae instat. Sed in hoc nostro Patriarcha castissimus ille et ardentissimus amor erga uxorem Rahel indignissime turbatur et fallitur, sicut sequitur.

29,22 Et congregavit Laban omnes homines illius loci, fecitque convivium.

Der ſchalck were wert, das man in in abgrundt der hellen verflucht. Non dicit Moses: vocavit, invitavit ad convivium nuptiale, quod solet solenniter et honorifice fieri: sed collegit, hats zuſammen gerafft: Non in gloriam et honorem sponsi et sponsae, sed ad fallendum et illudendum optimo et sanctissimo viro, ut captum suis technis retineat, nec possit ullo modo repudiare vel mutare, quam cognoverit illa nocte: quamvis deceptus et delusus esset. Ideo subito aliquos colligit testes. Et videtur scriptura innuere Laban male audivisse apud bonos et honestos vicinos: qui haud dubie intellexerunt eius malas artes et iniurias, quibus adfecit bonum et fidelem Iacob isto septennio. Ideo collegit homines leves, qui non improbarent hanc imposturam, significat eum fuisse veteratorem pessimum totum subversum avaricia. Ad Iacob hilaris et ardens amore erga suam Rahel nihil sinistri aut mali suspicatur. Sed plenus spe et gaudio expectat suavissimam sponsam suam, ut fruatur tam diu sperato et exoptato gaudio.

29,23—25 Et ecce vespere tulit Leam, filiam suam, iutroduxitque eam ad illum, et ingressus est ad eam. Dedit quoque Laban Leae, filiae suae, Zilpam, ancillam suam, in famulam. Factumque est illucescente die, et ecce ea erat Lea. Et dixit ad Laban: Cur hoc mihi fecisti? Nonne pro Rahele servivi tibi? Quare imposuisti mihi?

Hoc est illud exemplum pacientiae. Discat igitur pacientiam, qui potest discere. Ego sane non possum. Est enim intolerabilis et inimita-

20 retineat, nec possit *L. M.*] retineret, nec posset *N. O. Erl.* 21 cognoverit *L. M.*] *cognovisset N. O. Erl.*

bilis. Optimus et sanctissimus vir tam ardenter diligit puellam, ut toto septennio omnia faciat et ferat, imo locupletet avarum illum veteratorem Laban ea lege et conditione, ut collocet sibi filiam Rahel. Sed pro tam fideli servitio ipse hanc refert gratiam, surripit ei uxorem, virginem dilectam et tot annis quaesitam ac expetitam. Et quidem ipsa hora optatissimi et sponsalis gaudii. Nec rapit solum, quod per se quidem est molestissimum: Sed etiam obtrudit aliam, quam aversatur, atque ita perpetuum onus cervicibus eius imponit. Horribilis et indignissima profecto impostura est. Iacob non aliud scit, quam se habere suavissimam suam sponsam in amplexu, et ecce habet suppositiam. Si quis rapiat pecuniam, aurum, argentum, pecora, exigua iactura est: sed rapere virginem, uxorem formosam et dilectam, a qua toto pectore expectes prolem, unde speres semen posteritatis promissae, profecto iniuria et contumelia est, quae vincit omnes iniurias. Nam hic omnis spes et expectatio Iacob subito concidit: Nec potuit ei aliud in mentem venire, quam se perpetuo privatum iri amore Rahelis, sponsae suae, neque eam futuram sibi amplius uxorem. Sic fallitur dulcissima spes et suavissima illa expectatio amoris et amplexus sponsae: quae toto septennio duravit, immenso gaudio utriusque. Non autem sine lachrimis et ingenti dolore hanc iniuriam passi sunt. Nimis atrox enim et crudele malum est, et pacientia incredibilis. Ego sane non tulissem, sed expostulassem cum eo, et in ius vocassem, ut coactus legibus sponsam meam redderet, et alteram repudiatam patri remisissem. Quia non Lea: sed Rahel desponsata erat, idque publice omnibus renunciatum et cognitum haud dubie fuit per totum oppidum.

Illos vero, quos collegit Laban convivas, existimo fuisse homines leves et nihili, Lose fenichen[1], qui coacti sunt in gratiam Laban approbare et excusare hoc facinus. Sed est durissima et intolerabilis distractio. Ego sane si etiam aetate et annis ipsum Mathusalah superarem, tamen non ferrem. Quia pugnat haec separatio contra naturam et omnem sensum humanum. Quantum tragoediarum in omnibus historiis excitarunt raptores virginum ac mulierum? Quoties florentissima regna infestis armis inter se concurrerunt et eversa sunt propter eiusmodi iniurias? Graeci pene totum orbem terrarum concitarunt ob raptam Helenam. Sabini bellum adversus Romanos moverunt propter raptas filias. Et infra 34. Sichimitae a filiis Iacob trucidantur ob raptum Dinae, quia est tenerrimus ac impacientissimus adfectus amoris in sponso, praesertim in ipso articulo nuptiarum, ubi instat amplexus et gaudium nuptiale. Ideo nihil minus ferre potest, quam eripi sibi sponsam, in quam insanit amore et cariorem habet auro, argento, imo oculis et vita ipsa. Deinde quaesiverat et elegerat Iacob hanc sponsam iussu et voluntate patris pro posteritate promissa, quam sperabat ex

[1]) *Lies* fenbichen = *Bürschchen; vgl. Unsre Ausg. Bd. 47, 856, 22.*

sponsa forma bona et aetate integra. Verum haec spes et gaudium tam diu speratum uno momento concidit. Exaggeret igitur et detestetur, qui potest tam insignem et inauditam maliciam. Maior enim est, quam ut ullis verbis exprimi queat. Quin in textu occulta repraehensio et indignatio significari videtur. Non enim dicitur Laban Leam adduxisse uxorem Iacob. Sicut postea de Rahele docet: dedit Rahelem, filiam suam, in uxorem. Non dignatur Moses Leam uxorem appellare, sed sic dicit: Tulit Leam, filiam suam, et introduxit eam ad illum.

Impulit autem avarum Laban ad tantum scelus dira cupiditas, non tam ut filiam maiorem natu Iacob obtruderet, quam ut alios septem annos cum detineret. Sensit enim mirabilem successum et incrementa rerum suarum. Itaque indignum et horribile est tam immani scelere optimum virum detineri, ut cupiditatibus huius veteratoris satisfiat, aber er muſs den hon leiden, der doch gar zu hart iſt. Ipsa Rahel quomodo fuerit adfecta, non recitatur, verum consentaneum est, non minorem eius indignationem fuisse. Scivit enim haud dubie se sponsam esse: Et notum fuit toti vicinae, Iacob pro Rahel servire septennio illo. Ideo aeque commota est hac iniuria ac sponsus ipse. Imo multo minus ferre et vincere potuit: quia sexus et natura imbecillior est. Certa erat se esse sponsam, et iam ducendam in thalamum sponsalem, sed ea ipsa hora, qua putat se potiturum amore et sponso optato, indignissime fallitur: non sine magno dolore, non sine lachrymis et eiulatu.

Tristes itaque et lugubres hae nuptiae sunt. Sponsus enim misere decipitur, Rahel autem sponsa reiicitur, quae haud dubie iustissimum dolorem et indignationem non potuit caelare: sed lachrimis et voce testata est, et expostulavit cum patre: Cur rapis, dixit, mihi meum sponsum, cui tute me despondisti? Sed nihil motus est crudelis pater, forsitan et minis eam compescuit. Lea scivit se non esse sponsam, sed sororem sponsae, et fortassis repugnavit aliquantum voluntati patris, sed tamen humano adfectu passa est se rapi ac cogi ad hanc iniuriam. Imo sibi gratulata est de vi ista, ut fieret mater promissae posteritatis, quam audivit expec-
1. Mose 30, 1 tari a Iacob. Et infra capite 30. videtur Rahel nonnihil prodere adfectum et odium erga sororem Leam ob hanc ipsam causam. Hae igitur infaustae nuptiae sunt Iacob et Raheli propter inexpectatam fraudem: Ac proponitur exemplum et castitatis eximiae in sanctissimo Patriarcha Iacob, et crucis ac pacientiae summae. Haud scio enim, an ullus sanctorum, nedum gentilium, hanc crucem tanta pacientia sustinere potuisset. Es iſt zu hoch und zu ſchrecklich.

Quaeritur autem cuiusmodi ritus nuptiarum fuerint apud istos homines, quod Iacob solus cum sola in cubiculo et eodem lecto dormit, nec sentit tamen esse suppositam Leam pro Rahele. Vixit enim toto septennio in domo hac, ubi vidit haud dubie sponsam aliquoties, nonnunquam collo-

cutus est, et in lecto si non tactu explorare, vocem tamen agnoscere et discernere potuisset. Nostris moribus longe cautius agimus. Non enim in tenebris, sed cum tympanis et facibus, ac adhibitis etiam testibus ducimus sponsam cum ad sacrum, tum ad thalamum nuptialem, ut non possit esse locus ulli imposturae. Istum morem non fuisse receptum apud hosce homines ex historia colligitur, alioqui enim Iacob non esset tam turpiter deceptus. Deinde usitatum fuit eo tempore, ut mares et foeminae in singulis domibus diversa habitacula haberent: non ita promiscue conversati sunt, ut apud nos solet fieri. Iuvenes habitarunt cum patribus, et virgines cum matribus seorsim, sed in cubiculo cum habuit secum sponsam suam Iacob, potuit sane cum ea libere colloqui, potuisset etiam tactu deprachendere non esse Rahelem. Sed colligitur inde summam fuisse verecundiam istius saeculi, aut saltem Patriarchae Iacob. Aut certe Lea sic fuit instructa a patre, ut taceret prorsus, vel submissa voce loqueretur. Tamen maximam vim verecundiae fuisse in Iacob necesse est, ut nec collocutus sit, nec contrectaverit, sed tantum maritali amore eam sit complexus, prae nimio gaudio, quod tandem contigisset frui amore dulcissimae sponsae. Hanc insignem verecundiam et castitatem commendat scriptura, quod ingressus est thalamum sine suspicione, sine lascivia, sine impudico adfectu, simplici et maritali adfectu. Quod enim Lyra dicit, eum tribus noctibus continuisse, omitto. Magna illa simplicitas consideranda est potius, quod nullo prorsus signo depraehendit esse alienam, ad quam accederet. Neque enim ita aspiciendi sunt patres, sicut a Papistis iudicantur fuisse furiosi in libidinem et quales ipsi sunt. Sed fuit simplicissima castitas et castissimus amor erga sponsam in Iacob. Nec habuit ullam causam suspicandi esse aliam suppositam. Quia uterque parens et sponsa ipsa est notissima, et in omnibus maximus candor et candidissima sinceritas semper visa est. Et tamen decipitur.

Ita vero cogito, et excuso Iacob, sicut supra de concubitu Loth cum filiabus dixi. Fieri enim potest, ut homo quandoque forti imaginatione et intentione animi ita absorbeatur, ut non audiat, nec videat, et nihil prorsus sentiat, etiam audiens et videns apertis oculis et auribus. Vehemens enim et intenta animi cogitatio abstrahit mentem a sensibus, ut ab extra nihil cernat et sentiat homo. Ita prorsus in adfectibus vehementioribus fit, sive in ira, sive in moestitia, sive amore: hi enim reddunt hominem stupidum et insensatum. Hinc in preliis saepe attonitos et consternatos videas, ac stupentes prorsus milites trepidatione et formidine. Sic Loth ebrietate moestitiae magis quam vini oppressus, ac tristitia illa ex conflagratione Sodomae infernali absorptus nihil sensit, nec animadvertit: sed nesciens et animo alieno fecit, quicquid fecit.

Hoc est mirabile, sed usitatum, et secundum naturam in melancholicis, quando serio incumbunt in aliquod studium aut cogitationem alicuius

rei. Saepe non advertente melancholico omnia bona eius possis auferre ipso praesente. Ad eundem modum animus Iacob amore et gaudio occupatus et absorptus fuit, et Deo gratias egit, quod haberet sponsam, ex qua sperabat posteritatem. Fuit ebrius, non vino: sed amore Rahelis, tam diu quaesitae et exoptatae. Haec ebrietas amoris ingens profecto stupor est, quo attonitus quasi non potuit advertere aut sentire dolum. Nihil enim suspicatur mali: sed est totus in imaginatione et adfectu amatorio, certus sibi non posse amplius eripi sponsam. Ideo nihil minus ei venire in mentem potuit, quam quod veterator ille deberet sibi subducere sponsam, et supponere Leam.

In hunc modum de Isaac supra dixi, benedicente Iacob pro Esau: Is quanquam agnosceret vocem Iacob, et animus praesagiret subesse fraudem et dolum: tamen cum esset occupatus studio benedicendi: etiam eorum, quae sentit et audit, nullam curam habet. Talia exempla saepe in vita occurrunt, quando animi a sensibus exterioribus relabuntur in imaginationem, qua antea fuerunt oocupati: et putant non posse fieri, ut fallantur, aut aliquid detrimenti accipiant: plus enim credunt cordi suo, quam oculis suis et auribus. Ideo cogitabimus Iacob quoque amore ebrium stupefactum et quasi raptum esse: ut nihil minus cogitaret, quam se falli posse. Ardor ille amoris vehemens occaecavit eum.

Haec mihi quidem in mentem venerunt de impostura huius veteratoris, quo modo ea deceptus sit Iacob. Simul autem insigne illud et rarum exemplum verecundiae notandum est, et amplificanda castitas Patriarcharum prae omni castitate et caelibatu monachorum. Hic enim ardentissimi motus amoris et libidinis superantur, vel saltem reprimuntur in utroque, in Iacob et Rahele: quae, quanquam vera sponsa esset, tamen excluditur thalamo sperato et debito, ac cogitur dissimulare se esse sponsam, et lachrimis miserum amorem et desiderium sponsi solari et lenire.

Porro videre est in hoc loco, quanta fuerit potestas patria apud istos homines. Lea enim uno verbo et nutu tantum a patre Laban cogitur, ut succedat Raheli, et fiat ipsa sponsa, etiam contra datam fidem. Neque enim Iacob ante id tempus cum Lea ullum verbum de ineundo coniugio commutaverat, nullus amor, nulla arrha, nullum pactum intercesserat, sed sine consensu, pactionibus et colloquio filia arripitur a patre, et collocatur in thorum nuptialem Iacob. Non explorat pater voluntatem filiae, non audit eius responsum. Si isti fuerunt mores illorum hominum, sane pessimi fuerunt. Certum enim est non facta esse sponsalia inter Leam et Iacob, non adhibitos esse testes. Sed administrantur omnia subito, tyrannide et violentia patris, qui arreptam filiam introducit ad Iacob. Pessimum igitur hoc exemplum est, quo videmus Leam mera tyrannide et crudeli audacia patris fieri sponsam. Ipsam quidem facile consensisse consentaneum est, ut fieret mater sanctae posteritatis, ideoque est excusabilis. Sed tyrannis

patris est modis omnibus execranda. Et quanquam sanctus vir tolerat hanc iniuriam, tamen est detestabile et nequaquam imitandum exemplum.

Quaerunt autem Lyra et alii hoc loco, an fuerit verum coniugium ea nocte inter Leam et Iacob? Respondeo: Non fuit. Ergo fuit adulterium? Nequaquam. Quid igitur? monstrum. Si enim ipsum factum spectes, Iacob non est maritus Leae, sed viciat et stuprat eam, quae ipsi non erat desponsata. Et tamen sine culpa est, sed haeret ea in perfido Laban, qui fallit sponsum et sponsam, et nuptias distrahit copulando Iacob aliam, quam desponderat. Itaque neque adulter dici aut haberi merito potest. Et si quaeritur, an peccaverit Iacob cognoscendo alienam? Respondendum est: Ipsum quidem factum esse manifestum stuprum, non esse coniugium, sed tamen non peccasse: quia falsus est aliena perfidia, quam ne suspicari quidem potuit. Quis enim metuat patrem filiam ex se natam defraudaturum tam diu sperato gaudio? Filia non aliud cogitavit, quam se ea nocte fore sponsam, iungendam cum sponso suavissimo. Et Iacob ingressus est vero et maritali amore, nihil dubitans se amplexurum Rahelem tanquam coniugem suam. Id enim promiserat, et toto septennio simulaverat perfidus nebulo Laban: sed in uno momento tam diu simulatas nuptias dirimit, das heiſſen grobe bubenſtück.

Sic igitur respondebimus ad quaestionem propositam, non fuisse matrimonium inter Iacob et Leam, quia utriusque voluntas et consensus defuit. Ipsa non fuit desponsata Iacob, nec Iacob fuit sponsus Leae. Sed commissus est error et ignorantia invincibilis in re politica, quae excusat a toto, ut loquuntur iureconsulti. Distinguunt enim inter ignorantiam crassam, supinam vel negligentem, et invincibilem. Ubi est ignorantia facti, personae, circumstantiarum et omnium rerum, ea nullum crimen habet, sed est simpliciter innocentia in rebus politicis. In Theologia autem non valet, quanquam ad hanc quoque a quibusdam relata est: Sed extra Theologiam tantum in politia locum habet. Non est adducenda in iudicium Dei: alioqui omnes homines fierent salvi. Ut error et ignorantia invincibilis est, quod Iudaei crucifixerunt filium Dei, sicut testatur Paulus 1. [!] Corin[thiorum 2. Ratio enim non intelligit. Non tamen ideo excusantur coram Deo. Invincibilis igitur ignorantia ponatur extra Theologiam. In politia autem est excusatio in totum. Sicut copula haec Iacob et Leae non est coniugium, et factum ipsum per se est stuprum, sed excusatur per ignorantiam invincibilem. Lea etiam excusatur, quod non sit habenda pro meretrice, per potestatem paternam, qui dixit: praecipio tibi, cogo, impero tanquam parens tuus. Tu Lea es sponsa mea authoritate et arbitrio. Vadit igitur in simplicitate et obedientia pura et filiali: Et quanquam est verisimile eam non aegre passam se adduci: tamen excusatur patria potestate et filiali obedientia. 2. Kor. 2, 8

Sed durum admodum et indignum est, quod pater Tyrannide eam

cogit, neque audet ipsa tergiversari. Tota itaque culpa reiiciatur in avarum Nabal, qui id egit, ut ambas filias optimo viro obtruderet. In Iacob autem nihil peccati et culpae haeret, sed est pura ignorantia. Inscius enim et invitus fraudatur amore suavissimae sponsae, quam sperat se illa nocte amplexurum. Sicut Romani historici suam Lucretiam excusant: Quanquam ibi non fuit ignorantia invincibilis, sed vim passa est Lucretia. Commissum enim quidem est adulterium: quia concurrunt duae personae, quae sunt coniuges, et violant leges utriusque thori: tamen Tarquinius solus est adulter: Lucretia non. Quia per vim gladii coacta est corpus prostituere: passa est vim et violentiam adulteri, quam muliercula imbecillis non potuit depellere.

Sic de Lucia recitatur, cum praeses minitaretur se rapturum eam ad aras idolorum et lupanar, iamque collecti essent adolescentes, qui eam stuprarent. Respondit ipsa: Si rapueris manum meam ad offerendum thus idolo: Non ego, sed tu idolatra es. Et si ad prostibulum ducta fuero: Non ero ergo meretrix, sed corona castitatis mihi duplicabitur. Ad eundem modum Patriarcham Iacob culpa liberabimus, qui simplici et maritali adfectu ingreditur thalamum, et cogitat se ibi inventurum suam Rahelem, sed praeter omnem opinionem et voluntatem cum Lea coniungitur, qui non erat ipsi desponsata.

Post expostulationem autem fiet verum coniugium, quando Deus dispensat et confirmat hanc copulam, dando prolem Simeon, Levi, Ruben etc. Da muſs es wolgethan heiſſen, ut omnia, quae faciunt sancti, cooperentur eis in bonum. Alioqui non est nec coniugium, nec adulterium, sed simpliciter monstrum. Neque est imitandum nobis hoc exemplum. Non sunt cogendi liberi ad amorem aut connubia eorum, a quibus abhorrent. Satis alioqui superque satis periculorum et molestiae incidit, si etiam amore inter se ardentes coniunguntur. Sicut ostendunt quotidiana exempla: Neque etiam pacientia haec ad imitationem est proposita, quia nimis ardua et plane heroica est, perferre ac pati aequo animo, ut sponsa eripiatur ipsa hora et momento nuptiarum. Ideo mirari magis et praedicare, quam imitari eam licebit.

Pergit autem Moses describere, quando depraehenderit dolum Iacob, et quomodo fuerit adfectus. Haud dubie enim vehementer fuit consternatus, cum mane illucescente sole vidit sibi alienam coniunctam esse. Nec eo solum perterritus est, quod videret sibi esse impositum, et ereptam charissimam sponsam. Sed accessit etiam pavor conscientiae propter stuprum aut incestum: quia fuit pius et sanctus vir, qui magis de peccato, quam de iniuria doluit. Nec potuit statim intelligere: quomodo haec permutatio accidisset. Reiicit autem culpam in Laban, et testatur suam innocentiam. Cur hoc mihi fecisti? Nonne pro Rahele servivi tibi? Quare imposuisti mihi?

Respondit Laban: Non sic fit in loco nostro, ut tradatur iunior 29, 26
ante maiorem.

Der ſchalck vexirt in noch darzu. Ad tantam calamitatem et indignam perturbationem gaudiorum nuptialium insuper ei illudit perfidus Nabal. Non fit hoc, inquit, in loco nostro. Quare autem prius non dixisti? cum diceret Iacob: serviam tibi pro Rahele septem annis. Hem isthaec modo oratio nascitur, ut ait ille apud Comicum.[1] Cur antea non allegasti consuetudinem gentis tuae? Nunc demum venit veterator. Nec satis est, quod imposuit honestissimo genero, ultro etiam verbis eum ludificatur. Quin et servitutem alterius septennii accumulat per fraudem et fallaciam. Tantum ut augeatur et crescat res familiaris alieno labore, etiam per mendacium et dolum. Dignus igitur fuit, cui malediceret Deus ditescenti alieno sudore et labore. Sed valuit hic quoque vulgatum illud: je böſer ſchalck, je beſſer glück.[2] Quo quis est nequior, hoc est fortunatior. Notandus autem est Hebraismus hoc loco. Non facit: Man thut nicht alſo. In Hebraea lingua impersonale verbum saepe per activum aut plurale effertur. Non sic faciunt, pro, non sic fit. Et Lucae 6.: 'Mensuram bonam dabunt in sinum vestrum.' Luk. 6, 38

Imple hebdomadem istius, et dabitur quoque tibi ista pro ser- 29, 27
vitute, qua servies mihi adhuc septem annis aliis.

Istius, scilicet Leae, da ſteckts. Vidit Laban rem domesticam auctam per servitutem Iacob. Ideo cogitat de fallendo eo et retinendo aliis septem annis. Sic enim ratiocinatus est: Si dedero ei filiam Rahel, mox abibit, et deseret meam domum, quae praesentia et fidelitate eius pulchre accrevit. Ideo detinendus mihi erit diutius, quo iure, quaque iniuria. Non quin bene ei cupiam: quia plures filias ei darem, si haberem. Sed ideo, ut retineam eum mecum diutius, et ditescam fideli servitio eius. Wie ein ſchalck iſt das? Iam satisfecerat Iacob paterno mandato, quo iussus erat ducere uxorem ex hac familia. Iamque septem annis servierat iuxta pactum cum socero. Cogitabat igitur domum cum uxore reverti. Ibi Diabolus hanc molestiam obiicit, ut non solum turbet et impediat nuptias: Sed etiam aliud septennium adiiciat.

Serviendum est itaque Iacob quatuordecim annis. Nam pro Lea non serviit: Id sane grave et molestum fuit. Habet iam duas coniuges: et tamen nihil proprii habet, servit vacuis manibus, quod est durissimum et molestissimum. Ad se enim avarus Nabal rapit omnia. Et id solum agit, ut per diligentiam et beneficia istius optimi viri locupletetur. Debebat

[1]) *Terentius, Adelphi 5, 3, 19.* [2]) *Vgl. Unsre Ausg. Bd. 19, 556, 26.*

autem iam ei vicissim benefacere, et dotem dare: sed illudit ei, et obtrudit duas ancillas et filiam, quam aversatur. Vide, avaritia quid facit? Est igitur raptor, spoliator, fur et latro, qui ditescit sanguine et sudore optimi viri et filiarum, sicut infra sequetur, hats alles zu ſich geriſſen, impurissimus mammonista ita describitur, ut non mirum sit, si totus mundus eum execretur. Superat rapacitatem omnium furum et praedonum: neque ulla Rhetorica satis exaggerari avaritia ista potest.

29, 28 Fecit itaque Iacob sic, et implevit septenarium: et tradidit sibi Rahelem, filiam suam, in uxorem.

Iacob accipit conditionem oblatam ab avaro et iniquo socero. Ita totum negocium componitur. Quaeritur autem, quare consentiat Iacob? Etsi enim allegat Laban consuetudinem loci, et fuit fortassis consuetudo haec in illa regione, ut maiores natu primum darentur nuptum: tamen est argumentum futile. Ac mirum est Iacob huius moris ignarum fuisse, nec vidisse exemplum aliquod nuptiarum conveniens, aut discrepans a consuetudine illa. Siquidem septem annis mores alicuius regionis facile possunt perspici. Ipse vero cum primum audit allegari morem hunc, assentitur. Potuisset summo iure repudiare Leam, et dicere: Quaecunque tandem sit consuetudo illa, tu mihi Rahelem despondisti, et ego ex pacto pro ea tibi septem annis servivi, hanc servabo et nullam aliam.

Sed quid faciat sanctissimus vir? Er leſts gehn. Aequo animo fert hanc iniuriam, ut potiatur Rahele, quae erat unica et vera sponsa, quam videt se non posse obtinere, nisi ista iniquissima conditione, ut retineat Leam, quam non amabat. Cogitavit enim: quid faciam? Lea est decepta autoritate patris, sicut ego insidiis eius circumventus sum. Si deseruero eam, erit perpetuo deserta, est enim a me viciata et optima dote virginitatis privata. Aut certe omnibus suspecta erit de amissa pudicitia, ut maxime ego ab ea abstinuissem. Ita flectitur Iacob misericordia, caritate et patientia, ne repudiet Leam. Estque insigne exemplum singularis misericordiae et virtutis, qua retinet apud se eam, quam scit sibi suppositam esse loco sponsae.

Sed quaeritur de iure, an fuerit licitum, et an non damnetur misericordia ista lege Mosi, qui dicit non esse ducendas duas sorores? Persona excusatur per misericordiam et charitatem, sed de facto dubitatur. Imo lex iubet eum alterutram dimittere. Non igitur trahendum est hoc exemplum in consequentiam. Iacob retinet Leam, et habet pro legitima coniuge, quanquam libenter eam deseruisset: Nam obstabat ius et consuetudo patriae, deinde stuprum illatum. Quia vero consentit, incipit esse reus, et crimen Iacob suo consensu approbare. Quid igitur dicemus?

Respondeo: Alia exempla sunt heroica, alia moralia. Leges et mores simpliciter sunt servandi, nec ferenda est ulla transgressio, ne fiat confusio.

Heroica exempla sunt, quae non congruunt cum legibus. Saepe enim vir heroicus, quem Deus singulari numine adflavit, perrumpit et frangit regulam. Sed non relinquit post se exemplum. Moralia, leges et iura sunt servanda, et exempla sequenda: Sed in heroicis nulla est consequentia, nullum exemplum valet, nisi sit per omnia simile. Si fueris similis Iacob, si talis casus, talis occasio et necessitas inciderit, tum et tibi licebit, quod Iacob licuit. Si non fueris per omnia similis Iacob, standum tibi erit in lege et moribus communibus.

Non est perrumpendum temere, nec faciendum exemplum et consequentia propter casum aliquem heroicum. Grammaticus dicit: Nomina in a sunt generis foeminini, in um neutra sunt. Ibi si adhibeas exempla auriga, aut glycerium, non quadrabunt ad regulam, licet eandem terminationem habeant, quia sunt heroica, id est, exempta vocabula: non sunt subiecta regulis, sed regulae ipsis subiectae sunt. Poëta non curat regulam. Idem observandum est in Medicina et Iure. Medicus si semper secundum rigorem regularum procedit, multos occidit. Sunt quidem sequendae regulae, sed non cum temeritate, potest enim casus aliquis incidere, qui dedignatur sub regula esse. Ibi adhibenda est proportio geometrica.

Monachi sequuti sunt in suis regulis proportionem arithmeticam, einem wie dem andern. Quantum unus laborat, edit, bibit, dormit: tantundem et alter laboret, edat, dormiat. Sed haec aequalitas arithmetica ad forum, ad emptionem aut venditionem, non ad regimina pertinet. Ita enim multi monachi occisi sunt, qui non poterant ferre paria aut aequalia onera ordinis. Alius potest contentus esse somno septem horarum, alius trium, alii decem horae non sufficiunt. Sapienter igitur et praeclare dixit Augustinus: Non aequaliter omnes, quia non aequaliter valetis omnes. Et laudatur haec vox etiam ab Episcopo Wormaciense. Congruit enim ad proportionem geometricam, quae non compensat aut confert rem cum re, ut in foro fieri solet: Sed personas confert, et iuxta eas rem dispensat. Arithmetica in foro sine respectu personarum omnia exigit, sive sit mulier, sive vir, seu puer, vendit panem uno, duobus aut tribus nummis, sed in comedendo proportio personarum servatur. Quidam in monasterio una simila contentus est, quidam non.

Haec exempli causa dico. Multo magis vero in Theologia hoc canendum est, ne quis ita argumentetur: Iacob perrumpit consuetudinem et legem Mosi: Ergo mihi quoque idem licebit facere? Nego consequentiam, et ratio est, quia Iacob non est moralis, sed heroica persona, qui ducitur heroico, non legali more. Ideo non est imitandus, sed spectandus et admirandus. Tu non debes Achillem imitari in occidendo Hectore. Aut si id tentaveris, Hector te occidet. Tu non gestabis coelum nec columnas Herculis, cum vix uno baculo gestando par esse queas, das ſind die narren in politia, qui volunt imitari heroicos viros, quos vident incedere

supra et extra regulas. Tantus vir sic fecit, cogitavit: Ergo ego idem sequar. Sed tu habes aliud speculum, quod contempleris, nimirum communem morem, ius item et legem communem. Hanc ne transgrediaris, Brich dich nicht herauß, antequam Deus te vocet, et iubeat esse heroem aut Iacob: Alioqui fiunt simiae ex talibus, quae sibi et aliis exitium accersunt. Sicut incendiarius ille fuit pusillanimis natura, et cum fieret simia, et vellet imitari aliorum heroum res praeclare gestas, prodidit suam stultitiam, et sibi ipsi exitio fuit. Nihil enim aliud efficiunt eiusmodi stolidi homines, quam quod perdunt Respublicas, et miscent ac turbant orbem terrarum.

Itaque haec exempla sic tractanda sunt, ut maneant moralia integra, quae sunt sequenda. Et heroica spectemus ac admiremur, sed non imi-
Apg. 28, 5 temur. Paulus viperam haerentem manibus in ignem coniicit: Thu du ims nach. Et recitatur fabula de quodam medico, qui levaverat puerum e Baptismo, et audierat ibi verba Baptismi pronunciari, cum precibus et sententiis scripturae, quibus significatur nos liberari ex regno Diaboli, et transferri in regnum filii Dei. Ibi admiratus magnitudinem promissionum et beneficiorum, quae in Baptismo exhibentur, dixit: Si scirem, me quoque in hunc modum baptisatum, et eadem verba mihi pronunciata esse, nunquam exhorrescerem Diabolum. Et cum ab aliis esset admonitus et persuasus, ipsum quoque in haec verba esse baptisatum, tantam fidem concepit, ut plane statueret se nunquam formidaturum Diabolum. Tandem vero obiectum est ei spectrum, et Diabolus in specie hirci apparuit: Eo vero usque adeo nihil est perterritus, ut alterum cornu arreptum frangeret, et ad socios, a quibus egressus fuerat, referret. Id cum ex sociis quidam videret, etsi non haberet eandem fidem, tamen motus miraculi istius admiratione et se baptisatum esse iactat, neque se velle ullum spectrum quantumvis tetrum exhorrescere. Prodit igitur in eundem locum, et redit spectrum illud capri cornuti. Sed cum vellet cornua eius arripere, Diabolus obtorto collo eum necat. Quare igitur ille evasit periculum, hic non? Quia in hoc fuit praesumptio, non fuit vera fides, putavit se suis viribus et robore posse vincere Sathanam: Non habuit veram fidem.

Quilibet igitur suum donum exploret. Ut enim corporibus, ingeniis et fortunis sumus inaequales: Ita etiam donis spiritualibus. Quilibet suo loco maneat in morali lege et communi iure, donec vocaverit aut coegerit eum Deus, ut faciat aliquid singulare. Iacob non suo consilio hoc fecit: sed Dei voluntate est raptus, et coactus hoc facere, praeter suam opinionem et voluntatem. Ideo Deus postea hoc factum confirmat benedictione prolis, et fit Lea mater Patriarcharum.

Sic igitur excusandi sunt Patres. Sed non sunt trahenda in conse-

9 Respublicam *L.*] Respublicas *M. N. O. Erl.*

quentiam exempla eorum, ne fiat confusio et dissipatio legum et morum communium. Sed maneamus intra metas legum, nisi avocet nos singularis vocatio aut adflatus heroicus. Quod si fanaticus aliquis sic argumentabitur ab exemplo Iacob. Iacob duxit duas sorores: Ergo idem et mihi licet. Respondeo: nego consequentiam, quia discernendae sunt personae civiles et heroicae, quae habent singulares impetus et adflatus. Deus enim est *οἰκόνομος* et gubernator omnium. Si inspiraverit alicui, quod est contra communem regulam, per hoc non debet solvi aut tolli regula: sed manendum est in communi iure, et Deo permittendum, ut ipse, quos vult, excipiat. Ipse enim solus est, qui recte potest dicere: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.[1] Solus est, qui potest mutare leges, wenn er einen außzeugt[2], ſo iſt er außgezogen, ſonſt nicht.

Sic stolidus Monetarius legebat historias Regum et Iudicum: res gestas Iosuae, Simsonis, Davidis, et eorum exempla pro concione rusticis inculcabat. Vos estis populus Dei, clamabat: Igitur debetis sequi exempla sanctorum, Simsonis, Iosuae, et occisis principibus mutare statum politicum. Sed est falsa consequentia: Quia viri heroici, qui habent singulares instinctus, excipiuntur a regula, et nos, qui sub regula sumus, non possumus, nec debemus eos imitari.

Dedit quoque Laban Raheli, filiae suae, Bilham, ancillam suam, illi in famulam. Et ingressus est quoque ad Rahelem, et dilexit Rahelem plus quam Leam, servivitque illi adhuc septem aliis annis. 29, 29. 30

Post descriptionem heroicarum et mirabilium rerum, descendit spiritus sanctus ad infirmitates et ad moralia. Quanquam enim Heroicus homo excipitur a regula, tamen declinari debet secundum regulam, ut in Grammatica, etsi Poëta non est generis foeminini iuxta terminationem in a, tamen declinatur iuxta regulam nominum in a. Necesse est eum ita heroicum esse, ne rumpat, imo conservet, defendat, gubernet potius moralia, ut maxime ipse pro sua persona est exceptus singulari modo, tamen debet se demittere ad declinationem primam et regulam. De Hercule dicunt Poëtae fregisse eum remos in navi argonautarum: et tamen ipsius consiliis foeliciter omnia cedebant: Ita viri heroici perrumpunt quidem leges: sed non lacerant Respublicas.

Iam igitur iste bonus vir Iacob describitur tanquam fatuus, quia amore Rahelis implicatur servituti aliorum septem annorum. Hoc non fecisset vir heroicus, sed dixisset: Servivi tibi pro Rahele, eam volo mihi tradi tanquam meam sponsam, et minitatus esset verbera, aut vi abduxisset

---

14 Simsonis *N. O. Erl.*] Simonis *L. M.; Druckfehler; s. Z. 16.*

[1]) *S. Unsre Ausg. Bd. 30², 635, 11.* [2]) *= ausnimmt, lossprícht.*

puellam sibi desponsatam, id quod poterat sane summo iure facere. Sed summus vir demittit et abiicit se in extremam servitutem, et servit duplicata servitute pro unica Rahel. Nam pro Lea nihil pactus est. Antea ascenderat exaltatus in coelum, et coram Deo ausus est, quod nemini alii licuisset. Nunc rursus humiliatus in servitutem sese abiicit.

Libenter autem exempla ista legimus, quibus voluit spiritus sanctus nobis scripturam sanctam commendare, et in heroicis viris ostendere carnalia et infirma, quia maior consolatio est videre carnalia in sanctis, quam sublimia et grandia illa, quae non possumus imitari. Non igitur negligi vult, sed commendat spiritus sanctus etiam haec oeconomica et communia humanae vitae, adeo ut etiam quandoque imperfecta et viciosa commemoret, ut significet se esse pacientem et *τροποφερομένα*, ferentem mores infirmorum: non abiicere infantes propter pustulas, sordes, molestias, modo perseverent in fide et caritate, ut ait Paulus. Habet pacientiam in multis
Hebr. 4, 15 infirmitatibus. Sicut dicitur Hebraeorum 5 [!]: ‘Non habemus Episcopum, qui non possit compati’ etc.

Hoc pertinet ad consolationem Ecclesiae, in qua non semper sunt heroici viri, aut saltem non multi: sed et hi declinantur in foeminino genere, tametsi sint generis masculini. Sic Deus sinit Iacob abiici et servire servitutem turpem et indignam homine libero, idque fit amore carnali sponsae: in quam insanit vetulus iste amator, et adeo ineptit, ut, quanquam iam habeat Rahelem suam summo iure, tamen in gratiam
cap. 29, 20 iuvenculae tradat se servituti septem annorum. Supra dixit visum ei esse septennium illud quasi paucos dies prae amoris magnitudine. Iam cum potitus est uxore, quam tantopere amabat: rursus se coniicit in ergastulum illud servitutis alio septennio. Nonne illa iuvenilia, carnalia et plane stulta sunt propter puellam desponsatam et traditam omni iure, sponte servituti se involvere, et suspendere curam domesticam. Iustum enim et necessarium est, si duxeris uxorem, ut cogites de proprio tecto et domo tua disponenda. Ibi Iacob in gratiam puellae hanc curam prorsus abiicit, et servit interea turpissimo monstro, homini avaro et ingrato.

Tales igitur sunt heroici viri, atque ita describuntur nobis in exemplum, ut sciamus eos fuisse homines similes nobis, nunc fortes et erectos: nunc abiectos et infirmos. In sublimibus et heroicis sunt leones invicti et incomparabiles. In oeconomicis sunt stulti et infirmi. Deus autem utrunque respicit et approbat, tam sublimia, quam humilia operantem.

2/3 duplicata servitute *L. M.*] quatuordecim annis *N. O. Erl.* *12* *τροποφερομένα* *L. M.*] *τροποφορομένα* *N. O. Erl.* *13* pustulas] postulas *Erl.*

Et videns Deus, quod odio haberetur Lea, aperuit vulvam eius, 29,31
mansitque Rahel sterilis.

Haec valde carnalia sunt. Dominus mufs in das ſpiel ſehen. An nihil aliud negotii restat Deo, quam ut respiciat ad illam humilitatem oeconomicam. Si ita abundat ocio, inveniet, quod agat adversus Diabolum deum huius seculi, aut cum monarchis et principibus mundi. Quid agit cum Lea puella? Respondeo: Quilibet in sua vocatione sciat se Deo curae esse. Deus enim parva, mediocria et magna curat: Creator est et gubernator omnium. Quis autem credat Deum Leam curare? Certe omnes debent firmiter statuere, habere se respectorem, curatorem Deum, quantumcunque sint parvi, abiecti, humiles. Ideo enim Moses tam diligenter pingit et proponit nobis ob oculos formam oeconomiae Iacob.

Iacob potitus est uxore sua, quam tantopere desideravit, et habet adiunctam Leam, quam non amavit, nec curavit. Id Rahel intelligit, et habet claves et gubernationem totius familiae, semper est adiuncta Iacob, iſt das liebe Metzichen.[1] Dominam autem sequitur tota domus et vicinia, et sciunt Leam esse contemptam et neglectam etiam a Iacob: quod enim diligit eam, facit ex misericordia, non maritali ardore et amore sponsi, tantum est elemosina. Ergo misera Lea sedet in suo tabernaculo cum ancilla sua tristis, nendo et flendo vitam transigēns. Reliqua enim familia ac inprimis Rahel contemnit eam, quia e marito spreta est, qui Rahelem praefert, et eam unice deperit: non est formosa, non grata, sed odiosa et invisa (*Schnua*). Da ſitzt das arme Medichen, man acht jr nit. Rahel prae illa superbit, non dignatur eam respicere: Ego sum domina, cogitavit, Lea est serva. Haec vere carnalia sunt in sanctissimis patribus et matribus, qualia domi nostrae usu venire solent.

Non putabimus autem Leam sine magno dolore, sine lachrimis et eiulatu hunc contemptum tolerasse. Est enim infirmum vasculum sexus muliebris, qui cupit ardenter amari, aut saltem non vult contemni, praesertim a marito aut a familia. Vehementer igitur doluit Lea, se adeo abiectam et spretam esse in domo: Rahelem autem cum familia dominari, et ipsi insultare. Nemo enim eam curat, nemo eam respicit, ne Iacob quidem ipse. Sed solus DOMINUS, der mufs ins ſpil ſehen[2], mufs dem Jacob ſeinen adfectum brechen und crucifigirn, auch der Rachel iren mut brechen. Dominus eam respicit, atque ita, ut amorem et adfectum Iacob crucifigat, et frangat superbiam Rahelis, exaltando Leam odiosam et contemptam. Ita discendum est, quod Deus omnia videat et gubernet, sed

---

23 (*Schnua*)] שְׂנוּאָה *31* abiectam *L. M. N. O.*] obiectam *Erl.*

[1]) = *Mädchen; s. z. B. Unsre Ausg. Bd. 41, 157, 32.* [2]) = *sich drum annehmen, einschreiten; vgl. auch Unsre Ausg. Bd. 33, 482, 20 u. 684.*

unice et singulariter respiciat ad contempta et abiecta, quemadmodum Christus ipse fuit in cruce. Denn was die welt und auch heilige leut, als Jacob, Rachel weg werffen, das liset er auff, und ist im eytel heyligthumb.

Haec mirabilis et ingens consolatio est pro adflictis et miseris, qui debent se exuscitare ad fidem et spem, siquidem audiunt Deum sic describi et definiri: 'HUMILIUM ET MANSUETORUM semper tibi placuit depre-
Judith 9, 13 catio.' Iudith 9. Gemitus, imo mors abiectorum preciosa in conspectu Domini. Qui hoc potest credere, is est sine ulla dubitatione gratus et acceptus Deo. Certum enim est eum nec velle, nec posse ferre contemptum suae creaturae, sive parvae sint, sive magnae. Magnos non vult gloriari aut superbire, quod habeant, quo se ipsos tueantur et defendant. Abiectos autem non vult desperare: quia habent, qui respiciat et recipiat eos. Benedicendus igitur est Deus, qui respicit humilia in coelo et in terra.

Est et ipse maxime heroicus et sine regula: tamen ita declinatur aut demittit se, ut nusquam tam acutum videat, quam si abiecta et humilia intuetur. Sic enim Lea fuit abiectissima et omnibus ingrata et odiosa. Si quid imperavit familiae, cur, dixerunt, tu mihi imperas? Rahel et Iacob te non curant. Forsitan etiam Rahel hanc contumaciam in familia sua superbia auxit. Ita ut a domino et domina ac universa familia sperneretur. Id vero animum eius vehementer perturbavit et anxit. Nam hoc piae coniugi tristissimum est, si a marito videt se negligi: aliorum iniurias facilius et vincere potest, modo maritus ipsam amanter complectatur: Quia amor mariti est vita uxoris: quod de bonis et honestis mulieribus intelligi volo. Quando vir est tristis, morosus, difficilis, iracundus, id morte ipsa est acerbius piae mulieri: Quia vult exhilarari a marito, et contemptum metuit tanquam tenebras et extrema mala.

His doloribus ergo et moerore conflictata est misera Lea, moesta et dolens se contemni a suo domino. Sed audi Mosen, qui ait: 'VIDIT DOMINUS' etc. Sonst sichts niemand, Deus respicit et benedicit abiectam, flentem, odiosam, contristatam: superbientem autem humiliat. Ibi ergo alia lux oritur sedenti in tenebris. Nam Iacob in suo amore et Rahel in sua gloria crucifigitur. Dominus claudit matricem Rahelis, et sinit eam esse sterilem, quae non minor crux, imo mors ipsa fuit Raheli, sicut postea graviter queretur. Abiectam autem honorat aperiendo matricem, et faciendo eam matrem. Id enim significat claudere aut aperire matricem, dare foetum et fructum, sicut terra aperitur, quando germinat.

Schnua significat despectum eorum, qui sunt contempti et abiecti. Et diligenter hoc observate, quod Deus appellatur respector *Schnuim*, id est, eorum, qui sunt spreti et abiecti: tantum non desperent. Hoc scribit spiritus sanctus in consolationem adflictorum, quod benedicit Deus et exaltat Leam, ut concipiat et pariat.

---

38 Schnuim] שְׁנוּאִים

Concepit autem Lea, et peperit filium: vocavitque nomen eius 29, 32
Ruben. Dixit enim: Vidit Deus adflictionem meam: Nunc igitur diliget me vir meus.

Misera mulier, quae habuit debiles oculos, et ex solicitudine ista etiam lachrimis maceratos, tamen credit se respici a Deo. Vidit, inquit, Dominus, quod sim odiosa. Non allegat merita: sed hoc tantum, quod Deus respexerit *Schnua*. Hic enim titulus et propriissima definitio Dei est: Respector contemptorum et humilium. Respicit etiam superbos et magnates in mundo: Sed non habent opus eius gratia et misericordia, contemnunt eius respectum, darumb muſs er uber ſie hinſehen, ut dicitur: 'Alta a longe cognoscit' Psalmo 137. Videtur autem versus in cantico Pſ. 138, 6 Mariae: 'Respexit humilitatem ancillae suae', hinc sumptus esse: quia sunt Luk. 1, 48 eadem verba, quae hoc loco ponuntur.

Hebraeam vocem *Ani* nos non satis proprie possumus reddere. Moses dicitur fuisse vir *Ani*. Numeri 12. miserrimus, contemptissimus, der elendſt 4. Moſe 12, 3 menſch auff erden. Sicut Paulus loquitur 1. Corinthiorum 15. Latinis 1. Kor. 15, 19 miseria est, Germanis Elend. Sic Maria canit: 'Respexit miseriam: vidit miseriam meam.' Er hat angeſehen mein groſſes elend. Erat enim orba parentibus, orphana et deserta, sub aliorum servitute, ibi Deus ancillam tam miseram respicit. 'Et Lea hoc loco dicit: Iacob me non respexit, nisi quod ex misericordia fecit, Rahel me plane contempsit. Ideo sum misera et abiecta *Schnua*: sed Dominus me respexit, et dedit mihi filium. Agit igitur gratias et laudat Deum, et addit: Nunc amabit me vir meus. Iam mutabitur odium et contemptus in amorem et gloriam. Quia facta sum mater benedictione divina, quod non contigit sorori. Ideoque longe sum ea foelicior: non quod meruerim ego: sed quia Dominus respexit me.

Semper autem fuit habita insignis benedictio foecunditas et partus mulierum, etiam apud gentes, et propterea mulieres in honore fuerunt. Romae viris prohibitum fuit gestare aurum. Mulieribus autem concessum. Iam igitur Lea est magna domina, quia est foecunda, et parit prae sorore, quam omnes optabant et sperabant prius parituram. Rahel vero cum audivit, haud dubie mota est invidia et odio erga sororem, et tota familia etiam mirata est hanc mirabilem conversionem: Sed Deus fecit, qui respicit humilia et abiecta.

Quanquam igitur haec omnia sunt mere carnalia et oeconomica, nihilque adeo rerum spiritualium prae se ferunt, tamen revera sunt spiritualissima: sicut apparet ex verbis Leae, quae mirificam consolationem continent. Non enim Deus angelorum tantum curator et gubernator est, sed etiam oeconomiae et omnium partium oeconomiae, qui ita potest

14 *Ani*] עני

mutare animos et iudicia hominum, ut qui paulo ante fuerunt abiectissimi, fiant gratissimi. Ac propterea Lea filium suum ornat hoc nomine, Ruben, in publicum testimonium contra contemptores et osores suos. Quasi diceret: Iam vos videte, quod non sim abiecta a Deo, Deus non despexit me, sicut vos me despexistis (*Reu*) videte, (*Rau*) Viderunt filium. En habetis filium: contemplamini eum. Deus enim me respexit, quae fui vobis *Schnua*. Ideo nomino eum Ruben, ut desinatis ab odio et contemptu. Est filius visionis. Deus videt: ego video, nos videtis me non esse abiectam, ut vobis antea visa sum. Sic consolatur Dominus miseram et exosam Leam, et ipsa confitetur et gratias agit, ac insultat omnibus suis contemptoribus. Male id haud dubie habuit Rahelem, quae et a Iacob plurimum dilecta, et semper pro vera matrefamilias est habita, et tamen manet sterilis. Quin Leae insuper tres filii adduntur, sicut sequitur.

29, 33 Et rursum concipiens peperit filium, et ait: Quoniam audivit Deus, quod odio habeor ego, et dedit mihi quoque istum, et vocavit nomen eius Simeon.

Antea vidit, iam audit etiam Dominus. Adhuc enim puto eam superbe a Rahele tractatam esse, nulla ratione habita partus et respectus divini. Quid hoc est, dixerunt Rahel et familia? Quis scit, an plures sit paritura filios? fieri potest, ut moriatur brevi filius iste, et Rahel etiam pariat tanquam vera materfamilias. Ita nondum omnino perrupit et superavit Lea contemptum. Sed per vim et contra sensum communem contemnunt adhuc benedictionem et respectum Dei. Ideo repetit precationem ad Deum: Domine Deus, peperi filium, sed nihil curant hunc partum, nondum satis grata sum propter unicum filium, da et alterum, ut tandem ego quoque habear pro matrefamilias. Iacob quidem non prorsus contempsit, sed dilexit eam. Verum nondum superatum est odium familiae et Rahelis. Primogenitus hic debuisset mihi conciliare gratiam et authoritatem, sed sum adhuc despecta.

Audit igitur Dominus hanc precationem, et dat secundum filium, Simeon, cui imponit nomen ab audiendo. Ibi vero labascit Rahel, et incipit humiliari et quasi mori, ut infra apparebit, quando inquit: Da mihi liberos, alioquin moriar. Ipsa enim adhuc est sterilis: Et iam tertium filium concepit Lea.

29, 34 Concepit quoque adhuc, et peperit filium dicens: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus: quoniam peperi ei tres filios: unde vocatum est nomen eius Levi.

Hoc vult dicere Lea, postquam dilexit me maritus meus, iam etiam tabernaculum Rahelis relinquet. Cum ea enim hactenus habitavit, tanquam

---

5 (*Reu*)] רְאוּ (*Rau*)] רָאוּ 27 eam *L M O*] eum *Erl.*

cum dilecta coniuge, et ad me non nisi per misericordiam ingressus est. Iam vero etiam assotiabitur mihi relicta Rahele sterili. Scio quidem me ab eo amari magis: quam antea, sed nondum adiunxit me sibi sociam mensae et thori. Rahel eo beneficio et dignitate hactenus usa est. Sed iam sociabitur et cohabitabit mihi. Ideo vocat filium Levi, id est, adiunctio vel adsociatio, quasi diceret: Id efficiam, ut fiat mihi socius thori et mensae. Id vero Raheli fuit molestissimum, et cogitavit. Iam ego ero *Schnua,* maritus mihi indignabitur, et dicet: Fuisti quidem dilecta mea sponsa, Dominus autem non tibi: sed Leae benedicit, et vult, ut Leam diligam. Hic mirabilis sane status est, imo conversio domus Iacob.

Quarto concepit et peperit filium, et ait: Modo confitebor 29, 35
Domino, et ob hoc vocavit nomen eius Iehuda: cessavitque parere.

Quasi diceret: Fui contenta uno, duobus,' maxime vero tribus filiis. Insuper autem quartum accipio. Nunc laudo et confiteor Dominum. Imo iam ero laudata, praelata, dilecta materfamilias: Sum exaltata ex humilitate et miseria, et soror mea gloria et sublimitate sua excidit. Nunc igitur Rahel cupiet mori prae indignatione et impacientia, et dicet ad maritum: Da mihi liberos, alioquin moriar.

Hactenus vero audivimus, quomodo Iacob post nuptias cum Lea et Rahele quatuor filios genuerit ex contempta illa et neglecta Lea. Quo exemplo ostendit Deus se esse propicium, et faventem humilibus, adflictis, abiectis, ut non habeant, quod querantur, omnes qui laborant et onerati sunt, praesertim si credant in Deum, et non vincantur impacientia et indignatione. Multo enim satius est, esse adflictum et vexatum ridente et favente Deo, quam fortunatum Deo irascente. Quid enim est mundus cum suo favore, gaudio et voluptatibus suis ad illum faventem et benignum Dei respectum, quo respicit Deus humiles? Sed caro non sinit haec intelligi aut credi a nobis: quin subinde obmurmurat propter praesentia mala, et conatur animos perturbatos deiicere de fide et consolatione, et ad murmurationem ac fremitum adversus Deum impellere. Quia valde frangunt et percellunt infirmitatem nostram tot et tam variae adversitates.

Utinam vero possemus discere et adsuescere ad pugnam illam contra carnem, quam Paulus docet. Si enim non omnia ita liceret appraehendere et facere, quae spiritus vult: tamen id sentiremus, Deum non velle nos relinquere, nec sineremus nos vinci ac superari a carne. Ego sane libenter vellem gaudere, gloriari, triumphare cum Paulo in morte, in cruce et passionibus: 'Sed spiritus promptus est, caro autem infirma.' Sufficiat Matth. 26, 41
igitur et consoletur nos, quod Deus ignoscit, et spiritus sanctus adiuvat infirmitatem nostram, ut spiritus triumphet contra rebellem carnem, ne declinet in alterutram partem, sive ad securitatem, sive ad desperationem

et impacientiam. Haec est gloria nostra, divina ignoscentia, quae posset imputare nobis maliciam carnis nostrae. Verum propter spiritum repugnantem non imputat, sed clementer remittit et condonat. Atque ita spiritus sanctus Leam erexit et consolatus est. Respexit humilitatem, et audivit preces ipsius. Postea addidit animum, ut diceret: Confitebor Domino etc. Quae omnia sunt verba et voces spiritus rebellantis et repugnantis, tametsi nondum triumphantis, tamen non cedentis, non consentientis infirmitati et maliciae carnis.

Lyra, sive a Iudaeis id sumpsit, sive suopte ingenio hanc distinctionem invenit, satis pie distinguit tentationes Leae iuxta quatuor obiecta. A Rahele fuit contempta, a marito neglecta, a vicinis et familia pro aliena et extranea habita: postremo a Deo abiecta. Haec partitio mihi bene placet, et convenit cum experientia adflictorum. Quando enim unum argumentum tristitiae obiicitur, statim aliud ex alio colligit tentatus. Quia enim Lea a Rahele contemnitur, ratiocinatur necessario etiam maritum esse a se alieniorem, ac propterea non ipsam, sed Rahelem esse veram matremfamilias. Tertio accessit opprobrium a vicinis et familia, a quibus audivit se per fraudem et dolum intrusam esse, et merito despici a Rahele, quae legitime fuerat desponsata Iacob. Haec omnia haud dubie inculcavit et auxit Sathan, et iis mirabiliter tentationem aggravavit, et suggessit etiam Deum ipsum ab ea abalienatum.

Sed adversus haec quatuor argumenta tristitiae et desperationis dat Deus Leae alia quatuor argumenta consolationis, quatuor filios. Primum contra despectum Rahelis respicit humilitatem eius. Secundo, quia adhuc negligebatur a marito, audit preces ipsius. Tertio, ne videatur aliena et exclusa prorsus, dat Deus, ut iungatur et adhaereat ei maritus. Quarto, triumphat victrix contra omnes tentationes. Non iam amplius despecta et contempta, sed laudans Deum et gratias agens. Hoc exemplum nos quoque sequamur, et discamus Deum post tentationem, liberationem et consolationem cumulate solere exhibere, qua omnis tristitia et perturbatio superetur. Sed durum est carni expectare consolationem a Deo. Ideo eiusmodi exempla fidei proponuntur, ut videamus, quomodo Lea clamavit, credidit, expectavit et tulit omnem iniuriam et vexationem a sorore, in fide et spe. Et tandem Deus sperantem in se et respexit, et opulenter consolatus est.

Caput XXX.

30,1 Cernens vero Rahel, quod non pareret ipsi Iacob, invidit sorori suae, dixitque ad Iacob: Da mihi filios. Et si non: morior ego.

Hoc caput unum est de obscurissimis huius libri, quod et ad verba, et sententiam, et ad historiam attinet. Itaque multae quaestiones offe-

runtur cum Grammaticae, tum historicae illis longe difficiliores. Ne videamur autem omnino praeterire, faciamus, quantum possumus. Ac primum quidem haec quaestio nascitur in oculis carnalium et epicureorum, qui aspiciunt hasce historias tanquam exempla extremae turpitudinis. Ducit enim Iacob duas sorores, et insuper duas ancillas earum, atque ita quatuor uxorum maritus est. Ideo iudicant Iacob ex suo ingenio, et fingunt eum fuisse libidinosum, totum deditum amoribus muliebribus dies et noctes. Siquidem non potuit una coniuge contentus esse, sed quatuor duxit. Inde vehementer offenduntur et arripiunt occasionem blasphemandi, et laudandi suum coelibatum contra lasciviam et libidines, ut ipsi sentiunt, sanctissimorum Patriarcharum, praesertim Iacob. Sed perinde haec eorum iudicia sunt, ac si porcus aut asinus de insigni aliquo Cytharedo iudicet: genus hominum perditissimum libidinibus, scortationibus et adulteriis, qui dies noctesque tantum ludos suos venereos somniant, ac imaginantur, quid ipsi facturi essent, si talis licentia concederetur, ut singulis noctibus coniuges permutare possent, et cum eis ludere secundum flammas et ardores carnis, sicut cum scortis suis ludunt. Ita non discernunt vitam coniugum sanctissimam a suis scortationibus.

Lyra autem valde hic laborat in defendendo Iacob. Sed respondendum est insulsis et libidinosis illis porcis. Maiorem esse castitatem Iacob, qui habet quatuor, quinque aut centum uxores, quam in toto ipsorum coelibatu, etiamsi abstineant a meretricibus. Fingamus enim aliquem vere coelibem, qui prorsus contineat: tamen certum est Iacob centuplo esse castiorem. Quia coelebs ille dies noctesque uritur et aestuat libidine: dormiens patitur pollutiones, vigilans rursum sentit pruritum. Qualis ista est castitas vivere et ardere in mediis flammis libidinis? Si quando aspicit mulierem formosam, totus incenditur, et quanquam sese reprimit, et opere abstinet, tamen flamma illa gignit pollutiones non somnianti tantum, sed et vigilanti. Sicut Gerson testatur.

Haec igitur non est libera et voluntaria, sed coacta castitas, libentius enim perrumperet et insaniret in mulieres: non potest cohibere flammas. De continentibus dico et pugnantibus adversus libidinem, qualis fuit Bernardus et Bonaventura, qui cum essent alioqui sancti et boni viri: tamen sine pruritu esse non potuerunt. Quin Hieronymus queritur de somniis, quibus se Romae inter puellas saltare somniaverat. Item Ambrosius et Augustinus tecte significant: tametsi uterque a sexu muliebri abstinuerit, tamen non caruisse pruritu et pollutionibus nocturnis. Quod si optimis et sanctissimis illis viris accidit, cur istorum porcorum simulatum coelibatum et iudicia morabimur? qui putant tales fuisse patres erga coniuges, quales ipsi futuri essent, si daretur licentia cum tot uxoribus cohabitandi.

Testantur autem sequentia, et ea, quae supra dicta sunt de continentia Iacob, vixisse eum castissime. An non enim haec continentia est,

vivere coelibem usque ad 80. annum aetatis, et continere non coactum, sed sponte et ex promptitudine spiritus. Idem tu quoque praesta a prima aetate usque ad senectutem, et praedicabimus coelibatum tuum. Nulla igitur gloria prorsus est coelibatus Papistici, si ad Patriarcharum castitatem conferatur.

Postea vero audiemus, quomodo queritur Iacob de difficili et molesto vitae genere, quando expostulat cum Laban, per diem, inquit, consumpsit me aestus, et gelu per noctem, et fugit somnus ab oculis meis. Ubi describit totam rationem vitae suae, quam non duxerit in ocio sine curis, laboribus et molestiis, non desederit domi ociosus ad focum, et luserit cum Lea, sed dies noctesque domo abesse, pascere pecora et omnes operas rei pecuariae obire coactus sit, passus frigora et aestus sub dio, et rarissime ad tabernaculum accesserit, das ſol einem den kützel[1] wol vertreiben, wenn er ſchon jung iſt. Vixit igitur Iacob continentissime cum tot uxoribus, et longe castius, quam alius quispiam cum una coniuge. Ardere enim per diem, frigere per noctem, obrui laboribus in servitute aliena et difficili sub domino iniquo et avaro, magnum profecto et intolerabile onus est.

Recte igitur Lyra Iacob excusat, quod continenter vixerit, et temperanter usus sit uxoribus et ancillis. Quia prolis amore tantum cum eis habuit consuetudinem. Id quod etiam apparet in sollicitis illis votis mulierum, vide enim, quam anxie ambiant maritum, ut possint habere prolem. Rarissime igitur fuit in tabernaculis uxorum, et purissimo amore prolis cum uxoribus cohabitavit. Et videmus, quod propter Sobolem Leam diligat, quae antea invisa et contempta erat, et plus cum ea consuetudinis habeat, quam cum Rahele, postquam sentit eam esse foecundam. Sic igitur respondebimus ad primam quaestionem huius loci, ut obstruatur os spurcissimis hominibus, qui coniugia Patriarcharum ex libidinibus et impuro suo coelibatu aestimant.

Secunda quaestio est antea tractata, quod praeter duas sorores ducit etiam duas ancillas. Nihil vero assero: Sed videtur illa aetate morem fuisse eius regionis, ut uxores steriles traderent maritis ancillas. Sicut Laban utrique filiae ancillam addit, forsan in eum eventum, si filia non pareret, ut succederet ancilla, ex qua aedificaretur domus. Sic supra Sara dedit ancillam Abrahae, non alienam, sed e domo et familia sua. Isaac non secutus est hunc morem. Neque Iacob eum usurpasset, nisi esset deceptus a Laban, et mulierculae tantopere flagitassent. Nam et hoc considerandum est, fuisse eo tempore foecunditatem pro eximia benedictione et singulari dono Dei habitam. Sicut ex Deuteronomio apparet, 5. Mose 28,4 Ubi Moses numerat inter benedictiones foecunditatem. 'Non erit, inquit, apud te sterilis.' Nos non tanti facimus hodie. In pecudibus quidem amamus et expetimus. Sed in genere humano pauci sunt, qui ducant

[1]) *Hier wohl = sinnliche Lust, Reizung; vgl. auch Unsre Ausg. Bd. 31¹, 207, 30.*

foecunditatem muliebrem pro benedictione. Imo plures sunt, qui aversentur, et pro singulari foelicitate habeant sterilitatem. Quod sane etiam contra naturam est: multo minus pium et sanctum. Haec enim στοργὴ divinitus naturae humanae est indita, ut optet augmentum et multiplicationem sui. Itaque inhumanum et impium est, fastidire sobolem. Sicut nuper quidem uxorem suam saepius parientem scropham dixit, Homo nihili et impurus. Sic nequaquam adfecti fuerunt sancti patres. Agnoscebant enim singularem Dei benedictionem: mulierem foecundam, et econtra sterilitatem pro maledictione habebant. Atque id iudicium manavit ex verbo Dei Genesis 1.: ‘Crescite et multiplicamini.’ Inde intellexerunt prolem esse donum Dei. 1 Mose 1, 28

Porro exemplum aut factum hoc, quo traditae sunt ancillae pro dominabus, quae erant steriles, non debet trahi in consequentiam. Non est, quod dicat aliquis: fecit hoc Iacob: ergo mihi quoque licebit. Sicut de Monetario dictum est, hortante rusticos, ut ad exemplum Iosuae et Simsonis principes trucidarent. Sed memineris tibi manendum esse in hac regula: Unusquisque suam uxorem habeat. Si vis esse similis Iosuae et Simsoni, fac etiam, ut circunstantiae omnes te ad mutationem Rerumpublicarum et caedem magistratus impellant. Sicut illi heroes singulari vocatione moti sunt. Alioqui exemplum non valet: Quia habes plura et maiora exempla, quae testantur non occidendum esse magistratum, non esse mutandas Respublicas. Sis igitur obediens magistratui, sicut alii subditi. Non enim es exceptus a regula: ideo mane in obedientia, ne fias heroicus, sicut Monetarius et alii.

Haec itaque traduntur non in exemplum, sed ut abstineamus ab exemplo et imitatione. Admiremur ea, sed non imitemur. Alia enim sunt, quae imitari, alia, quae admirari debemus. Spera, crede, invoca, sicut Lea. Non autem quatuor uxores ducas, sicut Iacob. Id enim ad solum Iacob pertinet, et ad eos, quos voluit Deus exemptos esse a regula. Nos in fide, pacientia et spe in patribus proposita excerceamur, et ab heroicis illis exemplis abstineamus. Hae sunt quaestiones, quae principio huius capitis excutiendae fuerunt. Iam et textum videamus, qui etiam est obscurus. (‘Invidit sorori suae’) vel zelavit contra sororem suam. Est enim verbum (*Kana*) aemulari, zelare (*kanno*) zelotes.

Quaeritur autem, an sanctissimae illae mulieres, quae vera fide Deum invocarunt, etiam invidia et odio laborarint? Sicut textus manifeste id ostendit. Lyra duplicem facit invidiam. Unam, qua invideo alteri suam foelicitatem. Alteram, qua indignor et irascor propter meam miseriam: Sed haec non est proprie invidia. Nos, ut solemus alias, ita excusamus. Sancti patres et matres fuerunt adhuc sub carne. Sicut nos quoque habemus carnem adversantem et captivantem nos in legem peccati. Porro

---

34 Kana] קָנָא *Kanno*] קַנֵּא

omnium tentationum, praesertim sublimium, ea ratio est, ut pene omnem sensum pietatis adimant. Sic cruce et calamitate oppressus non sentit pacientiam. Tentatus in fide et spe non sentit fidem et spem, non videtur sibi credere aut sperare, sed prorsus esse impius. Qui vexatur desperatione et fremitu adversus Deum, quando alio modo aliquid administrat Deus, quam nos praescripseramus, is sentit summam offensionem et indignationem adversus Deum, non videtur ullam scintillam fidei aut spei habere.

Hae cogitationes solent esse adflictorum in ipso paroxysmo tentationum. Alioqui extra tentationem, quando de fide et de spe disputo aut loquor, nihil istis videtur facilius, sed in paroxysmo subito evanescunt omnia. Sic in aliis generibus tentationum, impacientia, iracundia, libidine, apparet et sentitur ardor et cupiditas vindictae. Et verum est, tales adfectus non sunt fides, spes, charitas, sed sunt caro ipsa. Ita Rahel habuit tentationem invidiae, qua optavit fieri posse, ut soror non pareret, tametsi non
Röm. 7, 19 succubuit, sed accidit ei, quod Paulus inquit: 'Quod nolo, facio, quod volo, non facio.' Qui tentatur dubitatione, sentit gemitum ineffabilem, quo optat se non vexari dubitatione, et tamen sentit dubitationem praevalentem et captivantem lege peccati et incredulitatis. Sed adversus hunc occultus gemitus excitatur per spiritum sanctum, qui vicissim obmurmurat et contradicit, ac irascitur incredulitati, pfu dich, du leidige incredulitas, ſprich nicht alſo, wer weiß? es iſt erlogen etc. Idque fit parvo suspirio et gemitu inenarrabili, qui sustentat animum tentatum, ne fiat profanus et contemptor. Sicut Epicurei solent, qui in levissima quaque tentatione longum valere dicunt fidei et spei.

Sed est molesta admodum haec pugna carni, quae mallet fidem non tentatam aut oppugnatam, sed occidentem leones et ursos, sicut David, Simson aut alii. Mea autem fides tam exigua et imbecillis est, ut facilime ipsa a leone aut urso consumi queat. Sed adest tamen calamus quassatus, et parvulum linum fumigans, et Deus, qui intelligit gemitus, qui novit, quid spiritus sanctus pro nobis postulet. Ideo coram Deo est ingens incendium, imo ardentius et maius coelo et terra. Sic igitur excu-
Röm. 7, 23 sandi sunt sancti secundum hanc sententiam Pauli: 'Video aliam legem in
Röm. 7, 25 membris meis, non solum repugnantem: sed et captivantem.' Item: 'secundum carnem legi peccati servio.' Sic enim sanctae matres fuerunt homines viventes in carne, sed non ambulantes secundum carnem: nobis in exemplum, ne desperemus, neve cedamus carni. Rahel invidet quidem sorori, et habet zelum adversus eam. Sed spiritus militat et luctatur contra zelum carnis. Libenter eam benedictionem habuisset, qua est donata soror. Et tamen reprimit se, ne optet eam fieri sterilem.

Inde autem apparet sanctissimas mulieres non fuisse libidinosas, sed cupidas prolis et benedictionis. Ea enim causa invidiae est in Rahele,

quae si fuisset similis aliarum mulierum, quas nostrum saeculum multas tulit, dixisset: Quid mea? sive pariam, sive non, modo mancam materfamilias, et omnibus rebus aliis abundem, sat habeo. Verum Rahel tantopere flagitat prolem, ut mori malit, quam sterilis manere. Nec memini me similem vocem legere in ulla historia. Est igitur exemplum optimae et continentissimae mulieris, cuius unicus zelus et ardor est usque ad mortem pro prole. Sicut supra Sara etiam simile desiderium sobolis prae se tulit. Et in utraque valde laudandus est adfectus iste. Si non habuero prolem, inquit Rahel, moriar: vita potius, quam prole carebo. Et si mea caro effoeta et sterilis est, tamen ex ancilla suscipiat maritus meus, si ex ea quoque negabitur: opto, ut DEUS ex hac vita me evocet. Nec levis causa huius cupiditatis fuit. Iacob enim haud dubie praedicavit utrique se habere promissionem de semine benedicto ex se nascendo, hac praedicatione accensa est cupiditas sobolis acquirendae praesertim in Rahele, quae quo minus spei habebat, hoc magis desiderabat: adeo ut constituat aut parere, aut mori, sicut etiam postea in partu moritur. Hoc desiderium et adfectus piae mulieris bonus et sanctus est, sed ita vehemens, ut in paroxysmum invidiae et zeli adversus sororem prolabatur. Nec pro turpi exemplo habendum est, sicut Papistae libidinis hos sanctos homines accusant. Non enim in coniugio spectarunt voluptatem carnis foedam et miseram, sed benedictionem prolis propter semen promissum.

Et efferbuit ira Iacob in Rahelem, dixitque: Num pro Deo ego 30, 2
sum, qui privavit te fructu ventris tui?

Iacob irascitur propter contentionem istam tam vehementem. Ego, inquit, non sum in culpa, tamen es mihi dilectissima coniunx, cum qua saepius cohabitavi, quam cum sorore. Non sum ego Deus, qui possim tibi largiri foecunditatem et vim pariendi.

Ista vero omnia valde humilia et sordida sunt, et ut maxime commendentur, sunt tamen humana, carnalia et muliebria, quibus mirum est occupari spiritum sanctum. Quomodo inviderit Rahel Leae, et altera pepererit, altera fuerit sterilis. Item quod pene blasphemaverit Rahel, et nimis importune contenderit a marito prolem. Ita ut Iacob ei carnaliter irascatur, et vera dissensio inter coniuges incidat. Nonne ista sunt puerilia?

Hanc vero quaestionem supra agitavimus, et semper movenda et inculcanda est. Quare spiritus sanctus, cuius os purissimum est, tanto studio de his concionetur, de quibus sanctissimus Papa cum castissimis Monachis et Nonnis ne dignantur quidem cogitare, tanquam de sordidissimis et carnalissimis rebus. Ambulant enim in magnis mirabilibus sui coelibatus: hasce vero sordes de conceptu, de partu, de offensionibus coniugum iudicant indigna lectione. Potuisset, inquiunt, spiritus sanctus pro sua sanctitate loqui de coelestibus et aliis sublimioribus, non de humilibus et

carnalibus: debuisset fieri monachus aut Nonna, sed tantum recitat, quis fuerit status oeconomiae, quae ratio coniugii Iacob. Ista nos angelicos viros, qui incedimus super nubes in sapientia et religione angelorum, offendunt.

Sed quia ipsi haec parva fastidiunt. Ideo spiritus sanctus vicissim tam superbos et gloriosos sanctos odit, et non agnoscit pro suis, relinquit eos in gloria, superbia et vanitate sua, et descendit ad suas creaturas, eas curat et ornat. Ipse enim creavit orbem terrarum, creavit masculum et foeminam, et benedixit eis, ut essent foecundi. Subiecit eis mundum, et adhuc sustentat omnia, alit et praebet lac matri ad fovendum et nutriendum foetum. Has creaturas non contemnit, non despicit suum opus. Non tamen cum contumelia coelibatus: Nam et is donum Dei est. Et nos utrunque commendamus in suo ordine et mensura. Non sic laudamus coniugium, ut coelibatum vituperemus aut reiiciamus, quod Papistae non faciunt. Ita enim extollunt coelibatum, ut coniugium contumelia adficiant. Nec praedicant continentiam tanquam donum DEI, sed tanquam opus suum. Haec est doctrina daemoniorum, sicut etiam ex fructibus apparet, qui inde enati sunt. Quia enim voluerunt gloriari in operibus carnis. Ideo vivunt hodie turpissime, et vincunt omnes lenones et meretrices turpitudine. Quare? Quia non laudaverunt continentiam tanquam opus Dei, sed tanquam suum opus. Et coniugium, quod est opus et ordinatio Dei, contempserunt et vituperarunt.

Itaque delectatur Deus descriptione tam humilium rerum, ut testetur se non despicere, nec abhorrere aut abesse ab oeconomia, a bono marito, ab uxore, a liberis. Quare hoc facit? Quia ipse creavit, ideo gubernat et conservat tanquam suam creaturam. Tametsi peccato corrupta est caro: Neque coelibum caro incorrupta est, et ex eadem origine ipsi quoque nati sunt. Cur igitur eam vituperant, et suam impuram castitatem praeferunt coniugio? Vult igitur spiritus sanctus nos docere ac testari tractandis istis humilibus, humanis et communibus, ut sciamus ipsum velle nobis adesse, curare nos et ostendere: quod sit creator et gubernator noster. Haec Papistae non vident, sed contemnunt: Ideo dignas poenas contemptus luunt.

Secundo non vident, quam puro et materno corde petant istae mulieres liberos: qui adfectus et verba Rahelis ostendunt cor eius fuisse alienissimum a libidine. Hoc ipsi non vident: Quare? Quia scriptum est. Tollatur impius, ne videat aut audiat, quid loquatur, quid agat et operetur Deus. Digni non sunt, ut videant gloriam Dei. Sic hodie audiunt nos clamantes, docentes, cantantes verbum Dei, vident opera Dei: et tamen non vident. Quare? Quia non sunt digni. Sic etiam non vident Rahelem proponi in exemplum pulcherrimi et materni adfectus ac castitatis, quae tantum quaerit prolem ex carne, sicut et Lea: Audiunt eos nihil aliud

11 coelibatus] coelibatu *L.*

sonare, quam Dominus dedit: Dominus benedixit. Et infra in contentione: Dominus iudicabit inter me et te, omnes sermones eorum sunt de Deo, de beneficiis et operibus eius. Et tamen habent haec omnia pro peccatis, et sanctissimas matronas indignas iudicant, quarum exempla proponantur in Ecclesia. 1. Mose 31, 53

Quid potest melius et utilius in Ecclesia doceri, quam exemplum piae matrisfamilias: quae orat, gemit, clamat, agit gratias, regit domum, facit officium sexus, desiderat prolem cum summa castitate, gratitudine, pietate? Quid faciat amplius? Sed Papa, Cardinales et Episcopi haec non debent videre, quia digni non sunt. Spiritus sanctus sinit eos ambulare in mirabilibus et supercoelestibus, et admirari suam castitatem dignam lupanaribus. Haec vero neutiquam cernere debent. Interim ita gubernat sanctas mulieres, ut testetur esse eas suam creaturam, quas velit regere, non tantum secundum spiritum, sed etiam secundum carnem, ut Deum invocent, adorent, gratias agant pro prole et sint obedientes marito etc. Id nimirum est tradere ista sordida legenda Ecclesiis, ut ostendat Deus sua magnifica et mirabilia opera in Ecclesia, quomodo operatur in carnalibus et terrestribus coelestia et spiritualia. Carnalia autem cernunt impii, spiritualia et divina non cernunt.

Tertio neque hoc vident, quibus aerumnis et miseriis conflictatae sunt miserae mulieres. Sed somniant eas vixisse in luxu, in ocio et deliciis, qualem vitam ipsi vivunt. Cogitant Iacob fuisse magnum dominum, et in re lauta deliciatum esse cum uxoribus. Rahelem fuisse instar reginae summo splendore et opibus cumulatam. Nam talem vitam et uxores tales ipsi exoptant, et magna pars eorum hisce commoditatibus fruitur. Sed inspice historiam, et invenies Iacob fuisse inopem et egenum, qui ne obolum quidem proprium habuerit. Sic et mulierculae fuerunt miserrimae, sicut infra queruntur Rahel et Lea: ‘Nunquid habemus residui quicquam in facultatibus, et haereditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputavit, et vendidit, comeditque pecuniam nostram?’ Quod si filiae fuerunt inopes et mendicae, multo magis ancillas eguisse verisimile est? 1. Mose 31, 14 f.

Fuit igitur summa miseria cum durissimis laboribus coniuncta, quas sustinuerunt dies et noctes, insuper et famem, sitim ac frigus tolerarunt. Hoc tu quoque, qui accusas incontinentiae sanctissimos homines imitare, ducas quatuor uxores, et servias quatuordecim annis domino avaro et ingrato, sed nemo est, qui haec videat aut consideret. Neque quisquam est hodie, qui velit vel unam, nedum quatuor uxores ducere hac lege, ut tantum serviat, et suo labore et sudore alterius commoda augeat, se autem et uxorem unde alat, non videat.

Incredibilis itaque haec fiducia est, quod ducit Iacob tot uxores, ea spe, quod Deus inopiam suam sublevaturus, seque et totam familiam aliturus sit. Ducere uxorem perfacile quidem est, sed eam cum liberis

26 obolum] obulum *L. Druckf.*

et familia alere, est difficillimum. Hanc igitur fidem Iacob nemo est, qui animadvertat. Quin multi sunt, qui oderunt foecunditatem in coniuge, tantum ob eam causam: quia alenda est soboles et educanda. Sic enim vulgo loqui solent: Cur ducam uxorem, cum sim pauper et mendicus: solus potius onus paupertatis sufferam, neque accumulabo mihi miseriam et egestatem. Sed iniuste haec culpa coniugio et foecunditati impingitur. Quin tuam incredulitatem accusas, quod diffidis bonitati Dei, ac maiorem miseriam tibi accersis vituperando benedictionem Dei. Si enim confideres gratiae et promissionibus divinis, alereris haud dubie: sed, quia non speras in Domino, nunquam prosperaberis.

Ad hunc modum videmus in istis sordidis rebus lucere maximas virtutes, fidem insignem, certissimam spem ac pacientiam invictam erga Deum et erga homines. Quae neque Papistae, neque alii facile perspicient, nisi diligenter inspectis circunstantiis. Illi vero, qui prorsus non curant, nec credunt, valeant et maneant lenones impurissimi. Nos discamus requiri non ad Ecclesiam et politiam tantum: sed etiam ad oeconomiam fidelem maritum et fidelem uxorem. Nihil enim unquam recte et foeliciter gerit infidelis. Memini Stupicium mihi recitare historiam de Priore in quodam monasterio, qui cum perpetuo querularetur reditus monasterii tenuiores esse, quam ut monachis inde posset victum et necessaria procurare, Exegit tandem ab eo Stupicius rationes redituum et expensarum, in quibus vidit facultates monasterii annuatim notabiliter auctas esse. Ideo accersitum ad se amovit ab officio dicens: Tu non es homo fidei: Ideo impossibile est, ut prosis rebus monasterii.

Omnis itaque gubernatio ac tota vita consistit in fide. Ad eam vero excitandam et confirmandam mirifice prodest exemplum Iacob. Nam is ne teruncium quidem habet, et tamen alendae ipsi sunt quatuor uxores in servitute ista, unde nihil aliud habet praeter victum et amictum, quo contentus fuit quatuordecim annis. Hoc nemo nostrum facile imitabitur ne in una quidem uxore: nedum duabus aut quatuor ducendis. Nemo enim vel unam septimanam sine certo stipendio vivere et egere vult: quomodo quatuordecim annis tantum pro victu quotidiano serviet? Adeo non sumus conferendi ad illos homines: sed sumus prorsus increduli. Quando igitur loquitur spiritus sanctus de leviculis et contemptis rebus, simul etiam involvit preciosissimas gemmas maximarum virtutum, quas porci isti Papistae non vident. Tantum enim carnalia aspiciunt, et pro melle ex rosa venenum exugunt.[1] Nam in his exemplis patrum lusus venereos carpunt et multitudinem coniugum et concubitus, ut ipsi sentiunt, libidinosos, quando Rahel aut Lea sobolem expetunt. Non illud cogitant, quomodo invocarint et glorificaverint Deum, quomodo fuerint fide et incredibili pacientia praediti.

[1]) *Sprichw., vgl. Unsre Ausg. Bd. 18, 385, 20.*

Sed quomodo aliter iudicarent homines ocio et luxu perditi, quales sunt Canonici et Cardinales, qui sine labore, sine omni tentatione vitam transigunt. Nos igitur alia et meliore ratione scripturam sanctam evolvamus. Ideoque toties repeto et inculco, ut leviuscula haec et carnalia prorsus non carnis, sed spiritus oculis intueamur, tum videbimus mirabilia consilia spiritus sancti in eiusmodi descriptionibus, magis quam in summis et maxime spiritualibus.

Quae ait: Ecce ancilla mea Bilha, ingredere ad eam, et pariet super genua mea, ut et ego aedificer ex ea. 30, 3

Parere super genua, Hebraica phrasis est, qua significat Rahel, se velle fieri matrem, et his verbis adoptat prolem ex ancilla. Significant enim officia maternitatis. Siquidem mater gestat infantem in genibus suis. Sicut dicitur Isaiae 66: 'Super genua fovebimini', die mutter hat das kind Jes. 66, 12 auff der schos. Cogitavit igitur: Cum ex me non possim habere filium, tamen fiam mater benedicti seminis per ancillam. Inde apparet desiderium ardentissimum promissi seminis, pietas item et excellens fides, qua adhaeserunt promissionibus de Christo, quae factae fuerant Iacob. Deinde necesse est insigni probitate fuisse praeditas mulierculas, siquidem potuerunt coniuges esse tam pauperis mariti, et in domo patria servire ancillarum loco. Fuit incomparabilis sanctitas, mirabilis fides, pacientia, spes et charitas. Nostrorum civium aut rusticorum delicatae filiae idem nunquam praestarent.

Dedit itaque ei Bilham, ancillam suam, in uxorem, et ingressus est ad eam Iacob. 30, 4

Ne hoc quidem ulla mulierum faciet, potius enim prole carebit, quam gloriam maternitatis et thori ancillae concedat. Et mirabilis hic adfectus est, cuius simile exemplum in Sara supra descriptum est, quod dignitatem coniugalem cesserunt ancillis. Nulla mulier secundum carnem hoc faciet: sed est opus spiritus, quo excitata cogitavit: Volo ego quoque esse mater, tametsi omnis gloria thori et maternitatis mihi sit resignanda ad tempus.

Concipiens vero Bilha: peperit ipsi Iacob filium. Et ait Rahel: Causam meam egit Deus, et audivit vocem meam, dans mihi filium: unde vocavit nomen eius Dan. 30, 5.6

Haec non sunt verba lascivae meretricis. Agit enim Deo gratias, quod sit exaudita. Ac allegat iudicem Deum, tribuitque ei donum foecunditatis. Clamavi, inquit, et oravi. Benedictus autem sit Dominus, qui iudicavit me et audivit vocem meam.

Est pulcherrima gratiarum actio. Haeret tamen adhuc in carne. Ideo ait iudicavit vel egit Deus causam meam, quasi diceret: Soror mea,

quanquam non est vera uxor, tamen superbivit contra me, sicut supra Hagar contra Saram, propterea quod foecunditate me antecelluit. Sed Dominus etiam me iudicavit. At vero, mea Rahel: cur adeo laetaris? tamen non est tuus filius, non ex tua carne natus? Uterus tuus et ubera tua nesciunt hunc filium? Quid tum? tamen sibi gratulatur, quod habet filium adoptivum ex ancilla. Tanta fuit admiratio foecunditatis.

Dan significat iudicium: quia Deus miseriam et probrum meum vidit. cap. 30, 23 Sicut infra dicit: ‘Abstulit opprobrium meum.’ Sterilitas enim pro oppro- 1. Mose 1, 28 brio est habita propter verbum illud: ‘Crescite et multiplicamini.’ Sed Deus iudicavit, id est, pugnavit, contendit pro me. Nunc etiam ero in aliquo numero: quanquam ex ancilla filius mihi natus est. Ita enim oravit: Domine Deus, quandoquidem non vis me esse matrem: quanquam sum materfamilias et uxor primaria, da saltem ex ancilla prolem, si ego indigna sum: cur enim ita me reprobas, reiicis, confundis, despicis? Haec fuit eius precatio cum suspiriis crebris et lachrimis, et hanc significat exauditam esse. Ut maxime igitur videantur haec carnalia et lasciva: tamen geruntur omnia in summo spiritu, in fide et pacientia mirabili. Deinde cum laudibus Dei et gratiarum actione, quod liberarit ipsam Deus opprobrio sterilitatis.

30, 7. 8 Rursumque concipiens Bilha, ancilla Rahelis, peperit filium secundum ipsi Iacob. Et dixit Rahel: Permutationibus Dei permutatum est inter me et sororem meam, et ego praevalui. Vocavitque nomen eius Naphtali.

Iam vero augescit gaudium Rahelis, nato secundo filio. Sed quaestio est apud Hebraeos, quid significet *Naphtali*. Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est. Sanctes Pagninus et Munsterus vertunt: Luctationibus Dei luctata sum, id est, luctationibus vehementissimis luctata sum cum sorore mea. Et addunt hanc rationem, quod in Hebraea lingua omnia magnifica vocentur divina. Hinc civitas Dei Ninive, id est magnifica. Cedrus Dei, id est, ardua et magna. Etsi autem non arrogo mihi iudicium in Hebraea lingua: Tamen odi depravandi audaciam in iis, quae simpliciter dicta sunt. Quasi vero Ninive non sit etiam civitas Dei in praeputio, sed soli circuncisi sint populus Dei. Omnia haec manant ex superbia et arrogantia Iudaeorum, qui nihil ferunt dici magnificum, nisi quod ad ipsos pertinet. Sed quis hanc potestatem interpretandi Grammaticis Hebraeorum tribuit, ut luctationem Dei pro magnifica luctatione exponant? Sequar igitur simplicem et Grammaticum sensum.

Ps. 18, 26 f. *Pahal* significat permutare, pervertere. Psalmo 18: ‘Cum sancto sanctus eris: cum perverso perverteris.’ Si quis avertit se a Deo et aliter agit aut docet, quam Deus docet et facit, vult aliquid melius et excellen-

38 *Pahal*] פָּחַל

tius facere, et tamen pervertit omnia. Ibi Deus etiam pervertitur et mutatur, ut non sequatur praescriptum illud perversi, sed relinquat eum cogitationibus suis. Hinc Naphtali, permutatus, Es hat ſich gewent.[1] Ita Rahel dicit: Benedictus Dominus, quia accidit mutatio inter me et sororem. Et apparet eam haec verba protulisse, postquam desiit Lea parere nato quarto filio. Ibi Rahel acquirit liberos per famulam, Dan et Naphtali. Ideo dixit: Facta est permutatio sive conversio, soror mea desiit parere: ego vero incipio et pergo consequendo sobolem. Non meo nutu aut voluntate, sed Dei gratia et dono, qui exaudivit preces meas.

Iam vero quaestio nascitur, quomodo septem annis potuerit Iacob gignere duodecim liberos. Primis enim septem annis servivit gratis sine uxore et prole. Altero septennio duxit duas sorores, et Ioseph videtur postremo anno servitutis natus, post omnes alios filios, hoc est, decimo quarto anno. Sic enim habet ordo et series historiae in textu. Quomodo vero id potuit fieri? Cum Lea sola quatuor primis annis quatuor filios pepererit? Necesse est igitur reliquos octo tribus annis esse genitos, quod est impossibile. Respondeo: Moses usus est anticipatione, hoc est, figura, quae Rhetoribus est *ὕστερον πρότερον*, sicut postea declarabimus. Et inde intelligetur, qualis sit permutatio haec, a qua nomen imponit Rahel filio. Nam inde nascitur haec difficultas et obscuritas: Quia apparet omnes istos Patriarchas editos esse septennio altero. Quod si fuerit expeditum, nomen etiam Naphtali erit clarius.

Id vero ut possit fieri, iungendi sunt sex anni septennio alteri, quibus servit Iacob pro pecoribus. Vera enim series historiae haec est. Quatuor primis annis nati sunt quatuor filii Leae: Ruben, Simeon, Levi, Iuda. Postea cessat Lea parere, et Raheli nascitur Dan ex ancilla, qui est quintus filius Iacob et quintus annus, qui vacat a partu Leae. Bilha autem, ancilla Rahel, implet hunc edito filio Dan. Atque ibi gratulatur sibi Rahel de foecunditate et accedit insuper alter filius Naphtali anno sexto, quo Lea etiam non parit, unde Naphtali filius vocatur, quasi diceret Rahel: Soror mea desiit parere his duobus annis, quinto et sexto. Iam nunc res meae mutantur et convertuntur in melius. Sicut ante de etymologia vocis ex 18. Psalmo dictum est. Et eadem significatione in proverbiis ponitur: ‘Sapientiae verbis nihil inest perversum’, id est, verbum Dei non Spr. 8, 8 mutatur, non pervertitur, est simplex et rectum. Sed hic accidit permutatio, inquit Rahel, quae est permutatio Dei. Quia sorore mea cessante parere ego prolem nacta sum, quia praevalui, et iam proficio, cresco et floreo, ipsa arescente. Sic agit pia mulier gratias Deo, quod audivit preces eius, et dedit sobolem, saltem ex carne ancillae. Neque vero hoc tantum desiderium liberorum pro turpi concupiscentia et libidine habendum est. Sed fuerunt appetitiones castissimae prolis in utraque. Ita ut etiam

[1]) = *gewendet, geändert.*

ancillis traderent ius maternitatis et benedictionis, qua posteritas Iacob possessura erat terram Chanaan: quam promissionem Iacob diligenter inculcavit. Ideo utraque optavit esse mater benedicti seminis et posteritatis.

Atque hactenus servavit Moses lineam sive seriem historicam in descriptione sex annorum: sed ea nunc mutatur, et fit *ὕστερον πρότερον*, quae figura nisi diligenter observetur in lectione sacrarum, imo omnium historiarum, saepe magnas obscuritates parit. Iam enim secundum consequentiam historicam sequi debebat nativitas Ioseph, post Naphtali. Sed illam differt Moses usque in tertium paragraphum, et redit ad Leam, quae duobus annis, et eo etiam, quo nascetur Ioseph, nihil peperit, per figuram *ὕστερον πρότερον*, id est, posterius prius, qua saepe loca obscurissima in historiis evolvuntur. Augustinus libro de civitate Dei 16. anticipationem et recapitulationem vocat. Et est una de regulis ad intelligendam scripturam sanctam uecessariis.

Ioseph deberet esse prius, et poni post Naphtali, sed fit *ὕστερον*: Lea cum Zilpa ancilla debebant esse *ὕστερον* et fiunt *πρότερον*. Saepe enim in historiis res diversae eodem tempore, sed diversis locis gestae sunt: aliud Romae, aliud in Graecia. Ibi non describuntur certo ordine. Sed una historia pertexenda est ad finem, postea idem tempus repetendum, et alterius etiam narratio absolvenda est. Tempora enim sunt eadem, sed res diversae, quae concurrerunt eodem tempore.

Sic igitur ponatur in tabella quadam. Quatuor primi anni sunt Leae. Quintus et Sextus sunt ancillae Rahelis. Septimus est annus nativitatis Ioseph. Quia infra dicit ad Pharaonem, se natum esse triginta annos, quod pulchre congruit in supputatione annorum. Septimo anno post nuptias Iacob cum Rahel natus est Ioseph, quod est manifestissimum. Sed hoc tacet Moses, et antequam loquatur de nativitate Ioseph, praemittit reliquos filios natos ex Lea et ancilla eius, qui nascuntur sex annis, qui adiiciuntur servituti Iacob pro pecoribus. Infra enim textus dicit: Nato Ioseph Iacob voluisse abire in patriam. Sed denuo pactum esse cum Laban de sexennio. Circumstantiae igitur evidenter convincunt ante hos ultimos sex annos natum esse Ioseph, videlicet septimo anno. Et sex annis alitum et educatum in Mesopotamia. Beniamin septem annis post Ioseph editus est in terra Chanaan, extincta matre in partu. Ita manifestum est Iacob serviisse socero suo viginti annos, quatuordecim pro filiabus, sex pro pecoribus. Hi anni omnes iungendi sunt in hac supputatione.

Lea autem quia tribus annis vacavit a partu, voluit imitari exemplum Rahelis, et sic cogitavit. En, Soror mea peperit filium Ioseph, ac propterea diligitur a marito tanquam primaria uxor, ex qua sperat veram posteritatem. Et iam pro primogenito habet filium Ioseph. Ille est lux et dux. Quia est filius reginae et matrisfamilias. Aemulata est ergo Lea, et fuit solicita, quomodo mutaret animum mariti, et abalienaret a sorore. Ideoque hoc consilium iniit, ut traderet ei ancillam, ex qua suscepit Iacob octavum

filium Gad. Nono autem anno nascitur nonus filius Asser. Ibi Ruben primogenitus ex Lea, puer octo aut novem annorum, egreditur in agrum, ac casu invenit ibi Dudaim, ac domum refert, quibus acceptis Rahel paciscitur cum Lea, quod cum Iacob ea nocte dormire debeat. Talis enim incidit contentio et offensio domestica inter mulierculas propter honestissimam causam. Lea igitur concipit et parit decimo anno Isaschar. Undecimo anno Zebulon. Duodecimo Dina nascitur. Ita duodecim annis genuit Iacob undecim filios, et unam filiam, Dinam.

Sed hoc offendit Lectorem, quod post nativitatem undecim Patriarcharum. Postremo loco Ioseph nativitas describitur, cum sexennio ante natus sit, quam Moses id commemorat. Sed hoc iam planum est ex regula, quam dixi, cuius sane maximus usus est in libris Regum et Prophetarum. Imo etiam in historiis Ethnicis, propter continuationem unus alicuius historiae, cum qua simul aliae diversae concurrunt.

Tabula ex Chronico[1] D. Lutheri descripta, quae seriem historiae pulchre illustrat.

Lea peperit	Rahel peperit
Ruben	1 o
Simeon	2 o
Levi	3 o
Iuda	4 o
o	5 Dan } Ex Bilha
o	6 Naphtali } Ex Bilha
o	7 Ioseph
Ex Zilpa { Gad	8 o
Ex Zilpa { Asser	9 o
Asaschar	10 o
Zebulon	11 o
Dina.	12 o
o	13 o
	Beniamin

Mirabilis autem fuit oeconomia istorum hominum. Videmus enim mulieres habuisse potestatem offerendi ancillas, et rursus auferendi a

27 Asaschar *L. M.*] Isaschar *N. O. Erl.*

[1]) *Gemeint ist Luthers: Supputatio annorum mundi 1541 und 1545 (deutsch „Chronika" genannt); vgl. Köstlin-Kawerau II, 588 f. u. S. 690 zu S. 589, 1.*

maritis. Rahel enim postquam peperit primogenitum Ioseph, non admittit amplius ancillam ad maritum. Neque Lea, postquam nati sunt ex ancilla Gad et Asser. Unde apparet, quanta fuerit in eis castitas. Non enim licuit Iacob pro sua libidine concumbere cum ancillis, nisi volentibus et permittentibus uxoribus. Quod non solent facere adulteri et scortatores. Concupiscentia carnis mortificata fuit in Iacob, et suis limitibus circumscripta. Non evagatus est, quo voluit et rapuit libido. Haec duo, figura anticipationis et celebratio castitatis sanctissimorum hominum diligenter notanda sunt. Alioqui nemo facile historiam hanc intelliget.

Deinde praesentia Dei et in hoc infimo vitae genere agnoscenda est, quod aeque ac reliqua plenum est vexationibus et aerumnis. Regit enim et tuetur Deus sanctos etiam in rebus servilibus, ut non desperent infimae sortis homines, nec superbiant hi, qui summo loco constituti sunt. Deus enim ita administrat orbem terrarum, ut suprema deiiciat, et infima evehat. Confundit sapientiam sapientum et intellectum prudentum. Hae sunt permutationes Dei. Ecclesia subiecta est servituti in mundo, imo morti tradita, ut Paulus ait. Et tamen si absque ea esset, reges et principes cum omni potentia sua interirent. Ipsa enim subiectissima imperat et portat orbem terrarum. Quia pii sustentant mundum, et tamen sunt servi, perinde ut in graeco versiculo dicitur: *Εἷς ἔστι δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης.*[1] Solus paterfamilias servit in domo. Sola materfamilias est ancilla. Unus tantum subditus in civitate est magistratus. Alii, qui videntur servi, fruuntur commodis, pace et tranquillitate civitatis, regni, imperiorum omnium: qui imperat, est servus servorum.

vgl. Jes. 39, 14; 44, 25; 1. Kor. 1, 19

Ita enim temperat Deus orbem terrarum, ut serviant ipsi omnia summa, media, infima: Supremi sunt infimi, et infimi sunt summi. Sapienter igitur et praeclare Dux Fridericus, Elector Saxoniae, ad Stupicium dixit, sibi, cum perlustraret animo totum orbem terrarum, et omnium hominum ordines, foelicissimos videri rusticos, qui sunt infimo loco in Republica, propterea quod soli fruuntur pace et vera tranquillitate, non macerantur curis et periculis Reipublicae. Aestate colunt agros. Hyeme fruuntur parto domi ad focum. Tametsi carent lautitiis regiis: tamen summis bonis fruuntur, tranquillitate et ocio, ac habitant intra suam sepem tutiores et beatiores, quam Reges et principes intra arces aut moenia.

vgl. Mark. 10, 31; Matth. 19, 30

Haec est admiranda Dei gubernatio, sive rerum permutatio, quae enim postremo loco et miserrima videntur, summa sunt et foelicissima. Nihil est miserius Ecclesia in mundo. Hinc illae querelae sanctorum et Ecclesiae: Cur avertisti faciem tuam? Cur oblivisceris mei? Ego praedico, confiteor, facio et fero omnia, quae praecipit Deus. Sed nemo me est magis adflictus et desertus. Ibi vero respondet Dominus: Non obliviscor

[1]) *Menander: γνῶμαι μονόστιχοι 168; den Spruch schrieb Luther auch in eine Bibel; vgl. Dewette-Seidemann VI, 432.*

tui. Sicut dulcissime dicitur Isaiae 49.: 'Et dixit Sion: Dereliquit me Isa. 49, 14 f.
Dominus, et Dominus oblitus est mei. Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui' etc.

Sed non apparet tantam esse Deo curam et solicitudinem de nobis. Discendum igitur est, et adsuescendum ad illam permutationem et conversionem rerum et hominum in mundo. Gentes utcunque experientia hoc didicerunt, quod servus in domo sit herus, et herus serviat. Quin etiam Monachi de suis famulis idem querebantur. Habebant enim fratres, quos conversos dicebant, quibus res culinaria et operae domesticae demandatae erant, sed et hi reliquis imperabant, ut in proverbium abiret. Conversus Dominus, ex verbis Euangelii: 'Conversus Dominus, respexit' etc. Hoc Matth. 11, 22
volebant dicere: Conversus est noster Dominus, qui imperat nobis. Ita in nostra oeconomia famulae gubernant dominas, liberi totam domum et familiam, quae servit ipsis. Eiusmodi exemplis docet Deus se praesentem esse, et curare nos, non oblivisci nostri, in quocunque genere vitae vivamus. Ecclesia est regina in orbe terrarum, sed nihil minus apparet, siquidem mundus regnat et dominatur. Sed nisi oratione et doctrina sustentaret Ecclesia mundum, uno momento perirent omnia. Mundus hoc non cernit, nec credit. Imo Turca et Gallus putant se regere et sustentare orbem terrarum, donec nimirum ruant et confundantur in consiliis et conatibus suis. Tum denique experientur se nihil esse: sed sero.

Et videns Lea, quod staret a pariendo, accepit Zilpam, ancil- 30, 9—11
lam suam, deditque eam Iacob in uxorem. Peperit itaque Zilpa, ancilla Leae, ipsi Iacob filium. Et ait Lea: Accinctus: Vocavitque nomen eius Gad.

Hoc loco debebat nativitas Ioseph commemorari, sed per *ὕστερον πρότερον* Leae filii recitantur. Removenda autem est omnis suspicio vagarum libidinum et scortationis a sanctis istis hominibus. Iacob enim non appetit ancillam, nec insidiatur pudicitiae eius, quod scortatores solent. Sed contentus fuisset amore unius Rahelis, quam unice deperibat. Uxoris autem iussu et obsequio ingreditur ad ancillam, cui ipsa concessit thorum coniugalem, quia desperat de prole ex suo corpore nascenda. Toto enim triennio fuit sterilis. Neque libens marito ancillam tradi, sed si habuisset spem ulterius concipiendi, nunquam fecisset hoc. Hoc ex sequentibus apparebit: quando ipsa rursus parit, removet ancillam, et non vult eam amplius ex marito parere. Sic et Rahel postquam natus est Ioseph, non vult ancillam denuo marito iungi.

Ac fuit sane ardentissimum et anxium desiderium sobolis in sanctis matribus. Ideo Lea, postquam triennio fuit sterilis, dolet a se abalienari maritum, et quia non est spes ex suo corpore nascendam esse sobolem,

iungit ei ancillam. Rahel enim uno tantum Ioseph edito magis effertur, quam Lea quatuor filiis natis. Hunc filium solum spectant et mirantur pater et mater et tota familia, quia ex Rahele natus erat, quae erat dilecta et primaria coniunx, ex qua expectabatur Dominus domus et haeres regni et sacerdotii. Ideo angitur Lea et cogitat: Me miseram: Iam denuo humiliata sum, proles mea negligitur, et maritus etiam a me factus est alienior. Sicut expostulat postea cum Rahele, cum ait: Rapuisti mihi maritum. Hae sane videntur offensiones et aemulationes carnales. Sed Deus eas tolerat clementer, neque ulla ratione earum habita utrique benedicit, Leae et Raheli. Sic igitur animum induxit suum: profecto retrahendus erit maritus in meum tabernaculum. Video Ioseph unicam curam et delicias patris esse, quia natus est ex sorore mihi praelata. Sed tradam ei Zilpam, ut a Rahele eum abstraham, et mihi conciliem. Videre igitur est non libidinem, sed mirabilem ardorem et amorem prolis in sanctis mulieribus.

Manichaei et Papistae, si quando in haec loca scripturae sanctae incidunt, et aures et oculos obstruunt. Atque ita sordent ipsorum iudicio carnalia haec, vix ut legere et cognoscere dignentur. Augustinus in confessionibus narrat Manichaeos virulentissimis conviciis incessisse sanctissimos Patriarchas, eo quod haberent plures uxores et liberos. Ego, inquit, cum Manichaeus essem, ridebam eos tanquam homines libidinosissimos. Sed tu, Manichaee, vicissim me ridebas, cum prodigiosas tuas nugas sectarer, ut cum decerpens pomum aut pirum ex arbore, crederem arborem lachrimari etc. Sic Papistae dum ex alto despiciunt studium illud procreandi liberos in parentibus, ipsi interea tetris libidinibus involvuntur. Quin et Gerson, Bonaventura, Hugo, Origenes, Hieronymus non minus offensi sunt hisce exemplis. Ideo transeunt ea, nec dignantur inspicere altius: Tantum ad allegoriam deflectunt.

Non vident clarissime in textu dici, quomodo clament, invocent, gratias agant, confidant Deo sanctissimae mulieres. Item, Deus audivit, Deus respexit, permutavit. Deus invocatus, exaudiens, laudatus, benedictus est in medio harum historiarum. Inde aestimare debebant puritatem, innocentiam, castitatem. Non, ut ipsi iudicant concupiscentiam et libidines lenonibus dignas. Mira res profecto est, neminem ex patribus haec vidisse unquam. Et quod amplius est, dicitur in textu: ‘Dedit Lea ancillam in uxorem’, igitur non fuerunt scorta, sed legitimae coniuges, traditae Iacob ad procreandam sobolem.

Saepe autem testatus sum me valde abhorrere ab allegoriis, et damnare earum studium. Quia exempla et vestigia patrum me terrent, qui suis allegoriis obscurant doctrinam et aedificationem caritatis, patientiae, spei in Deum, quando speculationibus illis allegoriarum nos avocant a doctrina et genuino sensu verborum. Idque in primis studio habent Hieronymus et Origines, quin Augustinus etiam eo adductus fuisset, nisi esset revocatus per certamina et disputationes cum haereticis. Ego vero

quia hos tanquam summos Theologos admirabar, idem initio secutus sum. Cum legerem Biblia, non sequebar sensum literalem, sed illorum exemplo omnia in allegorias vertebam.

Hortor itaque studiosos Theologiae, ut fugiant hoc genus interpretationis in sacris literis. Quia allegoria est perniciosa, quando non congruit cum historia, praecipue vero, quando in locum historiae succedit, ex qua rectius eruditur Ecclesia de mirabili administratione Dei in omnibus ordinibus vitae, in oeconomia, politia et Ecclesia: quae dum negligunt isti interpretes in historiis, necessario omnia in allegorias et alienum sensum transformant. Sicut in hoc exemplo, quia non vident consilia et gubernationem Dei tectam vili ista specie oeconomiae et coniugii, adfingunt peregrinum sensum de vita contemplativa et activa. Nam hae theses eorum sunt, ad quas pleraque omnia referunt. Rahelem dicunt significare vitam contemplativam: Leam vero vitam activam. Haec scilicet egregia illa sapientia est, qua obruerunt et involverunt densissima caligine doctrinam Ecclesiae necessariam de coniugio, de oeconomia et eius partibus.

Rahelem dicunt amari a Iacob, quia habet pulchros oculos, huic accommodant vitam contemplativam. Leae vero vitam activam, quae non amatur, sed negligitur a Iacob: hoc consilio, ut supra omnia reliqua vitae genera sese efferrent. Activa enim vita est hominum, qui occupantur actionibus oeconomicis ac politicis, qui sudant in agro et re familiari. Haec est molestissima et deformis vita, quemadmodum Lea erat debilibus oculis. At vero contemplativa vita invenitur in monasteriis, in collegiis sacerdotum, qui carent molestiis oeconomicis et politicis, qui sedent ociosi, et speculantur de Deo, orant, ieiunant, habent suas visiones, revelationes, illuminationes. Ac tandem eo processit furia et illusio Sathanica allegoriae de vita speculativa, ut nullus videretur vere monachus, nisi haberet speciales revelationes, praesertim Minoritae. Illi nihil aliud somniabant, nisi mutua colloquia Christi, angelorum, sanctorum, Mariae cum animabus. Et extat adhuc liber de revelationibus Brigittae[1], qui continet colloquium Christi et animarum. Sed sunt merae illusiones Sathanicae, quibus tamen pene ipse captus essem Monachus adhuc, nisi per Stupicium essem revocatus, qui me ad professionem Theologiae publicam perpulit, cum ipsius consilio et iussu renunciatus essem Doctor Theologiae.

Ergo monachorum vita vocabatur formosa et dilecta Rahel. Oeconomia autem et politia conferebatur cum Lea deformi. Quin in monasteriis etiam rursus discernebantur sacerdotes a conversis, et his vita activa, illis contemplativa tribuebatur. Sed hac ratione non Leae aut Raheli, sed

[1]) † 1373. *Die nur in lat. Übersetzung erhaltenen Revelationes Sanctae Brigittae wurden seit 1492 oft gedruckt; der Papst tritt darin auf als ein Mörder der ihm anvertrauten Seelen, schlimmer als Luzifer, der die Unschuldigen verdamme und die Gläubigen um schmutzigen Gewinn verkaufe.*

Turcis et Tartaris similes fiemus. Nam in Turcia etiam multi religiosi sunt, qui id unum student, ut Alcoranum Mahometi interpraetentur allegorice, quo in maiore admiratione sint. Est enim allegoria tanquam formosa meretrix, quae ita blanditur hominibus, ut non possit non amari, praesertim ab hominibus ociosis, qui sunt sine tentatione. Tales putant se in medio paradisi et gremio Dei esse, si quando illis speculationibus indulgent. Ac primum quidem a stolidis et ociosis monachis ortae sunt et tandem ita late serpserunt, ut quidem Metamorphosin Ovidii in allegorias verterint. Mariam fecerunt Laurum: Apollinem Christum, quae quantumvis sint absurda, tamen cum proponuntur imperitis adolescentibus, sed amantibus et studiosis literarum, initio valde adlubescunt, ut totos se illis interpraetationibus dedant.

Ego itaque odi allegorias. Si quis tamen volet iis uti, videat, ut cum iudicio eas tractet. Primum omnium enim quaerendus est historicus sensus, qui recte et solide nos erudit, qui pugnat, defendit, vincit et aedificat. Hic si fuerit genuinus et purus, postea quaeratur allegoria, sed non monastica, nec de vita speculativa. Sed quae concordet cum historia et complectatur reliquias S[anctae crucis, hoc est, doctrinam crucis, fidei, spei, charitatis, pacientiae. Non monachum, qui sedet et loquitur cum Christo, et iactat apparitiones et voces angelorum, aut beatae virginis Mariae auditas. Is enim sedet ociosus sine cruce ac tentatione. Talis vita speculativa est maledicta et damnaat.

Consentiat igitur allegoria cum historia et super hanc velut fundamentum aedificetur gemma, aurum, argentum. Alioqui est perniciosa allegoria et tantum errores parit, vel si est optima, merae sunt stipulae et ineptiae merae. Ac diligenter discernendum est inter fundamentum sive doctrinam ipsam et aedificium, quod superstruitur. Allegoria non sit fundamentum, sed sit superficies, sive sit aurum, sive gemma, sive etiam stipula, modo innitatur fundamento. Alioqui sunt Diabolicae illecebrae, si a fundamento dissentiunt. Deus enim non dabit singulis peculiares revelationes, non promulgabit novum decalogum. Sed alligavit nos ad
Matth. 17, 5 Luk. 16, 29 hoc mandatum, quod e coelo sonuit: ‘HUNC AUDITE.’ Item: ‘Habent Mosen et Prophetas.’ Vult nos audire verbum et huic credere. Ibi abunde satis speculationum habes, abstractus non tantum ab externis negociis, sed etiam intellectus et rationis cogitationibus, ut ibi agas sabbathum et cessent opiniones et iudicium tuum.

Activa autem vita est charitas, vel fides per charitatem efficax, pacientia item in cruce. Haec exercitia sunt utriusque vitae et contemplativae et activae, Non solum in monasteriis apud monachos et Conversos, verum etiam in oeconomia et politia apud omnes homines, qui vivunt in fide et exercentur quantumvis obscuris et sordidis actionibus. Sed humana natura non vult esse contenta usitata doctrina et verbo Euangelii, nec Sacramentis acquiescere, quae per filium Dei ac Apostolos tradita, perque eorum

successores propagata sunt, sed requirit singulare aliquid. Ibi tum Diabolus venit et loquitur tecum. Nisi igitur poteris respondere: Sic dicit verbum Dei. Tu dicis contraria verbo, vade retro, Sathana, confestim subverteris.

Haec singulari zelo et indignatione trado, propterea quod vidi hunc locum Manicheorum deliriis tam foede conspurcatum esse. Monachi et Papistae per omnia Manicheis similes facti sunt, et repleverunt Ecclesiam Brigittanis et aliis libris, quibus vituperarunt oeconomiam et politiam, quanquam iis quidem nunquam carere potuerint. Sed si paulo altius introspexeris hanc historiam, videbis exempla castitatis summae in coniugio, cuiusmodi nulla unquam apud eos fuit, qui statum virginitatis et castitatis iactarunt: demptis singularibus et miraculosis exemplis Baptistae, Mariae et similium. In caeteris manet furor et ardor libidinis. Ideo nulla comparatio est ullius castitatis ad exempla harum mulierum. Describuntur enim et ornantur pulcherrimis verbis: quomodo orant, gemunt, clamant credunt, expectant in coniugio prolem a Deo. Libido autem non cogitat de Deo, non invocat, non agit gratias: sed est caeca et vesana. At hae mulierculae orant, lachrimantur: 'O Deus, da sobolem' etc. Haec non sunt verba libidinosae mulieris, sed castissimae et honestissimae matronae.

Ideo exempla earum sunt utilissima et maxime necessaria Ecclesiis: quia testantur Deum adesse, gubernare, tueri genus vitae oeconomicum, prae quo tuus coelibatus, tua vita monastica et contemplativa foetet coram Deo: quin etiam in conscientia tua. Ac merito luunt monachi hunc suum contemptum coniugii. Quia enim rident haec et similia exempla et Dei opera ipsis sordent: vicissim ipsi quoque a Deo abiecti sunt et neglecti, donec in portenta turpitudinis et libidinum prolapsi sunt.

De Etymologia nominis (*Gad*) Rabbini rixantur et variant interpraetando. Ego autem existimo rectissime reddi accinctum, armatum, instructum ad bellum, unde *Gedud* miles, latrunculus. Hieronymus vertit excursores in exercitu, hoc est, milites instructos ad bellum. Consulto autem et scienter sic vertimus, tametsi sciam alias significare incisionem, alias foelicitatem et fortunam, sicut Munsterus et alii reddiderunt, idque facile eis concedimus: Nam eodem modo Augustinus quoque interpraetatus est. Nec impugnamus eorum sententiam, sed non sequimur. Sicut et Isaiae 20. et 65. capita variavimus, ubi vulgata translatio et aliorum habet: Qui ponitis Jes. 65, 11 fortunae mensam, nos transtulimus: Qui ponitis Marti mensam, quia Iudaei coluerunt etiam Martem imitatione Graecorum. Mansimus in radice verbi, quae significat accinctum esse.[1]

---

26 (Gad)] גָּד *28 Gedud*] גְּדוּד

[1]) *Gad wird etymologisch erklärt 1. Plänkler wie* גְּדוּד*; 2. incisio; 3. felicitas et fortunae. In Jes. 65, wo es Gottesname ist, hat Luther gelassen „dem Gad" (Vulgata: Fortunae) und macht dazu die Randglosse:* „Gad wird ein Abgott zum Kriege gewest sein, als Mars. Denn *Gadad* heist rüsten." — *Die Beziehung auf Jes. 20 ist dunkel.*

Et confirmat hanc interpretationem nostram Moses infra 49. in bene-
1. Mose 49, 19 dictione filiorum Gad, ubi dicitur: 'accinctus praeliabitur.' Haec authoritas nobis sufficit adversus rabinorum rixas: Gad ſol fürher gehn, ſol fürgang ſein. Ideo nos vertimus: Rüſtig, Es wil angehn.[1] Qui alios vult sequi, faciat sane. Rahel dixerat nato Naphtali, praevalui, vici. Lea hic dicit: praevalebo, habeo iam victorem. Es geht rüſtig an, das ich auch ein knecht hab, qui vincat et familiam meam propaget.

Ita fuit certamen et aemulatio quaedam inter sanctas matres, ut prae nimio zelo utraque resignet suam dignitatem maternam, et tribuat eam ancillae. Fuit enim magna gloria concipere liberos ex Iacob, qui habebat promissionem seminis benedicti, quam haud dubie diligenter et sedulo inculcavit. Sic mihi dictum est ab Abraham, ab Isaac, a Deo ipso, quod ex posteritate mea venturus sit salvator totius mundi. Maritus tam sanctus et pius non caelavit uxores ea, quae ad oeconomiam et posteritatem pertinebant. Hac praedicatione accensae sunt sanctissimae mulieres ardore fidei, ut non libidinem, sed prolem quaererent, propter gloriam futurae posteritatis. Si enim tantum concubitum appetivissent, non fuissent tam de prole soliciti: nec tradidissent marito ancillas. Rahel dixisset: Quid ad me? etiamsi non pariam, tamen fruar consuetudine mariti. Satis id mihi est. Sed aperte significatur, quomodo contempserint voluptatem concubitus, et hoc desiderio arserunt, ut fierent matres seminis promissionis. De hoc certarunt inter se ad invidiam usque. Sed haec Papistae non attendunt: Neque enim videbit impius gloriam Dei.

30,12.13 Peperit quoque Zilpa, ancilla Leae, filium secundum ipsi Iacob. Dixitque Lea: Cum beatitudine mea: Beatam quippe me dicent filiae: vocavitque nomen eius Aser.

Alterum filium parit Zilpa Leae, de quo iterum sibi mirifice gratulatur. Tantum enim proles quaesita est. Non igitur libidinis, sed castitatis exempla quaerenda sunt in hac historia. Cupit Lea placere marito foecunditate, quae est laudatissima virtus uxoris, desideratnis cohabitare marito, non sequi alienum. Quin anxiam esse, ut huic uni placeat, solum hunc habeat faventem, praesertim vero tantum virum, cui promissus est salvator mundi. Itaque vere et maxime maritales amores sunt, pleni pietatis, castitatis, obedientiae, non libidinis, ut Scropha Romana[2] et ex patribus et monachis multi interpraetati sunt. *Aser* significat beatum. Ego iam ero beata et foelix, inquit: et foelicem me praedicabunt omnes uxores et filiae. Ero materfamilias dilecta Iacob, adeo ut dicatur Iacob amare Leam, et alteram negligere tanquam sterilem.

[1]) = *glücken, s. Unsre Ausg. Bd. 47, 24, 29.* — [2]) Scropha Romana; *Sinn: Die römische säuische Interpretation.*

Egressus autem Ruben in diebus messis triticeae, invenit Du- 30, 14—16
daim in agro, attulitque illas ad Leam matrem suam. Dixitque Rahel ad Leam: Da mihi, quaeso, partem de Dudaim filii tui. Cui illa respondit: Parumne tibi videtur, quod praeripueris meum maritum, nisi etiam Dudaim filii mei tuleris? Ait Rahel: Dormiat igitur tecum hac nocte pro Dudaim filii tui. Venit autem Iacob de agro ad vesperam, egressaque est Lea in occursum eius et ait: Ad me intrabis, nam conducendo conduxi te pro Dudaim filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa.

Ruben fuit puer octo aut novem annorum, cum haec gererentur, non fuit maritus, nec potuit maior natu esse novem annis. Is igitur egressus est ad patrem suum pascentem greges Laban, aut laborantem in agro, sicut pueri solent, forte etiam missus a matre: Quia autem erat tempus messis triticeae, casu invenit *Dudaim.*[1] Puer non intellexit, quid inveniret et deferret ad matrem. Sed apparet fuisse fructum pulchrum, cuius colore captus est. Cuiusmodi autem fructus aut flos fuerit, non constat. Vulgata translatio et alii interpretes verterunt Mandragoras, quas vulgo putant gigni ex urina furum suspensorum.[2] Sicut multa alia inepte in descriptionibus earum authores fabulantur, sed sunt merae nugae, fortassis a Iudaeis ortae. Puer autem non ivit ad patibulum, sed in agrum.

Caeterum necesse est fuisse fructum, qui solet maturescere circa messem triticeam, quae est serior. Cuiusmodi in nostris regionibus sunt. Solanum sive Alkekengi, Chamaebatos et rubus Idaeus, Jüdenkirſchen, Bramber, Hindber.[2] De Solano etiam plerique alii intelligunt, cuius fructus admodum pulchro colore est et grato sapore et est eius magnus usus in medicina. Aut certe fuerunt vaccinia Chamaebati, quorum sapor admodum dulcis et gratus est. Sed haec relinquo Grammaticis et medicis: singularum enim nationum singulares et peculiares fructus et herbae sunt, puero color placuit, et cum domum reversus est, certarunt mulierculae de Dudaim. Et Rahel adeo eo delectatur, ut tradat maritum Leae et cedat de suo iure. Tantum ut Dudaim a puero auferat.

Supra modum autem haec ridicula et puerilia sunt, adeo ut nihil dici aut scribi possit levius. Quare igitur scribuntur? Respondeo: Semper in conspectu habendum est, quod toties inculco. Spiritum sanctum esse authorem huius libri. Is ipse ita delectatur ludere et ineptire describendis rebus exilibus, puerilibus et nihili, et ea tradit docenda in Ecclesia tanquam ad maximam aedificationem. Nonne autem tum aliae praeclariores res gestae sunt apud reges Aegypti, Babyloniae, Persiae, Palestinae etc.,

14 Dudaim] דּוּדָאִים

[1]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 199f.* [2]) *S. Nachträge;* Chamaebatos: l. Chamaemoros? *[K. D.]*

quae digniores fuissent lectione? Quid haec attinet recitare, quomodo puer adferat Dudaim, et duae sorores certent de marito et lecto permutando?

Haud dubie plura et maiora gesta sunt: quam quae hic describuntur. Sed leviuscula haec prae illis plenissima sunt consolationis et doctrinae. Neque obiter praetereunda, multo minus tanquam sordida et nihili vituperanda sunt, quod Papistae faciunt. Sint sane haec tenuia, sint etiam eorum res maximae et splendidissimae, sint ipsi Reges, Pontifices, Cardinales etc.: Spiritus sanctus autem, et Deus creator dignatur ludere, nugari et ineptire cum suis sanctis in rebus leviculis et exilibus, non in resuscitatione mortuorum, aut aliis miraculis: Sed in concertatione Rahelis et Leae de Dudaim, et ea vult proponi Ecclesiis.

Gentilium autem historiae a Virgilio, Homero, Livio aut aliis descriptae, quantumcunque verbis exornatae, quid sunt? Sunt historiae Graecorum, Alexandri, Hannibalis. Sed destituuntur illa magnificentia, gloria et corona, quae est verbum Dei et promissio. Hoc diadema deest eis: Ideo verius sunt miseriae, quam historiae. Quid enim est historia sine verbo Dei? quando dicit Dominus: Haec est mea voluntas, gloria mea, hoc mihi placet, hoc delector, hic habito. Utut igitur haec puerilia sunt et sordida, tamen immensum et infinitum pondus habent, videlicet verbum Dei. Historiae autem Alexandri, Iulii Caesaris etc. sunt quidem insignes et praeclare admodum, sed carent vero ornamento. Ideo veluti paleae sunt ad vento dispersae, et destitutae vero pondere, sunt tantum ventris et carnis gloria.

Nos igitur has historias maximi aestimare et iis consolari nos debemus, etsi sumus humiles, abiecti et contempti, sicut certe sumus. Quia nihil est contemptius et abiectius homine Christiano, credente verbo Dei. Omnes alii sunt principes, domini et beati, pro suo libitu gerentes omnia. Solus ille populus, qui habet verbum et credit in Deum, est filius crucis et vexationis. Et si deest mundus, qui eum crucifigat, tamen non abest Diabolus cum suis angelis. Sed haec est consolatio nostra, quod domestica et vilissima Christianorum conversatio cum uxore, cum liberis et familia, quae in speciem merae nugae sunt, verae et divinae sunt historiae, ornatae gloria verbi Dei.

Appraehendamus vero et firmiter retineamus verbum, et cogitemus nos baptisatos, absolutos et doctos esse verbo Dei. Agamus Deo gratias, et simus laeti: sive coelum, sive mundus totus ruat, und treff uns dazu auff den kopff, tamen certi sumus, quod nostri ludi et miserrimae miseriae sint ornatae et coronatae gloria et magnificentia divina, nimirum verbo Dei. Ob hanc causam hae historiae vocantur sacrae et communes sunt omnibus hominibus, habentibus verbum Dei, in quibus Deus operatur, et quidem cum beneplacito, cum misericordia, cumque gratia sua, qua ratione

non agit cum Alexandro, Scipione, Cicerone, Hannibale etc. Ideo gratulemur nobis et acquiescamus grati ac hilares beneplacito divino, feramus etiam aequo animo, si quid obiicitur molestiarum. Et utcunque sint exilia, servilia, muliebria et plena miseriae opera nostra, tamen adscribamus hunc titulum: VERBUM DEI, quo fiunt gloriosa omnia, quae gerimus, et in aeternum mansura sunt, cum econtra mundi historiae in aeternum sint miserabiles.

Sic intelligemus non frustra haec a spiritu sancto proposita esse legenda, docenda, credenda. Papa cum suis superbe contemnit et somniat interim se nunc iuxta S. Petrum in coelo sedem suam exaltatam habere. Et sicut Tetzelius, preco ille indulgentiarum, iactabat, se non commutaturum cum S. Petro propter infinitum numerum animarum, quas salvasset per indulgentias. Verum vana et diabolica haec gloriatio est. Deus autem respicit humilia in terris et sic dicit: Ego creavi hanc mulier- Ps. 113, 6
culam et iunxi eam marito, coniuncti generant prolem et tolerant miserias coniugales: mihi igitur in hoc placent, quod serviunt coniugio et meae ordinationi. Ac etiam apud gentes longe gratiores sunt, quam omnes Philosophi, qui mirabilia speculantur de coelibatu. Quam magis apud nos, qui sumus baptisati, docti, coronati et ornati gloria verbi Dei, qui habemus angelos custodes?

Gloriemur igitur et laetemur in his puerilibus et domesticis, siquidem spiritus sanctus dignatur ea describere, ut significet se adesse nobis, qui credimus et verbum habemus, et placere Deo etiam nugas istas Dudaim et stultas contentiones muliercularum. Tantum non desperemus, sed maneamus in fide, ſo laſs den Teuffel her gehn, und machen, was er nicht laſſen kan. Nos sumus in vocatione spirituali, habemus verbum, baptismum, absolutionem, sumus certi Deum nobiscum et pro nobis esse. Malim autem praesente Deo esse in inferno, quam absente Deo in coelo. 'Nam si ambulavero', inquit David, 'in medio umbrae mortis, non Ps. 23, 4
timebo mala: quoniam tu mecum es, et si descendero ad infernum, ades'. Ps. 139, 8
Si habuero verbum tuum, ſo frag ich nach dem helliſchen fewr nicht. Econtra non liberet ne in coelo quidem esse, si tu non mecum esses. Ubi enim Deus est, ibi est regnum Dei: Ubi verbum, ibi paradisus et omnia. Ideo gratias agere debemus pro verbo, quia sumus iam in paradiso et sub beneplacito Dei, cui probantur omnia, sive Dudaim, sive olera, sive lac comedamus, quia sumus in verbo.

Haec doctrina ex isto loco sumi debet, insignis profecto et necessaria Ecclesiae. De concertatione mulierum etiam aliquid dicendum est. Non enim ita aspiciendae sunt hae historiae: sicut Papistae eas habent pro ludis meretriciis. Mulieres sanctae nihil aliud appetunt, quam naturalem fructum sui corporis. Mulier enim natura ad procreationem liberorum condita est. Ideo habet ubera, habet brachia ad alendam, fovendam

et gestandam prolem. Ea fuit intentio creatoris, ut parerent et masculi
Matth. 19, 12 gignerent praeter eos, quos Deus ipse excepit, de quibus Matthaei 19. Alias creatura ita est condita, ut sit foecunda. Videre igitur est in hisce mulieribus, quomodo pugnent non libidine, sed amore et desiderio prolis, ad quem finem se norunt esse conditas. Ideo uterum, ubera, manus et omnia membra cupiunt servire Deo.

Et quanquam iam antea liberos haberent, tamen cogitarunt esse eos mortales et fieri posse, ut orbarentur iis. Ideo si vel centum una habuisset filios, tamen semper plures exoptasset: Quia spectarunt promissam posteritatem, ad quam pertinebat illa concio, quam ex suo marito audierant. Sic praedicandae sunt sanctae mulieres et obturandum est os Papistis, qui ex suis libidinibus castitatem patriarcharum et coniugia aestimant, sicut etiam Augustinus per errorem Manichaeorum inductus fuit, ut sentiret fuisse eorum vitam libidinosam. Sed hic audimus Leam orasse, clamasse, ingemuisse pro sobole et esse exauditam a Deo, quae non pertinent ad libidinosam aliquam mulierem, sed ad castam et sanctam matronam aversantem libidinem et procreationem liberorum expetentem.

30, 17. 18 Exaudivit vero Deus Leam et concepit atque peperit ipsi Iacob quintum filium. Dixitque Lea: Dedit Deus mercedem mihi, eo quod dederim ancillam meam marito meo, vocavitque nomen eius Isaschar.

Quintus filius Leae natus est decimo anno. Agit autem Lea gratias, et sicut oravit et lachrimavit sic iam hilari animo laudat Deum. Hebraeorum Grammatici disputant de nomine Isaschar, quomodo sit legendum. Nihil autem refert, sive Isaschar, sive Issachar legas.

30, 19. 20 Et rursum concipiens Lea peperit Iacob filium sextum. Et ait Lea: dotavit me Deus dote bona, hac vice cohabitabit mecum vir meus, eo quod pepererim ei sex filios: vocavitque nomen eius Zebulon.

Haec omnia verba et opera sunt sanctissimarum matronarum, orare, lachrimari, gratias agere. Non meretricum et turpium mulierum, sed honestarum. Et quid possumus amplius aut maius coram Deo facere, quam haec duo officia, precationis et gratiarum actionis. Primum est audire verbum, quod divinitus nobis traditur. Ubi nos nihil agimus, sed oblatum tantum appraehendimus. Alterum est verbo audito et appraehenso orare et implorare auxilium divinum, et eo impetrato gratias agere et sacrificare. Oramus autem non tantum ore aut voce, sed etiam gemitu cordis, totis viribus et omnibus membris, quae est oratio sine intermissione.

31 meretricum *L.*] meretricium *Erl.*

Verbum (*Zebadani*) nusquam alibi extat in scriptura sancta. Nos ad aliorum exemplum vertimus, dotavit. Sed an vera sit interpretatio, non satis scio: quia non potest alio exemplo illustrari. Hoc voluit dicere: Deus dedit mihi aliquid boni: sive dotem, sive donum intelligas. Nihil aliud autem videmus, quam summam pietatem et sanctissimum usum sexus muliebris et coniugii. Virgines talem gloriam et praedicationem non habent, neque in veteri, neque in novo testamento.

Postea vero peperit filiam, vocavitque nomen eius Dinam. 30, 21

Hactenus recensuit Moses sobolem Leae, sex filios et unam filiam, duos item filios ancillae. Iam sequitur nativitas Ioseph ex Rahele.

Et recordatus est Deus Rahelis, exaudivitque eam et aperuit vulvam eius, quae concepit et peperit filium dicens: Collegit Deus opprobrium meum. Vocavitque nomen eius Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. 30, 22—24

Supra dictum est observandam esse seriem historiae et Mosen usum esse recapitulatione sive anticipatione. Septimo enim anno natus est Ioseph, ideo multo ante debuisset eius nativitas describi. Sed quia in hunc postremum locum distulit Moses, iam regreditur ad *πρότερον*, quod factum est *ὕστερον*. Clare enim patet Ioseph natum esse septimo anno servitutis, siquidem sex annis post eius nativitatem servit Iacob. Ideo quatuor filii et Dina filia post eum sunt nati sexennio illo, quanquam priore loco sint recitati in historia. Haec anticipatio saepe narrationes reddit obscuriores. Ideo diligenter observanda est in historiarum lectione, ne fallatur aut impediatur lector non attentus.

Rursus vero proponit spiritus sanctus non solum excusationem, sed et commendationem harum sanctissimarum mulierum, quae non ardent libidine, sed immensa cupiditate prolis. Atque ita nobis commendatur castitas coniugii Iacob, ut pene nihil carnale in eo appareat. Quanquam impossibile est, nihil carnale coniugio inesse. Sed ita ornatur Iacob divinitus, ut non originali peccato infectum, sed mere angelicum matrimonium esse videatur. Vide enim, quae ibi sint exercitia pietatis et summorum cultuum Dei. Rahel orat, ingemiscit, lachrimatur in sextum usque annum, quo tempore bene vexata et exercitata est insigni pacientia. Fuit enim ingens onus et gravissima crux perferre opprobrium illud sterilitatis tanto tempore. Quot vidit interea mulieres parere? quin ipsam sororem Leam vidit ornatam gloria maternitatis, abundare sobole, habere quatuor filios. Eo autem moerore ita confectam arbitror, ut facile non libidinem tantum, sed et gaudia omnia animo eiiceret. Non risus aut ioci eam oblectarunt. Sed perpetuis singultibus, gemitibus, lachrymis, querelis, invocatione dies

1 (*Zebadani*)] זְבָדַנִי

et noctes transegit. Castissimum itaque coniugium describitur Iacob et Rahelis, quae si quando voluit cohabitare marito, tantum eo fine fecit, ut fieret mater et augeret domum Iacob habentis promissionem. Estque exemplum sanctissimae mulieris, quae in fide et pacientia imploravit misericordiam Dei, expectavit consolationem et tulit tentationem et dolorem gravissimum.

Ideo significanti verbo usus est Moses. ('Recordatus est Dominus') quasi diceret: Ipsa apud se pene desperaverat, ac sic animo suo persuasum habebat, Deum haud unquam sui recordaturum, quin in aeternum sui esse oblitum. Ego non ero mater, cogitavit: sed sum miserrima omnium mulierum. Debebam esse mater familias in domo: Sed Deus mei est oblitus. Sic igitur ad infernum deducta, ubi nulla spes auxilii reliqua videtur, ex desperatione appraehendit ancillam, eamque marito tradit, quod alioqui non fecisset, nisi omnem spem abiecisset. Sic tamen desperat, ut retineat aliquam scintillam fidei. Retinet gemitum illum in desperatione, quem Paulus vocat ineffabilem. Sed is adeo profundus, sepultus et obrutus est impossibilitate et contrariis motibus animi, vix ut sentiat illum singultum aut suspirium.

Sicut Samuelis mater Hanna etiam de prole desperabat, nec poterat sentire gemitum suum et desiderium illud prolis in intimo et imo cordis, sed Deus, qui scrutatur corda, intelligit ineffabilem gemitum, qui nec sensu percipi, nec ullis verbis exprimi potest. Sic Augustinus[1] de Monica, matre sua, narrat, quae novem annis eiulabat deplorabat filii sui exitium, propterea quod in Manichaeorum sectam prolapsus fuerat. Tantum vero flagitabat a Deo, ut converteretur filius et fieret Christianus, atque ob eam causam volebat ei uxorem Christianam despondere, ut conversatione piae mulieris et admonitione reduceretur in viam. Et fuisset contenta, si conversus tantum esset ad sanam doctrinam ab haeresi Manichaeorum. Dominus autem videbatur ei hoc negare, ut ait Augustinus, sed tamen cardinem et profundum desiderii eius audiebat, nimirum gemitum inenarrabilem.

Quemadmodum autem oratio et gemitus est ineffabilis: Ita exauditio
Eph. 3, 20 et gaudium inaestimabile et ineffabile est. Sicut inquit Paulus: 'Ei, qui potens est superabundanter, quam petimus aut intelligimus, dare.' Non hoc dat, quod in superficie cordis et spuma illa verborum sancti eius petunt, sed est largitor omnipotens et opulentissimus, qui reddit secundum profunditatem istius singultus. Ac propterea sinit orationem intendi, crescere, augeri, et non statim exaudit. Quia, si ad primum clamorem aut petitionem responderet, oratio non augesceret: sed refrigesceret. Ideo differt auxilium, atque inde crescit in dies et grandescit oratio: Gemitus item cordis fit profundior et ardentior, donec perveniat quasi ad desperationem. Ibi tum fit ardentissima et acerrima oratio, quando videtur propemodum iam deficere gemitus.

[1]) *Augustini Confessiones Lib. tertius, cap. 11.*

Quod si statim audiret, non fieret ita fortis, vivax et ardens precatio. Sed esset tantum superficialis et paedagogicus gemitus, qui adhuc discit orare, gemere, desiderare, nondum est magister precum. Quando vero ad desperationem perventum est et cogitat animus tentatus: ach es wirt nichts drauß, es ist alles verlorn, et tamen adest adhuc scintilla et linum fumigans: Ibi tum esto fortis, et perdura, halt fest. Ea enim est lucta sanctorum, qui putant funiculum iam iam ruptum iri: et tamen retinent suspiria, ideo tunc oratio est perfecta et fortissima.

Ita hoc loco de Rahele dicitur (Recordatus est Deus etc.) Quasi diceret. Nihil aliud sentiebat Rahel, quam omnes preces et lachrimas fuisse inanes et irritas. Ac se simpliciter esse extinctam et deletam ex animo et memoria Dei, Sed non sic statuas, mea Rahel: longe enim erras. Sensus ille tuus carnalis est. Nondum est spiritus singultiens et gemitus inenarrabilis. Sed caro sentiens et infirma. Nunquam fuit tui oblitus Deus. Sed statim a principio, cum inciperes petere prolem, audivit et signavit omnia verba gemitus tui. Nondum autem erat satis ardens et foris oratio. Ideo oportuit eam adolescere et grandescere, ac propterea distulit Deus in secundum, tertium, quartum, quintum annum. Ibi dedit primum consolationem per ancillam. Sed gemitus nondum acquiescebat, adhuc videbatur Deus aversus. Ideo recordatus est Deus. Quanquam nunquam unum momentum tui oblitus fuit, sed hoc demum tempus fuit, ut audiret tua suspiria, cum putares ea sepulta et obruta prorsus esse oblivione.

Ad hunc modum nos quoque discamus petere et sperare auxilium, si quando res adversae sunt et fides labascit. Habemus enim promissionem Euangelii, habemus baptismum, absolutionem etc. quibus eruditi et confirmati sumus. Habemus mandatum, quo iubemur precari, habemus spiritum gratiae et precum. Sed cum primum caepimus orare, angitur animus et querulatur se nihil proficere. Discendum igitur est, si petendo nihil efficis, ut adiungas inquisitionem, hoc est, quaeras. Si et illa videtur esse irrita, quin magis se abdit et abscondit Deus, adde pulsationem et non desinas, donec expugnes ianuam, qua clausus est. Non enim dubium est, quin oratio nostra audiatur statim prolata prima syllaba, sicut dicit angelus ad Danielem: 'Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi.' Sed quod non illico dat Deus, quod petimus: hoc ideo fit, quia vult quaeri et improbe instando expugnari: Sicut docet similitudo de iniquo Iudice Lucae 18. Tum enim venit et liberat electos, et cumulatius dat, quam petivimus, quaesivimus, pulsavimus. Ideo autem differt, ut augescat oratio et gemitus fiat fortior: qui, dum suspiramus, nobis admodum exilis videtur, sed revera est ardentissimus. Sicut Paulus clamorem appellat. Non enim recitamus tantum verba formando vocem per linguam et labia: neque etiam expressa voce preces nostras sonamus: sed simpliciter clamamus. Non oris sonus aut vox, sed clamor cordis et

Dan. 9, 23

gemitus est inenarrabilis, unter dem lincken zitzen stecket er.[1] Quando cor singultit et suspirat propemodum deficiens prae angustia. Ac tum quidem oratio perfecta est et efficax.

Haec saepe dicenda et repetenda sunt, ne omnem spem et fiduciam abiiciamus de invocatione nostra, quae utcunque initio est frigida, nec statim impetrat auxilium: tamen sciamus ideo id differri, ut fiat oratio perfectior et firmior. Mirabilis enim virtus et omnipotentia est orationis. Ut cum Rahel videretur prorsus despecta et spreta esse a Deo, et ipsa tamen maneret adhuc linum fumigans, non potuit non expergisci invocatus, quaesitus et expugnatus Deus. Eodem vero modo adest et omnibus invocantibus, atque ita cumulate et liberaliter, ut cogantur fateri se nihil tale unquam sperasse. Sicut Monica potuit dicere: Non hoc petivi, nec ausus fui sperare filium meum unquam futurum tantum doctorem Ecclesiae etc. Non igitur deficiamus, sed persistamus in invocando, optando et quaerendo, donec spes et liberatio expectata affulgeat.

Porro Rahel ipsa satis ostendit, quae ipsius fuerit crux et tentatio. Ait enim: ('Collegit opprobrium meum.') Er hats zusammen gerafft. Quinque aut sex continuis annis tulit opprobrium et ignominiam propter sterilitatem. Et suo et aliorum iudicio habita est miserrima omnium mulierum. Vidit enim sororem foecundam esse: Vidit ancillas sororis et suam aliasque mulieres omnes parere, ac propterea laudari, amari et esse in precio. Ego vero sola, cogitavit, habeor pro reiecta et maledicta. Sed Dominus vidit istam contumeliam et ignominiam omnem, quam sustinui multiplicem et gravem, eamque collegit et amovit a me. Iam sum uxor et materfamilias. Ita impletum est desiderium eius et gemitus exauditus est, tot annorum mora probatus et auctus. Patet etiam ex hoc loco: quia dicit Rahel Dominum collegisse opprobrium suum, fuisse eo tempore vulgata persuasione, sterilitatem in uxore ignominiosam. Praesertim in illa linea, unde expectabatur promissa posteritas. In novo Testamento non fuit habita pro opprobrio: quia maxime commendata est virginitas, prasertim in Ecclesiastico ministerio. Sed apud Patres gravissima crux et summa ignominia fuit. Et manavit hoc iudicium ex verbo Dei Genesis 1.:
1. Mose 1, 28 f. 'Creavit Deus masculum et foeminam, et benedixit eis et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram.' Hanc vocem Adam propagavit ad posteros et diligenter inculcavit. Ideo per manus tradita est nepotibus, quod omnis mulier sterilis sit apud Deum abiecta et maledicta. Hoc longe gravissimum fuit, quod locus ille simul involvit maledictionem Dei. Sterilitas per se grave onus et ingens calamitas est, sed longe fit gravior, quando hoc accedit, quod sub maledictione sit uxor sterilis, et non placeat Deo. Aut ut maxime placeat: tamen contempta et spreta sit inter mulieres reliquas populi Dei.

[1]) *D. i. im Herzen; vgl. Unsre Ausg. Bd. 41, 4, 22.*

Itaque Elisabet quoque, mater Iohannis Baptistae, propemodum iisdem verbis gratias agit: ‘Quia sic fecit mihi Dominus, inquit, in diebus, quibus respexit, ut auferret opprobrium meum inter homines.’ Et Angelus ad Mariam: ‘Elisabeth, quae vocatur sterilis.’ Quasi diceret, quae ob hoc male audit, et in summa ignominia est, quod non sit foecunda. Illis igitur temporibus sterilitas non tantum singularis plaga et crux fuit inter homines, sed fuit etiam coniuncta cum maledictione Dei. Hodie multi, qui sunt in re lauta et clari genere aegerrime ferunt, si privantur hoc benedictione, et prolem maxime desiderant, cum habeant, unde eam alant. Sed ideo eis haec crux est tolerabilior, quia non accedit hoc in novo Testamento, quod propterea sint reprobi et abiecti a Deo. Reliquum vulgus ipsis etiam ethnicis est profanius. Maxima enim pars coniugum non expetit prolem, imo aversantur eam et satius putant vivere sine prole, propterea quod tenui fortuna sunt, nec habent, unde sustentent familiam. Praecipue vero hi, qui sunt ocio et ignaviae dediti, et fugiunt sudorem et laborem coniugii. Atqui finis coniugii non est deliciari et ociari, sed procreare et educare sobolem, alere familiam. Quod est sane immensum onus, plenum igentibus curis et laboribus. Ideo vero es conditus a Deo, ut sis maritus aut uxor, utque discas tolerare has molestias. Qui sobolis amore non adficiuntur, porci sunt, et stipites et trunci. Indigni nomine masculi et foeminae, quia Dei creatoris et authoris coniugii benedictionem contemnunt. Luk. 1, 25 Luk. 1, 36

Factum est autem, cum genuisset Rahel Ioseph, ut diceret Iacob ad Laban: Dimitte, ut vadam ad locum meum et ad terram meam. Da mihi uxores meas et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam: Tu autem nosti servitutem meam, quam servivi tibi. 30, 25. 26

Vide, quam verecunde petit Patriarcha missionem. Neque quicquam praeter uxores et liberos exigit: et tamen subindicat, se bene de eo esse meritum, et dignum, cui aliquid premii adiiciat. Ideo enim inquit: ‘Nosti servitutem meam, quam servivi tibi’, quasi diceret: Aequum est te cogitare, quod non solum pro uxoribus et liberis tibi servierim, sed et de dote, aut de mercede, aut de munere aliquo, quo ornes me, imo et filias et nepotes tuos pro servitute fideli et liberali. Hoc modeste et tecte voluit significare Iacob. Sed cur hoc facit? Quia Laban erat homo impurus et avarus. Er war ein Hundt etc., portentum illius tam foelicis saeculi. Rectius enim ob insignem improbitatem hoc postremo, et avaritia omnibusque viciis perditissimo saeculo viveret. Diligenter igitur hoc notandum est propter sequens factum Iacob, quod hac ratione excusabimus.

Nam optimus vir servivit quatuordecim totis annis in extrema paupertate, cuiusmodi servitutem nemo hodie cum inopia coniunctam posset tole-

rare. Servivit enim septem primis annis pro Rahele. Sed indignissime spe sua frustratus est, neque quicquam precii a Laban abstulit. Cogitavit is: peregrinus est et exul: Utar igitur eius opera, quoad potero, quia fideliter servit et auget mea commoda. Quantum ergo miseriarum passum ipsum putabimus? Non enim agnovit Laban, (sive Nabal[1] potius inversa voce) fidem et diligentiam sanctissimi viri: et iam cogitat eum dimittere sine premio. Nam antea quidem nullum peculium aut exiguum saltem acquisivit. Nihil praeter victum et amictum habuit, et eum tamen tenuem admodum. Der fromme man hat eim rechten hundt gedienet. Et infra querentur filiae de rapacitate patris, qua mota Rahel furatur patri Idola. Non enim pro filiabus, sed servarum instar eas habuit, quarum operas, lanificia et labores in suum quaestum et commodum vertit. Iam vero cum de mercede paciscitur, denuo eum circumvenire studet, ne aliquid sit solvendum genero et filiabus pro servitio, quo tamen locupletatus erat.

Hae iniuriae magno dolore et Iacob ispsum, et coniuges adfecerunt. Et saepe clam questi sunt de inopia et egestate, ad quam redigerentur fraudibus et rapacitate patris. Haec enim circunstantiae diligentius ponderatae non obscure indicant. Estque improbitas execranda, aliena ab omni sensu et natura hominis. Nam alioqui patres filias, quia est sexus infirmior, magis diligunt, sed *ἄστοργος* et crudelis *Nabal*[1] insuper etiam spoliat filiae, et servitute durissima excruciat. De premio autem cum agitur, rursus novas fraudes et dolos meditatur. Iacob sincere ac candide omnia agit, sed impostor ille tantum rapinas et technas machinatur. Sicut conqueritur infra Iacob. ‘Decies mutavit mercedem meam’ etc. Non potest igitur satis exaggerari *ἀστοργία*, crudelitas et avarita Laban. Et ideo proferenda est in lucem, et modis omnibus amplificanda. Quia monstrat causam facti Iacob, quod infra recitabitur, cum rursus decipit Laban, ne id impium ad sceleratum habeatur, sicut obiter aspicienti apparet. Sed fuit necessaria fallacia propter iniustam rapacitatem soceri.

Iam vero petit abeundi licentiam: ‘Servivi tibi quatuordecim annis’, inquit: primo septennio gratis. Et circumventus insidiis tuis alterum septennium adieci. Idque iam replevi. Restat igitur, ut mihi quoque, familiae et domui meae prospiciam. Memineris autem, quam fideliter ego et uxores tibi servierimus, quorum tamen tu nullam rationem habes. Nihil enim mercedis mihi persolvisti pro servitio quatuordecim annorum. Aequum igitur et pium est, ut discedam: et mearum quoque rerum et rationum curam agam. Da mihi uxores et liberos meos: quasi diceret, Si nihil numeraveris, erit aliquando, cum Deus vindex a te poenas ingratitudinis exiget.

[1]) *Laban inversa voce = Nabal = verworfener, gottloser Mensch wie 1. Sam. 25, 25; 2. Sam. 3, 33; Hiob 2, 10; Ps. 14, 1; von* נָבַל.

Ait illi Laban: Inveniam gratiam in conspectu tuo: auguror enim, 30, 27
quod benedixerit mihi Deus propter te.

Du heiliger Bapst, Du frommer B. von M.[1], kanstu auch von Gott reden? Allegat Laban nomen et benedictionem Dei. Sed si verum dicis, et sentis te esse benedictione divina propter Iacob auctum et locupletatum, quare non refers gratiam? Sed cogitas eum spoliare, defraudare, circumvenire, ut diutius tibi serviat. Sic nimirum solent hypocritae et omnes avari et impii: usurpant nomen Domini, sed in vanum. Ideo utitur Moses mirabili verbo (*Nahasti*) a serpente, ad quam significationem videtur respexisse simul. Significat etiam auguria et divinationes. Numeri 24.: 4. Mose 24, 1
'Non perrexit in occursum auguriorum.' Fuit autem consuetudo augurandi per serpentes: Ideo voluit significare Moses, fuisse Laban augurem. Auguratus sum, inquit: Ich hab michs wol lassen dünken, Es ant mich wol.[2] Animus mihi hoc praesagiit. Auguratus sum quasi signo quodam divino, Deum mihi propter te benedixisse. Sed non vult Iacob hunc honorem deferre, non gratias ei agere: neque Deo gloriam dat. Sic visus sum mihi coniicere, inquit, quod per te mihi benedixerit Deus. Vult videri non indignus, cuius res familiaris divinitus augeatur, quanquam ante adventum Iacob admodum tenuis fuerit.

Hoc voluit dicere Moses mirabili et significanti verbo. Tales vero sunt homines fallaces et bilingues: qui aliud sonant, aliud sentiunt, qualis species est linguae serpentis bifidae. Non dicit simpliciter experior, intelligo, certo statuo me propter te esse benedictum et locupletatum. Si enim agnovisset hoc, coactus fuisset aperire loculos, et numerare aliquid genero, filiabus et nepotibus. Verum non adfirmat, sed vocat in dubium, et disputat. Si velit Iacob ab eo mercedem exigere, ut habeat causam tergiversandi aliquo praetextu. Ideo dicit: Auguror, fieri potest, quod Dominus mihi per te benedixerit. Hoc unum est ex artificiis Iuristarum, uti verbis ambiguis, quae in utranque partem pro libitu flecti queant.

Postea vero audiemus Laban fuisse etiam Idolatram, forte igitur auguratus est, aut consuluit idola, et persuasit sibi, ex cultu idolorum se hac foelicitate auctum. Sed haec non disputo. Illud certum est, usurpare eum nomen Dei in vanum. Studet enim se accommodare ad ingenium et mores Iacob. Hunc videt esse pium, ideo iisdem verbis utitur, quibus Iacob uti solebat.

9 (*Nahasti*)] נִחַשְׁתִּי [נָחָשׁ = *Schlange.*]

[1]) = *Bischof von Mainz.* [2]) *S. das Folgende und Dietz; der Akkusativ nur in Predigtnachschriften.*

30, 28 Et ait: Nomina mercedem tuam, et tradam.

Hagg. 1, 6 Hebraeum verbum (*Nakab*) significat perforare. Haggai 1.: 'In sacculum. *Nakub* perforatum.' Significat etiam Nominare, qua significatione
3. Mose 24, 10 ponitur Levitici 24.: 'Maledicens nomini Domini.' Qui nominavit nomen, et maledixit: Wer in Gottes namen flucht. Ita et hoc loco vertimus, potuisset Moses alio verbo uti. Sed significat, Laban voluisse Iacob singulari et religioso verbo prohibere, ne nimium mercedis postularet, quasi iniqua postulatione offensurus esset Deum. Omnia enim verba proficiscuntur ex animo, avaritia et cupiditate corruptissimo, et eo tendunt, ut defraudet et spoliet Iacob. Addit vero: 'Et tradam.' Hoc non est verum. Ne teruncium quidem cogitat solvere, sicut postea novam fraudem machinabitur, ne servet pacta et conventa de mercede solvenda. Ibi non avarum tantum et impium, sed ipsam fuisse avaritiam videbimus.

30, 29. 30a Cui ille respondit: Tu nosti, quomodo servierim tibi, et quanta fuerit possessio tua apud me. Nam modicum illud, quod tibi fuit ante me, auctum est in multum, benedixitque tibi Dominus ob ingressum meum.

Repetit Iacob superiora verba cum gravi repraehensione avaritiae, impietatis et augurii Laban, quasi diceret: Non est, quod augureris aut dubites, utrum illam benedictionem mihi an tibi acceptam referas. Res ipsa loquitur te in pede meo, hoc est, ad meum ingressum benedictum esse. Nam antea etiam auguratus est: Si quid igitur propter auguria accessisset, etiam me absente accessisset, sed res ostendit tum demum rem familiarem tuam auctam, cum suscepissem ego curam domus tuae. Refutat igitur impium et ineptum responsum de augurio, et praedicat sua officia. Scis, inquit, quam diligenter et fideliter tibi servierim, quod etiam negante te, aut me tacente, res loquitur ipsa. Quanta enim fuit res pecuaria mihi tradita? Forsan mille ovium, quas sola Rahel, filiola tua, pascebat. Ita ut nec servo, nec pastore tibi opus esset: tam exiguus numerus erat, was darffstu denn augurirn, du geitziger wanst. Sic enim rectius et acerbius potuisset Iacob increpare hominem sordidum et avarum. Non potest esse numerosus grex, quem puella pastum agit. Sed modicum illud auctum sive diruptum est. Ea enim vis est Hebraei verbi. Me pascente res tua pecuaria, quasi per vim multiplicata et aucta est, dirupit septa et caulas prae multitudine. Benedixit igitur tibi Deus ad pedem sive adventum meum, non ad auguria et Idola tua.

Haec est confutatio et obiurgatio satis acris, qua repraehendit avarissimum hominem, qui servo fidelissimo et optime merito iustam mercedem solvere gravatur pro servitute non unius, sed quatuordecim annorum,

2 (*Nakab*)] נָקַב 3 *Nakub*] נָקוּב

quibus nihil dedit, sed omnia ad se rapuit, corrasit, ac generum et filias defraudavit, neque quicquam eis reliquum fecit pro durissimis laboribus. Sequetur autem aliquanto post exemplum iudicii divini adversus nefandam rapacitatem. Qui enim parce seminat, parce metit. 2. Kor. 9, 6

Et est exemplum nostris moribus accommodatissimum. Videmus enim Principes, nobiles, rusticos, cives omnes labanisare contra pauperem Iacob. Idem tamen, quod hic accidit, omnibus eveniet. Utcunque enim rapiant, corradant et congerant: Tamen Deus benedicit Iacob, qui spoliatur, et raptori omnium rapit vicissim omnia. Sic enim Psalmo 38. dicitur: 'Thesaurisat, et ignorat, cui congregabit ea.' Ac profecto maxima miseria est, quod mundus non patitur sibi hoc persuaderi. Sed vult sentire et experiri iudicium divinum. Quando quaerunt, cumulant, rapiunt per fas et per nefas[1], tum putant se beatos esse, et habere ea, quibus tam cupide inhiarunt. Sed Psalmus respondet: 'Ignorat, cui congregat ea.' Ps. 39, 7

Sic multae Respub[licae] et principes ingentem vim pecuniae conquirunt et insaniunt in usuris et avaritia, sed quibus congregant? Impio militi, bruder Veiten[2], qui paulo post diripiat et pessundet omnia. Id quod nobis nuper pene usu venisset in tumultu inter duces Saxoniae orto ad oppidum Wurtzen.[3] nisi Deus prohibuisset, Wie bald were bruder Veit kommen, und het in einem tag alles zerrissen. Clemens Papa spoliavit templum Toletanum, et rapuit ex eo magnam summam pecuniae, quae trium regnorum opes facile aequabat, hoc praetextu, quod vellet eam incorporare Ecclesiae S. Petri. Fuit enim mirus artifex compilandi et corradendi, nec videbatur cupiditati eius universus orbis sufficere. Sed thesaurisabat is quoque impio militi, qui postea diripuit et expilavit omnia. Idem omnibus aliis accidet, qui usuris et foenore ditescunt, neque modum ullum, nec finem corradendi habent. Ac si quando admonentur, ut et pauperibus aliquid relinquant: aut cum benedictione divina colligant, non audiunt, sed sic cogitant: Quaerenda pecunia primum: virtus post nummos.[4] Si compilavi aliquam summam pecuniae, postea ea fruar, et tamen retinebo, quo iure quaque iniuria conquisivero. Nequaquam vero hoc fiet: Quia sic dicit Psalmus: 'Ignorat, cui congregabit ea.'

Quanto vero esset beatius timere Deum, et rem facere cum benedictione divina? iuxta sententiam Psal[mi] 36: 'Melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas.' Sed surdis narratur fabula: Sic enim colligendum et corradendum est, ut habeant (*Paritz*), qui diripiat. Servemus ergo vulgatum illud: Mitte vadere, sicut vadit[5] etc. Die welt wil Ps. 37, 16

---

36 (Paritz)] פָּרִיץ

[1]) *Otto l. c. S. 132, s. v.* fas. [2]) = *die Landsknechte; vgl. z. B. Unsre Ausg. Bd. 30², 181, 29.* [3]) *1542: Die Wurzener Fehde; vgl. Köstlin-Kawerau, II, 566ff.* [4]) *Horaz, Episteln I, 1, 53.* [5]) *Deutsch:* laß faren, was da feret, *z. B. Unsre Ausg. Bd. 18, 182, 6; Bd. 26, 347, 22.*

ir nicht sagen lassen, sie wils erfaren. Laban dum studet omnia colligere et conquirere, et fraudat mercede generum et filias: omnia amittit: Wer zu vil haben wil, dem wirt nichts.[1] Ego ipse iam sexagenarius plurima exempla vidi Labanitarum, quorum ingentes opes subito dissipatae sunt. Quorundam etiam in parvo oppido Mansfeldia, quae mihi patria est, exempla nominatim possem recensere. Celebrantur et in aliis urbibus: Lipsiae, Fribergae et plerisque aliis locis venarum metallicarum insignia exempla eorum, qui rapiebant, thesaurisabant nostra memoria, sed de amplissimis eorum opibus iam ne teruncius quidem restat. Id nimirum
Hagg. 1, 6 est colligere in saccum pertusum, ut inquit Haggeus. At quare hoc fit? Quia ego sufflavi, dicit Dominus. Illo sufflante disperguntur opes, si etiam totus orbis terrarum repletus esset auro et argento.

Haec, tametsi nihil proficimus apud hypocritas impios et profanos, tamen inculcanda sunt, si quos forte moveant. Laban nihil curavit. Nihilominus tamen Iacob docuit uxores et familiam, et ipsum quoque Laban admonuit de ira Dei adversus impietatem et avaritiam. Videte, dixit ad familiam, quanta sit avaritia soceri nec timentis Deum, nec nostrae servitutis rationem habentis. Non solum enim mercedem nullam solvit: Sed spoliat etiam et expilat filias et nepotes. Quid faciam? Si mercedem nominavero, aliam technam inveniet, qua nos defraudet. Quia voluptati est talibus hominibus rapere, fallere, fraudare. Nihil aliud nisi fraudes et dolos nectunt, und wenn sie einem ein heller abschinden[2] können, so meinen sie, sie haben ein gulden gewonnen. Genus hominum execrabile, et invisum Deo ac hominibus.

Postremam particulam omnes vertunt: Ad ingressum sive introitum meum: sed res ipsa loquitur, Laban non statim ad introitum Iacob locupletatum esse. Ideo rectius redditur[3]: Ad pedem vel ad cursum meum, quo simul significatur indefessum studium et durissimi labores Iacob, quasi diceret: Dies et noctes cursitavi, non equo aut curru vectus sum. Sed defatigatus sum discurrendo in agrum, ad pascua pecorum, ad domum, tibi ut inservirem recte et fideliter. Die aestu, nocte frigore exhauriebar. Ad illum cursum et laborem meum benedixit tibi Dominus.

30, 30 b Et nunc quando curabo etiam ego domum meam?

Est valde acris obiurgatio. Hoc enim vult dicere Iacob: Tu socer meus es: Debuisses igitur ipso iure naturae statim post natos quatuor filios me hortari ad rem familiarem curandam. Et si pius aut honestus tibi animus esset, sic mecum ageres: Mi Iacob, video iam augeri prolem, natis nepotibus quatuor, dabo tibi mille oves, unde et tibi ex tuae familiae peculium acquiras. Quis enim non iuvaret filiam et generum honestum,

[1]) *Nicht bei Thiele, doch vgl. z. B. Körte, Sprichwörter 8967: Wer zuviel will, nichts will.* [2]) = *durch Betrug abnehmen; s. Dietz.* [3]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 200.*

praesertim suis commodis inservientem? Sed hoc non facit Laban: Iustissima igitur est querela Iacob de inopia sua. 'Quando providebo ego domui meae?' habeo duas uxores, totidem ancillas, septem filios. Horum omnium laboribus et parto tu frueris, et quod in nostrum commodum cedere debebat, rapis. An non cogitas iure divino et naturali aliquando prospiciendum esse domui meae. Infra dicet ad Laban: 'Nisi Deus fuisset mecum, et nunc vacuum dimisisses me.' An non igitur iniquum hoc est et crudele rapere panem ex ore et faucibus filiarum, nepotum et generi? 1. Mose 31, 42

Haec enim vis est horum verborum, quae quanquam verecunde et modeste a Iacob proponuntur, tamen continent acerbam increpationem. Ego sum maritus quatuor uxorum, parens tot liberorum. His vero ego non laboro, nec prosum: Sed te alo et domum tuam, Tu voras ac rapis nostris laboribus parta. Si esset in te vel mica rationis es sensus communis, sive etiam pudoris et humanitatis, non sineres nos ita nudos et rerum omnium egentes vagari. Das heißt das heylig creutz, und das golt von der heyligen füsse stelen. Est Lasarum famelicum fame occidere.

Est igitur exemplum incredibile inauditae avaritiae, quod ideo exaggerare debemus, ut discamus mundum cum suo monstro, avaritia, damnare et detestari. Et futuras poenas et dissipationem bonorum iniuste partorum denunciare. Sicut omnium gentium voces et proverbia testantur. De male quaesitis non gaudet tertius haeres etc.[1] Et vos adolescentes videbitis aliquando avarorum liberos egere et mendicare. Et econtra spiritus sancti promissionem impleri: 'Non vidi iustum derelictum, et semen eius quaerens panem.' Rursus vero: Non vidi impium conservatum, iuxta illud: 'Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat. Quaesivi eum, et non est inventus locus eius.' Experientia cum scriptura sancta pulchre congruit. Sic Laban maledicetur tanquam raptor et latro filiarum et nepotum, et bona eius dissipabuntur. Ps. 37, 25 Ps. 37, 35 f.

Honestissima vero oratio est Iacob et causa iustissima, ob quam missionem petit. Est enim mihi mandatum, vult dicere, ut prospiciam meis domesticis iure divino et naturali. Sicut inquit Paulus: 'Si quis tuorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.' Sed Laban nihil audit, nec movetur honestate, neque necessitate generi. Sicut dicitur: venter caret auribus.[2] 1. Tim. 5, 8

Dixitque Laban: Quid dabo tibi? 30, 31a

Satis trepide quaerit. Ac si diceret: Si opus est centum aureis, rogo, tantum quatuor postules. An non autem debuisset statim in haec verba prorumpere: Agnosco tuam fidem et diligentiam, nec opus est verbis. Ultro tibi defero omnia officia, et quaecunque in rem tuam fore intel-

[1]) *Sprichw., s. Unsre Ausg. Bd. 17, 518 Anm. 1.* [2]) *Otto S. 364, s. v.* Venter *3 und Tischr. F. B. 4, 58.*

lexero, libens praestabo tibi, genero et filio meo. Sed vide, avaritia quid facit? Adhuc quaerit: Quid dabo tibi? Cave nimium exigas: Ey du schendtlicher hundt. Iacob est gener, sunt filiae et nepotes tui, et quaeris, quomodo illis commodare debeas? Moses egregie describit tam insignem Euclionem[1] melius et exactius, quam ullus Apelles pingere eum coloribus potuisset.

Sed quid faciat Iacob? Videt socerum alienum esse ab omni humanitate et pietate. Ideo permittenda haec censet iudicio divino. Sicut sane omnes avari vindictam Dei haud unquam defugiunt. Quin ipso incremento et auctu rerum pereunt. Quia crescunt tantum in maledictionem et perniciem: non in benedictionem. Quoties igitur vides avarum, vides hominem pereuntem et perditum. Intelligit autem Iacob animum eius fallacem et veteratorium. Ideo cogitat, tametsi exegero pecuniam, et tu promiseris te daturum: tamen nihil dabis. Invenies aliquam fraudem, qua eludas quodvis pactum tecum initum. Nunc iacturam aliquam rerum, nunc alias difficultates causaberis, quibus moras subinde nectes. Infinitae enim excusationes sunt eorum, qui aegre solvunt. Ideo aliam conditionem offert.

30, 31b Respondit Iacob: Non dabis mihi quicquam, sed si feceris, quod postulo: iterum pascam et custodiam oves tuas.

Nolo tibi aliquid de substantia tua decedere. Retineas sane, quae mea opera et diligentia hactenus parta sunt. Ac manebo ego tecum, et eadem fide pascam greges tuos. Nec mercedem certam postulo, sed Domini benedictionem expectabo, et boni consulam, quicquid is dederit. Haec oratio avaro Laban admodum grata fuit, cum audiret sibi in praesentia nihil erogandum pecuniarum, et posse se diutius frui servo tam fideli. Sequitur ergo pactum inter Laban et Iacob.

30, 32. 33 Transibo hodie per omnes greges tuos, et separabo cunctas oves punctis notatas et maculosas, et omne pecus rufum in agnis, et maculosum atque punctatum in capris: idque erit merces mea. Et respondebit pro me iusticia mea, cras aut hodie, cum cedet mihi merces mea coram facie tua. Et omne, quod non fuerit varium, aut maculosum, aut nigrum, tam in agnis, quam capris, furtum hoc esto apud me.

Peculium et opes Laban fuerunt oves, caprae, agri, hirci etc. Quia autem locus est obscurior, primum omnium sententia certa inde colligenda est. Queritur enim Hieronymus eum a septuaginta confusissime redditum esse. Nec se quenquam vidisse sive ex Hebraeis, sive ex Latinis interpraetibus, qui satis distincte explicaverit. Idem fere Burgensis queritur. Lyra mihi utcunque satisfacit, quanquam haeret adhuc in quibusdam, ubi gram maticaparit obscuritatem, et verba sunt ecliptica.[2] Estque difficultas

[1]) *S. oben S. 398 Anm. 1.* [2]) *Vgl. Unsre Ausg. Bibel 3, 201.*

fere in sex versibus. Sed summa rei haec est. Nos inibimus, inquit Iacob, pactum. Nihil abs te postulo, sed quodcunque benedictione Domini mihi obvenerit, eo ero contentus. Transeamus ergo per greges tuos, et separemus inde omne, quod est maculosum et varium. Ita ex una parte maneant unicolores: Ex altera parte discolores statuantur. Sunt autem quatuor species: Arietes, oves, caprae, hirci. Sed interdum una tantum nominatur per Synecdochen, interdum plures, non semper omnes recensentur. Inde oritur difficultas. Postquam autem distributi sunt greges, accipit Iacob unicolores. Qui vero sparsis pellibus sunt: attribuuntur Laban. Et Iacob hanc conditionem fert socero, ut, quidquid nascatur maculosum et punctatum ex unicoloribus, sibi mercedis loco veniat. Reliqui autem foetus unius coloris, sive albi sint, sive nigri, cedant socero.

Hanc conditionem Laban libenter accipit, neque quicquam fraudis dolive subesse suspicatur, siquidem fidem ac candorem Iacob tot annis perspectam habet. Itaque novae predae inhiat. Ac ridet et miratur tacitus simplicitatem Iacob, qui minorem numerum elegerit, et ipsi reliquerit unius coloris foetus, quorum haud dubie maior copia futura erat. Naturale enim est, ut albi ex albis, ex nigris nigri foetus, rarissime autem maculosi ex unicoloribus nascantur: nisi arte et diligentia humana naturae fiat imitatio, sicut postea dicetur: Ideo sibi gratulatus est Laban, quod peculio suo non solum nihil decederet, sed et maior fierit accessio. Natura enim facit pro eo.

Sed hoc ipso rursum prodit execrabilem avaritiam suam, potius enim debuisset admonere generum, ne se ipsum defraudaret, quam conditionem tam iniquam acciperet. Deligebat enim sibi tantum albas aut nigras pecudes, ex quibus secundum naturam non varias, sed sui similes nasci necesse erat. Quid igitur agis? mi gener, debuisset dicere. Te ipsum debita mercede fraudas, quando maculosas tibi loco mercedis segregas? Iniusta pactio est, et contra naturam. Sed nihil tale ei in mentem venit: quin potius gaudet sibi datam occasionem denuo fallendi et ludendi fatuum istum, et sperat se, si unquam alias, hoc pacto maxime auctum et locupletatum iri. Tanta est immanitas avaritiae, ut reddat homines prorsus alienos ab omni pietate, humanitate, clementia, et induat eos crudelitate et malicia diabolica. Talis enim hic Laban describitur, qui avaritia adeo ferus, adeo crudelis et *ἄστοργος* redditur, ut ne ungulam quidem de toto grege libens concedat genero et filiabus.

Haec est sententia huius pacti, in quo simul immanis avaritia Laban amplificanda et exagitanda est. Iam et textum videamus, qui, ut dixi, propter Eclipsim verborum est obscurior. Primum dicit se separaturum omne pecus punctatum, etiamsi unum tantum punctum habeat. Ut si nigro pecori unus aliquis punctus albus sit in fronte aut alibi: vel album pecus habeat unicam nigram notam, quacunque parte corporis. Et hac

appellatione videtur compraehendere tanquam sub genere, vel per synecdochen omnia pecora, non una tantum, sed pluribus et quidem parvis maculis sive punctis respersa. Hoc enim Hebraeis est pecus *Nakod*.

Deinde maculosa pecora dicit (*Thala*) quae nos proprie reddimus, bunte. Sic enim discernuntur hae duae appellationes. Haec sunt notata maculis grandioribus et latioribus, groſſe breite plet̃z[1] duorum colorum, albi aut nigri, Illa sunt respersa maculis minoribus. Tertio pecus rufum in agnis segregaturum se ait, hoc est, rufos agnellos, Differunt autem (*Scheh* et *Kaesaef*) illud generis nomen est conveniens omnibus aliis pecudibus. Hoc significat agnum anniculum aut minorem. Quando excessit annum, non vocatur amplius *Kaesaef*. Nos paschalem agnum dicimus, ein Oſterlemlein. Quarto: etiam in caprarum grege maculosas et punctatas separat, perinde ut in ovibus. Sed ex agnellis tantum rufos deligit.

Sequitur autem: ‘Idque erit merces mea.’ Hic eclipsis est, et est subintelligendum. Quicquid erit hinc natum istis simile, et maculosum ex albis. Videtur enim mihi relictum esse Iacob tantum alborum gregem, quanquam alii etiam nigras pecudes additas putant. Et est sententia: Quicquid ex albis nascetur varium et sparso vellere, hoc erit meum. Tuum vero, quod natum fuerit album. Est igitur admodum iniqua conditio, siquidem contra naturam est ex albis capris aut ovibus generari rufas aut maculosas. Tamen eam offert homini avaro: Tu enim, inquit: respondebit mihi iustitia mea, id est, ero iustus. Quia pendet haec pactio ex fortuna at casu, si forte eveniat, ut ex albis mihi nascantur pecudes maculosae, ne quid insidiose aut fraudulenter a me fieri suspiceris, quanquam nullam unquam tibi feci iniuriam. Porro quicquid non varium, sed unius coloris et album apud me inventum fuerit, id furto tibi surreptum dicito, et libere me furti arguito.

Valde dura obligatio est viri tam sancti et iusti apud nebulonem impurissimum. Et apparet inde, Laban saepe conviciis incessisse Iacob, si quando non satisfactum fuit cupiditati et avaritiae ipsius, tanquam furto aliquid ablatum esset, aut familia Iacob mactasset et comedisset oves, capras etc. de grege. Aut saltem eiusmodi increpationibus et conviciis interminari et cavere voluit, ne quid in suum commodum verteret Iacob: Tametsi de fide eius et diligentia non posset dubitare.

30,34 Dixitque Laban: Age, utinam fiat iuxta verbum tuum.

Videtur Laban adhuc dubitare et diffidere Iacob. Utinam, inquit, vel modo fiat, quod dixisti. Age experiamur, donec videam, an respondeat foetura meae expectationi. Quanquam suae avaritiae accommodata omnia videt: tamen nondum pro rato accipit: sed cum conditione, ut possit

3 Nakod] נָקֹד *4 (Thala)*] טָלוא *8/9 (Scheh* et *Kaesaef)*] שֶׂה et כֶּבֶשׂ

[1]) = *Flecken.*

mutare et rescindere pactum, quando aut quoties velit. Sicut infra audiemus decem vicibus mutatum esse. Augescit igitur magis ac magis detestatio avaritiae Laban. Quia ringitur adhuc, cum offert gener aequissimam conditionem et sibi iniquissimam. Non adsentitur liquido: Non ideo, quin utilem sibi et amplectendam statueret, sed ut retineat potestatem, ad quemlibet eventum retractandi et recusandi. Viden, avaritia quid facit?

Praeclare igitur a Poëta dictum est[1]: Auri sacra fames, quid non mortalia cogis pectora? Ita enim mutantur homines, ut nihil humani retineant, sed fiant statuae et simulachra sine omni sensu humanitatis. Et pulchre huc accommodatur id, quod Psalmo 113 [!]. dicitur: 'Simulachra gentium argentum et aurum, similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis.' Usurarii, raptores, avari non sunt homines. 'Oculos habent, et non vident. Aures habent, et non audiunt.' Et Ecclesiastico 10. scriptum est: Avaro nihil esse scelestius. Sunt enim homines ἄστοργοι, immanes, crudeles, qui si omnium hominum vitam obulo possent redimere, non darent: Sunt igitur latrones et homicidae, quia rapiunt ea et vorant, quibus alii frui et sustentari deberent. Ps. 115, 4. 8 Ps. 115, 5 f. Sir. 10, 7

Quod si vel exigua scintilla humanitatis in Laban fuisset reliqua, debuisset flecti ad humanitatem et beneficentiam virtute et liberalitate generi, et cogitare: Video generum meum ingenio bono et honesto praeditum, et adeo mearum rerum studiosum, ut conditionem non modo tolerabilem, sed et maxime quaestuosam offerat: Sed avertat Deus, ut eam accipiam. Habet filias meas uxores, cum quibus honeste et amanter vivit, et fideliter mihi quatuordecim annis serviit. Nae ego crudelior fuerim quavis bestia. Si mea commoda ex eius compararem incommodis: Sed nihil horum ne per somnium quidem cogitat, quia avaritia omnem humanitatem, verecundiam et ipsam naturam hominis extinguit, et efficit simulachra argenti et auri etc.

Itaque valde mihi placet Poëtarum fabula de Mida rege, cuius attactu scribunt omnia in aurum vera esse, quemadmodum voto optaverat fieri. Tales nimirum sunt avari instar statuarum argentearum aut aurearum, sine ullo sensu humanitatis. Et praeclare alibi dictum est avarum nihil recte facere, nisi cum moritur.[2] Sunt enim inutilia, imo noxia pondera terrae. Et tollendi erant ex omnibus Rebuspublicis bene constitutis. Quia sunt pestes societatis humanae, et exempla, imo portenta horribilia inhumanitatis, crudelitatis et impudentiae.

---

[1]) *Virgilius Aeneis 3, 56 f.* [2]) *cfr. Publilius Syrus 23*: Avarus nisi cum moritur, nil recte facit. *Vgl. Logau:* Ein Geizhals und ein fettes Schwein uns erst im Tode nützlich sein.

30, 35. 36 Separavit igitur eadem die hircos notis et maculis respersos, omnesque capras punctatas et maculosas, omnes, inquam, in quibus albedinis aliquid erat. Deinde quicquid erat nigrum in agnis, et dedit eas sub manus filiorum suorum. Posuit vero spacium itineris trium dierum inter se et inter Iacob, qui pascebat reliquos greges Laban.

Moses hic aliis nominibus utitur, quam antea. Supra dixit: rufum pecus in agnis. Item punctatum in ovibus et capris. Hic hircos nominat, ut significet ingentem et inexplebilem cupiditatem Laban, qui etiam eas pecudes segregarit, quae non fuerunt nominatae in pacto. Quanquam enim id per Synecdochen supra fieri diximus, tamen non temere videtur diversis appellationibus priores mutasse (*Ekudim*) Hircos maiores significat, qui praecedunt gregem. Sicut (*Thaischim*) Hircos minores sive capreolos, qui aluntur ad escam, non ad foeturam.

Etymologiam vocis (*Ekudim*) non scio. (*Akad*) significat vincire. Ideo exponunt pro hircis, qui habent circulum album in nigris pedibus, aut econtra, quo quasi revincti pedes videntur. Aut, quod mihi magis placet, eos intelligit, qui per dorsum habent maculas oblongas, ein langen ſtriemen[1], cuiusmodi fere omnes hirci habent. Ut hoc quoque conveniat ad amplificandam avaritiam Laban, qui exquisitissime separavit etiam eos, quorum maculae vix notari poterant. Ideo enim dicit: Omne, quod erat in eis album, et omne nigrum in ovibus, quasi diceret: Cum iam pecudes sparsis pellibus separasset, hanc curam quoque adhibuit, ut in singulis, quae unius coloris erant, etiam pilos dispiceret in pedibus aut barba, si qui essent diverso colore notati. Tam anxia et solicita segregatione usus est erga filias et generum, ut declararet animum sordidissimum omnium mortalium, et Dei odio dignum. Atque hactenus de pacto.

30, 37—39 Porro Iacob accepit virgas de populo viridi, de corilo et castanea, et decorticavit eas, ut albedo appareret, denudans scilicet, quod album erat in virgis. Et posuit virgas, quas decorticavit, in canales aquarum ante oculos ovium, ut potum venientes in aspectu earum conciperent. Concipiebant itaque oves ante virgas, et pariebant diverso colore aspersas, ac punctis et maculis notatas.

Audivimus Laban avide et anxie novae rapinae inhiasse. Sed quid fit? Deus monstrat Iacob singulare artificium, quo corrigat et mutet naturam. Sumit enim virgas ex tribus arboribus, et eas deglubit, non quod corticem prorsus detrahat, sed ut varietatem quandam colorum albi

12 (*Ekudim*)] עֻקֻדִּים *13* (*Thaischim*)] תְּיָשִׁים *15* (*Akad*)] עָקַד

[1]) = *Streifen.*

et nigri efficiat: ita ut una parte album propter detractum corticem, altera nigrum relicto cortice appareat. Has ponit in canales aquarios, ut oves ante oculos virgas habeant, et in aspectu earum concipiant. Fuit ingeniosa Philosophia sive magia, qua effecit, ut oves in ardore libidinis, aspectu variarum virgarum varios foetus procrearent. Atque ita ex grege albo aut nigro nati sunt multicolores et maculosi. Concipiebant, in Hebraeo est *Jehemu* a *Jaham*: calefaciebant se oves ad virgas, id est, coibant. Psal[mo 51.: 'In peccatis (*Jechmateni*) concaluit, concepit me mater mea', Ps. 51, 7 id est, ardore libidinis et turpi pruritu carnis conceptus sum. Significatur calor generans, qui ante lapsum fuit purus: et ad generationem conditus et necessarius. Sed iam infectus est peccato originali. Non est innoxius ardor, sicut fuit initio, sed est libidine et concupiscentia corruptus: Sic igitur arte atque ingenio, aut magia naturali fallit Iacob artem, sive potius malitiam Laban, quam magiam Patres sive usu longiore, sive ex institutione maiorum didicerunt. Iacob enim haud dubie ab aliquo Patriarcharum aut instinctu divino per spiritum sanctum edoctus fuit. Et est res certa, et conveniens cum doctrina medicorum, qui adfirmant, in conceptu omnium animalium, non brutorum tantum, sed et hominum, peculiares formas aut maculas imprimi foetibus, cum ex imaginatione, tum ex variis obiectis animo aut oculis obversantibus, non solum in ipso ardore conceptus, sed etiam post impraegnationem.

Hieronymus et Physici recitant exemplum reginae, quae enixa fuit infantem forma et facie Aethiopis, propter fortem imaginationem Aethiopis depicti in tabella ad lectum. Aliam item narrant fuisse accusatam de adulterio, quod deformis ipsa peperisset formosum infantem, utrique parenti et toti generi dissimilem: et damnata esset, nisi Hyppocrates eam liberasset, monens, ut ex ea quaereretur, an habuisset pictam aliquam tabellam in cubiculo, cuius aspectu esset delectata, quae cum esset inventa, absoluta est a iudicibus. Sic in facie, oculis, genis, cervice infantum sparsas interdum maculas sanguineas aut alterius coloris videmus: Quando nimirum gravidae subito aspectu aut terrore rei inusitatae percitae manus illis membris admoverunt. Vidimus hic Witebergae civem facie cadaverosa, qui dixit matrem ferentem uterum subito oblato oculis cadavere ita fuisse exterritam, ut facies foetus in utero cadaveris formam indueret.

Idem fieri studiose solet in admissione pecudum et iumentorum. Sicut adfirmat Hieronymus, apud Hispanos generosissimos equos statui ante equas in admissura, ut illis similes pulli procreentur. Ideo non est iocandum cum praegnantibus, sed diligens cura earum habenda est propter foetum. Infinita enim sunt pericula abortuum, monstrorum, deformitatum variarum. Maritus igitur tum maxime 'secundum scientiam', ut inquit 1. Petri 3, 7

7 Jehemu a *Jaham*] יְחֻמּוּ a יָחַם *8* (*Jechmateni*)] יַחַמְתִּנִי

Petrus: cum uxore habitet. Memini me puero Isenaci formosam et pudicam matronam eniti glirem: quod eo accidit, quia ex vicinis aliquis gliri suspenderat nolam, ad cuius sonitum reliqui fugarentur. Is occurrit mulieri gravidae, quae ignara rei subito occursu et aspectu gliris ita est conterrita, ut foetus in utero degeneraret in formam bestiolae. Talia exempla nimis usitata sunt, quando praegnantes saepe subitis adfectibus et pavoribus concitantur, cum vitae discrimine.

Cavendum itaque est, ne accidant eis vehementiores cum corporis, tum animi commotiones. Qui enim gravidarum non habent rationem, nec parcunt tenero foetui, fiunt homicidae et parricidae. Sicut quidam usque adeo crudeles sunt, ut etiam verberibus saeviant in gravidas: fortes scilicet et animosi in sexum imbecillem, alioqui vero ignavissimi. Nam nuper audivimus Principem quendam, multis aliis sceleribus et flagiciis nobilem, in coniugem languentem et adfixam lectulo strinxisse gladium. Egregium vero heroem, et militem strenuum. Atqui id minime heroicum: sed flagiciosum est et turpissimum. Si enim vir es, invenies parem, cum quo congrediaris. Heroes sunt fortes contra fortes, et infirmi erga infirmos. Quid est, quod adversus puerum et mulierem praegnantem pugnam cies. Satis superque satis alioqui periculorum est huic sexui, etiam apud moderatos maritos, a vicinis, a Diabolo, a variis spectris et imaginibus brutorum. Sceleratum est illa etiam tua crudelitate augeri.

Quin etiam Ethnici hanc virtutem in suis heroibus praedicarunt, quod fuerint placidi et blandi erga uxores. Id enim testantur descriptiones in Homero Achillis, Hectoris etc. Hector armatus osculatur filiolum. Ita fuerunt mulieres cum mulieribus, adeo ut nihil videretur magis muliebre heroibus illis apud coniuges. Sed in prelio Achilles aliter se gerit adversus Hectorem, quam cum ludit cum Briseide. Digni igitur odio sunt, qui adversus inermem et imbecillem sexum sunt fortes et pugnaces. Nos viri sumus nati non ad laedendum, sed ad defendendum sexum imbecilliorem. Mulier enim habet corpus conditum ad ferendum uterum, ad nutriendum foetum, et plurimis periculis exposita est. Ideo prudenter et moderate est tractanda. Atque hactenus prima pars huius loci explicata, et una industria Iacob descripta est.

30, 40–43 Et separavit Iacob agnos, et posuit separatum gregem ad maculis respersos et nigros agnos in grege Laban. Et posuit sibi greges seorsim, non ad oves Laban. In omni igitur admissura ovium robustiorum posuit Iacob virgas in canales ante oculos ovium, ut in admissura coram virgis conciperent. In admissura autem debilium ovium non ponebat. Ita debiliores erant ipsius Laban, robustiores vero Iacob. Auctusque est vir ille valde nimis, ut esset ei magnus grex, ancillae, servi, cameli et asini.

Altera industria est de verno et autumnali conceptu. Usus enim est Iacob suo artificio in primo, id est, verno conceptu, quando oves sunt fortiores: tum posuit virgas in canales, ut robustiores foetus fierent varii, qui ad se pertinebant. In autumnali autem et serotina admissura oves debiliores sunt, propterea quod destituuntur calore solis, quem habent in vere. Ideo tum non ponebat virgas, ut secundum naturam nascerentur unius coloris agni, qui ad Laban pertinebant.

Vernae autem admissurae ideo sunt meliores, quia fiunt ascendente sole, quando redit calor, et omnium herbarum et animalium vires augentur. Curavit igitur Iacob, ut haberet oves meliores et fortiores, Vernas scilicet, die frůling, Sicut autumnales et serotini dicuntur die ſpetling und winterſchaff. Caeterum haec satis ingeniosa industria, imo calliditas et propemodum nequitia fuit. Et tamen ibi quoque aequitatem et moderationem talem servavit Iacob, ne moveret suspicionem avaro socero, quod arte falleretur. In admissura hyberna nihil mutabat, ut et Laban aliquam partem retineret, nec in totum spoliaretur. Egregie igitur circumventus est, nec potuit intelligere, qui fieret, quod foetus verni ederentur sparsis pellibus, et autumnales sequerentur naturam. Cogitavit id fortuito aut benedictione divina fieri. Ideo mutavit pactum, ut infra dicetur, decies, Ubi, si unquam antea, maxime insigne et detestandum specimen avaritiae suae aedit. Quia enim videbat vernos foetus meliores et robustiores esse, rescindebat pactum, et deligebat varios. Ibi cum Iacob non corrigeret naturam suo artificio, edebantur unius coloris, et iterum obveniebant Iacob meliores, rursus igitur fallebatur, et rursus ipse mutabat tertia, quarta, imo decima vice. O turpem et conspuendam ab omnibus avaritiam.

Flagellant autem me Rabini nostri, quod male reddiderim hunc locum in translatione germanica.[1] Addunt enim ipsi tertiam industriam ex eo, quod dicitur posuisse separatum gregem ad oves in grege Laban etc. Id sic interpraetantur, quod maculosos agnos in unum gregem redactos fecerit antecedere gregem ovium Laban, ut sequentes oves contemplatione praecedentium variorum alios maculosos foetus ederent. Sed haec orta sunt a pessimis et avarissimis Rabinis, qui sanctissimum Patriarcham ex suo ingenio metiuntur, quasi non fuerit contentus illa magia. Sed etiam in conspectum unicolorium gregum adduxerit maculosas oves, ut non tantum ex variarum virgarum, sed etiam ex varii gregis aspectu varietatem quandam induerent foetus. Cum tamen Moses tantum de virgis loquatur, et prorsus contrarium velit, videlicet, quod Iacob semoverit gregem varium in alium locum. De agnis enim loquitur, quos segregavit. Sicut hodie etiam agnellos seorsim ponunt, quando matres in pascua ducunt. Et seiuncti fuerunt duo greges spacio itineris trium dierum. Ideo non potuerunt simul esse in uno aliquo loco uterque grex, Iacob et Laban.

[1]) *Vgl. zu dem ganzen Abschnitt: Unsre Ausg. Bibel 3, 200ff.*

Hac autem industria scribit Moses Iacob valde locupletatum esse. Sive, ut est in Hebraeo. Dirupit vir ille, id est, auctus est supra modum. Atque haec mihi quidem videtur esse germana et genuina sententia huius loci admodum obscuri, congruens cum iudicio omnium catholicorum, et sumpta ex collatione consequentium, quae quidem hanc sententiam magis illustrabunt et confirmabunt, et ex accurata consideratione circumstantiarum omnium.

Quaeritur autem, an possit excusari hoc factum Iacob, quod manifesta fraude socerum fallit. Habet enim quandam speciem avaritiae, vel potius furti et rapinae. Cur enim non servat ordinem naturae utroque tempore, verno et autumnali? Respondeo: Ex iis, quae supra dicta sunt, et quae sequentur infra, varia et honesta excusatio sumi potest. Primum iure humano excusatur, quod concedit iis, qui serviunt dominis avaris et iniquis, si nihil mercedis solvunt, sed tantum rapiunt, spoliant, expilant, ut vicissim rapiant, quod debetur eis pro mercede: Sed debito modo: ne fiat id cum detrimento domini. Sic filii Israel spoliaverunt Aegyptum, mercedem accipientes iniustae servitutis, quam Aegypti nondum persolverant.

Ad eundem modum Iacob servierat quatuordecim annis, et multis miseriis, difficultatibus et molestiis conflictatus fuerat, et tamen iusta mercede fraudabatur. Ergo iure ad eum pertinebat hoc, quod rapiebat, etiam invito et inscio Domino. Haec una responsio est.

Secundo, tametsi est dolus et fallacia, tamen fecit eam Iacob authoritate divina. Quia Angelus apparuit et monstravit ei hanc magiam naturalem et licitam esse. Ex Angelo igitur vel ex sanctis patribus Iacob eam didicit, qui magnam rerum experientiam et cognitionem habuerunt. Quando vero iubet Deus sanctos et fidelos viros aliquid facere, id sine ulla dubitatione sanctum est et licitum.

Tertio, infra dicet: (Nam hoc caput sine sequenti intelligi non potest) Deus respexit laborem et adflictionem meam. Ibi audiemus, quibus angustiis impulsus fuerit ad hanc fraudem struendam. Quod furto peribat, dicet: cogebar solvere: Nisi Deus patris mei Abraham et timor Isaac adfuisset, nunc quoque vacuum me ablegasses. Optimus et fidelissimus Iacob nullam spem habuit comparcendi aut colligendi peculii alicuius propter rapacitatem inexplebilem soceri. Ea profecto non fuit exigua calamitas, qua motus est ad rapinam hanc, praesertim cum accederet autoritas divina, qua iubebatur hoc facere. Plus enim ex te sensit Laban commodi, dixit Angelus, quam tu ei possis rapere. Ideo iure potes uti arte et fallacia, ut ab eo aliquid auferas, non raptum, sed a Deo ipso concessum et datum. Itaque et humano et divino iure et extrema necessitate excusatus est Iacob.

Non autem cuivis imitandum hoc exemplum erit, nisi in simili casu. Alioqui enim oculi nequam in factum ipsum tantum intuentur, posthabitis circunstantiis, et pro exemplo aliis rapinis temere accommodant. Verum

nequaquam id sequeris, nisi per omnia similis fueris Iacob, et omnes circunstantiae in casu simili te impulerint. Is enim auxit rem familiarem soceri, et servivit tam duriter avarissimo et rapacissimo Laban: qui ne victum quidem sufficientem ei praebuit, passus est vigilias, famem, sitim, aestum, frigus noctu dieque sine ulla compensatione aut premio. Quin insuper cogitavit Laban pacta mercede eum spoliare, siquidem retinet arbitrium mutandi pactum, quoties vult. Hae circumstantiae diligenter aspiciendae et perpendendae sunt: tum non accusabitur Iacob avaritiae: neque quisquam etiam facile exemplum hoc imitari volet: Quia est heroicum, sicut alia multa in Patriarchis. De heroicis autem factis supra diximus. Aliquando ad regulas se accommodant heroici, aliquando non: Sed Iacob hic non peccat contra regulam: Quia succurrit ei ius naturae et civile, et Christus inquit: 'Dignus est mercenarius mercede sua.' Matth. 10, 10

Nachträge und Berichtigungen.

Zu Band 42.

Zu S. 370, 6: — 'felici culpa' *bezieht sich auf die liturgische Sentenz:* felix culpa, quae tantum et talem meruit habere redemptorem; *vgl. Förster, Ambrosius, Bischof von Mailand 1884. S. 297 Nr. 66. Vgl. Unsre Ausg. Bd. 45, 734 (Nachträge) zu S. 349, 4.*

[G. B.]

Zu Band 43.

Zu S. 671 Anm. 2. — *Unsre Ausg. Bibel 3, 199f. hat Luther nähere Betrachtungen über Mandragora (Dudaim, Alraun) angestellt.* — *Die Judenkirsche*, physalis Alkekengi, *gehört zur Gattung der Solaneen; die hindber,* rubus Idaeus, *ist die Himbeere; dagegen heißt Brombeere Chamaemorus (Enzyklopädie der gesamten Pharmazie ed. Moeller und Thoms) [aber auch 'batus' (s. Dieffenbach-Wülcker, brambeere; chamaebatus also = chamaemorus, da batus = morus eine am Boden kriechende Art, Fuchsbeere, Bocksbeere (Heinsius, Wörterbuch) bezeichnet. O. B.].* *[K. Dr.]*

Weimar. — Hof-Buchdruckerei.

Papier von Gebrüder Laiblin in Pfullingen (Württemberg).

SCHEELE MEMORIAL LIBRARY
3 6655 00115511 7

LIMITED CIRCULATION

REF BR 330 .A2 1883 v.43
Luther, Martin 1483-1546
D.Martin Luthers werke

	DATE DUE		

Concordia College Library
Bronxville, NY 10708